Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/srecardinalissbo10bona

OPERA OMNIA

SANCTI BONAVENTURÆ

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

S. R. E. CARDINALIS

S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA

AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIÆ REMENSIS

TOMUS DECIMUS

PARISIIS

LUDOVICUS VIVES, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVII

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 28 1931

1560

PRÆFATIONIS LOCO

Ex Prodromo ad opera omnia S. Bonaventuræ excerpta quædam.

---

§ I. — In librum Sapientiæ (*Prodrom.*, col. 633, 634).

Hæc Expositio sic a Ptolomæo Lucensi innuitur, ut luculentioribus verbis a duobus pervetustis Inventariis Tuderti in sacrario S. Fortunati, Min. Convent., significetur, atque ab editionibus cum universalibus, tum singularibus testata fiat. « Quod in superoris libri Ecclesiastæ interpretatione fecit (auctor), itidem hac Expositione facit, » aiunt Romani Editores, siquidem ad hujus libri explicationem pariter « utitur et crebris divinarum litterarum auctoritatibus, et sanctorum Patrum doctrinis. » Quod spectat Patres, adfert testimonia Dionysii, Eusebii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Isidori, Gregorii, Damasceni, Rabani, Bernardi, Hugonis. Citat quoque Josephum Hebræum, atque Boetium. Præterea sæpenumero laudat Aristotelem, ac multa ex ejus penu depromit : quod observare debuissent novissimi Editores, qui hac ratione repudiarunt *Summam Expositionis in Psalterium*, et nihilominus præsentem Commentarium inter certa Bonaventuræ opera admiserunt. Allegat etiam Platonem, Tullium, Horatium et Senecam. Adhibet insuper græca quædam, nec abstinet ab hebraicis, ut cum ait : « Græcus liber habet pro *coturnice ortygometram* [1]. Poderis est linea vestis usque ad pedes descendens; unde dicitur a *Podos* græce, quod *pedes* sonat [2]. Nomen Dei magnificum tetragrammaton, id est ex quatuor litteris, quæ sunt Iod, Heth, Vau, He [3]. » Et tamen horum ne levem quidem peritiam habuisse præfati Editores credunt.

Quod vero pertinet ad auctorem hujus libri *Sapientiæ*, cohærenter ad ea quæ scripta sunt in *Illuminationibus* seu *Luminaribus Ecclesiæ*, inquit ex Eusebio et Rabano, ejus « causam efficientem per modum invenientis esse Salomonem, proximam causam efficientem per modum compilantis fuisse Philonem sapientissimum Judæorum temporibus apostolorum. » Idque Hieronymi etiam auctoritate confirmat. Dum ergo Ptolomæus Lucensis de nostro Bonaventura ait : « Postillavit libros Salomonis, » etc., videtur quidem præsentem commentarium comprehendere, utpote libri ad Salomonem spectantis, saltem tanquam inventorem; sed multo magis superiorem expositionem, ceu libri certius ad eumdem Salomonem pertinentis. Unde mirum præfatos Editores in testem præsentis Expositionis produxisse Lucensem, nullatenus vero in superioris testimonium.

Neque ex Jacobo Echardo [4], et Casimiro Oudino [5], objeceris codicem Bibliothecæ Parisiensis S. Victoris scriptam an. 1267, continentemque hunc ipsum Commentarium in

[1] Cap. XVI, huj. tom. p. 111. — [2] Cap. XVIII, p. 130. — [3] Ibid. — [4] Scriptor. ord. Prædic., p. 439, col. 1.— [5] Tom. III, col. 1224.

Sapientiam cum nomine *Fr. Nicolai de Gorran de ordine FF. Prædicatorum*, quia nomen istud non prima, sed secunda manu legitur exaratum, manu, inquam, Bibliothecæ custodis. Et quamvis antiqua sit manus, non tamen adeo certum reddit testimonium, quin palam fassus fuerit clariss. Echardus : « Cum hæc postilla edita sit sub nomine S. Bonaventuræ, quem constat in *Sapientiam* scripsisse, de ista merito quis dubitaverit an sit Gorrani. » Ego autem omnino negaverim esse Gorrani, quia Gorrani est (ut habet alia secunda manus, sed antiqua) alia postilla in *Sapientiam*, cujus initium : *Si delectamini*, alterius codicis prædictæ Bibliothecæ S. Victoris. Nec enim credibile est Gorranum geminam in *Sapientiam* lucubrasse postillam.

§ II. — In Lamentationes Jeremiæ prophetæ (*Prodrom.*, col. 634-636.).

Magna subit animum admiratio, quod novissimi Editores commentarium hujus modi « non audeant ex Catalogo Bonaventuræ Operum expungere, quanquam nemo sit e vetustis, qui opusculum istud inter ejus opera collocet [1]. » Ut illud habeant legitimum, facit *orationis majestas*, *gravitas et ratio* [2]. Sed (ut ad hominem contra adversarios loquar) quæ *orationis majestas*, cum auctor vel ab ipso Prologi initio barbaris utatur vocibus *materialis*, *formalis*, *finalis*, *lamentativa*, neque abstineat ab usu illorum similiter cadentium, scilicet *spiritualium*, *temporalium*, *principalium*, ut de aliis in progressione nihil dicam, puta de *verborum negativorum reflectione*, *prælibationem*, *recidivando ?* Quæ *gravitas* in iis verbis ejusdem Prologi : « Inventæ sunt asinæ, id est animæ Christi sanguine redemptæ ? » Quæ *ratio*, cum rationes ab ipsis Editoribus adductæ contra plura opuscula, quæ autumant supposititia, itidem militant contra præsens ? Annon adversus id, quod inquit : « Dicitur græce opus istud *Threni*, hebraice *Cinoth*, quod idem est ac *Lamentatio* latine, » retorqueri potest, « Bonaventuram vocum tum græcarum, tum hebraicarum, ne levem peritiam habuisse, » atque idipsum repeti de iis, quæ subdit : « Quos nos senarios a numero pedum vocamus, hos Græci trimetros vocant : membra autem latine, græce vocantur cola : » tum multo magis urgeri contra interpretationem litterarum hebraicarum, quæ in hujusmodi Commentarii decursu lectitantur ? Nonne vel contra iteratas in memorato Prologo Tullii citationes regeri potest, maluisse Bonaventuram versari in Scripturis, inque Patribus volutandis, quam in Tullii scholis tempus operamque perdere ? » Quid ? quod in Woddingiano Syllabo Scriptorum Ordinis Minorum [3] inter Opera Joannis Pechami, S. Bonaventuræ aliquando discipuli, ex Pitseo refertur : *In Threnos Jeremiæ liber unus. Tempus plangendi*, etc. : quod ipsissimum est initium præsentis *in Lamentationes Jeremiæ prophetæ* Commentarii ?

Verum enim vero, quia præfatorum Editorum criticem nihil moror, ego quoque consentio, expositionem, de qua nunc loquimur, esse in Catalogo Bonaventuræ Operum retinendam, utpote a duobus pervetustis Inventariis Tudertinis testatam, *ad veterum exemplarium fidem recognitam*, ac per multiplices editiones publica luce sub nomine Bonaventuræ donatam, tum quoque Bonaventuriano more frequentissimis divinæ scripturæ tex-

[1] *Diatrib.*, pag. 87, huj. edit. tom. I, pag. 50. — [2] Ibid. — [3] Pag. 217, col. 2.

tibus illustratam, nihilque stylo, aut doctrina ejusdem Seraphici Doctoris indignum continentem. Præter Hieronymum, Augustinum et Gregorium, sæpe in ea laudatur Rabanus, nec prætermittuntur Bernardus, et Hugo de Sancto Victore. Inter historicos citantur Josephus et Hegesippus : inter rhetores autem Tullius, ac inter grammaticos Papias : quæ quidem citationes omnes conveniunt divo Bonaventuræ, qui tanquam scriba doctus consuevit de thesauro suo nova et vetera proferre. Quod spectat initium : *Tempus plangendi*, apud Pechamum; respondeo, nihil inde evinci contra præsentem Commentarium Bonaventuræ, quia, ut scitissime monet Echardus, « quisquis veteres postillas discutiet, plures, licet inter se diversissimas, eodem Scripturæ versiculo incipere reperiet[1]. »

Porro ex hujus expositionis Prologo discimus primo Doctorem nostrum multiplex novisse metri, ac versificationis genus, adeoque mirum neutiquam esse, si metris sui temporis fuit delectatus. Discimus secundo hebraicos libros interpreti nostro non fuisse prorsus ignotos, cum in Prologo laudato monuerit[2] : «Liber iste, seu tractatus scribitur apud Hebræos, » etc. Discimus tertio Doctorem nostrum in eodem Prologo optime dispexisse inter habentia, et non habentia auctoritatem canonicam ; etenim circa istud Threnis præfixum argumentum : *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel*, etc., animadvertit quod « huic Operi hæc littera in quibusdem libris anteposita invenitur, quæ non est tamen de veritate textus. » Non esse de veritate textus inde arguitur, quia deest in hebræo, syro, chaldæo et arabico ; non habere autem canonicam auctoritatem alii quoque plures post Bonaventuram interpretes censent : ante vero Bonaventuram plures ex antiquioribus interpretibus illius tituli, sive argumenti, nequidem meminerunt[3]. Unde vere dixit noster interpres, quod « tantum in quibusdam libris hæc littera anteposita invenitur. » Id ipsum confirmat exponens caput primum, ubi ait[4] :« Quod præmittitur in quibusdam libris : » *Et factum est, postquam redactus est Israel*, etc., non est in glossatis libris, nec est de textu in antiquis, ut tactum est. » Sane Doctor noster in hac concinnanda interpretatione videtur præ oculis habuisse *antiquos et novos libros*. Unde, ad cap. II, Coph, 19, dicit : « Antiqui libri habent : *in fame ;* libri novi habent : *qui fame pereunt.* » Adhæsisse quoque videtur hebraico textui ; nam ad cap. III, Heth, 23, inquit : « *Novi diluculo.* Hæc littera in antiquis habetur, et exponunt *Novi*, id est, *Cognovi ;* cum non sit hic verbum, sed nomen : unde in hebræis est *Novelli*; quia juxta ordinem alphabeti stare non potest ut sit *Novi* pro *Cognovi*[3]. »

§ III. — Expositio in caput sextum Evangelii Matthæi. Et conjunctim § IV. — In Evangelium S. Lucæ (*Prodrom.*, col. 636-641.).

Editores novissimi utramque hanc expositionem ad incerta S. Bonaventuræ scripta rejicientes subdunt sequentem censuram : « Sunt plura quæ maxime nos movent, ut utrumque hoc opusculum *ad supposititia ablegemus :* sunt e diverso, quæ magnopere alliciant nos, ut inter legitima Bonaventuræ opera recenseamus. Ac nos cum primis grave premit testimonium Ptolomæi Lucensis, cujusmodi verba sunt : « Huic (Bonaventuræ) Urbanus IV duo

[1] Tom. I, *Scriptor. ord. Prædic.*, pag. 444, col. 1. — [2] Pag. 142, col. 1. — [3] Vid. P. Calmet, sup. dictum Proœmium.— [4] Idem quoque Calmetus agnoscit non esse verbum, sed adjectivum. Loco tamen *novelli*, putat legendum *novæ*, concordando cum præcedenti *miserationes :* et Rabanus favet nostro Bonaventuræ.

BQ
6464
1864

Evangelia glossanda commiserat; sed excusans se propter officium, quod habebat, quia magister generalis erat, idem Doctor Aquinas supplevit. »Sed ut Opus vel ipsum introspiciamus, incomptum et inornatum dicendi genus, quod hoc in Opusculo deprehenditur, satis suspicionis nobis dat, ut spurium Bonaventuræ fœtum judicemus. Frequens deinde Expositor fuit in citandis Sallustii, Senecæ, Julii Cæsaris, Catonis libris, a quibus, ut conjectura consequimur, se quidem Bonaventura continuit. Cæterum, ut dicamus quod res est, habemus alia, quæ nos in oppositam sententiam pertrahant. Ac primum occurrit Joannes Trithemius in Indiculo Bonaventuræ: *Super Oratione Dominica*, *lib. I. In Evangelium Lucæ, lib. 1.* Occurrunt præterea, quæ Romani Editores in argumento Expositionis ejusdem (*in Lucam*) scripserunt, » etc. [1].

Respondet huic censuræ P. Sbaralea dicens : « Ego puto Ptolomæo fuisse suppositum, aut quorumdam rumorem, et conjecturam secutum : quo enim pacto potuit Bonaventura se excusare coram Pontifice, qui noverat eum plura scripsisse, et tunc etiam scribere, nec ita patribus comitiorum Narbonensium respondisse ? Sanctum Doctorem expositionem in Lucam confecisse testantur ante Trithemium Octavianus Suessanus, Franciscus Pavinus, Robertus Liciensis, Jacobus Oddus, et Bartholomeus Pisanus circa an. 1387 scribens. Ptolomæus vero, etsi auctor suppar, scripsit historiam ecclesiasticam multo post S. Doctoris obitum, post annum 1312. Desinit in an. 1294. Quare potuit errasse, quemadmodum lib. XXII, cap. XXI, ubi tradit, S. Thomam Coloniæ existentem recusasse abbatiam Montis Casini per Alexandrum pontificem oblatam, cum id factum fuerit per Innocentium IV, ut fatetur Echardus, tom. I, *Bibl. Ord. Præd.*, pag. 278. Si etiam tempore sui ministeriatus supremi scribere potuit Bonaventura *Itineraria duo in Deum et in seipsum* an. 1259, *Legendam majorem et minorem* ab an. 1261 ad an. 1263, *Apologiam pauperum* an. 1269, etc., quo pacto potuit se excusare coram Papa, se ratione officii Ministeriatus non posse Evangelia duo exponere? Quod insuper objiciunt Editores novissimi, et nullum est, et falsum. Tantum enim abest, ut ibi *frequens sit in citandis Sallustii, Senecæ, Julii Cæsaris, et Catonis libris*, ut aut nunquam, aut vix occurrant. Bis vel ter reperi illum citare Tullium, semel Senecam, et semel aut bis Josephum Hebræum. Cæterum creberrime, et fere semper sacra Scriptura, sanctis Patribus et Glossa utitur. Ejus porro dicendi genus immerito dicitur *incomptum et inornatum,* cum non alibi forsan magis elucescat prudens, eruditum pro temporum conditione, pium, sanctique Doctoris proprium, quam in hac Expositione. Ter dictum factumque B. Francisci, et paulo post septem gradus contemplationis Fr. Ægidii an. 1262 vita functi adducit, » etc. Hactenus P. Sbaralea.

Sed ne videar aliena potius, quam propria proferre, ego quoque ad præfatam censuram dixerim, facere ad summum contra *Expositionem in totum Evangelium S. Matthæi*, non autem contra alteram *in caput sextum Evangelii S. Matthæi.* Quippe officium Magistri, potius Ministri generalis, viro summo non potuit obesse, quin lucubrare posset brevissimam saltem in dictum caput Matthæi expositionem : aliudque longe est *glossare* integrum ejusdem Matthæi Evangelium, aliud unicum ipsius caput, sive minimam ejusdem capitis particulam, cujusmodi est perquam compendiaria Oratio Dominica. In hujus etiam

[1] *Diatrib.*, pag. 90 et seq., huj. nostræ edit. tom. I, pag. 53.

Orationis expositione tam frequens non fuit Bonaventura *in citandis Sallustii, Senecæ, Julii Cæsaris, et Catonis libris,* ut horum ne verbum quidem fecerit, solosque citaverit Hieronymum, Augustinum, unum versum ex Horatio, frequenter autem divinæ Scripturæ textus.

Porro cum præsens Opusculum eodem Schemate digestum concinnatumque habeatur, ac aliud inscriptum *Parvum Bonum,* sive *Regimen Conscientiæ, quod et Fons Vitæ dicitur,* quemadmodum unum post alterum exhibetur in editione Coloniensi an. 1486, aut ambo propter *incomptum et inornatum dicendi genus* ad supposititia sunt ableganda, aut utraque inter certa S. Bonaventuræ scripta sunt connumeranda. Profecto nihil Bonaventuriano stylo dissimile deprehenditur in hac prædictæ Expositionis clausula [1] : « Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut *Amen* scribant, aut *Sela,* aut *Salom* (*a*), » etc. Neque ad *Amen, Sela, Salom* (*a*) *apud Hebræos,* Editores novissimi rursus reponant, *Bonaventuram vocum hebraicarum ne levem quidem peritiam habuisse;* nam certo constat Bonaventuram id ab Hieronymo [2] didicisse. Merito igitur Expositio hujusmodi Seraphico nostro Doctori adscribitur nedum a Trithemio, sed etiam a Francisco Samsone, Mariano Florentino, Ludovico Pruteno, Bernardino de Bustis, Anonymo Pistoriensi, ac Jeremia Buchio, exstatque cum aliis ejusdem Sancti Opusculis impressa an. 1484, 1486, 1489 et seq., ut nihil dicam de editione facta sine anno, loco et nomine typographi.

Cæterum præfata Editorum censura nequidem officit *Expositioni in Evangelium S. Lucæ,* primo quia noster Bonaventura, coævo teste Salimbeno, ante Urbani IV tempora, nempe an. 1248 illam edidit; secundo quia Ptolomæus Lucensis non dicit ex duobus illis Evangeliis unum fuisse illud S. Lucæ : inter editos autem divi Bonaventuræ Commentarios desiderantur Expositiones in integrum Evangelium Matthæi, et in Evangelium Marci. Addo præfatæ Expositionis in Evangelium S. Lucæ auctorem frequentem, imo frequentissimum esse Bonaventuriano more in citandis divinæ Scripturæ textibus, ac uberrima deprompsisse e penu Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Gregorii, Bedæ, Bernardi, ex Glossa, etc.; allegasse quoque translationem Septuaginta Interpretum [3], Dionysium, Josephum, Cassianum, Historiam tripartitam, Isidorum, Damascenum, Rabanum, Petrum Ravennensem, Hugonem, Richardum; parcum vero fuisse in citandis Aristotele, Cicerone, Virgilio, Seneca, etc. Neque dicendus *frequens in citandis Sallustii, Senecæ, Julii Cæsaris, Catonis libris.* Nominat enim Julium Cæsarem occasione illius textus [4] exponendi : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, dum ait : « Cæsar iste Augustus proprio nomine fuit Octavianus, sed a Julio Cæsare, qui antea imperaverat, Cæsar est cognominatus, a quo omnes imperatores romani postea Cæsares dicti sunt. » At Cato in *Parænesi* legitur citatus ab Editoribus in margine [5]. Idem dixerim de Sallustio [6]. Quod vero Senecam spectat, ipsum allegat quidem in corpore, sed non ea frequentia, a qua Seraphicus Doctor sese continere debuerit.

[1] Vid. huj. tom. pag. 210, col. 2. — [2] Epist. CXXXVIII, tom. III, vet. edit. — [3] Ubi (*Isa.*, VII, 9), in Vulgata legitur : *Si non credideritis, non permanebitis,* Auctor noster in Proœmio habet : « Isaias secundum aliam translationem (scilicet LXX) : *Nisi credideritis, non intelligetis.* » — [4] In cap. II, v. 2.— [5] In cap. VI, v. 41.— [6] In cap. XI, v. 17.

(*a*) Prodr. *Selom.*

Insuper Expositionis ejusdem auctorem fuisse Franciscanum, vel inde arguere licet, quia idem Expositor impense commendat altissimam paupertatem *propter decem excellentissimas dignitates* [1]; beatum Franciscum iterato laudat [2], nec reticet præconia fratris Ægidii ejus socii [3]; refert verba ex *Regula beati Francisci* [4], atque ad illud : *Nolite portare calceamenta*, hanc subdit interpretationem [5] : «Scilicet ad cooperiendos pedes; nam dicitur : *Sed tantum calceatos sandaliis*. Sandalia enim a læsione pedem conservant, sed non tegunt, sicut sunt soleæ fratrum nostrorum : » Ubi ad marginem ponitur : « Calceamenta Fratrum Ordinis sancti Francisci. » Fuisse autem Bonaventuram, quia de *pane quotidiano*, sive *supersubstantiali*, disserit perinde ac Bonaventura in Expositione orationis Dominicæ in caput sextum S. Matthæi; quia super paupertatem doctrinam ipsissimam tradit [6], quam acceptam ex homilia, quæ Bernardo adscribitur, quæve incipit : *Petis a me*, adoptavit Bonaventura in tractatu *de paupertate Christi*, et in *Apologia pauperum*; item quia versus ipsissimos describit ac Bonaventura in *Centiloquio* [7]; refutat Bonaventuriani temporis Græcos quoad fermentatum [8], interseritque, sicut Bonaventura, pro re nata plura liturgica.

Postremo certum Bonaventuræ fœtum *Lecturam super totum Evangelium Lucæ* ab eo factam Parisiis anno 1248, cum primum fuisset inibi a F. Joanne Parmensi institutus Lector, mihi decretorie demonstrata supra laudatus auctor coævus oculatusque F. Salimbenus Parmensis, ad cujus testimonium, ni meus me fallat animus, omnes critici, si rite sapiant, obmutescere debent.

Nec reponant id non evincere præfatum testimonium, quia adhuc nescitur, an illa *Lectura super totum Evangelium Lucæ* cum ea, quæ nunc sub S. Bonaventuræ nomine edita habetur, conveniat. Quandoquidem ab ita reponentibus quærerem, ubinam ergo sit prædicta *Lectura super totum Evangelium Lucæ*, si ab edita diversa sit. Numquid aut omnino perierit, aut hactenus semper latuerit, ea, quam post Salimbenum, Bartholomæus Pisanus, Jacobus Perusinus, Franciscus Samson, et tot alii testantur? Utique in edita leguntur verba ex Bonaventura *super Lucam* deprompta a laudato Bartholomæo Pisano, cumque eadem edita conveniunt antiquissimi codices manuscripti, scilicet ille cui titulus : *Postilla super Lucam*, et reperitur Assisii in Tabulario sancti Francisci Minorum Conventualium; item alter inscriptus *Postilla Bonaventuræ super Lucam*, Ferrariæ, in Biblioth. S. Francisci Min. Conv.; tum alii quatuor Florentiæ, Bibl. S. Crucis, Min. Conv.; item alius, Romæ, Bibl. Vatic.; item alii duo Tuderti, in sacrario S. Fortunati, Min. Conv., etc. Neque etiam dixerint in hujusmodi Expositione allegari Fr. Ægidium *de septem Gradibus Contemplationis*, qui cum obierit an. 1262, et « mos nunquam scriptorum fuerit sæculi XIII, ut vel in suis firmandis, aut in alienis dogmatibus evertendis ad illos confugerent, quibuscum una vixissent, » laudari in Expositione lucubrata an. 1248 non potuit : id quippe jam refutavimus supra [9]. Certe verba ista : « Fr. Ægidius, quem frequentissime rapi probatum est, sic distinguit gradus, dicens, » [10] etc., viventem potius, quam mortuum nobis innuunt. E contra vero mortuum supponunt alia, quæ in Bonaventuriana *Legenda S. Francisci*

[1] In cap. VII, v. 22. — [2] In cap. IX, v. 3 et 23. — [3] Ibid., v. 28.— [4] In cap. XVI, 3, tom. XI, pag. 27, col. 1. — [5] In cap. X, v. 4. — [6] In cap. XI, 37, p. 540. — [7] In cap. XVII, v. — [8] In cap. XXII, 7, tom. XI, p. 490, col. 2. — [9] Vid. huj. nostræ edit. tom. IV, pag. 8 et seq. — [10] In cap. IX, pag. 316, col. 1, novissimæ edit. Ven., nostræ vero pag. 465.

habentur, nempe : « *Sanctus Pater* Ægidus, vir utique Deo plenus, et celebri memoria dignus, » [1] etc. Nullum ergo rationabile dubium deinceps relinquitur circa Bonaventurianum in Lucam Commentarium. Idque adeo certum est, ut etiam P. Sbaralea inter *certa et genuina S. Bonaventuræ opera* Expositionem istam collocat; una cum supradictis *in Psalterium*, *in Ecclesiasten*, *in Sapientiam*, *in Lamentationes Jeremiæ*, atque *in caput sextum Matthæi*.

[1] Cap. III.

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ DECIMO HOCCE TOMO CONTINENTUR

I. Expositio in librum Sapientiæ. 1
II. Expositio in Lamentationes Jeremiæ prophetæ. 138
III. Expositio in caput sextum Evangelii S. Matthæi. 207
IV. Expositio in Evangelium S. Lucæ, a capite I ad caput XIV inclusive. 211

S. R. E. CARDINALIS
SANCTI BONAVENTURÆ

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

EXPOSITIO IN LIBRUM SAPIENTIÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Librum Sapientiæ, in quo sapientiæ justitiæque nomine summatim omnis virtus continetur, sanctus Bonaventura, ut solet, explicat sapienter. Ad illius enim explicationem utitur et crebris divinarum Litterarum auctoritatibus, et sanctorum Patrum doctrinis. Quare, quod ejus proprium est, cum in cæteris, tum in hac expositione id elucet, ut docuerit instituta præceptaque legis divinæ salutaria, atque officia virtutum, etiam ex ipsorum potissimum Patrum scriptis ac traditionibus : quod ab Ecclesiæ doctore fieri debere, sanctus Clemens pontifex et martyr demonstrat. Ac præterea, quod in superioris libri *Ecclesiastæ* (*a*) interpretatione fecit, itidem in hac expositione facit, in qua etiam prologum sancti Hieronymi, huic libro adscriptum, adhibet atque exponit, et ita enucleate, ut *Sapientiæ* libri Salomonem auctorem esse affirmet, quemadmodum summorum Pontificum, Conciliorum et Patrum sententia est, perpetuo Ecclesiæ Dei firmata usu constantique traditione.

PROLOGUS

[2] *Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.* Quoniam eodem habet res formari, et deformata reformari; et omnia leguntur per sapientiam esse facta, secundum illud Psalmi [3] : « Omnia in sapientia fecisti; » necesse est omnia per sapientiam reformari. Imago ergo rationalis animæ, quæ [4] « ad totius sapientiæ similitudinem legitur esse facta, » per peccatum vero postmodum deformata in tantum, ut merito possit quæri [5] : « Cujus est imago hæc et superscriptio? » per sapientiam est necessario reformanda. Item, quia ad ejus reformationem duo sunt necessaria, scilicet malitiæ expul- Animæ reformationi duo

[1] *Cf.* Edit. Vatic. an. 1588, tom. I, pag. 358; Edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 801. — [2] *Sap.*, VI, 23. — [3] *Psal.* CIII, 24. — [4] *De Spir. et Anim.*, c. VI, inter opera S. Aug., Append. tom. VI, edit. Benedictin. — [5] *Matth.*, XXII, 20.

(*a*) Edit. Vat. *Ecclesiastis.*

sunt necessaria.

sio, et perfecti boni introductio, ut eo informetur, et ei, cujus est imago, expresse conformetur; sapientia autem est malitiæ expulsiva, unde [1] : « Sapientia vincit malitiam; » item perfecti boni introductiva, quia sapientia est, in qua perfecti boni forma consistit, ut dicit Hugo [2]; et quoniam imago divina per peccatum in anima deformata, reformatione indiget secundum omnes suas tres partes, quæ secundum Augustinum [3] sunt intelligentia, memoria, et voluntas : idcirco sapiens ad sapientiam tripliciter allicit et invitat, scilicet ad sapientiæ studiosam acquisitionem, et hoc quantum ad intelligentiam; ad acquisitæ sapientiæ firmam retentionem, et hoc quantum ad memoriam; ad acquisitæ sapientiæ, et memoriter retentæ, dilectionem, et hoc quantum ad voluntatem. Ad sapientiæ studiosam acquisitionem [4] : « Stude sapientiæ, fili mi. » Filium vocat, quemcumque paterna affectione informat, sive sit juvenis, sive senex. Augustinus : « Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest : quia si senes magis docere deceat, quam doceri; magis tamen decet eos discere, quam quid doceatur, ignorare. » *Stude*, inquit, in hoc innuens vehementem debere esse diligentiam circa acquisitionem sapientiæ adhibendam : studium enim, ut ait Tullius [5], est vehemens applicatio animi cum summa voluptate ad aliquid agendum. Hæc autem vehemens applicatio requirit vacationem ab exterioribus occupationibus. Imperitus enim efficitur ad singula, qui confusa mente dividitur ad multa, ut dicit Gregorius. Propter quod [6] : « Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, » id est, vacationis ab opere exteriori : « qui enim minoratur actu, » scilicet exteriori, « percipiet sapientiam, » ut dicitur in eodem.

Ad sapientiæ firmam retentionem [7] : « Beatus vir, qui in sapientia morabitur. » Item [8] : « Describe eam in tabulis cordis tui, » id est, in tribus partibus dominicæ imaginis, et specialiter in memoria, eam firmiter retinendo. Propter quod dicit : *Describe*, quod enim scribitur, firmius et diutius retinetur. [9] « Ecce descripsi eam tibi tripliciter, » id est : in intelligentia per studiosam acquisitionem ; in memoria, per firmam retentionem; in voluntate, per dilectionem. Ad quod monet in verbis propositis, dicens : *Diligite lumen sapientiæ*, etc.

In quibus nobis quatuor causæ hujus operis innuuntur, scilicet causa efficiens, ex persona quæ loquitur, dicens : *Diligite*; formalis, id est modus agendi, per *lumen* innuitur; materialis nomine *sapientiæ* exprimitur; finalis ex ordine, seu comparatione loquentis, ad personam ad quam sermo dirigitur, intelligi potest, cum dicitur : *Omnes qui præestis populis*. De primo notandum, quod triplex est causa efficiens hujus libri : prima per modum inspirantis, scilicet Deus; unde [10] : « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. » Item [11] : « Omnis sapientia a Domino Deo est : » sicut videlicet omnis essentia ab ejus essentia, et ab ejus veritate omnis veritas, et ab ejus bonitate omnis bonitas. Primum enim [12] in unoquoque genere eorum, quæ post ipsum sunt, causa est; et omne perfectum a perfecto causatur, secundum Boetium. Secunda causa efficiens per modum invenientis est ipse Salomon : unde in Ecclesiastica Historia omnis antiquorum chorus librum, qui *Sapientia* intitulatur, Salomonis esse dixerunt. Unde liber ipse *Sapientia Salomonis* inscribitur; et more ecclesiastico, lectionibus de hoc libro sumptis præmittitur : *Dixit Salomon filiis Israel*, quia de ejus sententiis liber iste compilatus fuit. Proxima causa efficiens, per modum compilantis, fuit Philo sapientissimus Judæorum, qui temporibus Apostolorum fuit,

Causa efficiens hujus libri triplex.

[1] *Sap.*, VII, 30. — [2] Hug. de S. Vict., *Didasc.*, lib. VIII, c. II. — [3] Imo auctor. lib. *De Spir. et Anima*, c. XXXV; Aug. autem, *de Trinit.*, lib. X, c. XI et XII. — [4] *Prov.*, XXVII, 11. — [5] Cic., *de Invent.*, lib. I. — [6] *Eccli.*, XXXVIII, 25. — [7] *Eccli.*, XIV, 22. — [8] *Prov.*, III, 3. — [9] *Prov.*, XXII, 20. — [10] *Job*, XXXII, 8. — [11] *Eccli.*, I, 1. — [12] Arist., *Metaph.* lib. V, text. 2.

ut refert ecclesiastica historia [1]; qui ab amore sapientiæ non immerito est Philo apellatus. Rabanus etiam librum istum potius asserit non a Salomone, ut putatur, sed a Philone sapientissimo Judæo fuisse conscriptum, id est, compilatum.

Causa formalis libri.

Causa autem formalis, id est, modus agendi, ut dictum est, per *lumen* innuitur; quia, sicut lumen habet radicalis suæ originis occultationem, in egressu claram manifestationem, in fluxu continuationem, sic et iste liber *Sapientiæ* habet in sententiis profundam difficultatem, et originis occultationem, secundum illud [2] : « Trahitur sapientia de occultis; » in sermonibus claram manifestationem [3] : « Clara est, et quæ nunquam marcessit sapientia : » clara, inquam, per eloquentiæ venustatem; stylus enim hujus libri, secundum Hieronymum [4], græcam redolet eloquentiam. In processu rationum consequentiam, et ordinatam continuationem [5] : « Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, » continue fluendo, non stillando; « et consilium illius, sicut fons vitæ, permanet. »

Causa materialis libri.

Causa vero materialis nomine *Sapientiæ* exprimitur. Sapientia autem, secundum Augustinum [6], est divinarum rerum cognitio : res autem divinæ sunt Dei potentia, sapientia et bonitas, de quibus agitur in hoc libro, quamvis principalius de sapientia intendatur. Potentiam Dei notificat in punitione rebellium, ut patet primo, secundo, tertio, quarto et quinto capitulis; sapientiam, in illuminatione humilium, ut patet sexto, septimo et octavo capitulis; bonitatem, in collatione beneficiorum quantum ad utrosque, ut patet a decimo capitulo et inde. Agitur autem hic non tantum de sapientia increata, ejus laudibus insistendo; sed etiam de creata, ejus utilitates ostendendo : unde infra, scilicet post præmissa verba thematis, subditur [7] : *Quid autem*, id est qualis, *est sapientia*, scilicet increata, *et quemadmodum facta sit*, scilicet creata, *referam*, etc : quamvis illud totum possit intelligi de sapientia, tanquam de subjecto.

Causa finalis libri.

Causa finalis intelligi potest ex ordine personæ loquentis ad illos, ad quos dirigitur sermo; qui tanguntur ibi : *Omnes qui præestis populis*. Sicut enim est in illuminationibus angelicis, quod divinæ lucis radium, secundum B. Dionysium [8], primo recipiunt angeli de prima hierarchia; secundo, illi de media; ultimo, illi de postrema : lex enim, ut ipse dicit, divinitus promulgata, est per prima media, et per media postrema reducere; unde in Psalmo [9] : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, » id est, superioribus angelis inferiores. Sicut etiam (*a*) videmus in illuminationibus corporeis, quia primo derivatur solis illuminatio ad loca superiora et cœlo viciniora, deinde in media, ultimo in postrema [10] : « Sol enim tripliciter exurens montes, radios exsufflat, » scilicet in valles. Sic etiam debet esse in illuminationibus humanis, ut primo in supremos, id est, in prælatos, deinde in medios, id est, eorum ministros, tertio in postremos, id est, eorum subditos lumen sapientiæ diffundatur, secundum illud Psalmi [11] : « Suscipiant montes pacem populo. » Hic enim est processus sapientiæ : si quidem [12] *attingit a fine*, scilicet supremo, *usque ad finem ultimum, et disponit omnia*, scilicet media, *suaviter*. Propter hoc dicebat Plato [13], beatas, vel bonas fore Respublicas, si eas sapientes regerent, aut earum rectores sapientiæ studerent, sicut ait Boetius. « Secundum enim [14] judicem populi, sic ministri ejus; et qualis rector civitatis, et inhabitantes in ea. » Ubi tangit tres ordines, scilicet judicum, ministrorum, et subditorum, propter prædicta. Auctor iste primo et principaliter intendit

[1] Euseb., *Histor. ecclesiast.*, lib. II, c. v; Niceph., lib. II, c. IX. — [2] *Job*, XXVIII, 18. — [3] *Sap.*, VI, 13. — [4] Hieron., *Prolog.* in lib. *Sap.* — [5] *Eccl.*, XXI, 16. — [6] August., *de Trinit.*, lib. XIV, c. I. — [7] *Sap.*, VI, 24. — [8] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. X. — [9] *Psal.* LXXV, 5. — [10] *Eccli.*, XLIII, 4. — [11] *Psal.* LXXI, 3. — [12] *Sap.*, VIII, 1. — [13] Plato, *de Republica*, lib. V, longe post med. — [14] *Eccli.*, X, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* enim.

diffundere lumen sapientiæ in loca excelsa, id est, in superiores, et per eos in inferiores. Unde patet, causam finalem hujus doctrinæ esse exhortationem, seu provocationem principum, prælatorum, et per consequens omnium ad studium et amorem sapientiæ.

EXPOSITIO IN PRÆFATIONEM S. HIERONYMI

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Liber Sapientiæ, etc. Hic est prologus quem præmittit Hieronymus libro *Sapientiæ:* et primo ostendit hujus libri originem, dicens : *Liber Sapientiæ apud Hebræos nusquam est. Unde et ipse stylus*, id est ipsum dictamen, quia tam elegans est, *magis græcam eloquentiam redolet,* id est, sapit, *quam hebræam.* Græci enim sunt magis eloquentes, et in sententiis profundiores, quam Hebræi. Unde cum liber iste habeat elegantissimum stylum, et maximam profunditatem sententiarum, patet ipsum potius in lingua græca, quam hebræa fuisse traditum. Secundo nominat ejus auctorem, dicens : *Hunc*, scilicet librum Sapientiæ, *Judæi Philonis esse*, scilicet tanquam compilatoris; sed Salomonis esse tanquam inventoris, ut dictum est. Hic Philo, licet esset Judæus, fuit tamen in græca lingua peritus. De ipso dicit Hieronymus in libro *de Viris illustribus*, quod fuit Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum. Tertio assignat tituli rationem, dicens : *Qui liber,* scilicet Sapientiæ, *proinde Sapientia nominatur, quia in eo adventus CHRISTI, qui est sapientia Patris, et passio evidenter*, id est, diligenter *exprimitur,* etc.

CAPUT PRIMUM [1].

1. *Diligite*, etc. (*a*) Quoniam, sicut dictum est, principes, et prælati, et per consequens omnes provocantur in hoc libro ad studium et amorem sapientiæ ; cumque sapientia sine observantia justitiæ haberi non possit : *in malevolam enim animam non introivit* (*b*) *sapientia,* etc. infra hoc eodem capite ; et [2] : « Fili, concupiscens sapientiam, serva justitiam : » ideo, secundum Glossam, primo hortatur ad justitiam, scilicet usque ad sextum caput ; secundo, ad sapientiam, scilicet a capite sexto usque in finem. In prima parte primo facit tria, secundum tres partes justitiæ generalis : primo enim agit de justitia hominis quoad Deum capite primo ; secundo, de justitia quoad proximum capitibus secundo et tertio ; tertio, de justitia hominis quoad seipsum, capitibus quarto et quinto. In prima ergo excitat ad justitiam cordis ; secundo oris : *Benignus est*, etc. ; tertio operis : *Nolite zelare*, etc. In prima primo ponit exhortationem ad justitiæ bonum ; secundo, utilitatem acquiescentium : *Quoniam invenitur*, etc. ; tertio, detrimentum contemnentium : *Perversæ enim cogitationes*, etc. In prima primo, quantum ad rectam affectionem, dicens (v. 1) : *Diligite justitiam* ; secundo, quantum ad rectam æstimationem : *Sentite de Domino*, etc. ; tertio, quantum ad rectam æstimationem : *Et in simplicitate*, etc.

Dicit ergo : *Diligite,* etc. Glossa : Non solum facite : non enim est meritorium opus

[1] Cæteri Editores hoc loco, prævie ad commentarium sancti Doctoris, reproducunt textum integrum capitis primi, sine distinctione versiculorum, et sic de sequentibus. Nos vero satius existimavimus, uniformitatis gratia, reproductionem hanc, utique superfluam, omittere, utiliusque duximus in decursu ipsius commentarii versiculos, ut in Vulgata, numeris distinguere. Cæterum variantes lectiones textus sacri, quæ identidem apparent, occasione data, annotabimus. — [2] *Eccli.*, I, 33.

(*a*) Cæt. edit. deest *Diligite*, etc.— (*b*) Vulg. *introibit*.

justitiæ, nisi fiat ex amore justitiæ. Gregorius [1] : « Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis. » *Justitiam*, scilicet increatam, quæ est rectitudo divinæ voluntatis; et creatam, quæ est rectitudo humanæ, secundum Anselmum. *Diligite*, inquam, justitiam, ut Deo conformemini : quia [2] « justus Dominus, et justitias dilexit; » item ut spirituali lætitia impleamini, secundum illud Psalmi [3] : « Dilexisti justitiam, etc., propterea benedixit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. » Item, ut beatificemini, secundum illud [4] : « Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam. »

Qui judicatis terram, specialiter vos prælati, qui judicatis terram judicio publico, *terram* subjectæ plebis. Glossa : « Quibus data est potestas judicandi. » Subjectæ, inquam, merito peccati. Dicit enim Gregorius [5] : « Ubi non delinquimus, ibi pares sumus. » Et ideo bene dicit : *Terram*, id est, terrena diligentes : non cœlestes, quia opus non est : [6] *Spiritualis* enim *homo dijudicat omnia*, scilicet in spe; *et a nemine judicatur*, id est, judicari debet : sed bestiales, secundum Glossam super illud [7] : *Bestias terræ*, id est, bestialiter viventes. Item vos omnes generaliter, qui judicatis judicio privato *terram* proprii corporis. Glossa : « Id est, qui corpus discrete reprimitis, ita quod [8] *rationale* sit *obsequium vestrum*. »

Notandum autem, quod legitur esse quadruplex terra, scilicet terra superior : terra, inquam, viventium, de qua in Psalmo [9] : « Credo videre bona Domini in terra viventium; » inferior terra, scilicet mortuorum [10] : « Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam; » exterior etiam terra, scilicet morientium, scilicet præsens mundus [11]; « Væ, væ; væ habitantibus in terra, » id est in mundo; interior terra, scilicet mortis, id est, corpus mortale et terrenum [12] : « Quid superbis, terra et cinis? » Prima terra non subjacet nostro judicio, quia non est in potestate nostra : et ideo bene dictum est Petro [13] : « Quodcumque ligaveris super terram : » non super cœlum. Secunda jam judicata est, nec potest pœnitere [14] : » Qui non credit, jam judicatus est. » Tertia judicanda est judicio justitiæ, secundum illud Psalmi [15] : « Recte (*a*) judicate, filii hominum. » Quarta judicanda est judicio disciplinæ discretæ, secundum illud [16] : « Cibaria et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo, » id est, corpori, quod spiritui servire cogendum est, exemplo B. Martini, qui artus, febre fatiscentes, spiritui servire cogebat; item exemplo Pauli, dicentis [17] : « Castigo corpus meum, et in servitutem, » in qua scilicet erat in statu innocentiæ, « redigo, » per virtutem, et opera pœnitentiæ. Prædicto servo debetur sustentatio panis, ne deficiat; virga disciplinæ, ne lasciviat; et occupatio sancti operis, ne torpeat. *Sentite*, scilicet recte æstimando, *de Domino in bonitate*, id est, bene, non male, ut hæretici. Monet autem ad bene sentiendum, et sensu exteriori pie divinas Scripturas legendo, et sensu interiori pie intelligendo. Unde Glossa : « Scripturam pie legite et intelligite : pie, scilicet devote, approbando et exequendo, quod intelligitis; et non redarguendo, vel condemnando, quod non intelligitis. » *Et in simplicitate cordis quærite illum*, ad ipsum, scilicet totam cordis intentionem dirigendo. Unde Glossa : « Voluntati ejus vos subjicite. » Quod non faciunt hypocritæ; et ideo inconstantes sunt, secundum illud Jacobi [18] : « Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis : » et propter hoc, væ eis, secundum illud [19] : « Væ duplici corde. » Cor duplex est, quando partes ejus ad diversa feruntur principaliter; quod est occasio mortis spiritualis, secundum illud [20] : « Divisum

Scriptura sacra pie legenda et intelligenda

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII. — [2] *Psal.* X, 8. — [3] *Psal.* XLIV, 8. — [4] *Matth.*, V, 6. — [5] Greg., *Pastor.*, part. II, c. VI. — [6] I *Cor.*, II, 15. — [7] *Gen.*, I, 24. — [8] *Rom.*, XII, 1. — [9] *Psal.* XXVI, 13. — [10] *Ezech.*, XXXI, 18. — [11] *Apoc.*, VIII, 13. — [12] *Eccli.*, X, 9. — [13] *Matth.*, XVI, 19. — [14] *Joan.*, III, 18. — [15] *Psal.* LVII, 2. — [16] *Eccli.*, XXXIII, 25. — [17] I *Cor.*, IX, 27. — [18] *Jac.*, I, 8. — [19] *Eccli.*, II, 14. — [20] *Ose.*, X, 2.

(*a*) *Vulg.* recta.

est cor eorum, nunc interibunt. » Simplex autem est cor, quando omnes partes ejus ad unum simplicissimum feruntur, scilicet ad Deum, secundum illud *Ecclesiastici* [1] : « Congrega cor tuum in sanctitate. » *In simplicitate cordis*, id est, in simplici unitate cordis. Hanc unitatem faciunt : fides in rationali, secundum illud [2] : « Unus Dominus, una fides, » etc. ; charitas in concupiscibili [3] : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est; » pax in irascibili [4] : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » Prima unitas prohibet divisionem errorum in intellectu; secunda, desideriorum in affectu; tertia, schismatum in effectu. Et bene dixi : *In simplicitate*, etc.

2. *Quoniam invenitur*, in præsenti per gratiam, secundum illud Cantici [5] : « Inveni, quem diligit anima mea ; » *ab iis qui non tentant illum*, ad exterius prætendendo, ad interius intendendo, sicut Scribæ et Pharisæi Christum tentantes. Et hoc dicit contra hypocrisim et duplicitatem [6] : « Quid me tentatis, hypocritæ? » *Apparet autem*, scilicet in futuro per gloriam [7] : « Cum apparuerit, similes ei erimus. » [8] « Cum autem Christus apparuerit, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria. » *His qui fidem habent in illum :* hoc dicit contra hæresim et infidelitatem. Et nota, quod dicit : *In illum ;* quia non sufficit credere illiusmodi illum, sed credere in illum, quod est actus fidei formatæ secundum Augustinum [9]. Vel : invenitur propter (*a*) devotionem affectus, apparet per contemplationem intellectus. Psalmus [10] : « Gustate, » scilicet affectu; « videte, » scilicet intellectu. Notandum autem, quod secundum Gregorium [11], tentare est callide experiri; et secundum hoc, contingit Deum tentare quadrupliciter, scilicet : vel indebite volendo experiri ejus potentiam, sicut illi, qui tentantes Christum, de cœlo signum quærebant; vel ejus sapientiam, ut Sadducæi proponentes ei quæstionem de resurrectione, secundum judicium eorum, insolubilem ponentibus resurrectionem; vel ejus justitiam, ut Pharisæi de solutione tributi quærendo [12] : « Scimus, quia verax es, » etc.; vel ejus misericordiam, ut Judæi de judicio mulieris in adulterio deprehensæ interrogando. Et quia omnis talis tentatio ex diffidentia venit, et de Deo nullatenus est diffidendum; ideo prohibetur omnis talis tentatio, unde [13] : « Non tentabis Dominum Deum tuum. » Item [14] : « Noli esse quasi homo, qui tentat Deum. »

3. *Perversæ enim cogitationes*, etc. Hic tangit multipliciter detrimentum contemnentium exhortationem ad bonum justitiæ; quorum primum est exclusio a consortio Dei : *Perversæ enim cogitationes*, etc. ; secundum, exclusio a consortio sapientiæ : *Quoniam in malevolam animam*, etc. ; tertium, exclusio a consortio Spiritus sancti : *Spiritus enim sanctus*, etc. Primum pertinet ad Patrem, secundum ad Filium, tertium ad Spiritum sanctum : quorum præsentia per dilectionem justitiæ habetur ; unde [15] : « Si quis diligit me, » etc.; absentia vero vel carentia, per odium justitiæ : *Perversæ enim*, etc. Bene dixi, quod apparet his qui fidem habent in illum, et non in aliis. *Perversæ enim cogitationes*, scilicet perversitate fidei vel morum, *separant a Deo*, quoad pœnam damni. [16] « Quæ societas lucis ad tenebras? » [17] « Qui perversi cordis est, non inveniet bonum. » Item [18] : « Iniquitates vestræ diviserunt, » etc. *Probata autem*, etc. ; quasi dicat, nec hoc sufficit ad pœnam. *Autem*, pro *sed*. *Probata virtus*, id est, vera virtus, secundum Glossam : « scilicet divina virtus. » *Corripit*, puniendo; Psalmus [19] : « Domine, ne in ira tua corripias me. » *Insipientes*. Glossa : « Hoc dicit quantum ad pœnam sensus. »

4. *Quoniam in malevolam animam*, etc. Bene dixi, quod *separant*, etc., *quoniam in*

[1] *Eccli.*, XXX, 24. — [2] *Ephes.*, IV, 5. — [3] I *Cor.*, V, 17. — [4] *Ephes.*, IV, 3. — [5] *Cant.*, III, 4. — [6] *Matth.*, XXII, 18. — [7] I *Joan.*, III, 2. — [8] *Coloss.*, III, 4. — [9] Aug., *in Joan.*, tract. XXIX, n. 6. — [10] *Psal.* XXXIII, 9. — [11] Greg., *Moral.*, lib. III, c. VI. — [12] *Matth.*, XXII, 16. — [13] *Deut.*, VI, 16. — [14] *Eccli.*, XVIII, 23. — [15] *Joan.*, XIV, 23. — [16] II *Cor.*, VI, 14. — [17] *Prov.*, XVII, 20. — [18] *Isa.*, LIX, 2. — [19] *Psal.* VI, 2. — (*a*) *Leg.* per.

malevolam animam, quoad spiritualia peccata, *non introibit sapientia*, se illi infundendo; sapientia, inquam [1], « quæ desursum est, » quæ « primum quidem pudica est, » etc.; quamvis introeat illa, quæ de deorsum est, terrena scilicet, alias diabolica. *Nec habitabit*, permanendo, *in corpore subdito peccatis :* hoc dicit quantum ad peccata carnalia, quæ licet sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ, ut dicit Gregorius [2]. Objicitur tamen quod bonum omnia exoptant : ergo nulla anima est malevola, id est, malum volens. Dicendum, quod nullus vult malum per se, sed per accidens; quia scilicet vult illud quod est malum, scilicet actionem malam, non in eo quod mala, sed in eo quod delectabilis, vel apparens bona. Rursus dubitatur : Corpus non potest esse habitaculum sapientiæ, nec subjectum peccati, vel insipientiæ, vel gratiæ : ergo falsum supponit, cum dicit : *Nec habitabit*, etc. Ad hoc dicendum, quod corpus ibi non appellatur pars hominis corporea tantum; sed per synecdochen, secundum quam pars solet poni pro toto, sumitur hic corpus pro toto homine, in quantum sentit passiones corporis. Unde Glossa : « Qui peccatis subjacet, corpus, non spiritus est. » In tali non habitat sapientia; unde Glossa : « Frustra sibi blandiuntur hæretici, Pharisæi, falsi Christiani : soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt accipere. »

Dubitatio.

Solutio.

Synecdoche.

5. *Spiritus*, etc. (*a*) Et bene dixi, quod *non habitabit*, etc. *Spiritus enim sanctus disciplinæ :* Glossa : « Qui docet omnem disciplinam, » secundum illud [3] : « Docebit vos omnem veritatem, » scilicet rationalem, naturalem, et moralem; Psalmus [4] : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me : » *Sanctus*, in quantum purgat et revocat, secundum illud Psalmi [5] : « Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ : » *Disciplinæ*, in quantum ignorantiam tollit, et sapientiam donat, secundum illud [6] : « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, » etc. *Effugiet*, id est, in præsenti longe fugiet, *fictum*, id est, peccatorem, secundum illud Psalmi [7] : « Longe a peccatoribus salus, » et præcipue hypocrita, qui proprie fictus est [8] : « Non veniet in conspectum ejus omnis hypocrita. » *Et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*, id est, falsis et erroneis; intellectus enim [9] verorum tantum est. *Auferet se*, etc.: ecce pœna damni; *Et corripietur*; etc.: ecce pœna sensus. Item notantum, quod auferre se dicitur, quia naturaliter commissio culpæ præcedit subtractionem gratiæ : Deus enim primus est in accessu, et ultimus in recessu. Et quod se auferat ab eis, non tamen remanebunt immunes; unde subdit : *Et corripietur*, etc. Correctio fit verbis; correptio fit flagellis. *Corripietur*, inquam, scilicet fictus, in futuro, id est, punietur, *a superveniente iniquitate*, id est, propter supervenientem iniquitatem. Unde Glossa : « Fictus, cum dies retributionis venerit, pro iniquitate punietur. » *Superveniente*, id est, opprimente; propter quod superveniens dicitur; sicut qui opprimit, supervenit. Vel : *Corripietur*, id est, simul in anima et corpore rapietur ad supplicium.

Correctio in verbis; correptio in flagellis.

6. *Benignus enim*, etc. Hic monet ad justitiam locutionis, retrahendo a sermonibus malis. Et primo removet ab ipsis maledictis impunitatis confidentiam; secundo prædicit eorum pœnam : *Propter hoc qui loquitur*, etc.; tertio monet ad pravarum locutionum cautelam : *Custodite*, etc. In prima primo removet impunitatis confidentiam, quæ posset oriri ex judicis misericordia : *Benignus*, etc.; secundo, ex ejus ignorantia : *Quoniam revelabit*, etc.; tertio, ex ejus impotentia : *Qouniam spiritus Domini*, etc.

Dicit ergo : *Benignus enim est spiritus.*

[1] *Jac.*, III, 17. — [2] Greg., in I *Reg.*, VII, lib. III, c. v. — [3] *Joan.*, XVI, 13. — [4] *Psal.* CXVIII, 66. — [5] *Psal.* CIII, 30. — [6] *Isa.*, XI, 2. — [7] *Psal.* CXVIII, 155. — [8] *Job*, XIII, 16. — [9] Arist., *Poster.*, lib. I, text. 10.

(*a*) Cæt. edit. deest *Spiritus*, etc.

Bene dixi, quod corripietur fictus, etc.: benignus enim est spiritus sapientiæ, scilicet increatæ, scilicet Filii, a qua datur, scilicet Spiritus sanctus; vel creatæ, quam ipse dat [1] : « O quam bonus, et quam suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! » Psalmus [2] : « Spiritus tuus, » etc. *Et tamen non liberabit maledictum*, etc., quamvis sit benignus; quia, sicut dicit Gregorius [3], « disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur. » Vel sic : Et quia benignus, non liberabit maledictum, etc., quia benignitas malitiæ contraria est, ut dicit Glossa. Non liberabit, inquam, maledicentem, quando maledictus est, quia fecit contra Dei mandatum, qui prohibet maledicere. Psalmus [4] : « Maledicti, qui declinant a mandatis tuis : » ecce maledictio in præsenti. Item [5] : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » etc.: ecce maledictio in futuro. *A labiis suis*, id est, a peccato labiorum suorum, vel a pœna quam meruit peccato labiorum suorum [6] : « Ex verbis tuis condemnaberis. » Item in Psalmo [7] : « Labor labiorum suorum operiet eos. » Et notandum, quod ponitur consequens pro antecedente, cum dicit *maledictum*, pro *maledicente*. *Quoniam renum*, etc.; quasi dicat, revera punietur pro peccatis suis, licet occultis, quoniam renum illius, id est, affectionum, seu delectationum carnalium, quarum sedes est in renibus, *testis est Deus*, id est, cognitor certus, sicut testis de re, pro qua facit testimonium [8] : « Ego sum testis, et judex, dicit Dominus. » *Et cordis illius*, id est, cogitationum de corde exeuntium, *scrutator est verus*, id est, inquisitor infallibilis; unde [9] : « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. » [10] « Ego Dominus scrutans corda, et probans renes. » Psalmus [11] : « Scrutans corda et renes Deus. » *Et linguæ ejus*, id est, locutionum, quæ lingua formantur, *auditor*, id est, cognitor immediatus sine narratione alterius. Psalmus [12] : « Qui plantavit aurem, non audiet? » quasi dicat : Sic. Et notandum, quod ponit instrumenta pro operationibus ab ipsis procedentibus, eo quod sicut instrumenta immediatius se habent ad animam, quam eorum operationes; sic Deus immediatius, quam aliquis alius, cognoscit omnes hominis actus, tam interiores, quam exteriores.

7. *Quoniam spiritus Domini*, etc., quasi inferret : Bene dixi, quod hoc potest spiritus; *quoniam spiritus Domini* : intransitive, id est, qui est Dominus, secundum illud Athanasii [13] : « Dominus Pater, dominus Filius, dominus Spiritus sanctus; » vel transitive, id est, spiritus qui est a Domino, secundum illud [14] : « Spiritus Domini super me, » etc.; item in Joanne (*a*) [15] : « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit : » *Replevit orbem terrarum*, sua præsentia rebus omnibus assistendo, et ea continendo [16] : « Numquid non cœlum et terram ego impleo ? » Quia secundum Gregorium [17] : « Ubique est Deus : intra omnia, non inclusus; extra omnia, non exclusus; supra omnia, non elatus; infra omnia, non depressus. » *Et hoc, quod continet omnia*, scilicet Spiritus sanctus omnia continens, sua potentia conservando. Sicut enim probat Boetius in libro *de Consolatione* [18] : « Mundus ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam non convenisset, et conjuncta discors diversitas dissociaret, nisi esset unus qui conjungeret, et, quod contexuit, contineret. » *Scientiam habet vocis*, id est, omnium locutionum et linguarum, omnia cognoscendo. Et hoc patet, quod potest cognoscere et punire omnia, tam facta, propter universalem præscientiam, quam dicta, propter universalem notitiam. Vel secundum Glossam : « *Hoc quod continet omnia*, id est, Spiritus sanctus,

[1] *Sap.*, XII, 1. — [2] *Psal.* CXLII, 10. — [3] Greg., in I *Reg.*, c. XVI, lib. VI, c. III. — [4] *Psal.* CXVIII, 21. — [5] *Matth.*, XXV, 41. — [6] *Matth.*, XII, 37. — [7] *Psal.* CXXXIX, 10. — [8] *Jerem.*, XIX, 23. — [9] I *Cor.*, II, 10. — [10] *Jerem.*, XVII, 10. — [11] *Psal.* VII, 10. — [12] *Psal.* XCIII, 9. — [13] Vel potius Virgilii Tapsensis, Symb. *Quicumque*. — [14] *Isa.*, LXI, 1. — [15] *Joan.*, XV, 26. — [16] *Jerem.*, XXIII, 24. — [17] Greg., *Moral.*, lib. III, c. XVI. — [18] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. XII.

(*a*) *Cæt. edit.* Item Joannes.

quia continet omnia, id est, Ecclesiam, extra quam quod est nihil est, sicut extra arcam Noe. » *Scientiam habet vocis*, causaliter loquendo, id est, intelligentiam Scripturæ præstat hominibus. Vel formaliter *scientiam habet vocis*, id est ejusdem scientiæ est cum voce, id est, cum Verbo et Dei Filio, de quo Joannes [1] : « In principio erat Verbum, » etc. Allegorice, secundum Glossam, potest exponi de temporali adventu Spiritus sancti. Et primo tangitur persona missi, cum dicitur : *Spiritus ;* secundo, ejus æterna origo : *Domini ;* tertio, temporabilis missio : *Replevit ;* quarto, missionis manifestatio : *Et hoc, quod continet omnia.* Dicit ergo : *Spiritus Domini replevit*, Glossa : « donis : » *Orbem terrarum*, « id est, Ecclesiam per omnes terras dilatatam, » ut dicit Glossa. *Et hoc quod continet omnia :* Glossa : « id est, homo, qui convenientiam habet cum omni creatura ; » propter quod omnis creatura appellatur secundum Gregorium [2]. *Scientiam habet vocis ;* Glossa, » diversarum linguarum, » a Spiritu sancto, ut patet. Orbi vero terrarum comparatur Ecclesia primitiva : primo propter sui dilatationem, secundum illud Psalmi [3] : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Secundo, propter sui perfectionem, quæ per orbis rotunditatem intelligitur [4] : « Una est columba mea, perfecta mea. » Tertio, propter sui stabilitatem [5] : « Terra enim in æternum stat. » Quarto, propter sui compressionem et attritionem [6] : « Puto, quod Deus nos apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, » etc.; sicut terra novissimum est corporum : unde ab omnibus teritur et conculcatur. Quinto, propter humani generis sustentationem et vivificationem : quia de terra vivit, et a terra sustentatur, sicut ab Ecclesia primitiva [7] : « Sub quo curvantur, qui portant orbem, » scilicet apostoli et eorum sequaces : nec tamen franguntur, quia in Psalmo [8] : « Ego confirmavi columnas ejus. » Sexto, propter ornatum omnium virtutum, et productionem, secundum illud [9] : « Germinet terra herbam virentem, » etc. Septimo, propter aquarum, id est, sapientiæ doctrinæ salutaris originem, secundum illud [10] : « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ. »

8. *Propter hoc, qui loquitur*, etc. Remota impunitatis stulta confidentia, hic prædicit malæ locutionis pœnam : et primo, quia in judicium deducetur; secundo, quia a judice discutietur : *Cogitationibus impii*, etc.; tertio, quia omnibus publicabitur : *Quoniam auris zeli*, etc.

Dicit ergo : *Propter hoc ;* quia scilicet Spiritus sanctus habet scientiam vocis, id est, omnis locutionis : *Qui loquitur iniqua*; de quibus in Psalmo [11] : « Obstructum est os loquentium iniqua : » *Non potest latere*, scilicet Spiritum sanctum in præsenti, unde [12] : « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. » Item [13] : « Omnes viæ hominum patent oculis ejus. » *Nec præteriet*, scilicet dissimulando : *Eum*, scilicet iniqua loquentem : *Corripiens*, id est, puniens; vel *Corripiens*, id est, simul rapiens corpus ejus et animam, vel cuncta ejus opera mala, et dicta, et cogitata : *Judicium*, scilicet futurum : « Cuncta enim, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, » ut habetur [14].

9. *In cogitationibus enim impii*, id est, de cogitationibus impii, in quibus minus peccatum est quam in pravis sermonibus : *Erit* (*a*) *interrogatio*, id est discussio judicis et examinatio, secundum illud Psalmi [15] : « Dominus interrogat justum et impium. » [16] « Scio, quod nulla te latet cogitatio. » Et si erit discussio de cogitationibus, multo fortius de locutionibus; propter hoc subdit : *Sermonum autem*, etc.; quasi dicat : Non solum de cogitationibus. *Autem*, pro *sed*. *Sermonum*

[1] *Joan.*, I, 1. — [2] Greg., *in Matth.*, c. XVI. — [3] *Psal.* XVIII, 5. — [4] *Cant.*, VI, 8. — [5] *Eccle.*, I, 4. — [6] I *Cor.*, IV, 9. — [7] *Job*, IX, 13. — [8] *Psal.* LXXIV, 4. — [9] *Gen.*, I, 11. — [10] *Gen.*, II, 6. — [11] *Psal.* LXII, 12. — [12] *Hebr.*, IV, 13. — [13] *Prov.*, XVI, 2. — [14] *Eccle.*, XII, 14. — [15] *Psal.* X, 6. — [16] *Job*, XLII, 2. — (*a*) Cæt. edit. *Et.*

illius auditio, id est, examinatio ad Deum, tanquam ad examinatorem, et judicem veniet: *Et ad correptionem*, id est, punitionem, *Iniquitates illius*, quas commisit, iniqua loquendo [1] : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, » etc. Et bene dixi, quod *veniet*, etc.

10. *Quoniam auris zeli*, zeli, inquam, Dei, animas tanquam sponsas zelantis (*a*) : *Audit omnia*, id est, novit, sicut ille qui audit omnia, scilicet tam mala, quam bona, quam indifferentia, sicut zelotypus diligenter audit et notat verba sponsæ, et loquentium cum ea [2] : « Ego sum Deus fortis, zelotes, » etc. *Et tumultus murmurationum*, quibus homines murmurant contra Deum [3] : « Præcordia fatui quasi rota plaustri. » Et dicitur *tumultus*, quia homo murmurans, quasi intra dentes suos tumultuet, non clare enuntiat. *Non abscondetur*, sed toti mundo propalabitur [4] : « Nihil opertum, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. » [5] « Audivi murmurationes filiorum Israel. »

11. *Custodite*, etc. Hic monet ad pravæ locutionis cautelam : et primo ponit suam exhortationem; secundo, exhortationis necessitatem. *Quoniam sermo*, etc. Construendum autem, sive continuandum sic : *Ex quo non abscondetur tumultus*, etc., *custodite ergo vos a murmuratione*, scilicet contra Deum. *Quæ nihil prodest*, imo multum obest; unde [6] : « Quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. » *Et a detractione*, scilicet contra proximum [7] : « Quare detraxistis sermonibus sanctis veritatis? » *Parcite linguæ* : non dicitur : Parcite proximo, sed *linguæ*, scilicet vestræ; quia detrahens alteri, primo seipsum lædit. Unde pejor est detractio serpentino veneno. Seneca : « Illud venenum, quod serpentes in aliorum perniciem ferunt, sine sua continent malitia; ipsa detractio partem sui veneni bibit. » Glossa : « Perniciosæ sunt murmurationes et detractiones [8] : « Detractores, Deo odibiles. » *Detractores* dicit pluraliter, quia detractio fit pluribus modis, scilicet : vel cum occultum bonum negatur; vel cum apertum diminuitur; vel cum occultum malum propalatur; vel quando apertum amplius divulgatur. Et bene dixi : *Parcite; quoniam sermo obscurus* : Glossa : « Otiosus, ut est verbum murmuris : » *In vacuum non ibit*, id est, sine pœna non remanebit; quia nec sermo otiosus, Matthæus : [9] « De omni verbo otioso, » etc. Ergo multo magis de verbo malitioso. Verbum otiosum, ut dicit ibi Glossa, est quod dicitur sine utilitate loquentis, vel audientis. Hieronymus [10] : « Omne quod non ædificat loquentes, in periculum vertitur loquentium. » *Os autem quod mentitur*, scilicet detrahendo, *occidit animam* : Glossa : « mucrone peccati animam mentientis. » Psalmus [11] : « Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. » Et notandum, quod loquitur de mendacio pernicioso, quod est mortale; non de jocoso, vel officioso. Unde Glossa : « Est mendacium levioris culpæ, cum quis præstando beneficium, mentitur. » Sed videtur, quod aliquod mendacium sit bonum et meritorium, quia obstetrices [12] mentientes meruerunt præmium apud justum judicem, scilicet Deum, qui falli non potest, ut patet. Dicendum secundum Glossam, quod non est remunerata mendacii, sed pietatis earum benevolentia. Sed numquid unum et idem factum fuit peccatum, et tamen habuit benevolentiæ meritum? Et videtur, quod sic : dicit enim Glossa : « Deus unum idemque factum, propter bonum, malum condonat, et bonum remunerat. Dicendum, quod unum fuit connexione, non indivisibile; quia aliud fuit intentio liberandi, aliud voluntas mentiendi, licet coordinata.

Detractio multiplex.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

12. *Nolite zelare*, etc. Hic hortatur ad justitiam operis : et primo per rationes sumptas

[1] *Gen.*, XVIII, 20. — [2] *Exod.*, XX, 5. — [3] *Eccli.*, XXXIII, 5. — [4] *Luc.*, XII, 2. — [5] *Exod.*, XVI, 8. — [6] I *Cor.*, X, 10. — [7] *Job*, VI, 25. — [8] *Rom.*, I, 30. — [9] *Matth.*, XII, 36. — [10] Hieron., in *Matth.*, c. XII. — [11] *Psal.* V, 7. — [12] *Exod.*, I, 17. — (*a*) *Cæt. edit.* zelantes.

ex parte creationis; secundo ex parte retributionis, ibi: *Justitia enim*, etc. Ex parte creationis primo per rationem sumptam ex bonitate Creatoris: *Quoniam Deus*, etc.; secundo, per rationem sumptam ex parte finis creationis: *Creavit*, etc.; tertio, per rationem sumptam ex parte conditionis creaturæ: *Non est in illis*, etc.

Nolite zelare, etc., quasi dicat: Quia mendacium occidit, nolite zelare, id est, diligere, vel aperte affectu, *mortem*, scilicet animæ, quam per culpam incurrit, secundum illud [1]: « Vera mors est, quam homines non timent: separatio videlicet animæ a Deo, qui est beata vita animarum; sicut mors corporalis est separatio corporis ab anima. » *Mortem*, dico, *in errorem vitæ vestræ* causaliter constitutam, secundum illud [2]: « Errant, qui operantur malum; » omnis enim malus errans, secundum Philosophum [3]. *Neque acquiratis*, in effectu, *perditionem*, æternæ pœnæ; quod est in vestra potestate, secundum illud [4]: « Perditio tua', Israel: tantummodo auxilium tuum ex me. » *In operibus manuum vestrarum*, causaliter, id est, merito operum vestrorum. Sed objicitur secundum Augustinum [5]: « Omnes appetunt vitam et beatitudinem: » ergo nullus mortem, vel perditionem. Dicendum, quod verum est per se, sed per accidens et ex consequenti dicuntur eam appetere, qui appetunt actum, quia est causa mortis et perditionis. Unde ponit consequens pro antecedente, subdens: (Bene dixi, errorem causam mortis esse, et opera mala causam perditionis:)

13. *Quoniam Deus*, qui auctor est omnium, secundum illud Joannis [6]: « Omnia per ipsum facta sunt, » *mortem non fecit*, scilicet præsentem. Sed contra [7]: « Vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. » Dicendum, quod hic loquitur de morte culpæ; vel, si de morte naturæ, loquitur quantum ad privationem, non quantum ad sensum doloris. De morte etiam gehennæ verum est, quod hic dicitur: *Deus mortem non fecit*. Sed contra: Omnis pœna justa; et omne justum bonum: et omne bonum est a Deo. Dicendum, quod cum dicit: Omnis pœna justa, intelligit per se, scilicet secundum quod est pœna, non secundum id quod est: unde non potest concludi, quod simpliciter sit a Deo; sed dicendum quod pœna est. *Nec lætatur in perditione vivorum*, scilicet futura. Contra [8]: « Ego quoque in interitu vestro ridebo, » etc. Dicendum, quod non delectatur in pœna, in quantum est perditio naturæ, sed in quantum est effectus justitiæ [9]: « Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. » Et bene dixi, quod non delectatur, vel lætatur in perditione, quia est via ad non esse.

Dubitatio. Solutio.

Dubitatio. Solutio.

14. *Creavit enim Deus omnia, ut essent;* Glossa: « Non ut perirent: » unde et naturalem appetitum existendi omnibus indidit, id est, intus dedit. Et quia communis conceptio animi est, secundum Boetium [10], omne quod est ad bonum tendere, et omnia tendunt ad esse; probat, quod esse omnium est bonum. *Et sanabiles*, id est, in spirituali sanitate creatas per innocentiam, et ad sanitatem reducibiles per pœnitentiam, ne perirent: « Non enim [11] vult mortem peccatoris, » etc. *Sanabiles*, inquam, *fecit nationes orbis terrarum*, id est, omnes, quotquot nascuntur in orbe terrarum. Insanabilitas ergo earum ex ipsis est, non ex Deo [12]: « Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. » *Non enim est in illis*, etc. Glossa: « in natura illorum, » scilicet nationum, *medicamentum exterminii*, id est, poculum peccati, secundum Glossam, quod est causa exterminii in præsenti morte [13]: « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. » Exterminium dicitur peccatum, quia extra terminos gratiæ ponit; item mors temporalis, quia extra terminum vitæ naturæ ponit; item mors gehennalis,

Exterminium unde dicatur.

[1] Aug., *ad Oros.*, q. XXXII. — [2] *Prov.*, XIV, 22. — [3] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. I. — [4] *Osee*, XIII, 9. — [5] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. III. — [6] *Joan.*, I, 3. — [7] *Eccli.*, XI, 14. — [8] *Prov.*, I, 26. — [9] *Isa.*, I, 24. — [10] Boet., *de Consol. philos.*, lib. IV, pros. III. — [11] *Ezech.*, XVIII, 32. — [12] *Jerem.*, XXX, 12. — [13] *Baruc.*, III, 19.

quia ponit extra terminos gloriæ : et loquitur per antiphrasim, sicut si venenum appellaretur medicamentum, et sicut piscina vocatur aqua carens piscibus. Sed objicitur de hoc quod dicit : *Non est illis*, etc., quia[1] : « Eramus natura filii iræ. » Sed dicendum, quod hic loquitur de actuali peccato, vel de natura instituta, id est, ante lapsum, non destituta per peccatum, de qua loquitur Apostolus. *Nec infernorum regnum*, id est, perditio æterna, *in terra*, id est in homine facto de terra[2] : « Formavit Deus hominem de limo terræ. » Intendit ergo ostendere, quod mors peccati et perditio supplicii æterni non sunt a natura, sed a voluntate perversa. De morte peccati patet per Glossam, quæ dicit : « Non peccamus necessitate, sed voluntate perversa. » De perditione supplicii patet per aliam Glossam, quæ dicit : « Nihil diabolus homini nocuisset, nisi homo acquievisset. »

15. *Justitia enim perpetua est*, etc. Hic monet ad justitiam operis ex retributionis consideratione : et primo tangit præmium justitiæ; secundo, supplicium injustitiæ : *injustitia autem*, etc.; tertio æquitatem justitiæ seu pœnæ inflictæ : *Impii autem*, etc.

Mors unde sit.

Justitia enim perpetua est, etc.; quasi diceret : Bene dixi, quod mors non est a Deo, nec a natura, sed ab injustitia perversæ voluntatis : justitia enim perpetua est, vitam perpetuam tribuendo, secundum illud[3] : « In semitis justitiæ vita, » vel « semita ; » *et immortalis*, a perpetua morte liberando, unde[4] : « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. » *Injustitia autem mortis est acquisitio* : mortis scilicet temporalis et æternæ, unde[5] : « Stipendia peccati, mors. » Item[6] : « Iter devium ducit ad mortem. »

16. *Impii autem*, etc. Hic ostendit retributionis æquitatem, quam scilicet impii hic meruerunt : primo, injustitiam faciendo, propter quod dicit : *Impii autem manibus*, etc.; secundo, familiariter amando, ibi : *Et æstimantes*, etc.; tertio, inseparabiliter adhærendo : *Et sponsiones*, etc.; quarto, fortiter defendendo : *Quoniam morte digni sunt*, etc.

Impii igitur, etc. Bene dixi, quod mors non est a Deo, vel a natura. *Autem* pro *sed*. *Impii*, in Deum et proximum. *Manibus et verbis* : Glossa : « Factis et dictis : » *accersierunt*, quasi diceret : Non se ingessit, sed ipsi advocaverunt : *illam*, scilicet impietatem, et mortem : et patet in primis parentibus. *Et æstimantes illam amicam*, id est, utilem, nec damnosam; Glossa : « quia putant se impune peccare, » *defluxerunt*, id est, fluxerunt deorsum : Glossa : « in mortem æternam. » Sed primo, in mortem culpæ; secundo in mortem temporalis pœnæ; tertio, in mortem æternæ pœnæ.[7] « Oportet nos observare, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. »

Et sponsiones posuerunt ad eam, id est, fœdus inseparabile, quasi desponsationis per obstinationis impœnitentiam; Glossa : « Ne separentur. » Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. » Et merito defluxerunt in mortem, *quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius*, scilicet injustitiæ, eam scilicet tenendo et defendendo, sicut homo defendit partem de qua est[9] : « Qui talia agunt, digni sunt morte. » Potest autem hic notari processio in peccatis, de qua[10] : « Est processio in malum (*a*) viro indisciplinato : » Quia primo est impietas in corde per consensum iniquitatis; deinde in manu per consummationem operis; deinde verbum defensionis, vel gloriationis; deinde amicitia, et spes impunitatis; postea defluxus per iterationem pravæ consuetudinis; deinceps sponsio per obdurationem mentis; postremo, mors impœnitentiæ finalis.

[1] *Ephes.*, II, 3. — [2] *Gen.*, II, 7. — [3] *Prov.*, II, 28. — [4] *Sap.*, III, 1. — [5] *Rom.*, VI, 23. — [6] *Prov.*, XXII, 28. — [7] *Hebr.*, II, 1. — [8] *Isa.*, XXVIII, 15. — [9] *Rom.*, I, 23. — [10] *Eccli.*, XX, 9.

(*a*) *Vulg.* malis.

CAPUT II.

1. *Dixerunt enim*, etc. (*a*) Supra egit de justitia hominis ad Deum; hic principaliter de justitia hominis ad proximum : et primo, ab injustorum (*b*) similitudine retrahendo, hic in secundo hoc capite; secundo, ad justorum similitudinem provocando, scilicet in tertio capite. In prima, id est, a parte injustorum, proponit injuste vivendi causam motivam; secundo describit vitam injustam, ibi (v. 6) : *Venite ergo*, etc.; tertio ostendit eam non esse imitandam, ibi (v. 21) : *Hæc cogitaverunt*, etc. In prima tangitur triplex causa motiva : prima, ex parte status; secunda, ex parte naturæ (v. 2) : *Quia ex nihilo nati sumus*; tertia, ex parte nominis, sive famæ (v. 4) : *Et nomen nostrum oblivionem*, etc. Ex parte status, triplex : primo, quoad statum mundi, ibi : *Exiguum, et cum tædio*, etc.; secundo, quoad statum paradisi : *Non est refrigerium*, etc.; tertio, quoad statum inferni; *Et non est qui agnitus sit reversus ab infernis*, etc.

1. *Dixerunt autem impii, cogitantes apud se non recte*, etc. Bene dixit (*c*), quod impii manibus et verbis accersierunt injustitiam et mortem : nam dixerunt impii, id est, carentes pietate in Deum et proximum; Glossa : « Vox est perditorum, qui tanquam bruta animalia, quæ præsentia sunt, amant, et futura despiciunt, nec post hanc vitam requiem æternam sperant: » *Apud se*, quia aperte non audent, secuundum illud Psalmi [1] : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.» Si enim aperte dicerent, pœnam incurrere timerent. *Non recte cogitantes*, imo male. *Exiguum est*, propter brevitatem, secundum illud [2] : « Breves dies hominis sunt. » *Et cum tædio*, propter pœnalitatem [3] : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. » *Tempus vitæ nostræ* : Glossa : « præsentis; » quam sibi vivunt, non Deo, ideo addunt : *Nostræ*. Contra quos [4] : « Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro eis mortuus est et resurrexit. » *Et non est refrigerium in fine hominis;* Glossa : « id est, quies post mortem. » Quod tamen est falsum; quia dicitur in Psalmo in persona sanctorum [5] : « Transivimus per ignem et aquam, et deduxisti nos in refrigerium. » Item [6] : « Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrigerium animabus vestris. » Item [7] : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur, etc., ut requiescant a laboribus suis. » *Non est, qui agnitus sit reversus ab infernis*. Per hoc intendunt excludere infernum esse. Sed eadem ratione possunt dicere mortem non esse, quia nullus mortuus revertitur ad vitam. Unde ratio eorum non valet, quia si [8] a privatione ad habitum non est regressus secundum naturam, et ideo de inferno inferiori nullus revertitur secundum legem : unde [9] : « Qui descenderit (*d*) ad inferos, non ascendet : » aliqui tamen leguntur reversi privilegio gratiæ, ut Trajanus, quem Gregorius, etc.; de inferno vero superiori reversus est Christus, et multi alii, per ipsum vel per ejus apostolos suscitati.

2. *Quia ex nihilo nati sumus*, etc. Hic ponitur causa motiva ex parte naturæ : et primo, ex consideratione humanæ originis; secundo, ex consideratione compositionis, ibi : *Quoniam fumus*, etc.; tertio, ex consideratione resolutionis (v. 3) : *Qua* (*e*) *extincta*. Bene dixit (*c*), quod non erit refrigerium, nec supplicium, quia nec subjectum susceptibile talium : *Quia ex nihilo*, origine immediata quoad corpus : [10] « Intelligas, quia ex nihilo fecit ea Deus, et hominum genus. » *Et post hoc*, id est post hanc vitam, *erimus tanquam non fuerimus*; quasi dicat : In nihilum revertemur, secundum illud Da-

[1] *Psal.* XIII, 1. — [2] *Job*, XIV, 5. — [3] Ibid., 1. — [4] II *Cor.*, V, 15. — [5] *Psal.* LXV, 12. — [6] *Jerem.*, V, 16. — [7] *Apoc.*, XIV, 13. — [8] Arist., *Postprædicam.*, c. *de Oppos.* — [9] *Job*, VII, 9. — [10] II *Mac.*, VII, 28.

(*a*) Cæt. edit. deest *Dixerunt enim*, etc. — (*b*) *Cæt. edit.* justorum. — (*c*) *Item* dixi. — (*d*) *Item* descendit. — (*e*) Cæt. edit. *quia*.

masceni [1] : « Omne, quod a versione incœpit, versioni subjectum est. » Item Augustinus [2] : « Naturale est, quod ex nihilo est, in nihilum posse resolvi. » Quod intelligendum est de possibilitate primæ aptitudinis, non necessitatis; quia manu Creatoris tenentur, ne in nihilum cadant, sicut dicit Gregorius [3]. *Quoniam fumus,* scilicet quantum ad spiritum vitalem corporeum intrinsecum : fumus enim est vapor igneus; et spiritus vitalis est corpus subtile igneum : *et flatus,* id est, ventus, quoad spiritum exteriorem corporeum, qui spiratur [4] : « Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens. » [5] «Ventus est vita mea.» Psalmus [6] : « Defecerunt sicut fumus dies mei. » *In naribus nostris*; hoc dicit spiritualiter, a parte totum corpus dans intelligere propter facilem exitum, qui est (*a*) in naribus; item propter manifestationem, quia ibi inspirando et respirando magis manifestatur. *Et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum*, id est, anima scintillæ comparabilis, ut dicit Glossa; unde [7] : « Quærunt extinguere scintillam meam. » Anima autem *sermo* dicitur, secundum reputationem infidelium, quia secundum eos nihil est in re, sed tantum secundum nomen vel sermonem : scintillæ autem comparatur, quia secundum aliquos philosophos [8] anima dicta fuit igneæ esse naturæ. Vel melius potest dici anima sermo ab effectu, quæ scilicet habet vim sermocinandi; scintillæ autem comparatur propter naturæ subtilitatem, et motus agilitatem. Unde [9] : « Et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.» Item, propter durationis brevitatem, secundum infideles; unde Glossa : « Scintillæ comparabilis, quæ statim nihil. » *Ad commovendum cor nostrum*, id est, vivificandum, vel vegetandum, secundum Glossam : « Respiratio est *in naribus nostris,* id est, in corporibus nostris, ita prompta ad exeundum de corpore, sicut flatus de nare. »

3. Sequitur : *Quia* (*b*) *extincta*, etc. Bene dixit (*c*), quod anima comparatur scintillæ, quod cito extingueretur : quia corpus nostrum erit *cinis extinctus*, scilicet post animæ extinctionem, quæ secundum infideles in morte extinguitur. Sed verior littera est *Qua extincta* : secundum quam lectionem, sive litteram, dicendum, quod hic tangit causam motivam ex consideratione resolutionis : et primo, ex consideratione resolutionis quantum ad corpus; secundo, quantum ad spiritum, ibi : *Spiritus diffundetur*, etc.; tertio, quantum ad vitam : *Et transibit vita nostra*, etc.

Dicit ergo : *Qua*, scilicet anima, *extincta* secundum eos, *cinis erit corpus nostrum.* [10] « Omnes homines terra et cinis. » Item [11] : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis? » Per consumptionem enim humidi naturalis a calore, corpus consumitur, et in cinerem vertitur, *et spiritus* corporeus vitalis *diffunditur*, scilicet redeundo in sua principia componentia, *tanquam aer mollis*, id est, faciliter et invisibiliter : mollis autem dicitur aer, quia non resistit tactui. Vel *spiritus* incorporeus, sive anima, *diffundetur*, id est, evanescet et dissolvetur secundum eos, juxta illud Psalmi [12] : « Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, » etc. *Et transibit vita nostra*, id est, per annihilationem suorum principiorum totaliter desinet. *Et sicut vestigium nubis,* quod non apparet post nubis resolutionem [13] : « Velut nubes pertransiit salus mea, » scilicet temporalis. [14] « Sicut consumitur nubes, et pertransiit; sic qui descendit ad inferos, non ascendet. » *Et sicut nebula dissolvetur*, quæ scilicet est reliquia nubis; nubes enim ex vapore grossiori et depressiori consistit; nebula vero ex rariori; *quæ* scilicet nebula, *fugata est a radiis solis*, calore continentis aeris adunante partes, et fugante partes frigidi vaporis; *et a calore illius aggravata,*

[1] Damasc., Dial. *adv. Manich.*, longissime a med. — [2] Imo Fulgent., *de Fid. ad Petr.*, c. v. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. xviii. — [4] *Jac.*, iv, 15. — [5] *Job*, vii, 7. — [6] *Psal.* ci, 5. — [7] II *Reg.*, xiv, 7. — [8] Arist., *de Anima*, lib. I, Summ. ii, ex opin. alior. — [9] *Sap.*, iii, 7. — [10] *Eccli.*, xvii, 31. — [11] *Gen.*, xviii, 27. — [12] *Psal.* cii, 16. — [13] *Job*, xxx, 15. — [14] *Job*, vii, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* esset. — (*b*) Cæt. edit. *qua*. — (*c*) *Item* dixi.

eodem calore frigus nubis ad interiora fugante, et sic per accidens partes illius nebulæ condensante, et sic aggravante, et in aqua (*a*) postea resolvente. [1] « Subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas. »

4. *Et nomen nostrum*, etc. Hic ostenditur causa motiva ex parte famæ, vel nominis : et primo tangitur famæ abolitio ; secundo, abolitionis ratio, ibi : *Umbra enim transitus*, etc.

Dicit ergo : *Et nomen*, quasi dicat : Non tantum essentia vel substantia nostra transibit in nihilum, sed *et nomen nostrum* ; id est, fama quoad personam, *oblivionem accipiet per tempus*, id est, temporis diuturnitatem [2] : « Nomen impiorum putrescet. » *Et nemo habebit memoriam operum nostrorum* quoad vitam. [3] « Memoria ejus pereat de terra. » Item in Psalmo [4] : « Periit memoria eorum cum sonitu. » Et e contra [5] : « In memoria æterna erit justus. » Sed objicitur, quod opera multorum reproborum, scilicet Cain, Pharaonis, Neronis, etc., adhuc memorantur. Dicendum, quod verbum istud est verbum reproborum : et ideo non est inconveniens dicere illud esse falsum. Vel dicendum, quod non memorantur memoria laudabili, vel eis utili ; de hac autem loquitur hic. Sed objicitur, quod multorum reproborum facta celebria et laudabilia memorantur. Ad hoc dicendum, quod ipsorum non fuerunt, sed Dei in ipsis, secundum illud [6] : « Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine. »

Memoria duobus modis excolitur.

5. Ad memorandum autem duo requiruntur, scilicet fortis impressio, et frequens reiteratio : et utrumque excludit, cum subdit : *Umbræ enim transitus*, propter transeundi velocitatem. [7] « Dies nostri sicut umbra super terram, et nulla est mora. » *Umbræ*, inquam, *transitus est tempus nostrum*, id est, quod ad voluntatem nostram faciendam, non Dei expendimus : sed Dominus quandoque sibi accipiet ipsum tempus : Psalmus [8] : Cum accepero tempus, ego, etc : *Et non est reversio finis nostri*, propter redeundi impossibilitatem. [9] « Antequam vadam, et non revertar, » etc. *Quoniam consignata est*, scilicet reversio nostra, id est, sub sigillo clausa. Glossa : « consignata, quasi non apparens, quia non est. » *Et nemo revertitur* ad vitam, scilicet secundum communem legem. Psalmus [10] : « Sepulchra domus illorum in æternum, » scilicet secundum opinionem istorum : sed secundum veritatem omnes quandoque resurgent per virtutem divinam. Unde [11] : « Omnes quidem resurgemus. »

Notandum autem, quod vita et status impiorum comparatur fumo propter rationabilis obcæcationem, infra, hoc eodem capite : *Excœcavit eos malitia eorum*. Item [12] : « Obscuratum est insipiens cor eorum. » Assimilatur flatui, propter inquietam irascibilis perturbationem [13] : « Impii quasi mare fervens ; » scintillæ, propter concupiscibilis inflammationem [14] : « Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur ; » aeri, propter intentionis vacuitatem ; cineri, propter operum infructuositatem [15] : « Opera eorum inutilia ; » nubi densiori, propter gratiæ oppositionem ; nebulæ leviori, propter mentis elevationem, sive elationem ; umbræ, propter exteriorem simulationem.

6. *Venite ergo*, etc. Hic describit vitam injustam, et primo tangitur injustorum concordia et mutua cohortatio ad propriæ vitæ dissolutionem ; secundo, justorum oppressio, ibi : *Opprimamus*, etc.

Primo ergo cohortantur se ad vacandum dissolutioni : primo celeriter ; secundo abundanter, ibi (v. 7) : *Vino pretioso*, etc. ; tertio evidenter, ibi (v. 8) : *Coronemus*, etc. ; quarto communiter, vel universaliter, ibi (v. 9) : *Nemo nostrum*, etc. ; quinto hilariter, ibi : *Ubique relinquamus*, etc. Dicunt

[1] *Job*, XXXVII, 21. — [2] *Prov.*, X, 7. — [3] *Job*, XVIII, 17. — [4] *Psal.* IX, 7. — [5] *Psal.* CXI, 7. — [6] *Isa.*, XXVI, 12. — [7] I *Paralip.*, XXIX, 18. — [8] *Psal.* LXXIV, 3. — [9] *Job*, X, 21. — [10] *Psal.* XLVIII, 12. — [11] I *Cor.*, XV, 51. — [12] *Rom.*, I, 21. — [13] *Isa.*, LXVII, 20. — [14] *Eccli.*, XXIII, 22. — [15] *Sap.*, III, 11. — (*a*) *Leg.* aquam.

ergo : Ex quo præsens vita transit, et futuram non speramus, venite ergo, etc. *Venite*, dicit, quia, inquit Seneca : « Nullius rei possessio jucunda est sine socio : » et ideo mutuo se hortantur : hoc enim est invitatorium in matutino diaboli. Notandum enim, quod sicut ecclesia justorum, secundum diversa festa, diversa habet invitatoria et *Venite*; sic et synagoga peccantium : unum est vanitatis [1] : « Venite, et faciamus nobis civitatem et turrim ; » aliud iniquitatis [2] : « Venite et occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem ; » tertium avaritiæ et cupiditatis [3] : « Veni nobiscum, » etc.; quartum voluptatis, de quo hic scilicet : *Venite, et fruamur bonis, quæ sunt*, etc. Iis respondet illud [4] : « Discedite, maledicti, in ignem, » etc. *Fruamur*, inquam, amando affectu, nihil unquam desiderando. Frui enim est alicui rei amore inhærere propter se. *Bonis quæ sunt*, id est, bonis præsentibus ; *et utamur* delectando in effectu. Augustinus [5] : « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis. » Item : « Totum malum hominis est frui utendis, et uti fruendis. » *Utamur*, inquam, creatura, scilicet contempto Creatore : aliter namque non esset peccatum uti creatura. *Tanquam in juventute*, id est, quandiu sumus juvenes ; quia sensus juvenum magis percipit delectationem, quam senum. Unde [6] : « Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ? » etc. Ideo [7] : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua. » *Celeriter* ; Glossa : « ne nos et illa ante transeamus, quam illis fruamur, » secundum illud [8] : « Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur. »

Nullius rei possessio jucunda sine socio. Invitatoria diversa.

7. *Vino pretioso* interius, quoad gustum, excitando calorem ab interiori, *et unguentis* exterius, quoad tactum, excitando calorem ab exteriori, *impleamus nos* per usum superfluum et immoderatum [9] : « Bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, » etc. *Et non prætereat nos flos temporis*, id est, amœnitas, quoad aspectum [10] : « Date florem Moab, » etc. Tales non curant de fructu autumni cœlestis, sed tantum de flore veris præsentis.

8. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* [11] « Cecidit flos. » Et [12] : « Væ flori decidenti, » ad delectandum quoad odoratum ; sed « Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim. » *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, id est, nullus locus amœnus : hoc dicit quantum ad universalitatem loci [13] : « In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix. »

9. *Nemo nostrum :* hoc dicitur quantum ad universalitatem personarum. Talis erat Sodoma, in qua nec decem justi poterant inveniri, ut patet. [14] *Nemo*, inquam, *exors sit luxuriæ nostræ*, id est, sine sorte, hoc est expers, vel immunis. *Ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ :* hoc dicitur quantum ad universalitatem in facto [15] : « Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis. » *Quoniam hæc*, scilicet vita dissoluta, *est pars nostra*, scilicet ex parte animæ ; *et hæc est sors nostræ*, scilicet ex parte corporis. Vel idem sunt in re *pars* et *sors* ; sed differunt ratione : quia *pars* nominatur ex parte recipientis ; *sors*, ex parte dantis [16] : « In partibus torrentis pars tua, et hæc est sors tua. » E contra dicit vir justus [17] : « Dominus pars hæreditatis meæ. » Item [18] : « Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. »

10. *Opprimamus pauperem justum*, etc. Hic describit vitam injustam quantum ad bonorum oppressionem : primo, quia opprimunt sine reverentia personæ ; secundo, quia sine timore justitiæ, ibi (v. 11) : *Sit autem fortitudo*, etc.

Opprimamus. Glossa : « Vox perditorum est. » *Pauperem justum*, quemcumque scilicet. [19] « Oppresserunt pariter mansuetos terræ. » *Et non parcamus viduæ* ; Psal-

[1] *Gen.*, XI, 4. — [2] *Gen.*, XXX, 20. — [3] *Prov.*, I, 11. — [4] *Matth.*, XXV, 41. — [5] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. III ; *de Trinit.*, lib. X, c. XI. — [6] II *Reg.*, XIX, 35. — [7] *Eccle.*, XI, 9. — [8] *Isa.*, XXII, 13. — [9] *Amos*, VI, 6. — [10] *Jerem.*, XLVIII, 9 — [11] *Isa.*, XL, 8. — [12] *Isa.*, XXVIII, 1. — [13] *Jerem.*, II, 20. — [14] *Gen.*, XVIII, 32. — [15] *Ezech.*, XVI, 25. — [16] *Isa.*, LVII, 6. — [17] *Psal.* XV, 5. — [18] *Psal.* XXXII, 26. — [19] *Job*, XXIV, 4.

mus [1] : « Viduam et advenam interfecerunt. » *Nec veterani revereamur canos multi temporis*, id est, quemcumque senem [2] : « Non sunt reveriti senem. »

11. *Sit autem fortitudo nostra lex injustitiæ*, id est totum reputemus licitum, quidquid possumus facere [3] : « Factum est judicium, et contradictio potentior. » Vel *justitiæ*; unde Interlinearis : « Quasi fortitudinem pro justitia habeamus, id est, quod poterimus facere per justitiam, faciamus per violentiam. » *Quod enim infirmum est*, etc. ; quasi dicat : « Non opprimamus tantummodo pauperes et debiles, ut viduas et senes ; sed quoscumque (*a*) poterimus. *Quod enim infirmum est*, scilicet in se, ut vidua, pauper, et senex, *inutile invenitur*, scilicet aliis : unde de talibus parum, vel nihil est curandum. Non sic Dominus sentiebat, qui [4] « infirma mundi elegit, » etc. Non sic Paulus, qui dicebat, quod [5] « virtus in infirmitate perficitur. » Allegorice exponitur hoc de hæreticis, qui non parcunt pauperi justo, id est, populo christiano ; nec viduæ, id est Ecclesiæ ; nec veteranis, id est, apostolis et prophetis.

12. *Circumveniamus ergo justum*, etc. Hic specialiter describit Christi persecutionem : et primo tangit causam ; secundo, finem, ibi : *Videamus ergo si sermones*, etc.; tertio, mundum, ibi : *Contumelia et tormento*, etc. Causam, propter quam Judæi persecuti sunt Christum, tangit tripliciter : primo, ex parte suarum operationum ; secundo, ex parte suarum cogitationum, ibi : *Factus est nobis*, etc.; tertio, ex parte suarum locutionum, ibi : *Tanquam nugaces*, etc. In prima parte ex parte operum tangit duplicem causam, quarum prima est operum Judæorum detestatio ; secunda, traditionum Christi commendatio : *Promittit se*, etc.

Circumveniamus ergo, etc. Quia dixit (*b*) : *Fortitudo nostra sit lex injustitiæ*, et non possumus, nisi justum circumveniamus ; *circumveniamus ergo justum*, ut scilicet fortitudinis nostræ legem libere exercere possimus. *Circumveniamus*, inquam, per fraudulentiam ; *justum*, id est, Christum, qui per antonomasiam justus appellatur [6] : « Hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster ; » quia [7] *peccatum* actuale *non fecit*, nec originale contraxit in conceptione [8] : « Justitia oriatur simul, » etc. Vel *Circumveniamus*, etc., potest esse vox quorumlibet malorum contra quemlibet justum, contra quod monet Apostolus dicens [9] : « Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum, » sicut nec ipse fecerat ; unde [10] : « Nos neminem læsimus, » scilicet facto ; « neminem corrupimus, » exemplo pravo ; « neminem circumvenimus, » scilicet verbo. *Quoniam inutilis est nobis*. Glossa : « Cum tamen utilitatem ejus in omnibus viderent, » secundum illud [11] : « Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. » Sed inutilem sibi reputabant in temporalibus, unde [12] : « Venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. » *Et contrarius est operibus nostris*, scilicet sicut bonum est contrarium malo, secundum illud [13] : « Contra malum stat bonum, et contra virum justum peccator, » *et improperat nobis peccata legis*, quia peccamus transgrediendo legem, unde [14] : « Nonne Moses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem ? » *Et diffamat in nos*, id est, contra nos, vel in nos retorquendo, *peccata disciplinæ nostræ*, id est, dicendo, quod peccamus traditiones nostras, vel tenendo, vel tenere faciendo ; unde [15] : « Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones nostras ? »

13. *Promittit se scientiam Dei habere*. Glossa : « Id est, omnia se scire, tanquam Deus ; » et hoc quantum ad essentiam : *Filium Dei se nominat*, id est, Deo consubstantialem et coæternum, quoad personam.

[1] *Psal.* XCIII, 6. — [2] *Baruc.*, IV, 16. — [3] *Habac.*, I, 3. — [4] I *Cor.*, I, 27. — [5] II *Cor.*, XII, 9. — [6] *Jerem.*, XXXIII, 16. — [7] I *Petr.*, II, 22. — [8] *Isa.*, XLV, 8. — [9] I *Thess.*, IV, 6. — [10] II *Cor.*, VII, 2. — [11] *Act.*, X, 38. — [12] *Joan.*, XI, 48. — [13] *Eccli.*, XXXIII, 15. — [14] *Joan.*, VII, 19. — [15] *Matth.*, XV, 3.

(*a*) *Edit. Vat.* quosque ; *Edit. Ven.* quousque. — (*b*) *Cæl. edit.* dixi.

[1] « Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. » Sic quilibet justus scientiam Dei habet in intellectu, filius Dei est per gratiam in affectu; unde in Psalmo [2] : « Ego dixi : Dii estis, » scilicet scientes bonum et malum ; « et filii Excelsi omnes. »

14. *Factus est nobis in traductionem.* Hic ponitur causa movens ex parte cogitationum : et primo tangitur cogitationum Judæorum per Christum manifestationis effectus, non ex parte Christi causatus, sed ex parte Judæorum, scilicet invidia eorum, ibi (v. 15) : *Gravis est*, etc. *Factus est nobis in traductionem*, id est, in propalationem, *cogitationum nostrarum.* Glossa : « Cogitationes nostras traducit in lucem, id est, extra ducit in notitiam. » [3] « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? » Sic accipitur *traducere*, scilicet pro manifestare, ubi dicitur [4] : « Noluit eam traducere. »

15. *Gravis est etiam nobis ad videndum*, scilicet propter manifestationem peccatorum ipsorum. Augustinus [5] : « Oculis ægris odiosa est lux. » [6] « Qui male agit, odit lucem. » Hoc autem quod ipsum videre non poterant, signum erat invidiæ, unde [7] : « Non rectis oculis Saul aspiciebat David, » scilicet quia invidebat ei. *Quoniam dissimilis est aliis vita illius*, vita scilicet tota exterior, seu conversatio. Contra [8] : « Debuit per omnia fratribus assimilari. » Dicendum, quod Apostolus loquitur de similitudine passibilis naturæ ; hic de similitudine culpæ. Notandum autem, quod dissimilis (*a*) fuit vita, sive conversatio ejus aliis, et quantum ad initium, quia sine peccato conceptus et natus [9] : « Semen sanctum est (*b*), quod steterit in ea, » id est, in Maria [10] : « Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est : » et quantum ad medium, quia sine peccato conversatus [11] : « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus, » etc. : et quoad terminum, quia mortuus est sine mortis debito : Psalmus [12] : « Quæ non rapui, tunc exsolvebam. » *Et immutatæ sunt viæ illius.* Glossa : « Dissimiles factæ sunt, » scilicet facta et disciplina ejus [13] : « Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus. »

16. *Tanquam nugaces*, etc. Hic tangitur causa movens ex parte locutionum : et primo ponitur ipsorum reprobatio ; secundo, aliorum approbatio, ibi : *Et præfert novissima*, etc. ; tertio, sui commendatio, ibi : *Et gloriatur patrem se habere Deum*, etc. Tanquam igitur nugaces æstimati sumus ab illo, id est, inania facientes et dicentes [14] : « Nugas, qui a lege recesserant, congregabo : » *Et abstinet se a viis nostris.* Glossa : « Id est, actionibus et traditionibus nostris. » *Tanquam ad immunditiis* ; et quidem juste, quia vere immunditiæ erant. Unde [15] : « Juxta immunditiam menstruatæ facta est via illorum coram me. » *Et præfert novissima justorum*, id est, finem. Et merito quidem, quia [16] « mors peccatorum pessima : » sed mors justorum pretiosa, secundum illud Psalmi [17] : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Ideo dicebat Balaam [18] : « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Vel secundum Glossam : *Præfert novissima justorum*, id est, vitam æternam voluptati. *Et gloriatur patrem se habere Deum* [19] : « Est pater meus, qui glorificat me. »

17. *Videamus ergo si sermones*, etc. Hic in persona Judæorum, primo tangit finem persecutionis Christi, qui erat, quod de Christo veritatem scire volebant ; secundo subditur qualiter hoc scire poterant, ibi : *Si enim est verus filius Dei*, etc.

Videamus, etc., quasi dicant : Ex quo ita gloriatur, videamus, quasi a remotis de morte ejus tractando [20] : « Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Je-

[1] *Joan.*, v, 18. — [2] *Psal.* LXXXI, 6. — [3] *Matth.*, IX, 4. — [4] *Matth.*, I, 19. — [5] Aug., *Conf.*, lib. VII, c. XVI. — [6] *Joan.*, III, 20. — [7] I *Reg.*, XVIII, 9. — [8] *Hebr.*, II, 7. — [9] *Isa.*, VI, 13. — [10] *Matth.*, I, 20. — [11] I *Petr.*, II, 22. — [12] *Psal.* LXVIII, 5. — [13] *Isa.*, LV, 8. — [14] *Sapho.*, III, 18. — [15] *Ezech.*, XXXVI, 17. — [16] *Psal.* XXXIII, 22. — [17] *Psal.* CXV, 5. — [18] *Num.*, XXIII, 10. — [19] *Joan.*, VIII, 54. — [20] *Joan.*, XI, 47.

(*a*) *Edit. Ven.* dissimilitudinis. — (*b*) *Vulg.* erit id.

sum.» *Videamus*, inquam, *si sermones illius veri sunt*, scilicet, quod sit vere filius Dei. Hoc vidit, et cognovit ille centurio, qui videns eum clamando expirare, et motum terræ, aliaque signa, ait [1] : « Vere filius Dei erat iste. *Et tentemus*, de prope, eum scilicet crucifigendo, et morti exponendo : *Quæ ventura sunt illi*, scilicet si poterit se liberare [2] : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » *Et sciamus*, vel : *Ut sciamus*, *quæ erunt novissima illius*, scilicet si resurget : et hoc sciemus ejus sepulcrum custodiendo. Unde [3] : « Domine, recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens : « Post tres dies resurgam. »

18. *Si enim verus est filius Dei*, ut prædixit, non per gratiam adoptionis ut nos, sed per naturalem proprietatem æternæ generationis : *Suscipiet illum*, scilicet in gloria [4] : «Ecce servus meus, suscipiam eum :» *et liberabit eum*, scilicet a pœna ; et hoc est, quod sequitur : *De manibus contrariorum*, id est, crucifixorum, qui erant contrarii. Utrumque fecit ei Deus ; ipsum enim liberavit a pœna, secundum illud Psalmi [5] : « Liberator meus de inimicis meis iracundis, » scilicet ipsa die passionis, postquam temporalem mortem sustinuit ; sed non statim, at tertia die, secundum illud [6] : « Expecta me in die resurrectionis meæ ; » et ipsum cum gloria suscepit in die ascensionis, unde in Psalmo [7] : « Cum gloria suscepisti me. »

19. *Contumelia, et tormento interrogemus*, etc. Hic tangit specialem modum oppressionis : et primo, quantum ad ipsa disponentia ad mortem ; secundo, quantum ad ipsam mortem, *Morte turpissima*, etc.

Dicit ergo : *Contumelia*, scilicet verborum, *Et tormento*, scilicet verberum [8] : « Sancti ludibria et verbera experti. » *Interrogemus eum*, id est, examinemus. Sic factum est, ut patet, quia illusus est verbis contumeliosis, et cæsus flagellis, et tandem affixus clavis in patibulo crucis. *Et sciamus reverentiam ejus*, id est, humilitatem qua Deum reveretur [9] : « Exauditus est pro sua reverentia : » *Et probemus patientiam ejus*, scilicet per tormenta, id est, si vere humilis et patiens est. Et vere sic, quia [10] « cum maledicceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur. » Gregorius [11] : « Qualis unusquisque apud se lateat, contumelia illata probat. »

20. *Morte turpissima.* Glossa : « Id est, morte crucis, quæ usque ad passionem Christi pœna fuit reorum, nunc autem est victoriæ trophæum, et gloria Ecclesiæ. » Augustinus [12] : « Crux de pœnis latronum transiit ad frontes imperatorum. » Et quia turpissima erat mors crucis ; ideo ad ostendendum utilitatem mortis Christi, dicit Apostolus [13] : « Humiliavit semetipsum, » etc. Fuit autem mors Christi turpissima ratione loci, qui extra civitatem in loco Calvariæ, ubi projiciebantur capita decollatorum ; ratione temporis, quia die solemni, et hora majori, scilicet hora sexta ; ratione instrumenti, quia in ligno crucis [14] : « Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum ; » ratione consortii, quia inter latrones ; ratione opprobrii, quia multa opprobria pendenti illata sunt, ut patet. *Condemnemus eum.* Notandum, quod ipsum condemnavit Pilatus auctoritate ; Judæi, persuasione. *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius*, id est cognitio veritatis sermonum illius. Glossa : « Videbimus, si post mortem valeat resuscitare carnem, dixit enim [15] : *Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud.* »

21. *Hæc cogitaverunt, et erraverunt.* Hic ostendit talium vitam esse fugiendam, tanquam erroneam : primo tangit causam erroris eorum meritoriam ; secundo, erroris materiem (v. 22) : *Et nescierunt*, etc. ; tertio, erroris auctorem (v. 24) : *Invidia autem diaboli*, etc.

[1] *Matth.*, XXVII, 54. — [2] *Matth.*, XXVII, 42. — [3] *Matth.*, LVII, 63. — [4] *Isa.*, XLII, 1. — [5] *Psal.* XVII, 48. — [6] *Sopho.*, III, 8. — [7] *Psal.* LXXII, 24. — [8] *Hebr.*, X, 36. — [9] *Hebr.*, V, 7. — [10] I *Petr.*, II, 23. — [11] Greg., *Dialog.*, lib. I, c. V. — [12] Aug., *Enarr. in Psal.* XXXVI. — [13] *Philip.*, II, 8. — [14] I *Petr.*, II, 24. — [15] *Joan.*, II, 19.

Hæc, scilicet prædicta, *cogitaverunt*, scilicet impii, et perfecerunt; *et erraverunt*, unde [1]: « Ergo erravimus a via veritatis et justitiæ, et lumen non luxit nobis. » Item [2]: « Errant, qui operantur malum. » *Excæcavit enim eos*, scilicet oculum eorum interiorem; *Malitia eorum:* unde in oratione Jeremiæ [3] : « Væ nobis, quia peccavimus : propterea obtenebrati sunt oculi nostri. » Item [4]: « Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. »

22. *Et nescierunt sacramenta Dei*; id est, sacra et secreta consilia, et dispositiones de passione, et resurrectione Christi [5]: « Notum mihi factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum. » *Neque mercedem speraverunt justitiæ;* Glossa: « Id est, mortis Christi, scilicet exaltationem ejus per mortem; » de qua [6] : « Propter quod et Deus exaltavit illum. » *Nec judicaverunt:* Glossa: « Id est, intellexerunt : » *Honorem animarum sanctarum*, id est, salutem animarum per mortem Christi, et resurrectionem obtinendam. Unde Glossa : « Non intellexerunt, quia mors Christi honor est, et salus animarum. » Psalmus [7] : « Nimis honorati sunt, » etc. Item [8] : « Vobis igitur honor est, » etc.

23. *Quoniam Deus*, etc. (*a*). Et bene dixit (*b*): *Honorem ;* (v. 23) : *Quoniam* (*c*) *Deus creavit hominem inexterminabilem*, id est, potentem non mori, ex parte corporis; *et ad imaginem*, scilicet ex parte animæ [9] : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : » *ad imaginem*, scilicet in naturalibus : *similitudinis suæ*, scilicet in gratuitis. Vel *ad imaginem* in potentia cognitiva ; *ad similitudinem* in potentia affectiva : imago enim est principium cognoscendi, similitudo ratio diligendi [10] : « Omne enim animal diligit sibi simile. » *Fecit illum.*

24. *Invidia autem diaboli*, qui scilicet invidit felicitati primorum parentum : *Mors intravit in orbem terrarum.* Contra [11] : « Per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors. » Dicendum, quod intravit per diabolum suggerentem, et per hominem consentientem.

25. *Imitantur autem illum*, scilicet diabolum, invidendo justis : *Qui sunt ex parte illius*, scilicet impii, qui sunt de parte diaboli : ipse enim [12] « est caput omnium iniquorum, » ut dicit Gregorius.

CAPUT III.

1. *Justorum autem*, etc. (*d*). In præcedentibus retraxit a malorum imitatione ; hic provocat ad bonorum imitationem : et primo per status eorum commendationem ; secundo, per status oppositi reprobationem, ibi (v. 10) : *Impii autem secundum quæ cogitaverunt*, etc. In parte prima, ex parte retributionis justorum, tangitur primo eorum liberatio a malo : secundo, eorum præmiatio in bono (v. 7) : *Fulgebunt justi*, etc. In prima primo tangitur eorum liberatio a malo æternæ damnationis; secundo, a malo mortis temporalis, ibi (v. 2) : *Visi sunt oculis*, etc. ; tertio, a malo præsentis vexationis vel tribulationis (v. 4) : *Et si coram hominibus tormenta passi sunt*, etc.

Justorum animæ in manu Dei sunt, etc. Rabanus sic continuat : « In priori capite iniquorum sententia expressa est, quam circa Christum protulerunt; nunc condemnantur stultitiæ, quia sanctos interire putant, quos pro ejus confessione trucidant. » Sed potest continuari hoc modo : Bene dixi, quod imitantur diabolum, qui sunt ex parte illius. *Autem*, pro *sed*. *Justorum animæ*, etc., id est, martyrum, secundum Glossam : quod etiam verum est de aliis justis. Sed martyres dicuntur specialiter justi, quia « justus est, qui negligit damnum propter amicum, » ut

[1] *Sap.*, v, 6. — [2] *Prov.*, xiv, 22. — [3] *Thren.*, v, 15. — [4] II *Cor.*, iv, 4. — [5] *Ephes.*, iii, 5. — [6] *Philip.*, ii, 9. — [7] *Psal.* cxxxviii, 17. — [8] I *Petr.*, ii, 7. — [9] *Gen.*, i, 26. — [10] *Eccli.*, xiii, 19. — [11] *Rom.*, v, 12. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XIII, c. v.

(*a*) Cæt. edit. deest *Quoniam Deus*, etc. — (*b*) *Cæt. edit.* dixi. — (*c*) Item *quia*. — (*d*) Cæt. edit. deest *Justorum autem*, etc.

habetur in *Proverbiis* [1] : et hoc præcipue faciunt martyres, qui (*a*) pro Christo negligunt damnum rerum et amicorum carnalium, et etiam propriorum corporum, ut patet apud Paulum [2]. *Justorum*, inquam, *animæ* : non dicit corpora : quia [3] « terra, » id est, corpus de terra factum, « tradita (*b*) est in manus impii. » Non dicit temporalia [4]: « Ecce omnia quæ habet, in manu tua sunt, » etc. Sed animæ in manu Dei sunt, id est protectione ; et ideo sunt securæ. Psalmus [5] : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, » etc. [6] « Non rapiet eas quisquam de manu mea. » *Et non tanget illos tormentum mortis*, scilicet æternæ, ut dicit Glossa. [7] « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum, » id est, mors gehennæ. Hoc tormentum describit Job, dicens [8] : « Ab aquis nivium transiet ad calorem nimium. » Item in Psalmo [9] : « Pluet super peccatores laqueos ignis, » etc. Nomine autem mortis, in sua communitate sumpto, intelligitur hic mors æterna, quia illa est vera mors; temporalis autem est, quasi umbra mortis: est enim quidam transitus ad vitam, secundum illud Joannis [10] : « In judicium non venit, sed transit (*c*) a morte in vitam. »

2. *Visi sunt oculis*, etc. Notandum, quod mali et increduli mortem sanctorum reputant mortem in separatione conjunctionis animæ ad corpus; afflictionem, in dolore conjuncti; exterminium, in perditione animæ, quam putant cum corpore interire; *iter exterminii*, quantum ad sequentem incinerationem corporis. Legendum igitur sic : *Visi sunt*, id est, justi, *oculis insipientium mori*, scilicet morte æterna, cum transeant ad vitam meliorem. Unde Augustinus [11] : « Tantam præstitit Deus gratiam fidei christianæ, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quam transiretur ad vitam. » *Oculis*, inquit, *insipientium*, qui [12] « oculos suos statuerunt declinare in terram, » id est, qui solum considerant præsentia, nec futura : et ideo talibus videntur prorsus mori; sed oculis sapientium videntur nasci : propter quod obitus sanctorum vocatur *Natale*, secundum illud [13] : « Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. » *Et æstimata est*, scilicet ab impiis, *afflictio*, scilicet sola sine aliqua utilitate; *exitus illorum*, de corpore, cum transit illius consolatio, secundum illud [14] : « Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. » Bernardus : « Sancti habent mortem in desiderio, vitam in patientia. » Reprobis autem est afflictio exitus suæ mortis : et hoc quia, ut dicit idem Bernardus, « est eis dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu. »

3. *Et ab itinere justo*, id est, a via justitiæ, *abierunt in* (*d*) *exterminium*. Glossa : « Id est, reputatione malorum, » quia palmam martyrii afflictionem putant, et exterminium, id est, secessum in nihilum : et repete, *abierunt justi*, reputatione impiorum, *in iter exterminii*, id est, incinerationem, quantum ad corpus : quod exterminium, sive iter exterminii, *est a nobis*, id est, a primis parentibus [15] : « Per unum hominem mors intravit in mundum. » Vel exterminium vocat mortem temporalem, quia excludit a vita præsenti; iter autem exterminii vocat mortem æternam, quia excludit a vita æterna. [16] « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. » Et cum hoc ibi transitur, vel itur, a pœna mortifera in pœnam mortiferam, secundum illud [17] : « Ab aquis nivium transiet ad calorem nimium; » tales errant sic æstimando : unde [18] : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. »

Illi autem sunt in pace. Glossa : « Perpetuæ quietis, nunc in spe, tandem in re. » [19] « Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant

[1] *Prov.*, XII, 26. — [2] *Hebr.*, XI, per totum. — [3] *Job*, IX, 24. — [4] *Job*, I, 12. — [5] *Psal.* XC, 1. — [6] *Joan.*, X, 28. — [7] *Job*, V, 19. — [8] *Job*, XXIV, 19. — [9] *Psal.* X, 7. — [10] *Joan.*, V, 24. — [11] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIII, c. IV. — [12] *Psal.* XVI, 11. — [13] *Job*, II, 17. — [14] *Philip.*, I, 23. — [15] *Rom.*, V, 12. — [16] *Baruch*, III, 19. — [17] *Job*, XXIV, 19. — [18] *Sap.*, V, 4. — [19] *Apoc.*, XIV, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* quia. — (*b*) *Vulg.* data. — (*c*) *Vulg.* transiit. — (*d*) Vulg. *Et quod a nobis est iter.*

a laboribus suis. » Terminus enim justorum est pax; unde [1] : « Erit opus justitiæ, pax. »

4. *Etsi coram hominibus*, etc. Hic tangitur liberatio a malo præsentis vexationis : et primo liberatio in spe; secundo in re, ibi : (*a*) *In paucis vexati*, etc.; tertio causam utriusque, ibi : *Quoniam Deus tentavit eos*, etc.

Dicitur ergo : *Etsi*, pro *quamvis; coram hominibus :* Glossa : « Quia coram Deo corona gloriæ; » *tormenta passi sunt*, scilicet gravia et varia, ut patet in martyribus, de quibus [2] : « Lapidati sunt, secti sunt, » etc. *Spes illorum*, scilicet justorum, secundum illud [3] : « Justus sperat in morte sua; » *immortalitate plena est*, immortalitate, inquam, non qualis fuit immortalitas primorum parentum, scilicet cum possibilitate moriendi; non qualis damnatorum in inferno, scilicet cum moriendi perpetuo desiderio [4] : « Desiderabunt mori, et fugiet ab eis mors; » non qualis parvulorum in lymbo, scilicet cum defectu vitæ gloriosæ : sed qualis beatorum in cœlo [5] : « Gloriamur in spe filiorum Dei. » Et merito sperant, quia *in paucis vexati* : Glossa : « corporaliter; » *in multis bene disponetur :* [6] « Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. » [7] « Ego dispono vobis regnum, » etc. Quæ autem sint ista multa, dicitur [8] : « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. »

Sed dubitatur de hoc, quod dicit : *In paucis vexati*, etc., quia dicitur [9] : « Lapidati sunt, secti sunt, » etc, Dicendum, quod multa fuerunt eorum tormenta in se, sed pauca in comparatione. Primo in comparatione suæ reputationis, secundum illud [10]; « Videbantur enim, » scilicet Jacob, « dies pauci præ amoris magnitudine. » Secundo, passionis Christi [11] : « O vos omnes, qui transitis per viam. » Item [12] : « Absorpti sunt juncti petræ, » scilicet Christo, « judices eorum, » id est, ipsi apostoli, et alii majores. Tertio, in comparatione futuræ mercedis [13] : « Non sunt condignæ passiones, » etc. Item [14] : « Id quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » Quarto, in comparatione æternæ afflictionis [15] : « Qui timet pruinam, irruet super eum nix. » Quinto, in comparatione debiti et obligationis, id est, pœnæ debitæ propter dimissa, et obligationis propter commissa [16] : « Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? »

Quoniam Deus tentavit eos, etc. Hic tangitur causa prædictorum : et primo eorum castigatio; secundo eorum purgatio, ibi (v. 6) : *Tanquam aurum in fornace*, etc.; tertio futura remuneratio, ibi : *Et in tempore erit*, etc.

Bene dixit (*b*), quod *in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit eos;* Glossa : Id est, castigavit variis tribulationibus [17] : « Ut castigati, et non mortificati. » Sed contra, quia [18] « Deus neminem tentat, » ut habetur apud Jacobum. Dicendum, quod non tentat ad addiscendum, ut homo [19] : « Tenta nos, obsecro, » etc.; nec ad condemnandum, ut diabolus [20] : « Accedens tentator dixit ei, » etc. Item [21] : « Ne tentet vos satanas : » sed ad erudiendum, ut magister discipulum [22] : « Proba me, Domine, et tenta me, » etc. *Et invenit eos dignos se*, scilicet participatione beatitudinis suæ, quæ per tribulationes acquiritur. Unde [23] : « Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. » Item [24] : « Si in probatione fuerit, coronabitur. »

6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos*, scilicet ex parte animæ, eos per ignem tribulationum purgando, sed non consumendo. Glossa : « Sicut aurum in for-

[1] *Isa.*, XXXII, 17. — [2] *Hebr.*, XI, 37. — [3] *Prov.*, XIV, 32. — [4] *Apoc.*, IX, 6. — [5] *Rom.*, V, 2. — [6] *Matth.*, XXV, 23. — [7] *Luc.*, XXII, 29. — [8] *Isa.*, LXIV, 4. — [9] *Hebr.*, XI, 37. — [10] *Gen.*, XXIX, 20. — [11] *Thren.*, I, 12. — [12] *Psal.* CXL, 6. — [13] *Rom.*, VIII, 18. — [14] II *Cor.*, IV, 17. — [15] *Job*, VI, 16. — [16] *Psal.* CXV, 12 — [17] II *Cor.*, VI, 9. — [18] *Jac.*, I, 13. — [19] *Dan.*, I, 12. — [20] *Matth.*, IV, 3. — [21] I *Cor.*, VII, 5. — [22] *Psal.* XXV, 2. — [23] *Act.*, XIV, 21. — [24] *Tob.*, III, 21.

(*a*) Edit. Ven. repetit *Ibi.* — (*b*) *Cæt. edit.* dixi.

nace non uritur, sed probatur; ita martyres non deficiunt, sed ad gloriam præparantur.» [1] «In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles (*a*) in camino humiliationis,» quæ scilicet est per tribulationes præsentes. [2] « Probavit me quasi aurum, quod per ignem transiit (*b*). » *Et quasi holocausti hostiam,* quæ tota incenditur in sacrificio dominici corporis, *accepit eos,* scilicet ex parte animæ, eorum devotionem approbando, vel acceptando. [3] « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; »*et in tempore,* scilicet retributionis : Glossa : « Non est perpetua mors sanctorum, sed in die judicii copiosa remuneratio; » *erit respectus illorum,* id est respicientur a Deo, scilicet oculo misericordiæ; quod petebat, dicens [4] : « Respice in me, et miserere mei. *Respectus,* inquam, eorum, id est justorum, qui modo videntur derelinqui a Deo, secundum illud [5] : « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?» Item, contemni, secundum illud [6] : « Quare faciem tuam avertis? »

7. *Fulgebunt justi,* etc. Postquam egit de liberatione a malo, hic subdit de præmiatione in bono : primo, quantum ad stolam corporis; secundo, quantum ad honorem judiciariæ potestatis, ibi : *Judicabunt nationes,* etc.; tertio, quantum ad gloriam divinæ fruitionis, ibi : *Qui confidunt in illo,* etc.

Bene dixit (*c*), quod erit in tempore respectus illorum, quia *fulgebunt justi,* scilicet dote claritatis in judicio quoad substantiam corporis, secundum illud [7] : « Fulgebunt tunc justi, sicut sol : » sol autem septempliciter quam modo; unde [8] : « Erit lux lunæ, ut solis, et lux solis septempliciter. » *Et tanquam scintillæ discurrent,* id est, ad discurrendum habiles per dotem agilitatis, et hoc quoad operationem, vel motum corporis, secundum illud [9] : « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ. » Augustinus : « Ubi voluerit spiritus, protinus erit et corpus. » *Tanquam scintillæ,* inquam, *in arundineto,* quod incendent et consument. Arundinetum vocat hic collegium reproborum : quia est exterius per similitudinem splendidum, interius veritate vacuum, nullo fructu boni operis onustum, palude carnalis concupiscentiæ assidue irrigatum, a vento superbiæ agitatum, æternæ combustioni aptum. In hoc arundineto dicuntur Sancti discurrere, eos conculcando [10] : « Calcabitis impios. » In scintilla vero quatuor dotes corporis notari possunt, scilicet per ignem, claritatem, subtilitatem, agilitatem, et virtutem activam, per quam impassibilitas potest intelligi.

8. *Judicabunt nationes.* Hoc specialiter dicitur de Sanctis perfectis, qui judicabunt, et non judicabuntur. Quatuor enim ordines in judicio erunt, ut dicit Glossa super illud [11] : « Non resurgent impii in judicio. » Sed quomodo judicabunt sancti, cum scriptum sit [12] : « Pater omne judicium dedit Filio? » Dicendum, quod est judicium auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas; disceptationis, quo solus Christus homo; assessoriæ dignitatis, quo soli sancti perfectiores; approbationis, quo omnes boni; comparationis, quo boni, id est, minus mali. [13] « Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam. » *Et dominabuntur populis,* scilicet post judicium [14] : « Regnabimus super terram, » id est, terrenos. Vel : *Dominabuntur populis,* post mortem. [15] « Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, » id est, nos de beneficiis beatorum. *Et regnabit cum eis,* vel *in eis Dominus illorum,* scilicet Christus Rex regnabit, etc. *In perpetuum.* [16] « Regni ejus non erit finis. » [17] « Regnum tuum, regnum omnium sæculorum. »

9. *Qui confidunt in,* etc. Hic tangit gloriam fruitionis : et hanc tangit in tribus,

[1] *Eccl.*, II, 5. — [2] *Job*, XXIII, 10. — [3] *Rom.*, XII, 1. — [4] *Psal.* LXXXV, 18. — [5] *Psal.* XXI, 2. — [6] *Psal.* XLIII, 24. — [7] *Matth.*, XIII, 43. — [8] *Isa.*, XXX, 26. — [9] *Isa.*, XL, 30. — [10] *Malach.*, IV, 3. — [11] *Psal.* I, 5. — [12] *Joan.*, V, 22. — [13] *Matth.*, XII, 41. — [14] *Apoc.*, V, 10. — [15] *Matth.*, XV, 27. — [16] *Luc.*, I, 33. — [17] *Psal.* CXLIV, 13.

(*a*) *Vulg.* transit. — (*b*) *Cæt. edit.* dixi.

scilicet : in cogitatione veritatis ; in inhæsione bonitatis, ibi : *Et fideles in dilectione*, etc.; in perfectione comprehensionis, ibi : *Quoniam donum et pax est*, etc.

Dicit ergo : *Qui confidunt*, etc., quasi dicat : Non solum judicabunt ; sed etiam qui confidunt in illum, scilicet, Deum in præsenti, secundum illud [1] : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. » *Intelligent veritatem*, aperta visione. [2] « Videbimus eum, sicuti est. » Glossa : « Secundum confidentiam veram datur intellectus veritatis. » *Et fideles in dilectione*, id est, fideliter illum diligentes et inseparabiliter, sicut Apostolus, qui dicebat [3] : « Quis nos separabit a charitate Christi, » etc. [4] « Amico fideli nulla est comparatio. » *Acquiescent illi* ; Glossa : « Quia in futuro ab ejus societate non poterunt avelli, quam hic fide et spe jam tenebant. » Succedet ergo intelligentia fidei, quies in Deo per dilectionem. *Quoniam donum ;* Glossa : « æternæ societatis. » [5] « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » Item [6] : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. » *Et pax*, æterna, secundum Glossam [7] : « Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. » Item [8] : « Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. » *Et electis ejus*, sanctis, quos Deus elegit de hoc mundo : [9] « Non me elegistis ; sed ego elegi vos de mundo. » Potest etiam hoc exponi de merito præsenti, quod consistit in cognitione veritatis per fidem, in conformitate humanæ et divinæ voluntatis per amorem : ita quod donum referatur ad fidei cognitionem, et pax ad amoris tranquillitatem et quietem.

10. *Impii autem secundum quæ cogitaverunt*, etc. Hic ponit oppositi status reprobationem. Et primo ostendit falsum esse impiorum errorem de sua impunitate ; secundo, erroneam esse eorum opinionem de præmio continentis vitæ, ibi : *Quoniam felix est sterilis*, etc. ; tertio de supplicio incontinentiæ, ibi : *Filii autem adulterorum*, etc. In prima parte tangit primo eorum punitionem in seipsis ; secundo æquitatem punitionis, ibi : *Sapientiam enim et disciplinam*, etc. ; tertio punitionem exuberantem etiam in suis, ibi : *Mulieres enim insensatæ*, etc.

Sequitur igitur : *Impii autem*, etc. Bene dixit (*a*), quod justi sic præmiabuntur. *Autem*, pro *sed*. *Impii secundum quæ cogitaverunt*, id est, merito malarum cogitationum, locutionum, et operationum, ex malis eorum cogitationibus procedentium, *habebunt correptionem*, id est, pœnam, ut dicit Glossa ; unde dicit : « Cum justi intrabunt in requiem, impii ibunt in supplicium æternum. » *Qui neglexerunt justum*, neutraliter, id est, justitiam ; vel masculine Justum, id est, ipsum Deum, secundum Glossam, et hoc bonum omittendo. [10] « Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. » Seneca : « Gravis jactura est, quæ per negligentiam fit. » *Et a Domino recesserunt*, malum aperte committendo [11] : « quoniam malum et amarum est, te dereliquisse Deum tuum : » malum propter pœnam damni ; amarum, propter pœnam sensus. Glossa dicit : « A Domino recedunt, qui disciplinam et sapientiam abjiciunt. » Hoc autem valde malum.

11. *Sapientiam enim*, etc. *Enim* pro *quia*. *Qui abjicit*, Glossa : male operando, *sapientiam* de æternis, *disciplinam* de temporalibus : vel potius, *sapientiam* fidei, *disciplinam* morum, *infelix est*, scilicet ejus, id est, felicitate indignus. Sed e contra [12] : « Beatus homo qui invenit sapientiam ; » et ideo ibidem [13] : « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias. » Item [14] : « Noli negligere disciplinam Domini. » *Et vacua est*, scilicet effectu, *spes illorum* ; Glossa : « qua putabant temporalia fore æterna, et peccata fore impunita. » [15] « Vana spes, et mendacium homini insensato. » *Et labores*, in sustinendo, *sine*

[1] *Psal.* CXXIV, 1. — [2] *Joan.*, III, 2. — [3] *Rom.*, VIII, 35. — [4] *Eccli.*, VI, 15. — [5] *Psal.* XVI, 15. — [6] *Psal.* XXXV, 9. — [7] *Isa.*, XXXII, 18. — [8] *Philip.*, IV, 7. — [9] *Joan.*, XV, 19. — [10] *Jerem.*, XLI, 10. — [11] *Jerem.*, II, 19. — [12] *Prov.*, III, 13. — [13] Ibid., 11. — [14] *Hebr.*, XII, 5. — [15] *Eccli.*, XXXIV, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* dixi.

fructu; Glossa : « mercedis æternæ. » [1] « Labor stultorum affliget eos. » E contra justo dicitur [2] : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es. » Unde infra [3] : « Ambulavimus vias difficiles; » sed et (*a*) infructuosas, unde [4] : « Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. » *Et inutilia opera ejus*, in agendo : inutilia, quia cœlestem habitationem non merentur, ut dicit Glossa [5] : « Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. » Ex prædictis patet, quod tales consequentur quatuor mala, quæ sunt : personæ infelicitas, spei vacuitas, laboris infructuositas, operis inutilitas, id est, opus demeritorum.

12. *Mulieres*, etc.; quasi dicat : Nec solum ipsi, sed et *mulieres*, id est, uxores, *eorum insensatæ sunt*, id est, sapientia carentes; *et nequissimi filii eorum*, quia paterni sceleris imitatores: sceleris, inquam, in se, et in proximum, et in Deum : et ideo nequissimi.

13. *Maledicta creatura eorum*, id est, factura, secundum Glossam. Sapientia enim, quæ Deus benedicendo creavit, non maledicit; sed operationem reproborum maledictione æterna dignam ostendit. Secundum Glossam, hæc allegorice de hæreticis exponi possunt, ut dicamus : *Mulieres*, id est carnales voluptates, vel pravæ interpretationes, vel dogmata; *et filii*, id est, opera prava; *et creatura eorum*, id est, discipuli : vel *maledicta creatura* non simpliciter, sed *eorum*, in quantum venit in abusum eorum.

Quoniam felix sterilis, etc. Hic ostendit præmium continentis vitæ, quod reprobi putabant nullum esse. Et primo illud ostendit ex parte sexus fœminei; secundo, ex parte sexus virilis (v. 14) : *Et spado*, etc. Dicit igitur : *Quoniam*, etc., quasi : Bene dixi, quod mulieres eorum, et filii ex eorum luxuria procreati, sunt maledicti; quoniam e contra *felix sterilis*, id est, casta corpore (et ponit consequens pro antecedente), *et incoinquinata* mente. [6] « Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt. » *Quæ nescivit*, scientia experientiæ, *torum in delicto*, adulterii, dicit Glossa. Quantum autem sit peccatum adulterii, tangitur in *Ecclesiastico* (*b*) versus finem, quasi per totum. [7] « Non grandis culpa est, cum quis furatus fuerit, » etc.; et infra [8] : « Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. » Glossa etiam hæc exponit de adulterio spirituali, dicens : « Felix anima casta, et continens, quæ nec hæresi, nec idololatria polluitur. » *Habebit fructum*; Glossa : æternæ beatitudinis fructum, scilicet : vel trigesimum, qui debetur conjugatis; vel sexagesimum, qui viduis; vel centesimum, qui virginibus. De hoc multiplici fructu dicitur in parabola de semine [9] : « Et ortum fecit fructum, » etc. *In respectione animarum sanctarum*; Glossa : « in die judicii, » quando Deus respiciet animas sanctas, eas remunerando; et ipsæ respicient eum contemplando.

Fructus multiplex.

14. *Et spado*, etc. Hic ex parte sexus virilis primo tangitur continentiæ meritum; secundo, præmium, ibi : *Dabitur*, etc.; tertio, ratio præmii : *Bonorum enim*, etc. Sequitur igitur : *Et spado*, qui scilicet [10] « castravit se propter regnum cœlorum. » *Qui non operatus est per manus suas iniquitatem*, id est, peccatum incontinentiæ non perpetravit opere, sed mundus est corpore. *Nec cogitavit adversus Deum nequissima*, id est, nec peccavit consensu vel voluntate, sed est mundus corde : utraque enim munditia requiritur; unde Augustinus : « Ubi Dominus judicans mentis corruptionem invenerit, simul et corporis corruptionem damnabit. » *Spado*, inquam, talis *felix est*, modo in spe, sed tandem in re. *Dabitur enim illi*, in præsenti scilicet, *fidei donum electum*; fidei, inquam, quæ in spe beatificat, secundum illud [11] : « Beati, qui non viderunt, et crediderunt. » *Donum electum* vocat donum

[1] *Eccle.*, x, 15. — [2] *Psal.* cxxvii, 2. — [3] *Sap.*, v, 7. — [4] *Habac.*, ii, 13. — [5] *Gal.*, v, 21. — [6] *Luc.*, xxiii, 29. — [7] *Prov.*, vi, 30. — [8] Ibid., 32. — [9] *Luc.*, viii, 8. — [10] *Matth.*, xix, 12. — [11] *Joan.*, xx, 29.

(*a*) *Cæt. edit.* sed scilicet. — (*b*) Leg. *Proverbiis*.

Dei, quia ex divina electione datur, et homines electos facit [1] : « Vobis datum est non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. » *Et sors*, id est, portio in futura (*a*) : *In templo Dei*, Glossa : « Cœlo [2] : » « Dominus in templo sancto suo; Dominus in cœlo sedes ejus. » Sed contra, quia [3] : « Templum non vidi in ea, » scilicet in civitate superna; dicendum, quod non est ibi templum materiale, sed spirituale. *Acceptissima* : Notandum, quod sors accepta est in bonis naturæ, acceptior in bonis gratiæ, acceptissima in bonis gloriæ. Hæc est [4] « datum optimum, » de quo (v. 15) : *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus.* Glossa : « id est, æternum gaudium. » [5] « Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum. » *Et quæ non concidit* (*b*) *radix sapientiæ*, intransitive : sapientia enim radix hujus fructus. Hæc radix non concidit, quia perpetuæ salutis fructum affert, secundum Glossam [6] : « Radix sapientiæ timere Dominum. » Hæc radix paucis est nota [7] : « Non est timor Domini ante oculos eorum. » [8] « Radix sapientiæ, cui revelata est? »

16. *Filii autem adulterorum*, etc. Hic determinat pœnam incontinentiæ, quam putabant reprobi nullam esse : et primo tangitur pœna eis infligenda in futuro ; secundo, inflicta in hoc mundo, ibi (v. 17) : *Siquidem;* etc.; tertio, pœnæ ratio, ibi (v. 19): *Nationes*, etc.

Dicit igitur : *Filii*, etc. Bene dixi, quod continentes remunerabuntur. *Autem*, pro *sed*. *Filii adulterorum*, imitatores scilicet paternæ incontinentiæ, *in consummatione erunt*, id est, æterna consumptione, secundum Glossam. [9] « Vindicans (*c*) peccata patrum in filios, » scilicet imitatores paterni sceleris, *et ab iniquo toro*, scilicet adulterii, *semen*, supple *productum*, *exterminabuntur*, Glossa : « in futuro; » quando scilicet extra terminos viventium projicientur; unde [10] : « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. » Glossa vero aliter exponit de filiis et semine, id est, de discipulis hæreticorum, quibus comminatur hic pœnam sensus et pœnam damni, quia adulterant verbum Dei. De talibus dicitur [11] : « Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. »

17. *Et si quidem longæ vitæ erunt*, scilicet in hoc mundo, *in nihilum computabuntur*, scilicet sine ullo valore in se. Augustinus : « Nihil sunt, et nihil fuerunt homines, cum peccant. » Vel *in nihilum computabuntur*, secundum Glossam, id est, memoria eorum in æternum benedictione carebit. *Et sine honore*, scilicet ab aliis exhibito. [12] « Qui contemnunt me, erunt ignobiles. » *Sine honore*, inquam, *erit novissima senectus illorum*, quæ tamen deberet esse reverenda; unde [13] : « Honora personam senis. » Item [14] : « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. »

18. *Et si celerius defuncti fuerint*, scilicet morte præoccupati, secundum illud Psalmi [15] : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. » *Non habebunt spem*, id est, rem speratam post mortem, scilicet vitam æternam; quia [16] « Spes impiorum peribit. » *Nec in die agnitionis*, scilicet universalis, quæ erit in judicio, secundum Glossam : « Dies autem judicii dicitur dies agnitionis : » quoad bonos, quia tunc a Deo cognoscentur, sicut fratres Joseph [17] ab ipso; item quoad malos; quia occulta eorum cognoscentur [18] : *Illuminabit abscondita tenebrarum*, etc.; item quoad ipsum Deum, quia a sanctis cognoscetur (*d*) [19] ! « Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum; » item quoad Christum hominem, quia tunc a cunctis aperte videbitur [20] : « Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est; » item [21] : « Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri; » item [22] : « Videbit eum omnis ocu-

[1] *Philip.*, I, 29. — [2] *Psal.* X, 5. — [3] *Apoc.*, XXI, 22. — [4] *Jac.*, I, 17. — [5] I *Cor.*, III, 8. — [6] *Eccli.*, I, 25. — [7] *Ps.* XIII, 8. — [8] *Eccli.*, I, 6.— [9] *Exod.*, XX, 5. — [10] *Baruc.*, III, 19.— [11] II *Cor.*, II, 17. — [12] I *Reg.*, II, 30. — [13] *Levit.*, XIX, 32. — [14] *Sap.*, IV, 8. — [15] *Ps.* LIV, 24. — [16] *Prov.*, X, 28.— [17] *Gen.*, XLII, 7.— [18] I *Cor.*, IV, 5. — [19] I *Cor.*, XIII, 12. — [20] *Isa.*, XL, 5.— [21] *Isa.*, LII, 10. — [22] *Apoc.*, I, 7. — (*a*) *Leg.* futuro. — (*b*) Vulg. *non concidat.*— (*c*) *Vulg.* Visitans.— (*d*) *Leg.* cognoscentur.

lus ; » item quoad ipsum mundum, in quo nihil est quod tunc latebit, vel abscondetur, secundum illud Psalmi [1] : « Revelata sunt fundamenta orbis terrarum. » *Nec in die*, inquam, *agnitionis*, repete : *habebunt* : *allocutionem*, id est, blandam, vel consolatoriam ; sed asperrimam licentiam, unde [2] : « Discedite a me maledicti, » etc.

19. *Nationes enim iniquæ*, id est, iniquitatis actores, *diræ sunt consummationis* (*a*), id est finis : scilicet, asperitatem pœnæ habent in fine, quidquid sit de principio, vel de medio, quia :

Non eodem cursu respondent ultima primis.

[3] « Filiorum peccatorum periet hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii. »

CAPUT IV.

1. [4] *O quam*, etc. (*b*) Hic agit de justitia hominis ad seipsum. Commendat autem justitiam, reprobat injustitiam, comparando statum justorum, statui injustorum : primo, ante judicium, scilicet in hoc capitulo ; secundo, in judicio, capitulo sequenti. Ante judicium tripliciter : primo, quantum ad statum vitæ præsentis ; secundo, quantum ad statum mortis (v. 7) : *Justus in morte*, etc. ; tertio, quantum ad statum post mortem (v. 16 :) *Condemnat*, etc. In prima parte, primo ostenditur status justorum commendabilis ex se ; secundo ex statu (*c*) oppositi, scilicet injustorum reprobatione (v. 3) : *Multigena*, etc. Statum justorum primo commendat a decore ; secundo, ab immortalitate (v. 2) : *Immortalis est*, etc. ; tertio, ab ædificatione : *Cum præsens*, etc. ; quarto, a remuneratione : *Et in perpetuum*, etc.

O quam pulchra, etc. : quasi dicat : Bene dixi, quod nationes impiorum sunt diræ consummationis : sed o quam pulchra, etc. ! admirando hoc dicit : *Pulchra*, quantum ad opera ; *casta*, quantum ad innocentiam mentis ; *cum claritate*, quantum ad virtutum nitorem, secundum Glossam [5] : « Tota pulchra es amica mea, » etc. Item [6] : « Sint lumbi vestri præcincti, » per innocentiam, « et lucernæ ardentes, » per virtutum nitorem : « et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, » per bonorum operum sollicitudinem. Et bene dixi, quod pulchra est, scilicet pulchritudine spirituali : *Immortalis enim est memoria illius*, per felicem recordationem. [7] « Memoria justi cum laudibus. » *Quoniam apud Deum nota est*, per approbationem [8] : « Novit (*d*) Deus, qui sunt ejus ; » *et apud homines*, scilicet ratione utentes et sapientes, per laudem, seu laudis continuationem. [9] « Sapientiam, » scilicet sanctorum, « ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. » Et bene dixi, quod immortalis est, etc. : (v. 2) *Cum* enim *præsens est*, scilicet in vita præsenti, *illam imitantur*, quasi exemplar pulcherrimum [10] : « Imitatores mei estote ; » *Et desiderant eam*, scilicet justorum pulchram et castam generationem videre, scilicet ad imitandum, *cum se eduxerit* de vita ista per mortem. [11] « Transierunt, quasi naves poma portantes, » quæ scilicet post suum transitum relinquunt odorem [12] : « Curremus in odorem unguentorum tuorum. » Notandum, quod justos educit Deus de vita præsenti effective, secundum illud Psalmi [13] : « Educ de custodia, » vel de carcere, « animam meam ; » ipsi autem educunt seipsos consentiendo, vel hæc desiderando, et petendo, in Psalmo [14] : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei. » *Et in perpetuum coronata*, scilicet corona vitæ perpetuæ [15] : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » *Triumphat*, triumphando acquirit, *præmium incoinqui-*

[1] *Psal.* XVII, 16. — [2] *Matth.*, XXV, 41. — [3] *Eccli.*, I, 9. — [4] Hic primus versiculus non est in codice græco, sed sumptus est ex *Eccle.*, IX, in fine. — [5] *Cant.*, IV, 7. — [6] *Luc.*, XII, 35. — [7] *Prov.*, X, 7. — [8] II *Tim.*, II, 19. — [9] *Eccli.*, XLIV, 15. — [10] *Philip.*, III, 17. — [11] *Job*, IX, 26. — [12] *Cant.*, I, 3. — [13] *Psal.* CXLI, 8. — [14] *Psal.* XLI, 3. — [15] *Apoc.*, II, 10.

(*a*) Vulg. *Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.* — (*b*) Cæt. edit. deest O *quam*, etc. — (*c*) *Cæt. edit.* est status. — (*d*) *Vulg.* Cognovit.

natorum certaminum, id est, quod debetur certaminibus incoinquinatis, non inquinatis per defectum perseverantiæ ; *præmium*, inquam, *vincens :* præmium datum pro certamine certatorio, ut dicit Glossa, unde [1] : « Illi, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. » Vel, *præmium vincens*, id est, superans magnitudinem persecutionum, secundum illud [2] : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » Unde Glossa : « Præmium, quod majus est illis certaminibus et persecutionibus, quas sustinuerunt in præsenti.

3. *Multigena*, etc. Hic tangit statum injustorum reproborum, ipsum vituperando : primo, in seipsis ; secundo, in ramis : *Et si in ramis*, etc. ; tertio, in fructibus : *Et fructus*, etc. ; quarto, in posteris : *Ex iniquis*, etc.

Multigena autem, etc. ; quasi dicat : Talis est pulchra et casta justorum generatio. *Autem*, pro *sed*. *Multigena multitudo impiorum*, etc. [3] : « Stultorum infinitus est numerus. » Tangit autem hic triplicem pluralitatem, seu multitudinem impiorum, in tribus verbis, scilicet : qui spargitur per diversos errores, quoad rationabilem, contra quod [4] : « Nolite plures magistri fieri ; » item per diversos appetitus, quoad concupiscibilem [5] : « Divisum est cor eorum, nunc interibunt ; » item per diversa odia, quantum ad irascibilem [6] : « Jerusalem in acervum lapidum erit, » id est, sine cœmento charitatis. Primam tangit, vel innuit, per hoc quod dicit : *Multigena*, id est, multos generans errores ; secundam, per hoc quod dicit : *Multitudo*, quasi sine charitate, unitate, vel vinculo ; tertiam, per hoc quod dicit : *Impiorum*, pluraliter, id est, sine pietate, sed cum multa crudelitate. *Multigena*, inquam, *multitudo impiorum non erit utilis* ; imo nociva, ut dicit Glossa [7] : « Non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem. » Sed contra, quia, sicut dicit Augustinus [8], si pauciores essent mali, quam boni, non auderent exercere bonos : hoc autem exercitium est bonis utile ; quia dicit Gregorius [9], quod Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. Item in Psalmo [10] : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, » scilicet coronam perpetuam mihi. Sed dicendum, quod hanc utilitatem non consequentur justi ex impiorum intentione, quia non intendent eis prodesse ; sed ex sua bonitate, vel ex sua bona voluntate, malis eorum bene utente. *Et spuria vitulamina non dabunt radices altas* ; ita habet littera Rabani, et omnium antiquorum. Item Ambrosius in quadam epistola dicit quibusdam : « Vos estis nobilia vitulamina, » id est, nobiles plantationes. Sed Augustinus dicit [11], quod melius diceretur, adulterinæ plantationes ; et propter hoc remansit in textu, *adulterinæ plantationes*, in novis Bibliis. Notandum autem, quod vitulamina sunt plantæ infructuosæ, quæ nascuntur juxta truncum vitis ; unde dicitur vitulamen a vite. Vel, secundum quosdam, dicitur a *vitulo*, quia talis planta nascitur in terra vitulis, sive bobus, arata. *Spurius* autem dicitur idem, quod *ignobilis*, vel *degenerans* : unde *spuria vitulamina*, id est, plantationes degenerantes, vel innaturales et adulterinæ plantationes, id est, generationes impiæ de spirituali adulterio natæ, scilicet per propagationem impietatis multiplicatæ [12] : « Generatio adultera signum quærit. » *Non dabunt radices altas in se*, id est cogitationes et affectiones in cœlum tendentes, sed in terra defixas : homo enim, secundum Philosophum, est arbor eversa : unde radices suas debet mittere et figere sursum, scilicet suum intellectum et affectum. Unde in Psalmo [13] : « Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. » Item [14] : « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. » Item [15] : « Domine, ante te omne desiderium meum. » Item [16] : « Quæ sursum

[1] I *Cor.*, IX, 25. — [2] *Rom.*, VIII, 18. — [3] *Eccli.*, I, 15. — [4] *Jac.*, III, 1. — [5] *Osee*, X, 2. — [6] *Mich.*, III, 12. — [7] *Isa.*, XXX, 5. — [8] Aug., serm. CCLIV, al. XV, n. 9. — [9] Greg., *in Ezech.*, lib. I, hom. IX, longe post med. — [10] *Psal.* CXXVIII, 3. — [11] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. XXXII. — [12] *Matth.*, XII, 39. — [13] *Psal.* XVIII, 15. — [14] *Psal.* CXXI, 2. — [15] *Psal.* XXXVII, 10. — [16] *Coloss.*, III, 1.

sunt, quærite, » scilicet investigando intellectu; « quæ sursum sunt sapite, » saporando affectu. [1] « Gustate, et videte. » *Nec stabile firmamentum*, vel *fundamentum*, scilicet rectæ fidei ad Deum, *collocabunt* : fides enim est fundamentum spiritualis ædificii, unde [2] : « Fides est substantia rerum sperandarum, » etc. [3] « Fundamentum nemo potest ponere aliud, præter id quod positum est, Christus Jesus, » id est, fides de Christo Jesu. Aliter, secundum Glossam, exponitur de hæreticis, et eorum discipulis. Sequitur (v. 4) : *Et si in ramis*, id est, exterioribus bonis, etc. Tales erant rami illius babylonicæ arboris [4], scilicet Nabuchodonosor. *In tempore germinaverunt*, id est, ad tempus modicum aliquod principium boni ostenderunt, secundum illud [5] : « Immatura perfectio germinavit; » *infirmiter posita*, id est, ad horam, ut dicit Glossa, vel *infirmiter posita*, id est, debiliter in bono radicata, *a vento commovebuntur*, id est a tentatione leviori, secundum illud [6] : « Nonne cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur? » *Et a nimietate ventorum*, id est persecutione graviori, *eradicabuntur*; Glossa : penitus evellentur. [7] « Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. »

5. *Confringentur enim rami inconsummati*, id est, doctrinæ eorum, vel operationes carentes perfectione [8] : « Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis. » *Et fructus illorum*, scilicet proprii, id est, opera eorum mala, secundum illud [9] : « Arbor mala fructus malos facit : » *inutiles*, ut non reficiant [10] : « Opera eorum opera inutilia : » *et acerba ad manducandum*, ut non delectent, sed torqueant [11] : « Uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimus. » [12] « Patres comederunt uvam acerbam, » etc. *Ad nihilum apti*, ut in nullo de se proficiant. [13] « Cum esset integrum, non erat aptum ad opus; quanto magis, cum ignis illud devoraverit? »

6. *Ex iniquis*, etc. ; quasi diceret : Vere multigena multitudo impiorum non erit utilis, etc. *Ex iniquis enim omnes* (*a*) *filii qui nascuntur*, non solum nativitate propagationis, sed etiam imitationis, de qua [14] : « Vos ex patre diabolo estis, » *testes sunt nequitiæ adversus parentes*, per pravitatis similitudinem, *in interrogatione sua*, id est, in judicii divini examinatione : quoniam Deus justus judex [15] « interrogabit opera » eorum ; item eorum verba [16] : « De omni verbo otioso, » etc.; item eorum cogitationes, supra [17] : « In cogitationibus impii interrogatio erit, » etc.

Allegorice exponit hoc Glossa de hæreticis, qui sunt *multigena multitudo*, quia per diversas sectas diversorum hæresiarcharum dividuntur; qui *inutiles* sunt Ecclesiæ, imo nocivi, quia eam persequuntur. *Adulterinæ plantationes* sunt eorum discipuli, qui ex eorum doctrina erronea generantur. *Radices altas* non dant, qui in Christo Deo et homine non collocantur. Eorum *rami* sunt instabiles ; quia sicut boni haberi (*b*) videntur, tempore persecutionis ab Ecclesia avelluntur. *Fructus eorum* sunt, etc., quia doctrinis eorum et expositionibus homines simplices invenenantur. *Filii eorum* sunt *testes nequitiæ adversus parentes*, quia ex multiplicatione discipulorum errores magistri gravius damnabuntur. Hæretici

7. *Justus autem*, etc. Hic ponit comparativam commendationem justorum, quoad statum mortis. Et primo ostenditur (*c*) hic non esse sanctis damnosa temporalis mortis acceleratio ; secundo subditur accelerationis ratio, ibi : *Placens Deo*, etc. ; tertio, populi aspicientis stulta opinio : *Populi autem videntes*, etc.

Dicit ergo : *Justus autem*, etc., quasi dicat : Sic est de iniquis. *Autem* pro *Sed*. *Justus si morte præoccupatus fuerit*, id est, ac-

[1] *Psal.* XXXIII, 9. — [2] *Hebr.*, XI, 1. — [3] I *Cor.*, III, 11. — [4] *Dan.*, IV, 9. — [5] *Isa.*, XVIII, 5. — [6] *Ezech.*, XVII, 10. — [7] *Matth.*, XV, 13. — [8] *Coloss.*, III, 14. — [9] *Matth.*, VII, 18. — [10] *Isa.*, LIX, 6. — [11] *Deut.*, XXXII, 32. — [12] *Ezech.*, XVIII, 2. — [13] *Ezech.*, XV, 5. — [14] *Joan.*, VIII, 44. — [15] *Sap.*, VI, 4. — [16] *Matth.*, XII, 36. — [17] *Sap.*, I, 9.

(*a*) Vulg. *somnis;* LXX, ὕπνων. — (*b*) *Cæt. edit.* habere. — (*c*) *Item* ostendit.

celerata ante tempus morte præventus, secundum illud [1] : « Dum adhuc ordirer, succidit me. » Unde dixit : *Præoccupatus,* quia subita morte, id est, improviso non potest mori justus, quia dicitur de persona justi [2] : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, » etc. Item [3] : « Anima mea in manibus meis semper ; » quasi dicat : Paratus sum reddere eam, quandocunque Deo placuerit quod ego moriar. *Justus*, inquam, *si præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, scilicet æternæ quietis [4] : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

8. *Senectus enim est*, etc., quasi dicat : Nec obstat præoccupatio ætatis : *senectus enim venerabilis*, etc. Glossa : « Non ætas corporis, sed vitæ maturitas, et morum probitas laudatur. » *Venerabilis*, inquam, digna veneratione apud Deum, et angelos, et homines justos. *Non* (*a*) *diuturna*, multitudine dierum [5] : « Non sunt longævi sapientes : » *Nec numero annorum computata*, id est, nec multitudine annorum [6] : « Morietur enim puer centum annorum. »

9. *Cani enim sunt sensus hominis,* id est, loco canorum. Glossa : « Quasi bene est canus, qui bene est sensatus. » [7] « Tibi dedit Deus honorem senectutis, » id est, discretionem, et sapientiam, quæ solet esse in senibus, secundum illud [8] : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Item [9] : « Corona senum multa peritia. » *Et ætas senectutis*, id est, ætatis vicem supplens, *vita immaculata* ; quasi dicat : Bene est senex mundus et simplex. [10] « Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperiatur. »

10. *Placens Deo*. Hic ponitur multiplex ratio accelerandæ mortis : quarum prima est justorum dignitas ; secunda, mortis vilitas : *Raptus est*, etc. ; tertia, vitæ periculositas : *Fascinatio*, etc. ; quarta (*b*), temporis opportunitas : *Consummatus*, etc. ; quinta (*c*), beneplacita Dei voluntas : *Placita*, etc.

Ergo *placens Deo,* scilicet per veram fidem, secundum illud [11] : « Sine fide impossibile est placere Deo ; » *factus dilectus* (*d*), propter perfectam dilectionem, secundum illud [12] : « Ego diligentes me diligo, » *vivens*, scilicet per gratiam, non moriens per culpam, *inter peccatores*, scilicet impollutus ; quod valde magnum est, cum scriptum sit [13] : « Cum perverso perverteris : » sed justus, quasi lilium inter spinas, quia nec amittit suæ puritatis candorem, nec suæ famæ odorem [14] : « Sicut lilium inter spinas, » etc. ; *translatus est*, de exilio hujus mundi ad patriam cœlestem, de morte ad vitam, de certamine ad coronam. Notandum enim, quod multiplex est translatio : prima de culpa in gratiam [15] : « Nos scimus, quia translati sumus de morte, » scilicet culpæ, « ad vitam » gratiæ, « quoniam diligimus fratres ; » secunda, de gratia imperfecta ad perfectam gratiam [16] : « Transformamur in eamdem imaginem a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu ; » tertia de gratia perfecta ad gloriam, de qua hic : *Translatus est*, (v. 11) *raptus est;* quasi dicat : Non solum est translatus, sed cito, quia cito mortuus, et quasi præter naturæ debitum, per violentiam sublatus. Est autem raptus sanctorum in vita sua, et in morte, de quo hic [17] : *Raptus est*, etc. ; et post mortem [18] : « Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. » *Raptus est*, inquam, *ne malitia*, id est aperta iniquitas, *mutaret intellectum ejus*, ipsum a veritate et sanctitate fidei avertendo ; *aut ne fictio*, id est, simulata æquitas, de qua Augustinus [19] : « Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia est iniquitas, et simulatio ; » *ne fictio,* inquam,

[1] *Isa.*, XXXVIII, 12. — [2] *Psal.* XV, 8. — [3] *Psal.* CXVIII, 109. — [4] *Psal.* LXV, 12. — [5] *Job*, XXXII, 9. — [6] *Isa.*, LXV, 20. — [7] *Dan.*, XIII, 50. — [8] *Job*, XII, 12. — [9] *Eccli.*, XXV, 8. — [10] *Prov.*, XVI, 31. — [11] *Hebr.*, XI, 5. — [12] *Prov.*, VIII, 17. — [13] *Psal.* XVII, 27. — [14] *Cant.*, II, 2. — [15] I *Joan.*, III, 14. — [16] II *Cor.*, III, 18. — [17] II *Cor.*, XII, 24. — [18] I *Thess.*, I, 16. — [19] Aug, *Enarr. in Psal.* LXIII, n. 11.

(*a*) Cæt. edit., loco *Non*, habent *Est enim*. — (*b*) *Cæt. edit.* quarto. — (*c*) *Item* quinto. — (*d*) Item *dilectio*.

deciperet, id est, corrumperet, *animam illius*, scilicet affectum ejus a dilectione Dei avertendo. [1] « Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. »

12. *Fascinatio enim*, etc.; quasi dicat: Bene erat ei necesse, ut sic raptus esset, etc. : *fascinatio enim nugacitatis*, ab exteriori, id est, nugax et adulatoria laudatio, secundum quod homines maligni dicuntur, laudando pueros, fascinare ipsos, *obscurat bona*, scilicet justorum, etsi non destruat illa; obscurat, inquam, quia facit non videri defectus et imperfectiones ipsorum bonorum, et per hoc superbire de ipsis [2] : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? » etc. [3] « Corrumpunt bonos mores colloquia mala. » *Et inconstantia concupiscentiæ*, ab interiori, scilicet concupiscibili, quæ facit hominem inconstantem [4] : « Vir duplex animo, » scilicet qui partim sequitur rationem, partim sensualitatem, « inconstans est in omnibus viis. » *Inconstantia*, inquam, *concupiscentiæ*, id est, concupiscibilis, *transvertit*, scilicet a bono in malum, *sensum sine malitia*, id est, prius bonum et simplicem. [5] « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua attractus (*a*) et illectus. »

13. *Consummatus in brevi*, id est, perfectus in gratia modico tempore [6] : « Consummatio abbreviata inundabit justitiam : » *explevit tempora multa*, scilicet expletione meriti, quia acquisivit meritum, quod alii acquirunt per multa tempora; vel expletione præmii, quia adeptus est æternitatem, quæ perfectione superat tempora multa.

14. *Placita enim erat Deo anima ejus*; ecce causa consummationis, scilicet gratia et dilectio divina. Placita, inquam, per fidem cordis intus, et mansuetudinem morum exterius. [7] « Beneplacita est Deo fides et mansuetudo. » *Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, id est de mundo, qui plenus est iniquitate [8] : « Totus mundus in maligno positus est. *Populi autem;* Glossa : « Persecutores; » *videntes* pœnam, *et non intelligentes* futuram gloriam, *nec ponentes* (*b*) *in præcordiis suis*, id est, intus in corde, quamvis aliunde audiant prædicari [9] : « Justus perit, et non est, qui recogitet; » *talia*, scilicet, quæ consequuntur. Supra [10] : « Visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. »

15. *Quoniam gratia Dei*, scilicet ad bene operandum [11] : « Non ego, sed gratia Dei mecum : » *et misericordia est in sanctos ejus*, ad liberandum de malis [12] : « Liberasti me secundum multitudinem nominis tui, » *et respectus in electos illius*, scilicet ad præmium consequendum. Glossa prima : Condigna retributio. Et nota, quod sancti dicuntur per præsentem justitiam, electi per æternam prædestinationem, secundum illud [13] : « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. »

16. *Condemnat autem*, etc. Hic ponitur comparativa commendatio justorum, quantum ad statum post mortem : et primo, in comparatione justorum adhuc viventium; secundo in comparatione morientium : *Et post hæc*, etc.; tertio, mortuorum : *Quoniam disrumpet*, etc.; quarto, resurgentium : *Venient in cogitationibus peccatorum*, etc. In prima parte, tangitur primo impiorum a justis condemnatio; secundo, condemnationis ratio : *Videbunt enim finem sapientis*, etc.

Dicitur ergo : *Condemnat autem justus mortuus vivos impios*. Glossa : « Martyr persecutores suos, » scilicet comparatione melioris facti, sicut Ninivitæ [14]. *Et juventus celerius consummata*, scilicet hominis justi, *longam vitam injusti;* Glossa : « Id est, persecutores (*c*); » quia plus boni fecit tempore modico, quam ille multo : unde districtius judicabitur. [15] « Dedi enim tempus, ut pœni-

[1] II *Cor.*, XII, 3. — [2] *Gal.*, III, 1. — [3] I *Cor.*, XV, 33. — [4] *Jac.*, I, 8. — [5] Ibid., 14. — [6] *Isa.*, X, 22. — [7] *Eccli.*, I, 35. — [8] I *Joan.*, V, 19. — [9] *Isa.*, LVII, 1. — [10] *Sap.*, III, 2. — [11] I *Cor.*, XV, 10. — [12] *Eccl.*, LI, 4. — [13] *Ephes.*, I, 4. — [14] *Matth.*, XII, 41. — [15] *Apoc.*, II, 21. — (*a*) *Vulg.* abstractus. — (*b*) Cæt. edit. add. *sunt*. — (*c*) *Leg.* persecutoris.

tentiam ageret, et non vult pœnitere, etc. »

17. *Videbunt*, etc. Hic ponitur duplex ratio prædictæ condemnationis, scilicet ignorantia, et contemptus. Primam ponit, dicens : *Videbunt enim*, scilicet impii, *finem*, id est mortem, etc., ut dicit Glossa. *Sapientis*, Glossa : « Id est, martyris; » unde de Martyre legitur illud [1] : « Beatus vir, qui in sapientia morabitur. » *Et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus*, id est, quid ei cogitaverit dare in futuro, secundum Glossam, scilicet vitam æternam [2] : « Viri mali non cogitant judicium : » *Et quare munierit illum Dominus*, scilicet in præsenti; Glossa : « Armis fidei, » secundum illud [3] : « In omnibus sumentes scutum fidei; » item [4] : « Induite vos armaturam fidei. » Deinde ponit secundam rationem, dicens (v. 18) : *Videbunt eum*, quasi dicat : Et quia hæc non intelligunt, videbunt eum, Glossa : « mori, » *et contemnent illum*; unde infra [5] : « Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, » etc. Item [6] : « Deridetur justi simplicitas. » Sic contempserunt Judæi Christum morientem. *Illos autem*, scilicet impios, *Dominus irridebit*, Glossa : « in judicio, » id est, dignos irrisione judicabit, ut fatuos [7] : « Qui habitat in cœlis, irridebit eos, » etc.

19. *Et post hæc*, scilicet, post bonorum persecutionem, et Domini irrisionem, id est, postquam bonos in præsenti afflixerint (*a*) et ipsi a Deo in morte derisi fuerint, *erunt decidentes*, id est deorsum per casum mortis in infernum cadentes : [8] « Quemadmodum olera herbarum cito decident, » *sine honore*, scilicet societatis beatorum, *et in contumelia*, scilicet confusionis reproborum, *inter mortuos*; Glossa : « damnatos; » *in perpetuum*, id est, sine fine. [9] « Dabo vos in opprobrium sempiternum, et in contumeliam sempiternam, quæ nunquam oblivione delebitur. »

Quoniam disrumpet, etc. Hic tangitur commendatio justorum in comparatione impiorum mortuorum. Et primo tangitur separatio a corpore; secundo, evulsio a mundo : *Et commovebit*; tertio, exclusio a gloria : *Et usque ad summum*, vel *supremum*; quarto, detrusio in pœnam (*b*) : *Et erunt gementes*; quinto, deletio ab hominum memoria : *Et memoria eorum peribit*, etc. Sequitur igitur : *Quoniam disrumpet*, etc. Bene dixi, quod erunt decidentes, etc.; *quoniam disrumpet eos*, scilicet Dominus, secundum Glossam [10] : « Disrumpam interiora jecoris eorum, » illos, inquam, inflatos vento superbiæ [11] : « Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis; » *sine voce*, excusationis [12] : « At ille obmutuit. » *Et commovebit illos a fundamentis*; Glossa : « Evertet vitam illorum, quam stabilem esse putabant (*c*). » [13] « Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum. » *Et usque ad supremum desolabuntur*, id est, in tantum, quod locum supremum amittent, id est, usque ad hoc, quod a celsitudine gloriæ excludentur, sicut fatuæ virgines [14], quibus legitur quod « clausa est janua. » *Et usque ad summum desolabuntur*, id est, punientur, quousque reddant quadrantem novissimum, id est, pœnam pro omni peccato, tam magno, quam minimo [15] : « Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Prima tamen expositio magis concordat cum divisione prædicta. *Et erunt gementes*, Glossa : « in pœnis; » quia nulla consolatione relevabuntur : *et memoria eorum*, non quæcumque, sed felicis recordationis, *periet*, apud Deum et homines, secundum illud [16] : « Vultus Domini super facientes mala, ut pereat de terra memoria (*d*) eorum. »

20. *Venient* tandem scilicet in fine mundi; unde Glossa : « ad judicium : » tunc enim de inferno exibunt. *Venient*, inquam, *in cogitatione peccatorum suorum*, remordente eos conscientia, *timidi*, de pœna inferenda. [17] « Vi-

[1] *Eccli.*, XIV, 22. — [2] *Prov.*, XXVIII, 5. — [3] *Ephes.*, VI, 16. — [4] Ibid., 11. — [5] *Sap.*, V, 3. — [6] *Job*, XII, 4. — [7] *Psal.* II, 4. — [8] *Psal.* XXXVI, 2. — [9] *Jerem.*, XXIII, 40. — [10] *Ose.*, XIII, 8. — [11] I *Cor.*, V, 2. — [12] *Matth.*, XXII, 12. — [13] *Job*, XXII, 16. — [14] *Matth.*, XXV, 10. — [15] *Matth.*, V, 26. — [16] *Psal.* XXXIII, 17. — [17] *Sap.*, V, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* afflixerit. — (*b*) *Item* pœna. — (*c*) *Item* putabunt. — (*d*) *Vulg.* perdat de terra memoriam.

dentes turbabuntur timore horribili. » *Et traducent illos*, Glossa: « in ignem æternum; » *ex adverso;* Glossa: « accusantes illos, sicut adversarius accusat adversarium suum, » *iniquitates ipsorum*, id est, peccata ab eis perpetrata, corde, ore, vel opere [1] : « Arguet te malitia tua. » Peccata autem dicuntur accusare reprobos, quia erunt materia accusationis et damnationis eorum [2] : « Cogitationum inter se accusantium, aut etiam defendentium, » etc.

CAPUT V.

1. *Tunc stabunt*, etc. Hic comparat statum justorum statui injustorum in ipso judicio. Et primo tangit justorum constantem accusationem; secundo, reproborum coactam confessionem: *Videntes turbabuntur;* tertio, utrorumque justam retributionem : *Justi autem in perpetuum vivent. Tunc stabunt*, etc., quasi : sic venient impii ad judicium timidi. *Tunc;* Glossa : cum judicabuntur impii, scilicet in die novissimo. Et dicit: *Tunc*, indeterminate, quia [3] : « de die illa nemo scit. » Item [4] : « Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, » *Stabunt*, scilicet, qui in præsenti visi fuerant cadere, vel jacere [5] : « Erat quidam mendicus Lazarus, qui jacebat ad januam ejus. » E contra mali, qui nunc videntur stare, tunc jacebunt [6] : « Jacebunt mali ante bonos. » *Stabunt*, inquam, *justi in magna constantia*, id est, constanter et audacter, propter confidentiam quam habebunt.

Ex septem confidentia sanctorum in judicio surget: Ex justitia causæ suæ [7] : « Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. » Item [8] : « Judica me secundum justitiam meam. » Secundo, ex sufficientia seu copia probationum : habebunt enim paratam probationem per scriptum instrumentum [9] : « Librum scribat ipse, qui judicat, » etc. Item [10] : « Judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris. » Item per testes [11] : « Ecce testis meus in cœlo, » scilicet ipse Deus; unde [12] : « Ego sum judex et testis, dicit Dominus. » Tertio, ex fidelitate advocatorum [13] : « Advocatum habemus in cœlo Jesum Christum; » item Spiritum sanctum [14] : « Spiritus postulat, » etc.; item beatam Virginem; unde clamamus [15] : *Advocata*, etc. Quarto, ex impotentia adversariorum, secundum id [16] : « Non resurgent impii in judicio, » scilicet ad accusandos justos. [17] « Projectus est accusator, » etc. Quinto, ex amicitia et affinitate judicis ipsorum [18] : « Caro nostra et frater noster est. » Bernardus : « Puto, spernere me non poterit os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Sexto, ex benevolentia assessorum, id est, apostolorum [19] : « Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes, » etc. Item [20] : « Pauperibus judicium tribuit. » Septimo, ex familiaritate officialium judicis, scilicet angelorum [21] : « Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. » *Adversus eos*, Glossa : « Persecutores suos. » *Qui se angustiaverunt:* Glossa : « In martyrio eos personaliter affligendo. » [22] « Angustiati, afflicti, » etc. *Et qui abstulerunt labores illorum :* corporales, scilicet eos per violentiam spoliando; cum tamen sancti gaudenter hæc sustinuerint, unde [23] : « Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio, » etc.; vel *labores* spirituales, eorum fructum auferre conando, scilicet provocando eos ad peccatum; de hoc fructu, supra [24] : « Bonorum laborum gloriosus est fructus; » vel utrosque simul, secundum Glossam, eorum scilicet labores corporales et spirituales vanos, et stultos judicando.

2. *Videntes turbabuntur*, etc. Hic tangit reproborum coactam confessionem. Et primo tangit motivum ad confessionem talem; secundo, confessionis materiam : *Hi sunt quos*

[1] *Jerem.*, II, 19. — [2] *Rom.*, II, 15. — [3] *Matth.*, XXII, 36. — [4] *Act.*, I, 7. — [5] *Luc.*, XVI, 20. — [6] *Prov.*, XIV, 19. — [7] *Job*, XIII, 18. — [8] *Psal.* VII, 9. — [9] *Job*, XXXV, 35. — [10] *Apoc.*, XX, 2. — [11] *Job*, XVI, 20. — [12] *Jerem.*, XXIX, 23. — [13] I *Joan.*, II, 1. — [14] *Rom.*, VIII, 26. — [15] In Antiph. *Salve*, *Regina*. — [16] *Psal.* I, 5. — [17] *Apoc.*, XII, 10. — [18] *Gen.*, XXXVII, 27. — [19] *Matth.*, XIX, 28. — [20] *Job*, XXXVI, 6. — [21] *Matth.*, XIII, 49. — [22] *Hebr.*, XI, 37. — [23] *Hebr.*, X, 34. — [24] *Sap.*, III, 15.

aliquando, etc.; tertio, confessionis suæ approbationem: *Talia dixerunt,* etc. Motivum confessionis tangitur dupliciter, scilicet afflictio de vera bonorum felicitate, et anxietas de propria infelicitate: *Dicentes intra se,* etc. Sequitur igitur: *Videntes*; Glossa: « Se de gloria ad pœnam perductos, et adversarios suos de pœna ad coronam translatos. *Turbabuntur timore horribili* [1]: « Tunc conturbati sunt principes Edom. » Item [2]: « Conturbatio super conturbationem veniet, » scilicet conturbatio de afflictione reassumpti corporis super conturbationem prius habitam de afflictione animæ prius cruciatæ in gehennalibus flammis. *Timore horribili*, scilicet propter constantiam suorum accusatorum, de quibus supra immediate. Secundo, propter severitatem divinorum judiciorum, juxta illud [3]: « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Item [4]: « Horrende et cito apparebit nobis. » Tertio, propter præsentiam horribilium tortorum [5]: « Vadent, et venient super eum horribiles. » Vel sic: *Turbabuntur,* propter remordentem conscientiam; *timore*, propter judicis irrevocabilem sententiam; *horribili*, propter suppliciorum præparatorum et tortorum horribilium visam præsentiam. *Et mirabuntur in subitatione*, id est subita adeptione, *salutis,* scilicet justorum, *insperatæ*, id est non æstimatæ ab ipsis impiis, speratæ tamen a justis, secundum illud Psalmi [6]: « In te speraverunt patres nostri, » etc. (v. 3) *Gementes* interius, *præ angustia spiritus,* ex consideratione gloriæ et salutis illius, quam perdiderunt. [7] « Ingemuerunt Philisthiim, dicentes : Væ nobis, » etc. *Dicentes intra se. Inter se,* verior littera, scilicet dictione interiori, forte propter vehementiam doloris; *pœnitentiam agentes*, de malo quod fecerunt, *pœnitentiam*, sed tardam, sicut pœnitentia divitis, de quo [8]: « Pater Abraham, miserere mei; » *Agentes*, imo potius patientes: hæc est pœnitentia desperationis, sicut pœnitentia Judæ, de quo legitur, quod [9] « pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. » *Et præ angustia spiritus gementes*, de malo pœnæ quam incurrerunt [10]: « Præ contritione spiritus ululabitis; » *Et præ angustia*, etc. Hæc non habet Rabanus, quia idem est supra.

Hi sunt quos aliquando, etc. Hic ponit materiam confessionis impiorum confitentium errorem proprium: primo circa justorum vitam; secundo circa vitam propriam: *Lassati,* etc. In prima, primo confitentium sanctorum contemptum præteritum, et irrisionem; secundo, status illorum reprobationem: *Nos insensati,* etc.; tertio, eorum tunc præsentem exaltationem: *Quomodo ergo computati sunt*; quarto concludunt suum errorem: *Ergo erravimus.* Hi sunt ergo, scilicet irrisoria demonstratione digni secundum judicium impiorum: *Quos aliquando habuimus in derisum,* factis et signis [11]: « Deridetur justi simplicitas. » Item [12]: « Omnes videntes me, deriserunt me, » etc. *Et in similitudinem improperii*, improperando verbis [13]: « Improperia (*a*) exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Sed cum improperatur homini opus bonum, quod potius est materia laudis, non est verum improperium, sed similitudo improperii: propter quod dicitur hic *in similitudinem improperii.* [14] « Per infamiam, et bonam famam, » etc. [15] « Ibant apostoli gaudentes, » etc.

4. *Nos insensati*, etc., insensatorum infantium more viventes; *insensati*, inquam, quia non sentiebamus de rebus, sicut erant [16]: « In iis omnibus insensatum est cor. » [17] « Nolite esse pueri sensibus. » *Vitam illorum*, id est, conversationem, quæ erat in paupertate, labore, vilitate, jejuniis, etc. *Æstimabamus insaniam;* unde David [18] ab Achis reputatus est insanus. Sic et Christus [19]: « Quia Sama-

[1] *Exod.*, XV, 15. — [2] *Ezech.*, VII, 26. — [3] *Hebr.*, X, 31. — [4] *Sap.*, VI, 6. — [5] *Job*, XX, 25. — [6] *Psal.* XXI, 5. — [7] I *Reg.*, IV, 7. — [8] *Luc.*, XVI, 24. — [9] *Matth.*, XXVII, 3. — [10] *Isa.*, LXV, 14. — [11] *Job*, XII, 4. — [12] *Psal.* XXI, 8. — [13] *Psal.* LXVIII, 10. — [14] II *Cor.*, VI, 8. — [15] *Act.*, V, 41. — [16] *Eccli.*, XVI, 20. — [17] I *Cor.*, XIV, 20. — [18] I *Reg.*, XXI, 14. — [19] *Joan.*, VIII, 48.

(*a*) *Vulg.* opprobria.

ritanus es tu, et dæmonium habes. » Item [1]: « Dæmonium habet, et insanit. » Sic nuntius Helisæi [2]: « Quid venit insanus iste ad te? » [3] « Scitote, Israel, stultum prophetam, et insanum virum spiritualem: » stultum, scilicet in temporalibus; insanum, secundum judicium mundanorum. *Et finem illorum*, id est mortem, *sine honore alicujus*, scilicet remunerationis. Contra quod dicitur [4]: « Nimis honorati (*a*) sunt amici tui, Deus; » Item [5]: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, qui in cœlis est. »

5. *Quo modo* ergo *computati sunt inter filios Dei?* Per gratiam [6]: « Non accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, » etc. Item [7]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, » etc. *Et inter sanctos sors illorum est*, id est, portio gloriæ, de qua in Psalmo [8]: « Portio mea, Domine, sit in terra viventium. » Item [9]: « Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. » Et hæc duo sunt, contra duo quæ dixerat: dixerat enim vitam illorum insensatam, et finem contumeliosum.

6. *Ergo erravimus*, etc. Concludunt sibi ipsis, unde verificatum est illud Psalmi [10]: « Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. » *Erravimus*, inquiunt: falsa enim pro veris approbaverunt: Augustinus autem dicit [11], quod falsa pro veris approbare, erroris proprium est. [12] « Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, et vomens. » *A via veritatis*; Glossa: « Evangelii et divinæ legis, ad credendum. » [13] « Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit. » *Et justitiæ lumen*, ad operandum. *Justitiæ lumen*, intransitive, id est justitia quæ lux est, secundum illud Psalmi [14]: « Lux orta est justo. » Item [15]: « Justorum semita, quasi lux splendens, » etc. *Non luxit nobis.* [16] « Expectavimus lucem, et ecce tenebræ. » Hæc fuit causa erroris eorum, sicut defectus luminis est causa deviationis. *Et sol intelligentiæ*, scilicet ad inflammandum. Glossa: « Christus *Sol justitiæ*, qui oritur timentibus Deum, » ut habetur [17] *non est ortus nobis.* Notandum, quod non est defectus ex parte solis, sed ex parte ipsorum in tenebris jacentium, nec surgere volentium, nec oculos aperire quærentium [18]: « Supercecidit ignis, » invidiæ, « et non viderunt solem » justitiæ. Sol materialis oritur bonis et malis, ut patet [19]: « Qui solem suum facit oriri super bonos, et malos; » sed sol intelligentiæ solis bonis oritur, ut patet hic. Christus autem dicitur sol, quia *sol* dicitur quasi *solus* lucens: Christus autem singulariter lucet, id est, præ omnibus aliis, tanquam oculus mundi [20]: « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » illuminatione (*b*) cognitionis naturalis: ipse enim est magister, qui cathedram habet in cœlis, corda hominum in terris, ut dicit Augustinus [21]. Item [22]: « Ego sum lux mundi. » Item, quia illuminator est Ecclesiæ [23]: « Sicut luna plena in diebus suis lucet, » scilicet ex irradiatione solis. Item, quia est fons totius caloris, id est, amoris spiritualis [24]: « In sole posuit tabernaculum suum; » et post [25]: « Non est qui se abscondat a calore ejus. » [26] « Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo: et accensus est ignis magnus, » etc. Item [27]: « Ignem veni mittere in terram, » id est calorem. Item, quia ipse est pater plantarum spiritualium, id est, totius pullulationis spiritualis [28]: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. » Sol autem intelligentiæ dicitur, quia solo oculo intelligentiæ lux ejus appre-

Christus quo modo Sol dicitur.

[1] *Joan.*, X, 20. — [2] IV *Reg.*, IX, 11. — [3] *Osee*, IX, 7. — [4] *Psal.* CXXXVIII, 17. — [5] *Joan.*, XII, 26. — [6] *Rom.*, VIII, 15. — [7] *Joan.*, I, 12. — [8] *Psal.* CXLI, 6. — [9] *Coloss.*, I, 12. — [10] *Psal.* LXIII, 9. — [11] Aug., *Enchirid.*, c. XVII. — [12] *Isa.*, IX, 14. — [13] *Isa.*, LIII, 6. — [14] *Psal.* XCVI, 11. — [15] *Prov.*, IV, 18. — [16] *Isa.*, LIX, 9. — [17] *Malac.*, IV, 2. — [18] *Psal.* LVII, 9. — [19] *Matth.*, V, 45. — [20] *Joan.*, I, 9. — [21] Aug., *de Discipl. Christ.*, prope finem. — [22] *Joan.*, VIII, 12. — [23] *Eccl.*, L, 6. — [24] *Psal.* XVIII, 6. — [25] Ibid., 7. — [26] II *Mach.*, I, 22. — [27] *Luc.*, XII, 49. — [28] *Joan.*, XV, 5.

(*a*) *Vulg.* honorificati.— (*b*) *Cæt. edit.* illuminationis.

henditur, quia per ejus radium, scilicet per spiritum intellectus, intelligentia illustratur.

Lassati sumus, etc. Hic tangit confessionem erroris impiorum circa propriam vitam. Et primo confitentur propriæ vitæ laboriositatem; secundo, cæcitatem : *Viam autem Domini* etc.; tertio, inutilitatem : *Quid profuit nobis*, etc.; quarto, instabilitatem : *Transierunt*, etc.

Lassati igitur *sumus* virtute nostra : *in via iniquitatis*, quoad culpam in præsenti [1] : « Ut inique agerent, laboraverunt; » *et perditionis*, quoad pœnam in futuro [2] : « Impii de terra perdentur, et qui inique agunt auferentur ab ea. » Nec mirum, si lassati sumus virtute nostra, quia *ambulavimus vias difficiles* de sui natura, scilicet viam peccatorum, quæ multum affligunt animam in præsenti per conscientiæ remorsum : non enim patitur ordo divinæ justitiæ, ut vel ad momentum sit culpa sine pœna; unde Augustinus [3] : « Jussisti, Domine, et sic est, ut pœna sibi sit ipse inordinatus animus. » [4] « Via peccantium complanata lapidibus. » Sed contra [5] : « Lata porta, et spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem. » Dicendum, quod facilis est in ingressu, quasi strata floribus, scilicet præsentis delectationis dulcore, et temporali jucunditate; sed difficilis in progressu propter remorsum conscientiæ, difficilior in egressu propter separationem a præsenti voluptate, sed difficillima post egressum, propter tormentum gehennæ. *Viam autem Domini*, scilicet qua Dominus venit ad nos, qua nos imus ad eum, scilicet charitatem, secundum illud Apostoli [6] : « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. » *Ignoravimus*, scilicet, ignorantia crassa et affectata; unde [7] : « Qui dicunt Deo : Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus. » *Ignorans* tali ignorantia *ignorabitur*, ut dicit Apostolus [8].

8. *Quid nobis profuit superbia*? Scilicet in honorum excellentia; quasi dicat : Nihil; imo potius nocuit, quia dicitur in psalmo [9] : « Retribuet abundanter facientibus superbiam. » [10] « Contritionem præcedit superbia. » [11] « Dispersit superbos mente cordis sui. » *Aut divitiarum jactantia*, scilicet de exteriorum bonorum abundantia, *quid contulit nobis?* quasi dicat : Nihil [12] : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. » Item [13] : « Væ vobis divitibus, » etc.

9. *Transierunt*, etc. Hic tangit confessionem instabilitatis status reproborum, sub multiplici metaphora : primo sub metaphora umbræ; secundo, nuntii : *Tanquam nuntius*, etc.; tertio, navis : *Et tanquam navis*, etc.; quarto, avis : *Ut avis*, etc.; quinto, sagittæ : *Aut tanquam sagitta*, etc.

Transierunt igitur *omnia illa*, scilicet divitiæ, deliciæ, et honores sæcularis potentiæ; unde [14] : « Omne quod est in mundo, » etc. Et ibidem infra : « Transit mundus et concupiscentia ejus, » id est, concupiscibilia quæ in eo sunt, scilicet quantum ad exteriorem figuram, non quoad substantiam; unde [15] : « Præterit figura hujus mundi. » *Velut umbra*, scilicet mentem obscurando [16] : « Quasi qui apprehendit umbram, etc., sic qui attendit ad insana mendacia : » quia anima ex conversione sui ad terrena obscuratur, et eclipsatur per interpositionem terræ inter eam, et verum Solem. *Et tanquam nuntius præcurrens*, suo transitu mentem amovendo [17] : « Dies mei velociores fuerunt cursore. » (v. 10.) *Et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam*, tribulationes multas sustinendo [18] : « Turbaris erga plurima. » *Cujus, cum præteriit non est vestigium invenire*, scilicet in aqua [19] : « Tria sunt mihi difficilia, etc.: via navis in medio mari. » *Neque semitam carinæ illius in fluctibus*, id est, parvæ navis, quæ majorem navem solet comitari ad evasionem periculi. Vel carina potest dici media pars,

[1] *Jerem.*, IX, 5. — [2] *Prov.*, II, 22. — [3] Idem, *Conf.*, lib. I, c. XII. — [4] *Eccli.*, XXI, 11. — [5] *Matth.*, VII, 13. — [6] I *Cor.*, XII, 31. — [7] *Job*, XXI, 14. — [8] I *Cor.*, XIV, 38. — [9] *Psal.* XXX, 24. — [10] *Prov.*, XVI, 18. — [11] *Luc.*, I, 51. — [12] *Eccle.*, V, 9. — [13] *Luc.*, VI, 24. — [14] I *Joan.*, II, 17, 17. — [15] I *Cor.*, VII, 31. — [16] *Eccli.*, XXXIV, 2. — [17] *Job*, IX, 25. — [18] *Luc.*, X, 41. — [19] *Prov.*, XXX, 18.

vel medius locus navis, secundum illos versus :

Prora prior pars est navis, pars ultima puppis.
Dic latus esse ratem, ventrem dic esse carinam.

11. *Aut* (*a*) *avis*, scilicet, cor in superbiam et lasciviam exaltando [1] : « Qui innititur (*b*) mendaciis, hic pascit ventos; idem sequitur aves volantes. » *Quæ transvolat in aere*, scilicet velociter. *Cujus nullum invenitur argumentum*, scilicet certum signum, *itineris illius, sed tantum sonitus*; auditur *sonitus*, inquam, *alarum verberans levem ventum*, id est aerem motum, secundum illud Damasceni [2] : « Ventus est aer motus.» *Et scindens*, id est dividens, *per vim itineris aerem*, scilicet quietum. Sic sonus levis famæ impios comitatur, secundum illud psalmi : [3] « Vocaverunt nomina sua in terris suis. » [4] «Væ terræ, cymbalo alarum, » etc. *Commotisque alis transvolavit*, scilicet ad locum alterum [5] : « Ephraim quasi avis evolavit. » *Et post hoc nullum signum*, id est, certum indicium, *invenitur itineris illius*. [6] « Tria mihi sunt difficilia, etc., via aquilæ in cœlo.» Item [7] : Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. » (v. 12.) *Aut tanquam sagitta*, scilicet cor lethaliter vulnerando, *emissa in locum destinatum*, a sagittario [8] :« Donec transfigat sagitta jecur. » *Divisus aer*, scilicet per motum sagittæ, *continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius*; (v. 13) *sic et nos nati continuo desivimus esse*, id est cito post nativitatem; vel statim desinere incipimus, secundum illud Augustini : « Quid est vita nostra, nisi continuus cursus ad mortem? » Glossa : « Sic vitæ hujus incertus et instabilis est cursus. » [9] « Homo natus de muliere, etc., et fugit velut umbra. » Vel : Desinimus esse continuo pro peccati acceleratione. *Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere*, scilicet in vita nostra, per bonam conversationem [10] : « Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur. » [11] « Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » *In malignitate enim nostra consumpti sumus*, per impœnitentiam finalem [12] : « Qui quasi putredo consumendus sum. » [3] «In peccato vestro moriemini. »

14. *Talia dixerunt*, etc. Ecce confirmatio confessionis eorum per exempla convenientia; primo per exemplum lanuginis; secundo, spumæ : *Et tanquam spuma*, etc.; tertio, fumi : *Et tanquam fumus*; etc. quarto, hospitis : *Et tanquam memoria*, etc.

Talia ergo dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt; dixerunt, inquam, dictione interiori per conscientiæ remorsum, etsi non forte dilectione exteriori, cum sint in inferno sine corporibus usque ad diem judicii, et sine organis corporeis, licet non sine potentiis organorum. [14] « Elevans oculos, » id est, potentiam visivam, quæ organis oculorum usa fuerat in præsenti, « in inferno, » etc. Quomodo sciebat auctor iste, quod ita dixerunt in inferno, cum nunquam ibi fuisset, nec alius inde venisset, qui ei retulisset, unde et supra [15] : « Non est agnitus, qui reversus sit ab inferis? » Potest dici, quod hoc sciebat ex revelatione Spiritus sancti, quia, secundum Ambrosium [16] : « Omne verum a quocumque dicatur, a Spiritu sancto dictante profertur. » Item [17] :« Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. » Vel *dixerunt*, id est, dicere potuerunt.

Dubitatio.

Solutio.

15. *Quoniam*, etc., quasi dicat : Et verum dixerunt. *Quoniam spes impii*, id est, temporalis prosperitas, in qua spem ponunt impii [18] : « Posuimus mendacium spem nostram; » *tanquam lanugo*, id est, flos cardui, quoad carnis fragilitatem; *quæ a vento tollitur*, id est, modico flatu. Glossa : « Lanugo carnis fragilitatem exprimit, quæ vento ægritudi-

[1] *Prov.*, x, 4. — [2] Damasc., *de Fide Orthod.*, lib. II, c. VIII. — [3] *Psal.* XLVIII, 12. — [4] *Isa.*, XVIII, 1. — [5] *Ose.*, IX, 11. — [6] *Prov.*, XXX, 18, 19. — [7] *Job*, XXVIII, 7. — [8] *Prov.*, VII, 23. — [9] *Job*, XIV, 1, 2. — [10] *Marc.*, XVI, 17. — [11] *Gal.*, VI, 17. — [12] *Job*, XIII, 28. — [13] *Joan.*, VIII, 21. — [14] *Luc.*, XV, 23. — [15] *Sap.*, II, 1. — [16] Ambros., vel potius Euseb. Emis., in I *Cor.*, XII, 3. — [17] II *Petr.*, I, 21. — [18] *Isa.*, XXVIII, 15.

(*a*) Vulg. add. *tanquam*. — (*b*) *Vulg.* nititur.

nis, vel molestia, cito tollitur. » [1] « Omnis caro fœnum, » etc. Et bene comparatur carnis fragilitas flori cardui, quia cito spinas et tribulos tentationum generat; unde [2] : « Spinas et tribulos germinabit tibi. » *Et tanquam spuma gracilis*, ex agitatione generata, *quæ a procella dispergitur*, etc. : dicit quantum ad jactantiæ vanitatem. Unde Glossa : Hic est appetitus humani favoris, et jactantiæ vulgaris, quæ a procella dispergitur tribulationis, et adversitatis alicujus præsentis, vel æternæ [3] : « Transire fecit Samaria regem suum, sicut transit spuma super faciem aquæ. » Item [4] : « Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. » *Et tanquam fumus, qui a vento diffusus est*, quantum ad vitæ brevitatem [5] : « Quæ est vita vestra? Vapor ad modicum parens. » *A vento diffusus est*; quia enim in altum tollitur, evanescere cogitur juxta illud Psalmi [6] : « Mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient. » Glossa : « Sicut fumus vento dissolvitur, sic humana vita temporum mutatione. » *Et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*, quantum ad famæ modicam durationem [7] : « Memoria vestra comparabitur cineri. » Hospiti comparat in hac vita existentem, quia peregrini et hospitæ quasi in aliena domo sumus, secundum illud Psalmi [8] : « Advena sum ego apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. » Item [9] : « Confitentes, quia peregrini, « etc. *Prætereunti*, quia quotidie de vita ad mortem transimus [10] : « O vos omnes qui transitis per viam, » etc. [11] « Generatio præterit, » etc. *Unius diei* quia parum hic stamus, unde [12] : « Non habemus hic manentem civitatem, » etc.

16. *Justi autem in perpetuum*. Hic ponit justorum et reproborum condignam et justam retributionem : et primo præmium justorum ; secundo, supplicium reproborum : *Et accipiet armaturam*, etc. Justorum præmium duplex tangit : primo pro operatione boni, et secundo pro victoria mali : *A Deo accipient*, etc.

Justi autem, etc., quasi : Talis est vita impiorum ; *Autem*, pro *sed*; justi e contrario *in perpetuum vivent*. Glossa : « Vivent vita æterna, de qua [13] : « Hæc est vita æterna, » etc. *Et apud Dominum*, id est, in ipso Domino per spem, secundum Glossam in Psalmo [14] : « Mihi autem adhærere Deo, » scilicet per charitatem, « bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. » *Est merces eorum*; Glossa : « laboris præmium, ipse enim est merces sanctorum : » [15] « Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. » Item [16] : « Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel. » *Et cogitatio eorum*, etc.; quasi dicat : Et merito apud Dominum est merces eorum, quia *cogitatio eorum*, id est, tota sollicitudo et intentio eorum per fidem, *apud Altissimum*, secundum illud Psalmi [17] : « Jacta cogitatum tuum in Domino (*a*), » etc. Vel *cogitatio apud Altissimum* solum : justi enim solum de Deo, vel de iis quæ ad ipsum habendum conferunt, cogitant, juxta illud [18] : « Quæ sine viro mulier, cogitat quæ Domini sunt : » et, quia tales sunt in præsenti, (v. 17) *ideo accipient regnum decoris*, id est, regnum decorum quantum ad auream, sive essentiale præmium [19] : « Beati pauperes, » etc.; *et diadema speciei*, id est, speciosum ; Glossa : « de victo hoste ; » et hoc quantum ad aureolam, sive quantum ad præmium accidentale [20] : « Reposita est mihi corona justitiæ. » *De manu Dei*, vel *Domini*, id est, a Christo, qui dicitur manus et brachium, et dextera Dei Patris. Est enim manus operando [21] : « Omnia namque per ipsum facta sunt ; » brachium protegen-

[1] *Isa.*, XL, 6. — [2] *Gen.*, III, 18. — [3] *Osee*, X, 7. — [4] *Jerem.*, XXIII, 19. — [5] *Jacob.*, IV, 15. — [6] *Psal.* XXXVI, 20. — [7] *Job*, XIII, 12. — [8] *Psal.* XXXVIII, 13. — [9] *Hebr.*, XI, 13. — [10] *Thren.*, I, 12. — [11] *Eccle.*, I, 4. — [12] *Hebr.*, XIII, 14. — [13] *Joan.*, XVII, 3. — [14] *Psal.* LXXII, 28. — [15] *Gen.*, XV, 1. — [16] *Num.*, XVIII, 20. — [17] *Psal.* LIV, 13. — [18] I *Cor.*, VII, 34. — [19] *Matth.*, V, 3. — [20] II *Tim.*, IV, 8. — [21] *Joan.*, I, 3.

(*a*) *Vulg.* super Dominum curam tuam.

do, secundum illud Psalmi [1] : « Brachium meum confortabit eum; » dextera præmiando [2] : « Statuet oves a dexteris. » *Quoniam dextera sua teget eos*, hic et in futuro, ab ira superni judicis [3] : « In umbra manus suæ protexit me. » [4] « Tegimen ardoris, et umbraculum. » *Et brachio sancto suo*, id est, suæ sanctæ potentiæ, *defendet illos*, scilicet ab impugnatione adversarii, secundum illud Psalmi [5] : « Dominus defensor vitæ meæ; a quo trepidabo? »

18. *Et accipiet armaturam*, etc. Hic tangit supplicium reproborum sub metaphora regis, arma moventis (*a*) contra suos adversarios. Et primo describit regis propositum; secundo, ejus apparatum : *Donec*, etc.; tertio, bellum : *Ibunt directe*, etc.; quarto, belli effectum : *Et ad eremum perducet*, etc.; quinto, belli remedium : *Melior est sapientia*, etc.

Et accipiet amaturam, scilicet contra adversarios, *zelus illius* [6] : « Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ. » Arma autem ejus sunt veritas, justitia, et judicium secundum Glossam. *Et armabit creaturam*, scilicet tanquam exercitum suum, secundum illud infra [7] : « Creatura tibi factori deserviens exardescit adversus injustos, ad ultionem inimicorum. » [8] « Deus ultionum, » etc.

19. *Induet pro thorace justitiam :* loricæ comparatur justitia, sive thoraci, quia sicut lorica totum corpus protegit, sic justitia undique animam, unde [9] : « Per arma justitiæ a dextris et a sinistris. » [10] « Justitia indutus est pro (*b*) lorica. » *Et accipiet pro galea judicium rectum*, vel *certum :* judicium rectum, id est discretio; et comparatur galeæ, quæ munimentum est capitis, id est rationis [11] : « Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os suum. » (v. 20) *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem :* scuto, quod defendit loricam, comparatur æquitas, quia justitiam facit irreprehensibilem [12] : « Arguet in æquitate pro mansuetis terræ. » (v. 21) *Acuet autem diram iram :* diram dicit, ad differentiam iræ levis, quo modo irascitur. *In lanceam :* ira Dei lanceæ comparatur, quia attinget etiam quæcumque remota, et penetrabit [13] : « Gladius exacutus, » etc. Ideo [14] : « Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam. » *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Gregorius [15] : « Offenso Creatore, omnis creatura offenditur. » Glossa : « Creator per creaturam sibi subjectam corripit delinquentes. » Horribile bellum erit illud, de quo [16] : « Memento belli, nec ultra addas loqui. »

22. *Ibunt directæ* (*c*), etc. Hic describit bellum novissimum, secundum diversas acies creaturarum. Et primo introducit ignem impios debellantem; secundo, aerem : *Et petrosa*, etc.; tertio, aquam : *Et candescet*, etc.; quarto, ventum, seu turbinem, de terra procedentem : *Contra illos stabit spiritus virtutis*, etc.

Ibunt ergo, scilicet contra illos, *directæ emissiones fulgurum pro voto* (*d*); Glossa : « id est, pro voluntate ductoris : » [17] « Accelerat coruscationes emittere judicii sui; » item [18] : « Fulgura coruscationem, et dissipabis eos. » *Et tanquam a bene curvato arcu nubium*, id est, tanquam iridis lineæ depressæ sole superveniente. *Exterminabuntur impii;* quasi dicat : Sicut cito et faciliter dissolvitur arcus cœlestis, sic impii cito et faciliter exterminabuntur, id est, extra terminos vitæ præsentis et æternæ ponentur [19] : « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. » [20] « Arcum suum tetendit, » etc. *Et ad certum locum insilient*, scilicet ad malos tantum, ita quod bonos non tangent. Supra [21] :

[1] *Psal.* LXXXVIII, 22. — [2] *Matth.*, XXV, 33. — [3] *Isa.*, XLIX, 2. — [4] *Eccli.*, XXXIV, 19. — [5] *Psal.* XXVI, 1. — [6] *Prov.*, VI, 34. — [7] *Sap.*, XVI, 24. — [8] *Psal.* XCIII, 1. — [9] II *Cor.*, VI, 7. — [10] *Isa.*, LIX, 17. — [11] *Prov.*, XVI, 10. — [12] *Isa.*, XI, 4. — [13] *Ezech.*, XXI, 9. — [14] *Exod.*, XV, 7. — [15] Greg., *in Evang.*, hom. XXXI, non procul a principio. — [16] *Job*, XL, 27. — [17] *Eccli.*, XLIV, 14. — [18] *Psal.* CXLIII, 6. — [19] *Baruc.*, III, 19. — [20] *Psal.* VII, 13. — [21] *Sap.*, III, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* moventes. — (*b*) *Vulg.* ut. — (*c*) Vulg. *directe.* — (*d*) Vulg. deest *pro voto.*

« Non tanget eos tormentum mortis. » *Ad certum locum;* Glossa : « Quemcumque necesse erit; non enim potest esse confusum, quod divina sapientia est ordinatum; » unde in Ægypto terra Gessen [1] nihil mali patiebatur a plagis Ægypto inflictis.

23. *Et a petrosa ira :* petrosa dicitur ira illa propter effectum, quia petris se manifestabit; vel quia infrangibilis et dura, sicut lapis; vel quia inferetur a Christo, qui *petra* dicitur [2] : « Petra autem erat Christus. » *Plenæ mittentur grandines*, id est, grossæ et magnæ; vel *plene*, id est plenarie, sive abundanter [3] : « Ignis, grando, nix, glacies, » etc. [4] « Numquid ingressus es (*a*) thesauros nivis? » [5] « Grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines. » Græci autem sic habent : *Et tanquam a bene curvato arcu nubium, ad certum locum insilient, et a petra jacente ira plene.* Hic littera planior est, et videtur verior, cum in Græco videatur compilatus liber iste. *Et candescet*, id est fervebit, *in illos*, id est contra illos, *aqua maris :* fiet enim fervidum, turbidum et spumosum [6] : « In terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum. » Erit enim unum de quindecim signis, secundum Hieronymum, quod mare se eriget super altitudinem montium. *Et flumina*, aquarum dulcium, *concurrent duriter*, id est fortiter [7] : « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Vel : *Aqua maris*, id est amaritudo infernalis, *candescet in illos*, id est stridebit et fervescet, sicut aqua per injectionem ferri calidi [8] : « Infernus subtus te conturbatus est. » *Et flumina*, scilicet angustiarum, *concurrent duriter*, quia ibi erit dolor de bonis amissis, pudor de malis commissis, timor de præsentibus suppliciis.

24. *Contra illos stabit spiritus virtutis*, id est, fortis ventus, secundum illud [9] : « Flavit spiritus tuus, » etc., procedens de cavernis terræ, secundum illud Psalmi [10] : « Qui produxit ventos de thesauris suis. » Item [11] : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. » Item [12] : « Ventus vehemens irruit a regione deserti. » Hic est *spiritus procellarum*, de quo in Psalmo [13]. *Et tanquam*; *tanquam* est expressivum veritatis, non nota similitudinis. *Turbo venti*, id est, impulsus compositus ex contrariis ventis pulvere mixtis, *dividet eos*, etc. Vel spiritus potest dici sententia judicis, secundum illud [14] : « Spiritu oris sui interficiet impium; » et tunc ly *Tanquam* nota est similitudinis, non expressivum veritatis, cum dicitur : *Et tanquam turbo venti dividet eos*, scilicet a bonis [15] : « Tollet eum ventus urens, et velut turbo rapiet de loco suo. » [16] « Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus. » *Et ad eremum*, id est, locum horribilem et sterilem, et omni bono carentem; de tali loco [17] : « In loco horroris et vastæ solitudinis : » *Omnem terram*, id est terrenos, *perducet iniquitas illorum*, id est, propria iniquitas, non aliena, erit causa quare illuc perducentur, secundum illud Isaiæ [18] : « Ambulate in flammis, quas succendistis vobis. » Vel, secundum aliam litteram, *terram iniquitatis eorum* dicit, quia secundum Psalmum [19] : « Ignis ante ipsum judicem præcedet, » qui superficiem terræ, in qua factæ sunt iniquitates eorum, exuret et aridam reddet. *Et malignitas*, quam exercuerunt, quæ sonat in deterius, *evertet*, id est causa erit evertendi *sedes potentum*, id est, regna, civitates et castra, turres et tribunalia [20] : « Sedes ducum superborum destruxit Deus. » Aliter exponit Glossa præcedentia, scilicet de præsenti expugnatione impiorum infidelium et hæreticorum per Christum et Ecclesiam, coruscatione miraculorum, grandine increpationum, inundatione tribulationum,

[1] *Exod.*, III, 26. — [2] I *Cor.*, X, 4. — [3] *Psal.* CXLVIII, 8. — [4] *Job*, XXXVIII, 22. — [5] *Apoc.*, XVI, 21. — [6] *Luc.*, XXI, 25. — [7] *Exod.*, XV, X. — [8] *Isa.*, XIV, 9. — [9] *Exod.*, XV, 10. — [10] *Psal.* CXXXIV, 7. — [11] *Psal.* XLVII, 8. — [12] *Job*, I, 19. — [13] *Psal.* CXLVIII, 8. — [14] *Isa.*, XI, 4. — [15] *Job*, XXVII, 21. — [16] *Isa.*, LXVI, 15. — [17] *Deut.*, XXXII, 10. — [18] *Isa.*, L, 11. — [19] *Psal.* XCVI, 3. — [20] *Eccli.*, X, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* est.

turbine persecutionum, depressione potentium.

Melior est sapientia, etc., quasi dicat[1] : Ex quo sic tractantur potentes insensati, *melior est*, id est utilior, *sapientia* de divinis, quæ secundum Glossam interlinearem semper animam bene regit, *quam vires corporis*, quæ sæpe in peccata præcipitant[2] : « Dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. » *Et vir prudens*, in rebus humanis, secundum Glossam, non tantum eloquio, *magis quam fortis*; Glossa : « corpore. » Unde in tali fortitudine non est gloriandum, secundum illud[3] : « Non glorietur fortis in fortitudine sua. »

CAPUT VI.

2.[4] *Audite ergo, reges*, etc. Postquam monuit principes et potentes ad justitiam, hic incipit eos monere ad sapientiam inquirendam et amandam. Et primo, ratione sumpta ex periculo officii eorum, quos monet; secundo, ratione sumpta ab exemplo ejus, qui monet, scilicet capite septimo; tertio, ratione sumpta a multis beneficiis sapientiæ, ad quam monet, scilicet a decimo capite usque in finem. In prima, primo tangit insipientium rectorum pœnam et supplicium; secundo, e contra sapientium rectorum præmium : *Ad vos ergo*, etc.; tertio monet utrosque concupiscere sapientiam : *Concupiscite*, etc.; quarto, promittit se docere eam : *Quid est autem sapientia*, etc. In prima, primo petit a rectoribus audientiam; secundo subdit audiendi causam : *Quoniam data est*, etc.

Audite ergo, etc., quasi dicat : Ex quo ita est utilis sapientia, audite ergo auditu exteriori, *Reges*; Glossa : Prælati; *et intelligite*, auditu interiori. [5] « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. » [6] « Qui habet aures audiendi audiat. » *Discite, judices finium terræ*, id est, terrarum distinctarum, seu provinciarum. *Reges* dicuntur prælati ad (*a*) bonum dirigendo; *judices*, inter bonum et malum discernendo. Discite, inquam, sapientiam, quia judicibus necessaria est, unde[7] : « Date ex vobis viros sapientes et gnaros. » Et (v. 3) *præbete aures vos* (*b*), scilicet exteriorem, et interiorem. *Qui continetis*, a malo cohibendo, *multitudines populorum*, vobis commissas. [8] « In multitudine populi dignitas regis. » *Et placetis vobis in tenebris regionum*, id est, prælatiis vestris gloriamini : contra quod dicit Gregorius in *Pastorali* : « Toties prælatus in apostasiæ crimen labitur, quoties præesse hominibus delectatur. »

4. *Quoniam data est*, etc. Hic subdit audiendi causam, scilicet, ut possint evadere pœnam pro abusu potestatis infligendam. Et primo tangit collationem potestatis; secundo, abusum collatæ : *Quoniam cum essetis*, etc.; tertio, judicium pro abusu : *Horrende*, etc.; quarto, judicis æquitatem; *Non enim subtrahet*, etc.

Quoniam, etc. Et audire debetis : *Quoniam data est vobis a Domino potestas*, unde[9] : « Non est potestas, nisi a Deo. » *Potestas*; Glossa : « Judiciaria in terra, » scilicet quoad sententiæ diffinitionem. [10] « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum tibi esset desuper. » *Et virtus*; Glossa : « Puniendi quoad potentiæ executionem; » vel *potestas* in causis civilibus, *virtus* in causis criminalibus. *Ab Altissimo*, scilicet Deo supra nos constituto[11] : « Tu Dominus altissimus super omnem terram (*b*). » *Qui interrogabit*; Glossa : « in judicio. »[12] « Redde rationem villicationis tuæ. » [13] *Opera vestra*, scilicet exteriora : « Cuncta, quæ fient, adducet Deus in judicium, » etc. Non enim ita dedit potestatem, quin exigat rationem, ideo[14] : « Ante judicium interroga teipsum; et ante Deum in-

[1] Hic versus est initium capitis sequentis, in Bibliis vulgatæ editionis. — [2] *Eccle.*, IX, 16. — [3] *Jerem.*, IX, 23. — [4] Versiculus primus expositus fuit in fine capitis præced. — [5] *Prov.*, I, 5. — [6] *Matth.*, XIII, 9. — [7] *Deut.*, I, 13. — [8] *Prov.*, XIV, 28. — [9] *Rom.*, XIII, 1. — [10] *Joan.*, XIX, 11. — [11] *Psal.* LXXXII, 19. — [12] *Luc.*, XVI, 2. — [13] *Eccle.*, XI, 14. — [14] *Eccli.*, XVIII, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* prælati a. — (*b*) Edit. Ven. *vestras*. — (*c*) *Vulg.* in omni terra.

venies propitiationem. » *Et cogitationes scrutabitur*, id est, opera interiora; Glossa : « tanquam de omnibus judicaturus, » supra [1] : « In cogitationibus impii interrogatio erit. » *Scrutabitur* [2] : « Scrutabor Jerusalem in lucernis. » Nec solum scrutabitur, sed etiam manifestabit; unde [3] : « Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordis (*a*). » Notandum autem, quod triplex fiet prælato interrogatio : prima, qualiter intravit [4] : « Amice, quo modo huc intrasti? » etc. ; secunda, qualiter vixit [5] : « Quid tu hic? quis hic? » Tertia qualiter rexit, et custodivit gregem sibi commissum [6] : « Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? »

5. *Quoniam cum essetis*, etc. Bene dixi, quod interrogabit, etc. ; et merito : *quoniam cum essetis ministri*, non (*b*) domini, *regni illius*, id est, Ecclesiæ militantis [7] : « Non dominantes in clero ; sed forma facti gregis ex animo : » item [8] : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, » etc. *Non recte judicastis*, scilicet alios, unde [9] : « Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos. » Item [10] : « Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt. » *Neque custodistis legem justitiæ*, scilicet vobis ipsis [11] : « Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare. » [12] « Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit. » Item [13] : « Hi magis confregerunt jugum, ruperunt vincula. » *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis*, peccando contra Deum [14] : « Abierunt in voluptatibus et pravitate cordis sui mali. » Vel potest dici, quod tangit triplicem modum, quo dicitur sententia injusta : primo, ex causa, quando scilicet non subest causa justa : secundo, ex ordine, ut quando non servatur ordo juris ; tertio, ex animo, ut quando corrupta intentione proceditur contra aliquem : contra quod dicitur [15] : « Juste, quod justum est, exequeris (*c*). »

Horrende, id est, terribiliter [16] : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » *Et cito apparebit vobis*, unde [17] : « Juxta est dies Domini magnus et velox nimis. » Et licet dies judicii generalis longe sit, tamen dies particularis judicii, id est, mortis, prope est, unde [18] : « Memor esto judicii mei ; sic enim erit et tui ; mihi heri, et tibi hodie. » Et vere horrende apparebit vobis prælatis : *Quoniam judicium durissimum in his* (*d*), *qui præsunt, fiet*. Durum quidem, quia male intraverunt; durius, quia male vixerunt; durissimum, quia male rexerunt. Vel durum propter peccata subditorum; durius propter peccata ministrorum; durissimum propter multitudinem et enormitatem propriorum peccatorum. Durius punientur prælati, quam cæteri : primo ratione commissi, secundum illud [19] : « Cui plus commodaverint, plus petent ab eo. » Ratione peccati, quia cœteris paribus gravius est peccatum prælati, quam subditi. [20] « Ii magis fregerunt (*e*) jugum, » etc. Ratione damni, quia scilicet alios suo exemplo corrumpunt. Gregorius : « Cum pastor per abrupta graditur, necesse est ut in præcipitium grex sequatur. » Ratione scandali, quia Ecclesiam scandalizant; unde [21] : « Scandalizatis plurimos in lege. » Ratione judicii, quia scilicet hic non judicantur (*f*), secundum illud psalmi [22] : « Tibi soli peccavi, » etc. ; et ideo in futuro simul et totaliter durius judicabuntur, secundum illud [23] : « Non enim sicut in aliis Dominus patienter expectat, ut cum judicii dies advenerit, eos in plenitudine puniat. » Ratione officii, quia etiam officium suum indigne exercendo, peccant [24] : « In quo alium judicas, teipsum condemnas. »

[1] *Sap.*, I, 9. — [2] *Soph.*, I, 12. — [3] I *Cor.*, IV, 5. — [4] *Matth.*, XXII, 12. — [5] *Isa.*, XXII, 16. — [6] *Jerem.*, XIII, 20. — [7] I *Petr.*, V, 3. — [8] II *Cor.*, IV, 1. — [9] *Isa.*, I, 23. — [10] *Jerem.*, V, 28. — [11] *Psal.* LXXVII, 10. — [12] *Isa.*, LIX, 14. — [13] *Jerem.*, V, 5. — [14] Ibid., VII, 24. — [15] *Deut.*, XVI, 20. — [16] *Hebr.*, X, 31. — [17] *Sophon.*, I, 14. — [18] *Eccli.*, XXXVIII, 23. — [19] *Luc.*, XII, 48. — [20] *Jerem.*, V, 5. — [21] *Malac.*, II, 8. — [22] *Psal.* L, 6, 14. — [23] II *Mac.*, VI, 14. — [24] *Rom.*, II, 1.

(*a*) *Vulg.* cordium. — (*b*) *Cæt. edit.* tum. — (*c*) *Vulg.* persequeris. — (*d*) Cæt. edit. *suis*. — (*e*) *Vulg.* Magis hi simul confregerunt. — (*f*) *Edit. Vat.* judicamur. *Edit. Ven.* indicamur.

7. *Exiguo enim,* id est, infimo et humili, unde Glossa : « lis, qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt, et humili pœnitentia doluerunt, » *Concedetur misericordia* ; Glossa : « Remissio peccatorum, quoad pœnam, siva ex toto, sive ex parte, hic, vel in futuro [1] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum. » etc. *Potentes autem*, id est, potestate abusi in peccatum, *potenter*, id est fortiter illata *tormenta patientur*, quia pro peccatis suis, et subditorum suorum, unde [2] : « Tolle cunctos principes, et suspende eos contra solem in patibulis. » Item [3] : « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. » Item [4] : « Loquentur ei potentissimi robustorum, de medio inferni. »

8. *Non enim subtrahet Dominus*, scilicet a punitione et tormento, *personam cujusquam*, scilicet parvi vel magni privato amore [5] : « Unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, dicit Dominus. » [6] « Non est personarum acceptor Deus. » Deinde reddit causam, dicens : *Qui est,* id est, quia ille est, *omnium dominator*, [7] « Rex regum, et Dominus dominantium. » *Nec verebitur magnitudinem cujusquam,* scilicet ex timore, [8] « quoniam ipse est Dominus, et Rex magnus super omnes Deos, » ut dicitur, et iterum [9] : « Magnitudinis ejus non est finis ; » unde improportionabiliter superat omnem aliam magnitudinem. *Quoniam pusillum et magnum ipse fecit* [10] : « Numquid non unus est pater omnium vestrum? numquid non unus Deus creavit nos? » Et quia omnes creavit, ideo omnes tam parvos, quam magnos, sicut creaturas suas judicabit [11] : « Vidi mortuos, pusillos et magnos, stantes in conspectu throni. » *Et æqualiter est cura de omnibus*. Contra [12] : « Numquid de bobus cura est Deo ? » quasi dicat : Non. Dicendum, quod cura disciplinæ solum est Deo de rationalibus; sed cura providentiæ est illi de omnibus. Sed si æqualis est ei cura providentiæ de bonis, et malis; ergo non differt apud illum bonum esse vel malum. Respondeo dicendum, quod loquitur de providentia naturali, non de gratuita ; vel *æqualiter*, id est, similiter. Et quamvis æqualiter sit ei cura de omnibus, non tamen omnes puniet æqualiter.

Dei cura duplex.

9. *Autem*, pro *sed*, *fortioribus,* in malo, *fortior instat cruciatio*, in supplicio, ut patet in Lucifero, et aliis dæmonibus.

10. *Ad vos ergo*, etc. Hic determinat et ostendit sapientium rectorum præmium : et primo excitat ad sapientiam ; secundo sapientium subdit mercedem, vel mercedis declarationem (*a*).

Ad vos ergo, etc. : quia fortioribus fortior instat cruciatio, *ad vos ergo, o reges*, etc. Glossa: « Finito sermone ad potentes, convertit se ad rectorum Ecclesiæ exhortationem. » Glossa : « *O reges*, id est, Ecclesiæ rectores, vel omnes quibus animarum suarum regimen commissum est. » *Ad vos hi sermones mei*, scilicet de studio, et amore sapientiæ, unde sequitur : *Ut discatis sapientiam* : Glossa : « Divinam, non mundanam. » De utraque [13] : « Si quis videtur inter vos esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. » *Hi sermones* audiendi, et retinendi, et opere implendi, secundum illud [14] : « Inventi sunt sermones tui, et comedi eos. » *Et non excidatis*, scilicet a justitia per prævaricationem mandatorum Dei, secundum Glossam. Sapientia enim est sal, custodiens a putrefactione peccati; negligentia autem sapientiæ facit ruere in peccatum, unde [15] : « Qui evitat discere, incidet in mala; » quia in malum culpæ, et in malum pœnæ.

11. *Qui enim,* etc. (*b*) Et bene dixi ; *Ut discatis sapientiam, ne excidatis a justitia : Qui enim custodierint justitiam*, quæ est via ad sapientiam, secundum illud [16] : « Fili, concupiscens sapientiam, serva justitiam : »

[1] *Isa.*, LXVI, 2. — [2] *Num.*, XXV, 4. — [3] III *Reg.*, XX, 39. — [4] *Ezech.*, XXXII, 21. — [5] *Ezech.*, XVIII, 30. — [6] *Act.*, X, 34. — [7] *Apoc.*, XIX, 18. — [8] *Psal.* XCIV, 3. — [9] *Psal.* CXLIV, 3. — [10] *Malac.*, II, 1. — [11] *Apoc.*, XX, 12. — [12] I *Cor.*, IX, 9. — [13] I *Cor.*, III, 18. — [14] *Jerem.*, XV, 16. — [15] *Prov.*, XVII, 16. — [16] *Eccli.*, I, 33. — (*a*) Suppl.: *Qui enim*, etc. — (*b*) Cæt. edit. deest *Qui enim*, etc.

juste judicabuntur; Glossa : « Justitiæ suæ præmium accipient, » scilicet in bono; unde[1] : « Dicite justo, quoniam bene; quoniam fructum adinventionum suarum comedet. » Item[2] : « Justitia justi super eum erit. » [3] « In qua mensura mensi fueritis, » etc. *Et qui didicerint*, scilicet per sapientiam, *justa*; Glossa : « Rectam fidem et opera; » *Invenient quid respondeant in judicio*, scilicet de peccatis sibi objectis[4] : « Super custodiam meam stabo, » etc., «contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. »

12. *Concupiscite*, etc. Hic monet rectores, tam bonos quam malos, concupiscere sapientiam. Et primo ponit exhortationem ad concupiscendum eam; secundo, facilitatem acquirendi ipsam : *Clara est*, etc.; tertio, utilitatem acquirendi ipsam : *Cogitare*, etc.; quarto monet diligere eam, ibi : *Si ergo delectamini*, etc.

Concupiscite ergo, etc., ex quo tam utilis est sapientia, quod facit non excidere a justitia, etc. *Concupiscite ergo sermones meos*, audiendos de sapientia[5] : « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. » *Et diligite illos*, scilicet jam auditos, secundum illud Psalmi[6] : « Dilexi mandata tua super aurum, » etc. *Et habebitis disciplinam*, scilicet per ipsos sermones meos. Qui diligit sapientiam, servat in moribus disciplinam, secundum illud[7] : « Si diligitis me, mandata mea servate. »

13. *Clara est*, etc. Hic ostendit facilitatem acquirendi sapientiam : primo per hoc, quod clara est ad videndum; secundo, quod est spontanea ad se ostendendum : *Præoccupat*, etc.; tertio, quia proxima ad ingrediendum : *Qui de luce vigilaverit*, etc.

Clara est, etc., quasi dicat : Et debetis eam concupiscere, quia *clara est sapientia*, sui scilicet pulchritudine et evidentia, quia scilicet lux est; unde[8] : « Proposui pro luce habere illam. » *Et quæ nunquam marcescit*, id est, a sua pulchritudine deficit; unde Glossa : « Decor sapientiæ immarcescibilis est. » Non enim subjacet tempori, sed est supra tempus, scilicet divina sapientia. *Et facile*, etc., quasi dicat : Nec desperandum de ea acquirenda, *quia facile* videtur oculo, scilicet intellectus, *ab iis qui diligunt illam*, affectu, unde[9] : « Qui diligit me, diligetur a patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. » Dilectio enim purgat et illuminat interiorem oculum ad videndum; unde[10] : « Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. » *Et invenietur ab iis qui quærunt eam*, effectu[11] : « Quærite, et invenietis, » scilicet quæratur ubi debet[12] : « Non enim invenietur in terra suaviter viventium, » sed in asperitate victus et pœnitentiæ; unde Daniel invenit (*a*) sapientiam merito abstinentiæ suæ, ut patet[13].

14. *Præoccupat*, scilicet antequam studio quærentis inveniatur. Glossa : « Gratis se offerens : » ipsa enim est vita, unde per eam itur ad ipsam, et pervenitur. *Præoccupat*, inquam, id est, prævenit eos *qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*; quia illam non invenirent, nisi præventi et illuminati ab ea, sicut lux solis illuminat ad se ipsam videndum. Bernardus : « Vera sapientia, quæ Christus est, inveniri potest, præveniri non potest. »

15. *Qui de luce*, etc. Bene dixi, quod invenitur a quærentibus, quia *qui de luce*, id est, statim cum lux oritur; Glossa; « a principio lucentis fidei; » non de nocte, sicut peccatores semper in nocte manentes; sed sicut justi, de quibus[14] : « Justorum semita quasi lux splendens, » etc.[15] « Omnes filii lucis estis. » *Vigilaverit ad illam*, contra negligentiam[16] : « Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. » *Non laborabit*, quia dulcedo rei quæsitæ et inventæ alleviabit

[1] *Isa.*, III, 10. — [2] *Ezech.*, XVIII, 20. — [3] *Luc.*, VI, 38. — [4] *Habac.*, II, 1. — [5] *Eccli.*, XXIV, 26. — [6] *Psal.* CVXIII, 127. — [7] *Joan.*, XIV, 15. — [8] *Sap.*, VII, 10. — [9] *Joan.*, XIV, 21. — [10] *Eccli.*, II, 10. — [11] *Luc.*, XI, 9. — [12] *Job*, XXVIII, 13. — [13] *Dan.*, I, 17. — [14] *Prov.*, IV, 18. — [15] I *Thess.*, V, 5. — [16] *Prov.*, VIII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* inveniet.

laborem [1] : « In opere ejus exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. » *Assidentem autem*, etc., hoc est in quiete et sine motu paratam intrare, sicut solis radius assidere (*a*) fenestræ clausæ : *Assidentem*, inquam, illam, *foribus suis*, scilicet spiritualibus, intellectui scilicet et affectui : *Inveniet eam* [2] : « Ego sto ad ostium, pulso, » etc. Ipsa etiam fores habet per quas intratur ad eam; unde [3] : « Beatus homo, qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie, » quæ sunt fides et charitas : per fidem intrat ad eam intellectus, per charitatem affectus.

16. *Cogitare quoque* (*b*) *de illa*, etc. : hic ostendit acquirentium utilitatem : primo, in præsenti ; secundo, in futuro : *Initium*, etc. Utilitas in præsenti ostenditur quadruplex : primo, sensus in rationali ; secundo, securitas in irascibili : *Et qui vigilaverit* ; tertio, hilaritas in concupiscibili : *Quoniam dignos*, etc. ; quarto, providentia futurorum : *Et in omni providentia.*

16. *Cogitare quoque de illa* ; quasi dicat : Non solum vigilanti, et quærenti datur; *sed et cogitare de illa*, non simplici cogitatione, sed affectiva ; unde Glossa : « divinæ contemplationis. » [4] « Beatus vir qui in sapientia morabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. » *Sensus est consummatus*, id est perfectus, quia sapientia perficit sensum hominis : quia, secundum Hugonem de Sancto Victore, sapientia est in qua perfecti boni forma consistit. Vel : *Cogitare de illa sensus est consummatus*, id est, tunc perfecte sensus ordinatus, cum studet sapientiæ, secundum illud Augustini [5] : « Finis hominis in via, perfecte quærere veritatem. » *Et qui vigilaverit* ; Glossa : « In intentione mentis propter illam acquirendam vel custodiendam, *cito erit securus*, scilicet a malo ; quia ejus adeptio est vera securitas, secundum Glossam [6] : « Qui cavet laqueos, securus erit. » Hæc est bona securitas, de qua [7] : « Secura mens, quasi juge convivium. »

17. *Quoniam dignos se ;* quasi : Bene dixi, quod cito erit securus : *Quoniam dignos se ipsa*, scilicet mundos corde et corpore ; unde [8] : « In malevolam animam non introibit sapientia, » etc. *Circuit quærens*, id est, ex omni parte continue se offerens, et indesinenter : quæ indesinentia et continuatio datur intelligi per hoc, quod dicit : *Circuit*; motus enim rectus non sic potest continuari, sicut circularis. Sic circuibat sapientia incarnata, ut patet [9]. *Et in viis suis*, scilicet præceptis et consiliis observatis, de quibus [10] : « Viæ ejus viæ pulchræ, et semitæ illius pacificæ. » *Ostendet se illis*, secundum illud Psalmi [11] : « A mandatis tuis intellexi. » *Hilariter*, eos lætificando, scilicet de hoc, quod ipsa gratis se dat eis [12] : « Hilarem datorem diligit Deus ; » sic etiam homo : unde Seneca : « Quantum addis moræ, tantum subtrahis gratiæ. » *Et in omni providentia*, de futuris, perfecte eis providendo necessaria ad salutem : *occurret illis* ; Glossa : « Adjutrix, » sicut sapientia incarnata resurgens [13] occurrit mulieribus.

18. *Initium*, etc. Hic tanguntur gradus gloriæ per sapientiam acquirendæ. Et primo tangit initium ; secundo, profectum, ibi : *Cura ergo*, etc. ; tertio, consummationem : *Custoditio autem legum*, etc. ; quarto, consummationis finem : *Concupiscentia igitur*, etc. Gradus ergo primus, id est, initium sapientiæ, concupiscentia disciplinæ ; ex concupiscentia disciplinæ, dilectio ; ex dilectione, custodia legis Dei ; ex custodia divinæ legis, incurruptio mentis, et proximitas divinæ similitudinis ; ex divina similitudine, gloria regni cœlestis : ergo a primo, ex concupiscentia sapientiæ, habetur gloria cœlestis, hoc est quod vult dicere : *Initium enim illius*, scilicet sapientiæ, etc. ; quasi dicat : Ita occurrit, et ostendit se sapientia.

[1] *Eccli.*, VI, 20. — [2] *Apoc.*, III, 20. — [3] *Prov.*, VIII, 34. — [4] *Eccli.*, XIV, 22. — [5] Aug., *contr. Academ.*, lib. I, c. III. — [6] *Prov.*, XI, 15. — [7] *Prov.*, XV, 15. — [8] *Sap.*, I, 4. — [9] *Marc.*, VI, 6. — [10] *Prov.*, III, 17. — [11] *Psal.* CXVIII, 10. — [12] II *Cor.*, IX, 7. — [13] *Matth.*, XXVIII, 9.

(*a*) *Suppl.* solet. — (*b*) Vulg. *ergo*.

Nec est inutilis ejus ostensio, et occursus: *Enim*, quia; *initium illius*, scilicet per quod homo incipit fieri sapiens: « Nemo repente fit summus, » ut dicit Glossa; *est verissima disciplinæ*, id est, sapientiæ, *concupiscentia*. De hac concupiscentia dicitur in Psalmo [1]: « Concupivit anima mea desiderare, » etc. Concupiscentia enim sapientiæ est aliqua pars sapientiæ, secundum illud [2]: « Si dilexeris audire, sapiens eris. » Sed videtur quod timor, non amor, sit sapientiæ initium, quia dicitur [3]: « Initium sapientiæ timor Domini. » Dicendum, quod timor est initium primum, sed amor proximum; vel timor initium extrinsecum, amor initium intrinsecum. Verissima autem concupiscentia dicitur hic contra triplicem vanam concupiscentiam, de qua dicitur [4]: « Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, » etc., quæ est ex triplici vanitate, de qua [5]: « Vanitas vanitatum, » etc. *Cura ergo;* quasi dicat: Ex quo ita est, quod concupiscentia disciplinæ est initium sapientiæ, *ergo cura disciplinæ*, id est, concupiscentia disciplinæ, *est dilectio*, id est, causa dilectionis ipsius sapientiæ: quod enim concupiscimus, diligimus cum habemus. Et nota, quod idem vocat sapientiam et disciplinam; quod idem sunt in re, licet differant ratione: quia sapientia dicitur, in quantum mentem (*a*) interius delectabiliter afficit; disciplina, in quantum actiones exteriores ordinat et disponit. Vel sic: Concupiscentia, etc., est dilectio, id est, causa dilectionis divinæ, infra [6]: « Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. » [7] « Quod si extra disciplinam estis, ergo non filii, sed adulteri estis. » *Et dilectio, custodia legum illius*, id est, causa custoditionis [8]: « Plenitudo legis est dilectio, » id est, causa impletionis divinæ legis. [9] « Finis præcepti est charitas. » *Legum*, scilicet naturalis, mosaicæ, et evangelicæ, de quibus [10]: « Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. »

19. *Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis*, id est, causa consummatæ incorruptionis spiritualis, scilicet tam mentis, quam corporis in præsenti, vel incorruptionis, id est, immortalitatis in futuro secundum glossam. [11] « Custodi legem meam atque consilium meum, et erit vita animæ tuæ. »

20. *Incorruptio autem facit esse proximum Deo*; unde de virginibus cantatur, quod [12] « sequuntur agnum, quodcumque ierit. »

21. *Concupiscentia itaque* (*b*) *sapientiæ*, quæ est ejus initium, *deducet ad regnum perpetuum*. Glossa: « Quod est in cognitione divinitatis; » secundum illud [13]: « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, » etc.

22. *Si ergo delectamini*, etc., quasi dicat: « Ex quo dat regnum perpetuum, » *ergo si delectamini in sedibus et sceptris*; Glossa: « Reges admonet diligere sapientiam, sine qua regnare non possunt: » tunc enim bene regitur Respublica, cum philosophi regnant, et reges philosophantur. Merito ergo rectores Ecclesiæ assidui sint in divinæ legis meditatione: qui enim eam discendo, docendo, operando sequitur, regni cœlestis coronam assequetur. *Si ergo delectamini in sedibus* judiciariæ potestatis, *et in sceptris* regiæ dignitatis, secundum illud [14]: « Amant primas cathedras, » etc. Alia littera habet: *in sensibus*, quoad discretionem, *et in schematibus*, quoad dignitatem. *Si delectamini*, inquam, o reges populi, id est, rectores majores, et prælati, tam sæculares, quam ecclesiastici, *diligite sapientiam*, *ut in perpetuum regnetis*. [15] « Per me reges regnant. »

23. *Diligite lumen sapientiæ*, ad illuminationem animarum; infra [16]: « Luci com-

[1] *Psal.* CXVIII, 20. — [2] *Eccli.*, VI, 34. — [3] *Eccli.*, I, 16. — [4] I *Joan.*, II, 16. — [5] *Eccle.*, I, 1. — [6] *Sap.*, VII, 28. — [7] *Hebr.*, XII, 8. — [8] *Rom.*, XIII, 10. — [9] I *Tim.*, I, 5. — [10] *Isa.*, XXIV, 5. — [11] *Prov.*, III, 21. — [12] *Apoc.*, XIV, 1. — [13] *Joan.*, XVII, — [14] *Matth.*, XXIII, 6. — [15] *Prov.*, VIII, 15. — [16] *Sap.*, VII, 29.

(*a*) *Edit. Ven.* mente. — (*b*) Edit. Ven. *utique*.

parata invenitur prior ; » quia illuminat spiritualia, quod majus est quam illuminare corporalia. *Omnes qui præestis populis*, etc., id est, vos etiam, minores principes et prælati.

24. *Quid est autem*, etc., Hic ultimo se promittit docere sapientiam : et primo tangit doctrinæ manifestationem; secundo, docendi fidelitatem : *Et ponam in lucem*, etc.; tertio, audiendi utilitatem : *Multitudo autem*, etc.; quarto, subjungit suam ad audiendum exhortationem : *Ergo accipite*, etc.

Quid autem est sapientia ; quasi dicat : Invitamini vos ad sapientiam; et ut acquiescatis, *referam*, etc. Vel sic continuandum : Hucusque monui ad sapientiam; *autem*, pro *sed*, amodo *referam quid est sapientia*, etc. Ecce magna promissio [1] : « Abscondita enim est ab oculis omnium viventium. » Verumtamen revelatione Spiritus sancti nosci potest, *quid est*, inquam, *sapientia* increata, id est, qualis : de ipsa enim non potest sciri, scilicet secundum essentiam quid sit, nec dici; sed qualis, quoniam bona, æterna, omnipotens, etc. De sapientia vero creata sciri potest, et dici quid sit. Unde Augustinus : « Sapientia est cognitio rerum divinarum. » *Et qualiter, et quemadmodum facta sit*, id est, qualiter genita de Patre, scilicet æterna sapientia, quæ est Dei Filius [2] : « Christum Dei virtutem et sapientiam. » *Vel quemadmodum facta*, id est creata, si exponatur de creata [3] : « Primo omnium creata est sapientia. » Item [4] : « Ab initio et ante sæcula creata sum, » id est, disposita creari. *Et non abscondam a vobis sacramentum Dei*, id est, sacra et secreta opera sapientiæ Dei. Contra [5] : « Sacramentum regis abscondere bonum est. » Dicendum, quod tentatoribus debet abscondi, amatoribus debet revelari. Unde [6] : « Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. » Item, abscondenda superbis sapientibus, sed revelanda parvulis humilibus. Unde [7] : « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, » id est, humilibus. Item, non gulosis, sed abstinentibus, ut patet [8]. *Sed ab initio nativitatis*, id est, humanæ, vel ipsius sapientiæ, *investigabo*, ostendendo ipsam a Deo Patre procedere. *Et ponam in lucem*, scilicet manifestationis, *scientiam illius*, clare docendo [9] : « Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. » *Et non præteribo veritatem*, falsa admiscendo [10] : « Ante omnia opera verbum verax præcedat te. » Augustinus : « Bonorum ingeniorum insignis indoles est, in verbis verum amare, non verba. »

25. *Neque cum invidia tabescente*, id est, tabescere faciente [11] : « Putredo ossium invidia ; » item in Psalmo [12] : « Peccator videbit, et irascetur ; dentibus suis fremet, et tabescet : » *iter habeo*, quia pessima est socia, devorat enim hominem sicut fera [13] : « Fera pessima comedit eum : bestia devoravit Joseph. » Talis erat Moyses, id est, non invidus; dicebat enim [14] : « Quis mihi tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis spiritum suum? » *Quoniam talis homo*, scilicet invidus, *non erit particeps sapientiæ*; unde supra [15] : « In malevolam animam, » etc. [16] « Homini livido, » id est, invido, « ad quid aurum ? » id est, sapientia, quæ aurum appellatur propter suam pretiositatem [17] : « Pretiosior est enim cunctis opibus. »

26. *Multitudo autem*, etc.; quasi : Et debetis audire ; *autem*, pro *quia ; multitudo sapientium*, Glossa : « cœtus prædicatorum, » *sanitas est orbis terrarum*, id est causa sanitatis [18] :« Ubi non est gubernator, populus corruet ; salus autem ubi multa concilia. » Qui ergo obviat sapientium multiplicationi vel multitudini, obviat orbis saluti : et ideo talis debet esse odio toti orbi.

[1] *Job*, XXVIII, 21. — [2] I *Cor.*, I, 24. — [3] *Eccli.*, I, 4. — [4] *Eccli.*, XXIV, 14. — [5] *Tob.*, XII, 7.— [6] *Joan.*, XV, 15. — [7] *Matth.*, XI, 25. — [8] *Dan.*, I, 17. — [9] *Eccli.*, XXIV, 31. — [10] *Eccli.*, XXXVII, 20. — [11] *Prov.*, XIV, 36. — [12] *Psal.* CXI, 10. — [13] *Gen.*, XXXVII, 33. — [14] *Num.*, XI, 29. — [15] *Sap.*, I, 4. — [16] *Eccli.*, XIV, 3. — [17] *Prov.*, III, 15. — [18] *Prov.*, XI, 14.

Tales erant, de quibus dicit Apostolus infra [1] : « Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur. » *Et rex sapiens populi stabilimentum est :* [2] « Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus stabilis sensati erit. » Hoc autem maxime competit Christo, in cujus persona dicitur [3] : « Salus populi (*a*) ego sum. » Et quia ita utilis est sapientia, (v. 27) *ergo accipite disciplinam*, id est, sapientiam, *per sermones meos :* excitative, sive occasionaliter; sed per inspirationem divinam effective et causaliter. Unde [4] : « Omnis sapientia a Domino Deo est. » *Et proderit vobis*, quia dicitur [5] : « Verba sapientum, quasi stimuli, » scilicet provocando ad bonum, « et quasi clavi in altum defixi, » præservando a casu in malum.

CAPUT VII.

1. *Sum quidem et ego,* etc. Supra monuit rectores ad acquirendam sapientiam, et amandam, per rationem sumptam ex periculo officii sui; hic exemplo sui. Et primo ostendit, qualiter sapientiam acceperit, scilicet in isto capite; secundo, quantum eam amaverit, scilicet capite VIII; tertio, quantum devote eam a Domino quæsierit, scilicet capite IX. In parte prima, ut ad propositum descendat, primo humanæ fragilitatis miseriam describit; secundo ostendit, quod hæc occasio ipsum ad acquirendam sapientiam provocavit : *Propter hoc optavi,* etc.; tertio ostendit, a quo edoctus fuerit : *Mihi autem,* etc. In prima, primo tangit naturæ humanæ defectibilitatem; secundo, conceptionis humanæ vilitatem : *Et in ventre,* etc.; tertio nativitatis conditionem : *Et ego,* etc.; quarto educationis laborem : *In involumentis,* etc.; quinto, miseriæ communitatem : *Nemo enim,* etc.

Sum quidem, etc. Ita monui vos accipere disciplinam sapientiæ per sermones meos : et hoc potestis non solum per sermones meos, sed etiam exemplo meo, quia *et ego sum* quidem, hoc est certe, *mortalis homo,* sicut vos; *mortalis,* inquam, id est, potens mori ex prima conditione, sed necesse habens mori ex prima transgressione : homo enim, secundum Boetium [6], est animal rationale, mortale. Item [7] : « Corpus quidem mortuum est propter peccatum, » id est, necessitati moriendi addictum. *Similis hominibus* aliis in hac conditione mortalitatis [8] : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. » *Et ex genere terreno illius,* scilicet Adæ prævaricatoris, *qui prior factus est*, de terra scilicet. Unde [9] : « Formavit Deus hominem de limo terræ. » Item [10] : « Primus homo de terra terrenus. Qualis terrenus, tales et terreni. » *Et in ventre matris figuratus sum caro.* Secundum enim Augustinum [11], primis sex diebus semen est quasi lac; reliquis novem, convertitur in sanguinem : reliquis duodecim figuratur in carnem; reliquis octodecim formatur in corpus organicum : et tunc anima circa quadragesimum et quintum vel sextum diem infunditur corpori. Toto vero reliquo tempore post animæ infusionem, corpus vegetatur et augetur.

2. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine hominis* : secundum physicos, ut dicit Glossa, mulieris sanguinolentum est semen, viri candidum : ex quorum commixtione, unius tanquam passivi, et alterius tanquam activi fit coagulatio [12] : « Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? » Hæc autem coagulatio fit in prima parte decem mensium : ipsa vero tota mora formationis tempus est novem mensium. Unde [13] : « Miserere mei, fili, quæ te novem mensibus portavi. » Ratio : sicut dicit Glossa, quidam nascitur mense septimo, quidam octavo, quidam nono; sed qui in decimo, perfectiores et sanitativi esse dicun-

[1] I *Thess.*, II, 15. — [2] *Eccli.*, X, 1. — [3] *Psal.* XXXIV, 3. — [4] *Eccli.*, I, 1. — [5] *Eccle.*, XII, 11. — [6] Boet., *Prædicab.*, c. *Diffin.* — [7] *Rom.*, VIII, 8. — [8] II *Reg.*, XIV, 14. — [9] *Gen.*, II, 7. — [10] I *Cor.*, XV, 47, 48. — [11] Aug., *Enchirid.*, c. LXXXVI; *de Trinit.*, lib. IV, c. V, lib. LXXXIII *Quæst.*, q. LVI. — [12] *Job*, X, 10. — [13] *Mach.*, VII, 27.

(*a*) *Vulg.* tua.

tur. Christus autem, secundum Glossam, fuit in utero matris novem mensibus, et sex diebus. Unde quod ait, *decem mensium*, synecdochice accipitur : fuit enim ab octavo kalendas Aprilis, usque ad octavum kalendas Januarii. *Et delectamento somnii conveniente, vel convenientis*, id est actu delectabili communis dormitionis viri cum muliere. Hæc autem delectatio comparatur delectationi somnii, quia rationem ligat, et cito transit, sicut delectatio somnii.

3. *Et ego natus accepi communem aerem*, ad necessitatem respirationis [1] : « Similiter spirant omnia. » *Et similiter decidi de ventre* matris, *in terram factam*, scilicet a Deo; et hoc, quantum ad necessitatem vitæ, et sustentationis. *Et primam vocem similem omnibus*, scilicet nascentibus, *emisi plorans*. Dicit Augustinus quod puer a ploratu suo incipit esse propheta suæ calamitatis. Solum autem quando natus est, ferunt, id est, dicunt, risisse Zoroastrem regem Bactrianorum. Solus enim Joannes Baptista contra legem nascentium nativitatem suam lætitia et exultatione prævenit [2] : « Exultavit in gaudio infans in utero meo. »

4. *In involumentis*, scilicet pannorum, nutritus sum [3] : « Pannis eum involvit. » *Et curis magnis* [4] : « Triennio lac dedi, et in hanc ætatem perduxi. »

5. *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*, quia in naturalibus non est differentia inter reges et subditos, sed in bonis fortunæ.

6. *Unus ergo est introitus ad vitam*, scilicet per temporalem nativitatem ita vilem, ut dictum est; *et similis exitus*, scilicet per mortem ita asperam, sicut describitur *Ecclesiastæ* (*a*) ultimo. Item : *unus est introitus*, scilicet per pauperem nativitatem; *et similis exitus*, scilicet per mortem pauperrimam [5] : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.» [6] « Miserabilis prorsus infirmitas : quomodo venit, sic revertetur. »

7. *Propter hoc optavi*, etc. Hic ostendit, quod hæc occasio ad acquirendam sapientiam eum provocavit. Et primo tangit sapientiæ optatæ adeptionem; secundo, adeptæ æstimationem : *Præposui illam*, etc.; tertio, æstimatæ dilectionem : *Super salutem*, etc.; quarto, habitæ et dilectæ communicationem : *Quam sine fictione didici*, etc.

Propter hoc, id est, propter dictarum miseriarum considerationem, pulsatus, *optavi*, scilicet sapientiam ; *et datus est mihi sensus*, id est, sapientia [7] : « Desiderium suum justis dabitur. » *Et invocavi*; Glossa : « Dominum : » [8] « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. *Et venit in me*, invocantem, *spiritus sapientiæ*, secundum illud Psalmi [9] : «Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Item [10] : « In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ. »

8. *Et præposui illam*, in æstimatione valoris, *regnis*, id est, dignitatibus regum; *et sedibus*, id est, dignitatibus judicis. Et merito, quia dicit [11] : « Per me reges regnant. » *Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius* [12] : « Pretiosior est cunctis opibus : » quid enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?

9. *Nec comparavi illi*, id est, ejus pretio vel virtuti, *lapidem pretiosum*; in Psalmo [13] : « Dilexi mandata tua super aurum et topazion. » Item [14] : « Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel saphyro; non adæquabitur ei topazius de Æthyopia. » *Quoniam*, etc. ; quasi dicat : Et merito, quia *omne aurum*, id est, totum aurum quod est id mundo, *in comparatione illius*, *arena est*, id est terra infructuosa. Bernardus : « Quid est aurum, nisi terra rubra? » *Exigua*, id est, parvi ponderis [15] : « Non dabitur aurum obrizum

[1] *Eccle.*, III, 19. — [2] *Luc.*, I, 44. — [3] *Luc.*, II, 7. — [4] II *Mach.*, VII, 27. — [5] *Job*, I, 21. — [6] *Eccle.*, V, 15. — [7] *Prov.*, V, 24. — [8] *Jacob.*, I, 5. — [9] *Psal.* CXVIII, 131. — [10] *Eccli.*, XV, 5. — [11] *Prov.*, VIII, 15. — [12] *Prov.*, III, 15; XVII, 16. — [13] *Psal.* CXVIII, 127. — [14] *Job*, XXVIII, 19. — [15] Ibid., 15.

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiastici*.

pro ea. » *Et tanquam lutum*, id est, nullius valoris, *æstimabitur argentum in conspectu illius*[1] « Non appendetur (*a*) argentum in commutatione (*b*) illius. »[2] « Melior est acquisitio illius negotiatione auri, et argenti, » etc. Luto vero comparatur argentum, quia inquinat manus et animum [3] : « Usquequo aggravat contra se densum lutum? » Notandum, quod sapientia præponitur argento et auro, et omni mundano thesauro : primo, ratione originis, quia mundanus thesaurus est de terra [4] : « Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur; » ima terra, secundum beatum Bernardum. « Sapientia autem de cœlo est, » ut patet. [5] Secundo, ratione naturæ : quia thesaurus mundanus est res corporalis ; sapientia vero, res spiritualis. Unde [6] : « Requiescet super eum spiritus sapientiæ, » etc. Tertio, ratione virtutis, quia thesaurus finitus ; sapientia vero infinita est : unde infra, hoc eodem capite [7] : « Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. » Quarto, ratione operationis : quia thesaurus pauca potest efficere ; sed hæc, scilicet sapientia, omnia. Unde infra [8] : « Quid locupletius sapientia, » quæ omnia operatur? Quinto, ratione æstimationis : quia thesaurus cadit sub æstimatione ; illa non [9] : « Non confertur (*c*) tinctis Indiæ coloribus, » etc. Sexto, ratione utilitatis : quia sapientia sine divitiis prodest, divitiæ vero sine sapientia non prosunt, sed nocent. Unde [10] : « Divitiæ conservatæ in malum domini sui. » Septimo, ratione durationis : quia sapientia clara est, et quæ non marcescit; divitiæ vero corrumpuntur. Unde [11] : « Divitiæ vestræ putrefactæ sunt. » Item [12] : « Dives in itineribus suis marcescet. » Octavo, ratione inclinationis : quia sapientia, cum sit desursum, sursum elevat : sed aurum et argentum deorsum trahunt, scilicet ad terram; unde [13] : « Qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. »

10. *Super salutem*, etc. Hic ostendit sapientiæ æstimatæ dilectionem. Et primo ostendit hujus dilectionis magnitudinem, secundo rationem : *Venerunt mihi*, etc.

Super salutem ; Glossa : corporis, scilicet inferiorem (*d*)[14] : « Quia vana salus hominis; » *et speciem*, Glossa : « Rerum corporalium, » scilicet exteriorem pulchritudinem, quia [15] « fallax gratia, et vana est pulchritudo ; » *dilexi eam*, scilicet sapientiam : quia quanto spiritus melior corpore, et magis chare diligendus ; tanto magis spiritualia meliora sunt corporalibus, et magis diligenda. Et in tantum dilexi eam, quod *proposui pro luce habere illam*; quæ, inquam, lux, est pulcherrimum, et delectabilissimum, et optimum inter corporalia, secundum Augustinum. Sic sapientia inter spiritualia lux est animæ [16] : « In sapientia ejus luxit anima mea, et ignorantias meas illuminavit (*e*). » Infra [17] : « Speciosior est sole. » Sequitur : *Quoniam inextinguibile est lumen ejus*, scilicet quantum est de se; infra [18] : « Luci comparata, invenitur prior; illi enim succedit nox. »

11. *Venerunt mihi omnia bona*, scilicet gratiarum intra me absolute, *pariter cum illa*, scilicet cum sapientia increata, id est, Filio Dei. Unde [19] : « Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit? » Glossa : « Quicumque Christi percipit notitiam, omnium virtutum pariter habet gratiam, et in futuro vitam æternam. » Vel *cum illa*, id est, cum sapientia creata, quia ipsa est perfectissimum donorum. Hoc etiam expertus est Salomon, cui petenti sapientiam, Dominus addidit divitias et gloriam. *Et innumerabilis honestas*, exterius

[1] *Job*, XXIII, 15. — [2] *Prov.*, III, 14. — [3] *Habac.*, II, 6. — [4] *Job*, XXVIII, 1. — [5] *Jacob.*, III, 15. — [6] *Isa.*, XI, 2. — [7] Infra, 14. — [8] *Sap.*, VIII, 5. — [9] *Job*, XXVIII, 19. — [10] *Eccli.*, V, 12. — [11] *Jacob.*, V, 2. — [12] *Jacob.*, I, 11. — [13] *Baruc.*, III, 18. — [14] *Psal.* LIX, 13. — [15] *Prov.*, XXXI, 30. — [16] *Eccli.*, LI, 26. — [17] *Sap.*, VII, 29. — [18] Ibid., — [19] *Rom.*, VIII, 32. — (*a*) *Edit. Ven.* apprehendetur. — (*b*) *Edit. Vat.* communicatione. — (*c*) *Vulg.* conferetur. — (*d*) *Edit. Ven.* interiorem. — (*e*) *Vulg.* manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi.

in comparatione ad illos, *per manus*, id est, opera, *illius*, supple, venit mihi. Unde infra [1] : « Honestavit illum in laboribus, » etc.

12. *Et lætatus sum*, id est, lætitia repletus, *in omnibus*, scilicet sapientiæ donis [2] : « Lætatum est cor meum in ea. » *Quoniam antecedebat me ista sapientia*, dirigendo gressus meos [3] : « Suscipit exquirentes se, et præibit in via justitiæ. » Hæc est columna ignis et nubis præcedens filios Israel per noctem, et diem. *Et ignorabam*, scilicet antequam haberem eam ; Glossa : « Processu meditationis intelligit se tantum profecisse, ut priorem scientiam posteriori comparando, ignorantiam putet. » *Ignorabam*, inquam, *quoniam horum omnium*, scilicet bonorum, *mater est* [4] : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, » etc. Item : « In me omnis gratia, » etc.

13. *Quam sine fictione*, etc. Hic primo tangitur liberalitas communicationis sapientiæ; secundo, ratio communicandi: *Infinitus enim thesaurus*, etc.

Quam (*a*) *sine fictione*, id est, toto corde, *didici*, sciens quod « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, » supra [5]. Item [6] : « Si quæsieris illam, » etc. *Et sine invidia communico*, scilicet utilia non subtrahendo, supra [7] : « Neque cum invidia tabescente iter habebo. » Item [8] : « Deriventur fontes tui foras. » *Et honestatem illius*, id est, pulchritudinem, *non abscondam*, verbis obscuris velando [9] : « Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus. [10] » « Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? »

14. *Infinitus enim thesaurus est in illa hominibus*. Unde et inexhaustibilis est per communicationem : et ideo dicitur quod scientia est nobilis thesaurus animæ, quæ distributa recipit incrementum, et avarum dedignatur possessorem, nisi publicetur. Unde Augustinus : « Omne bonum, quod dando non deficit, si habetur, et non datur, nondum habetur qualiter habendum est. » [11] « Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. » *Quo*, scilicet thesauro sapientiæ, *qui usi sunt*, secundum illam se regendo, *Participes facti sunt amicitiæ Dei*. Unde infra : *Amicos Dei, et prophetas constituit propter disciplinæ*, id est, sapientiæ, *dona*, quæ habent non per suam industriam, sed Spiritus sancti distributionem, secundum illud [12] : «Hæc omnia,» scilicet dona gratiarum, « operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.» *Commendati*, id est, commendabiles effecti, scilicet Deo, et hominibus. [13] « Non enim, qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. »

15. *Mihi autem dedit Deus*, etc. Hic ostendit, a quo sapientiam didicerit. Et primo ostendit quis eum docuit; secundo, qualia docuit : *Ipse enim mihi*, etc.; tertio, per quod medium ipsum docuit : *Omnium enim artifex*, etc.

Mihi autem, etc. Bene dixi : *Quo qui usi sunt*, etc. : ego autem usus sum : *autem*, pro *quia* : *mihi dedit Deus dicere*, id est non tantum scire, sed etiam docere [14] : « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est, verbo ; » *dicere*, inquam, *ex sententia* et diffinitione firma [15] : « Labium veritatis firmum erit in perpetuum. » [16] « Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium, » id est firmam sententiam. *Et præsumere*. Notandum, quod est præsumptio arrogantiæ, de qua [17] : « Præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes, humilias; » et præsumptio confidentiæ de virtute divina et misericordia, de qua ibidem [18] : « Ideo non derelinquis præsumentes de te, » etc. Item : « Exaudi me miseram de tua misericordia præsumentem. » *Et præsumere*, id est

[1] *Sap.*, x, 10. — [2] *Eccli.*, li, 20. — [3] *Eccli.*, iv, 12. — [4] *Eccli.*, xxiv, 24, 25. — [5] *Sap.*, i, 5. — [6] *Prov.*, ii, 4. — [7] *Sap.*, vi, 25. — [8] *Prov.*, v, 26. — [9] *Eccli.*, iv, 28. — [10] Ibid., xx, 23. — [11] Ibid., i, 21. — [12] I *Cor.*, xii, 11. — [13] II *Cor.*, x, 18. — [14] *Isa.*, x, 4. — [15] *Prov.*, xii, 19. — [16] *Psal.* xxxvi, 30. — [17] *Judith*, vi, 1. — [18] *Judith*, ix, 17.

(*a*) Edit. Ven. *Quoniam*.

confidenter agere, *digna,* scilicet opera, *horum, quæ mihi dantur,* id est, facere opera strenua et decentia, secundum dona mihi collata : cui enim plus committitur, plus ab eo requiretur. *Quoniam ipse,* scilicet, Deus, *sapientiæ dux est*; Glossa : « id est auctor : » [1] « Omnis sapientia a Domino Deo est. » Item dator[2] : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, » etc. *Et sapientium emendator,* id est, corrector [3] : « Ego, quos amo, arguo, » etc., scilicet si eos errare in aliquo contingat :

[4] Quandoque bonus dormitat Homerus.

Item Augustinus : « Errare potero, hæreticus nunquam ero. »

16. *In manu enim illius*, etc. Bene dixi, quod dux est et emendator sapientium; *in manu enim illius ;* Glossa : id est, in potestate ; » *et nos*, qui sapientiam habemus [5] : « Sicut lutum in manu figuli : sic et vos in manu mea. » Item [6] : « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini ; » *et sermones nostri* [7] : « Hominis est præparare animum ; Domini, gubernare linguam : » [8] « Non estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, » etc; *et omnis sapientia,* quæ scilicet est cognitio rerum divinarum, et operum scilicet humanorum; *et scientiæ disciplina* [9] : « Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine. »

17. *Ipse enim mihi dedit,* etc. Hic ostendit, quæ et qualia docuit eum Deus : et primo docuit eum scientiam rerum temporalium causarum ; secundo temporalium transmutationum, etc. : *Initium et consummationem*; tertio , temporalium effectuum : *Naturas animalium*, etc.

Ipse enim, scilicet Deus, qui solus corda docet, secundum illud Augustini [10] : « Cathedram habet in cœlo, qui corda docet, » *dedit mihi horum quæ sunt*, id est, rerum existentium, quia de non existentibus non est scientia : unde dicit Philosophus [11] : « Quod non est, non est scire. Unumquodque enim sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem, » sicut ipse dicit. *Scientiam veram*, id est, cognitionem certam, et nulli falsitati permixtam [12] : « Dedit Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis. » *Ut sciam dispositionem orbis terrarum*, id est, cœli ambientis mundum [13] : « Gyrum cœli circuivi sola ; » *Et virtutes elementorum,* id est qualitates, et speciales rationes, et connexiones, et contemperantias elementorum [14] : « Quando præparabat cœlos, aderam ; quando certa lege et gyro vallabat abyssos. »

18. *Initium et medietatem et consummationem temporum*, scilicet quatuor temporum seu partium genera, quia causantur per motum solis secundum quatuor quadras Zodiaci. *Vicissitudinum permutationes,* successionem dierum et noctium, quibus qualitas aeris permutatur, scilicet a claritate in obscuritatem, et e contrario. *Et consummationem temporum*, id est, mensium tam solarium quam lunarium. Aliqui addunt hic : *morum mutationes et divisiones temporum : Morum mutationes*, id est, humanarum consuetudinum, secundum diversos status hominum ; *divisiones temporum*, id est, ætatum mundi, vel hominis. (v. 19) *Anni cursus* (*a*), id est, tempus causatum a motu solis totum per Zodiacum [15] : « Ut sint in signa, et tempora, et dies, et annos. » *Stellarum*, scilicet aliarum a sole, *dispositiones* quoad qualitates noctium; in Psalmo [16] : « Lunam et stellas in potestatem (*b*) noctis. » (v. 20) *Naturas animalium*, scilicet mitium ; *et iras bestiarum*, id est, motus ferocium animalium, ut leonis (*c*), et hujusmodi. Et notandum, quod dicit *naturas animalium, et iras bestiarum*, quantum ad sensibiles substantias. Deinde subdit, quantum ad res inanimatas, *vim ventorum*, qui sunt duodecim, quatuor

[1] *Eccli.*, I, 1. — [2] *Jacob.*, I, 5. — [3] *Apoc.*, III, 19. — [4] Horat., *de Arte poet.* — [5] *Jerem.*, XVIII, 6. — [6] *Prov.*, XXI, 1. — [7] *Prov.*, XVI, 1. — [8] *Matth.*, X, 20. — [9] *Isa.*, XXVI, 12. — [10] Aug., *de Discipl. Christ.*, c. III. — [11] Arist., *Poster.*, lib. II, c. IV, text. 32 ; *Metaph.*, lib. II, text. 4. — [12] III *Reg.*, IV, 29. — [13] *Eccli.*, XXIV, 8. — [14] *Prov.*, VIII, 27. — [15] *Gen.*, I, 14. — [16] *Psal.* CXXXV, 9. — (*a*) Edit. Ven. *cursum.* — (*b*) *Item* potestate. — (*c*) *Item* et.

principales, et octo collaterales; et sunt magnæ virtutis, ut patet in libro *Job* [1], et in desiccatione maris [2], et in multis aliis locis. *Et cogitationes hominum.* Contra : Solus Deus novit corda hominum; unde [3] : « Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus (*a*), qui in ipso est? » quasi dicat : Nullus, nisi Deus. Dicendum, quod hic loquitur de scientia conjecturæ, vel certitudinis : vel dicendum quod per sapientiæ revelationem sciri possunt ab homine, non per naturam, vel propriam industriam. *Differentias virgultorum*, id est plantarum; *virtutes radicum*, scilicet herbarum [4] : « Disputavit de omnibus lignis a cedro Libani usque ad hyssopum, » etc. (v. 21) *Et quæcumque sunt abscondita vel absconsa* a suis causis, *et improvisa hominibus, didici* [5] : « Lustravi universa in animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam. » *Omnium enim artifex*, etc. Hic ostendit, quod per medium edoctus est, scilicet per Sapientiam increatam, a Patre genitam; et quod docere potuit, scivit et voluit, primo ostendit per Spiritum sanctum, qui est ab illa; secundo per naturam et virtutem, quæ est in illa : *Omnibus enim mobilibus*, etc. In prima primo tangit Spiritus sancti ab increata sapientia processionem; secundo, effectum ejus in nobis multiplicem : *Sanctus, multiplex*, etc.; tertio, ejus in natura propria bonitatem : *Incoinquinatus*; quarto, ejus sufficientiam universalem : *Omnium habens virtutem.* Effectum ejus in nobis tangit quadruplicem, scilicet : emendationem culpæ, cum dicit : *Sanctus;* multiplicationem gratiæ, cum dicit : *Multiplex*; unitatem concordiæ, cum dicit : *Unicus;* subtilitatem intelligentiæ, cum dicit : *Subtilis :* exteriorem triplicem, scilicet : modestiam, cum dicit : *Modestus*; eloquentiam, cum dicit : *Disertus;* obedientiam, cum dicit : *Mobilis*, etc. *Omnium artifex*, scilicet superiorum, mediorum, et inferiorum, scilicet Deus, *docuit me sapientia*, id est, per sapientiam; Glossa : « Quia per ipsum cognitio veritatis datur : » quia exterius potest docere homo, sed non interius. Unde Gregorius : « Nisi intus sit qui doceat, exterius in vacuum doctoris lingua laborat. » (v. 22) *Est enim in illa*, etc.; quasi dicat : Et bene potuit me docere. *Est enim in illa*, scilicet in sapientia, *spiritus*, etc., in ipsa scilicet secundum humanitatem habitando [6] : « Requiescet super eum spiritus Domini; » in ipsa secundum divinitatem ab ea emanando : *Spiritus*, inquam, dator intellectus [7] : « Inspiratio Omnipotentis det intelligentiam. » *Sanctus*; Glossa : « Sanctificans omnia; » supra [8] : « Spiritus sanctus disciplinæ, » etc. *Multiplex;* Glossa : « Multiplices gratias dans : » [9] « Divisiones gratiarum sunt, etc. : hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. » *Unicus;* Glossa : « vivens bonus : » [10] « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » *Subtilis*, id est, faciens penetrare occulta [11] : « Spiritus scrutatur omnia, » id est, scrutari facit, « etiam profunda Dei. » Item *subtilis*, id est, subtilitatem vel perspicacitatem intelligentiæ præbens; unde vocatur [12] « spiritus intellectus. » *Modestus*, id est, modos tenere docens in omnibus [13] : « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. » *Disertus*, id est, disertos faciens, infra [14] : « Linguas infantium fecit disertas. » *Mobilis*, id est, mobiles faciens per obedientiam [15] : « Quocumque ibat spiritus, pariter et rotæ elevabantur, sequentes eum : spiritus enim vitæ erat in rotis. » *Incoinquinatus*, etc.; hic describit bonitatem ejus in natura propria : et primo bonitatem absolutam in se; secundo, bonitatem in comparatione ad nos : *Amans bonum;* tertio, utriusque immutabilitatem : *Stabilis.* Bonitatem absolutam tangit in tribus, scilicet : in puritate,

[1] *Job*, I, 19. — [2] *Exod.*, XIV, 21. — [3] I *Cor.*, II, 11. — [4] III *Reg.*, IV, 33. — [5] *Eccle.*, VII, 26. — [6] *Isa.*, XI, 2. — [7] *Job*, XXXII, 8. — [8] *Sap.*, I, 5. — [9] I *Cor.*, XII, 4, 11. — [10] *Ephes.*, IV, 3. — [11] I *Cor.*, II, 10. — [12] *Isa.*, XI, 2. — [13] *Philip.*, IV, 5. — [14] *Sap.*, X, 21. — [15] *Ezech.*, I, 20.

(*a*) Dixit Apostolus : *Spiritus hominis*, minime vero *Spiritus* ille qui est Deus. Non habent igitur verba Apostoli sensum, quem eis tribuit noster.

cum dicit: *Incoinquinatus;* in veritate: *Certus;* in tranquillitate, cum dicit: *Suavis.* Dicit ergo: *Incoinquinatus*; Glossa: « Id est, sine macula; » unde et maculas mundat in baptismo [1]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu. » Item [2]: « Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, » etc. *Certus*; Glossa: « Nec fallit nec fallitur; » unde dicitur [3]: « Spiritus veritatis. » *Suavis*, id est, tranquillus, nihil habens asperitatis; Glossa: « Mitis, et misericors: » [4] « O quam bonus et suavis est Spiritus tuus in nobis, Domine! » *Amans bonum*, etc.: hic ostendit bonitatem ejus in comparatione ad nos: primo, in boni dilectione; secundo, in ejus promotione: *Quem nihil* (*a*), etc.; tertio, in sui communicatione, vel communione: *Humanus*; quarto, in suorum communicatione, quia *benignus*, etc. Dicit ergo: *Amans bonum* actum [5]: « Non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. » *Quia nihil vetat benefacere* (*b*), imo juvat [6]: « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. » [7] « Noli prohibere benefacere, » etc. (v. 23) *Humanus;* Glossa: « communis omnibus. » [8] « In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus. » Vel *humanus*, id est, compatiens, cujus signum est, quod dicitur [9] « Spiritus postulet (*c*) pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » Vel *humanus*, id est, in hominibus libenter habitans [10]: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » *Benignus*, id est, liberalis innata benignitate, supra [11]: « Benignus est spiritus sapientiæ, » etc. Item *benignus*, mala remittendo, bona dando, ad patriam dirigendo. Unde benignitas dicitur esse [12] « fructus spiritus. » *Stabilis*, scilicet in se, secundum illud [13]: « Stabilisque manens, » etc.; item *stabilis*, in donis promissis. Nec mirum si hic dicatur *stabilis*, et supra eodem *mobilis*, quia sic (*d*) dicitur quantum ad diversos effectus, de quibus in Psalmo [14]: « Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. » Vel *mobilis*, in aliis sanctis; unde [15]: « Super quem videris Spiritum manentem. » Vel sic: *stabilis* in bonis; *certus*, id est constans, in vero; *securus* a malo, secundum illud Psalmi [16]: « Non accedet ad te malum. » Et sicut in se stabilis est et certus, sic et quos inhabitat, stabiles facit in bono, certos in vero, securos a malo [17]: « In fide fundati, stabiles, et immobiles a spe Evangelii. » *Omnem habens virtutem:* hic ostendit ejus sufficientiam universalem: primo, in bonitate; secundo, in sapientia: *Omnia prospiciens;* tertio, in potestate: *Qui capiat omnes spiritus intelligibiles.* Dicit ergo: *Omnem habens virtutem;* unde [18]: « Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Sed contra: Quia non habet fidem, cum fides sit ænigmatica cognitio, et virtus imperfecta. Dicendum quod loquitur de omni virtute non qualibet, sed perfecta. *Omnia prospiciens* [19]: « Super omnes cœlos considerat, et lumen ejus super omnes terminos terræ. » Item [20]: « Omnia nuda et aperta oculis ejus. » *Et qui capiat omnes spiritus*, scilicet angelicos, quia intra ipsum currunt, quocumque mittantur, secundum Bedam super illud [21]: « Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum. » Spiritus autem dicuntur angeli quantum ad suam substantiam et naturam: *Intelligibiles*, quantum ad suam potentiam, vel quia corporibus per naturam non unibiles. Vel *capiat*, id est, capere faciat *omnes spiritus*, id est, omnia dona Spiritus, scilicet de quibus [22]: « Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ et intellectus, » etc. *Mundos*, scilicet per innocentiæ puritatem: sunt enim angeli, secundum Dionysium, specula pura et clarissima: et addit *mundos*, ad differentiam spirituum immundorum, id est, dæmonum; *subtiles*, per intelligentiæ perspicacitatem, vel *subtiles* per

[1] *Joan.*, III, 3. — [2] *Tit.*, III, 5. — [3] *Joan.*, XVI, 13. — [4] *Sap.*, XII, 1. — [5] I *Cor.*, XIII, 6. — [6] *Rom.*, VIII, 26. — [7] *Prov.*, III, 27. — [8] *Act.*, X, 34. — [9] *Rom.*, VIII, 26. — [10] *Prov.*, VIII, 31. — [11] *Sap.*, I, 6. — [12] *Gal.*, V, 22. — [13] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, metr. 9. — [14] *Psal.* XXX, 3. — [15] *Joan.*, I, 33. — [16] *Psal.* XC, 10. — [17] *Coloss.*, I, 23. — [18] *Psal.* XXXII, 6. — [19] *Job*, XXXVII, 8. — [20] *Hebr.*, IV, 13. — [21] *Luc.*, I, 19. — [22] *Isa.*, XI, 2.

(*a*) Vulg. *quem.* — (*b*) Item *benefaciens.* — (*c*) *Vulg.* postulat. — (*d*) *Cæt. edit.* qua hic.

sapientiam. Gregorius [1] : « Quid est hoc quod non videant, qui videntem omnia, vident? » Aliqui libri (*a*) habent, *mundus, subtilis;* mundus est spiritus intelligentiæ, quia sine materiæ fæculentia; subtilis, quia pura forma. Sed prima littera verior est, quia ita habet Rabanus in textu, et in expositione. Vel *mundus* dicitur spiritus, scilicet quia lavat a peccatis præteritis, et præservat a futuris; vel quia in præsenti purgat a culpa, in futuro a pœna: *incoinquinatus*, quia nec in se, nec ab alio immunditiam contrahere potest : *subtilis*, quia omnia penetrat, vel quia in nobis operatur subtilitatem affectus quoad donum sapientiæ, et intellectus quoad donum intelligentiæ.

24. *Omnibus enim mobilibus*, etc. Hic ostendit, quod sapientia per naturam et virtutem, quæ est in ea, potuit esse medium, quo edoctus est. Et ad hoc ostendendum, primo allegat ejus mobilitatem; secundo, ejus puritatem : *Attingit autem*, etc.; tertio, ejus potestatem. *Et cum sit una*, etc.; quarto, ejus speciositatem. *Est quidem speciosior*, etc.

Bene dixi, quod in illa est *spiritus*, etc.: *omnibus enim mobilibus*, quocumque genere motus, scilicet sive in substantia, sive in qualitate, sive in quantitate, sive in loco, *mobilior est sapientia*, id est, velocior in operando. Glossa : « Nihil subtilius et mobilius sapientia, quæ omnia creavit, regit, et ordinat; mobilior, inquam, non quia moveatur, sed quia omnia movet, immobilis manens, secundum illud Boetii [2] :

Stabilisque manens das cuncta moveri.

Item [3] : « In ipso vivimus, movemur, et sumus. » *Attingit autem*, etc.; hic ostendit ejus puritatem : primo, per hoc quod a purissimo fonte procedit, vel emanat; secundo, quia fontis claritatem in se repræsentat : *Candor autem*, etc. Ita dixi, quod *omnibus mobilibus*, etc.; nec solum (*autem* pro *sed*); sed quod plus est, *attingit ubique*, id est, a fine supremæ creaturæ, usque ad extremam creaturam. Ambrosius [4] : « Usque ad locustam divina sapientia penetravit. » Sed contra [5] : « Abyssus dicit : Non est in me; mare loquitur : Non est mecum. » Respondetur imo, quod ibi loquitur non de creaturis, sed de creaturarum vitiis. Vel melius dicendum, quod Deus non est in aquis vel mari per continentiam, cum a nullo possit contineri; sed est per præsentiam, secundum illud Psalmi [6] : « Si ascendero in cœlum, etc.; si descendero in infernum, ades. » *Propter suam munditiam*, id est, abstractionem ab omni materiæ fæculentia : quia enim est omnino immobilis, ideo est incircumscriptibilis, secundum Damascenum [7].

25. *Vapor est enim virtutis Dei*, id est, a Deo Patre emanans, sicut vapor a calore; Glossa : « Id est, ad calefaciendum frigus infidelitatis nostræ. » [8] « Quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam. » *Et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei*, id est, emanans a Deo Patre, ut splendor a luce, scilicet ad illuminandum tenebras intellectus nostri [9] : « Qui cum sit splendor gloriæ, » etc. [10] «Donec egrediatur, ut splendor, justus ejus. » *Sincera*, sine admixtione tenebræ [11] : « Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. » Iste autem processus est sine diminutione paternæ substantiæ, vel separatione; sed cum personali distinctione, secundum illud Athanasii [12] : « Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. » Et quia sicut lux procedit, quæ contaminari non potest, *ideo nihil inquinatum*, inquinatione scilicet culpabili, vel etiam naturali, *incurrit in illam*, scilicet sapientiam increatam. Glossa : « Summo bono non appropinquat malum. » Et vere *nihil inquinatum incurrit in illam :*

[1] Greg., *Dial.*, lib. IV, c. XXXIII, in fine. — [2] Boet., *de Consol. philos.*, metr. 9. — [3] *Act.*, XVII, 28. — [4] Ambros., *in Hexaem.*, lib. V, c. XXIII. — [5] *Job*, XXVIII, 14. — [6] *Psal.* CXXXVIII, 8. — [7] Damasc., *de Fide Orthod.*, lib. I, c. VIII. — [8] *Eccli.*, XXIV, 21. — [9] *Hebr.*, I, 2. — [10] *Isa.*, LXII, 1. — [11] I *Joan.*, I, 5. — [12] Athan., vel potius Virgil. Taps., Symbol. *Quicumque.*

(*a*) Ita quidem Vulgata.

Candor enim est lucis æternæ, id est, lux purissima de luce æterna, scilicet a Patre procedens. Unde cantatur : « Lux de luce apparuisti, Christe. » In ista luce lux æterna videtur, secundum illud Psalmi [1] : « In lumine tuo videbimus lumen. » Item [2] : « Qui videt me, videt et Patrem. »

26. *Est ergo candor lucis æternæ*, quantum ad repræsentationem sapientiæ ; *et speculum sine macula majestatis Dei*, quoad repræsentationem divinæ majestatis et potentiæ, secundum illud [3] : « Quæcumque enim ille, » scilicet Pater, « fecerit, hæc et Filius similiter facit. » *Sine macula*, inquam, peccati, quia [4] « peccatum non fecit, » etc. *Et imago bonitatis illius* ; Glossa : « Et plena representatio bonitatis ejus : » [5] « Quæ (*a*) est imago Dei invisibilis. » Notandum quod speculum est Dei Filius immaculatum actu et potentia. Speculum etiam est Angelus, secundum Dionysium, purum et clarissimum, licet immaculatum actu, maculatum tamen potentia, saltem remota. Speculum etiam est spiritus humanus, in quo relucet imago divina, maculatum actu et potentia. Speculum etiam dicitur omnis creatura, quia per eam, tanquam per ejus vestigium, repræsentantur Dei invisibilia [6] : « Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur. » [7] « Videmus nunc per speculum in ænigmate. » Speculum etiam est sacra Scriptura [8] : « Hic comparabitur (*b*) viro consideranti vultum nativitatis (*c*) suæ in speculo. »

Speculum.

27. *Et cum sit una*, scilicet in essentia cum Patre, secundum illud [9] : « Ego et Pater unum sumus, » *omnia potest*, id est, eamdem potentiam habet cum Patre. Unde infra [10] : « Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. » Sed si omnia potest, ergo potest mentiri, vel mori : quod falsum est. Dicendum, quod omnia potest, quæ bonitati suæ non repugnant, vel quæ posse, est potentia aliqua, non impotentia. *Et in se permanens*, scilicet invariabilis, secundum illud [11] : « Apud quem non est transmutatio, » etc.; *omnia innovat*, scilicet temporalia per continuam generationem [12] : « Generatio præterit, generatio advenit; » et spiritualia per spiritualem regenerationem [13] : « Si qua in Christo nova creatura est, vetera transierunt. » [14] « Ecce nova facio omnia. » *Et per nationes* ; carnales, vel potius spirituales, de quibus [15] : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, » etc. *In animas sanctas*, id est, a peccato mundus se transfert per spiritualem adventum gratiæ in mentem [16] : « Ad eum veniemus, » etc. Notandum autem, quod transferre se dicitur non per novum situm, vel mutando locum, sed per novum effectum. Unde sequitur : *Amicos Dei*, per inflammationem affectus, *et prophetas constituit*, per illuminationem intellectus [17] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos ; quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. »

28. *Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*, permanendo scilicet cum illo [18] : « Qui in lege Domini meditabuntur die ac nocte, » secundum Glossam [19] « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. » Et si Deus neminem diligit, nisi qui cum sapientia inhabitat [20] : « Beatus ergo vir, qui in sapientia morabitur. » *Neminem diligit Deus*, etc. Contra infra [21] : « Diligis omnia, quæ sunt : » et tamen non omnia cum sapientia inhabitant. Sed dicendum, quod ibi loquitur de dilectione naturali, hic de gratuita.

29. *Est enim hæc speciosior*, etc., hic agit de sapientiæ speciositate : præferendo eam speciositati solis. Et primo ponit compara-

[1] *Psal.* XXXV, 10. — [2] *Joan.*, XIV, 9. — [3] *Joan.*, V, 19. — [4] I *Petr.*, II, 22. — [5] *Coloss.*, I, 15. — [6] *Rom.*, I, 20. — [7] I *Cor.*, XIII, 12. — [8] *Jacob.*, I, 23. — [9] *Joan.*, X, 30. — [10] *Sap.*, XVIII, 15. — [11] *Jacob.*, I, 17. — [12] *Eccle.*, I, 4. — [13] II *Cor.*, V, 17. — [14] *Apoc.*, XXI, 5. — [15] *Joan.*, III, 3. — [16] *Joan.*, XIV, 23. — [17] *Joan.*, XV, 15. — [18] *Psal.* I, 1. — [19] *Prov.*, VIII, 12. — [20] *Eccli.*, XIV, 22. — [21] *Sap.*, XI, 25.

(*a*) *Vulg.* qui. — (*b*) *Edit. Ven.* comparatur. — (*c*) *Item* scilicet.

tionem ; secundo comparationis probationem : *Illi enim succedit nox*, etc.

Bene dixi, quod eum diligit Deus, qui cum sapientia inhabitat, et merito : *est enim hæc*, scilicet sapientia, *speciosior sole*, quia pulchritudo spiritualis præfertur corporali, supra, eodem : « Super salutem et speciem dilexi eam.» *Sole*, scilicet materiali, quia est pulchritudo Solis justitiæ, de quo [1] : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. » *Et super omnem stellarum dispositionem speciosior est*, repetendum : ipsa enim stellas fecit, et constans est; et plus de pulchritudine sibi retinuit, quam stellis dederit : ideo supra [2] : « Quam pulchra est casta generatio cum claritate, » scilicet sapientiæ. *Luci comparata*, scilicet tam solis, quam stellarum, *invenitur prior*, scilicet æternitate, dignitate, causalitate [3] : « Ego feci ut oriretur in cœlo lumen indeficiens ; » Glossa : « Lux corporalis, quæ modo occidit, modo oritur, luci spirituali comparata, scintilla videtur. » Christus quoque sanctorum claritatem longe transcendit.

30. *Illi enim*, scilicet luci corporali, *succedit nox*, secundum illud [4] : « Nox et dies non requiescent. » [5] « Venit mane et nox; » sed luci spirituali non succedit nox. Unde sequitur : *Sapientiam autem*, quæ est lux spiritualis, *non vincit* malitia, quæ est tenebra spiritualis, secundum Joannem Damascenum. Unde [6] : « Lux in tenebris lucet. »

CAPUT VIII.

1. *Attingit ergo*, etc. Ostenso qualiter sapientiam acquisierit, hic ostenditur quantum ipsam amaverit; et hic ostendit ex tribus : primo, ex desiderio habendi; secundo, ex proposito acquirendi : *Proposui ergo*, etc. ; tertio ex studio inveniendi : *Hic cogitans*, etc. In prima ostendit desiderium habendi causatum in se : primo, ex ejus valore absoluto; secundo, ex ejus valore comparato : *Et si divitiæ*, etc. Valorem absolutum ostendit primo ex ejus virtute; secundo ex ejus formositate : *Hanc amavi*, etc.; tertio ex ejus nobilitate : *Generositatem*, etc.; quarto ex ejus utilitate : *Doctrix est enim*, etc.

Ergo quia talis est sapientia, ut dictum est; *attingit*, contactu virtuali, non corporali, secundum illud [7] : « Quorum Deus tetigerit corda, » *A fine usque ad finem* : Glossa : « Ab æterno in æternum; » vel a principio mundi usque ad adventum Christi [8] : « Finis legis Christus, » etc. *Fortiter* : Glossa : « quia Dei virtus est : » [9] « Christum Dei virtutem, et sapientiam. » *Et disponit omnia*, scilicet suprema, media et infima, *suaviter* : Glossa : « quia Dei sapientia est. » *Fortiter disponit omnia* per justitiam, et *suaviter* per misericordiam. Psalmista [10] : « Universæ viæ Domini misericordia, et veritas, » scilicet justitiæ. Item [11] : « Misericordia Dei ab æterno, et usque in æternum, etc.; et justitia illius in filios filiorum, » etc. Nota, quod Sapientia, id est, Dei Filius, attingit fortiter ea quæ in cœlo, superbum diabolum cum suis sociis excellendo [12] : « Prudentia ejus percussit superbum. » [13] « Peccasti ei, o Cherub; » ea quæ in mundo, mundi principem superando et ejiciendo [14] : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; » ea, quæ in inferno, spolia inferni auferendo, secundum Glossam [15] : « Tu autem in sanguine tuo eduxisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. » Disponit autem suaviter ea quæ in cœlo, angelos stantes in gratia confirmando, in Psalmo [16] : « Verbo Domini cœli firmati sunt; » quæ in mundo, genus humanum proprio sanguine redimendo [17] : « Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, etc., sed pretioso sanguine, » etc.; quæ in inferno, sanctorum animas de limbo educendo, secundum illud [18] :

[1] *Malach.*, IV, 2. — [2] *Sap.*, IV, 4. — [3] *Eccli.*, XXIV, 6. — [4] *Gen.*, VIII, 22. — [5] *Isa.*, XXI, 12. — [6] *Joan.*, I, 5. — [7] I *Reg.*, X, 26. — [8] *Rom.*, X, 4. — [9] I *Cor.*, I, 24. — [10] *Psal.* XXIV, 10. — [11] *Psal.* CII, 17. — [12] *Job*, XXVI, 12. — [13] *Ezech.*, XXVIII, 16. — [14] *Joan.*, XII, 31. — [15] *Zach.*, IX, 11. — [16] *Psal.* XXXII, 6. — [17] I *Petr.*, I, 18. — [18] *Zach.*, IX, 11.

« Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, » etc. Item in Psalmo [1] : « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, » etc. Vel sic : cum sapientia increata sit media in Trinitate persona, potest dici, quod *attingit a fine usque ad finem,* id est a Patre usque ad Spiritum sanctum, scilicet per identitatem substantiæ, ita quod non intelligatur distantia localis, sed distinctio personalis ; *fortiter,* quoad Patrem, cui attribuitur potentia; *et disponit omnia suaviter,* quoad Spiritum sanctum, cui attribuitur benignitas. Vel *attingit a fine usque ad finem,* id est, a divinitate usque ad humanitatem, scilicet in incarnatione, in qua una summis unita sunt; *fortiter*, quia per potentiam infinitam, in Psalmo [2] : « Excita potentiam tuam, et veni : » Glossa : « tu ipse in carnem; » *et disposuit omnia suaviter,* in redemptionis humanæ procreatione [3] : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde : » mitis fuit in natura humanitatis assumptæ, est enim homo animal natura mansuetum, ratione discretum, statura erectum; in conversatione, unde Joannes Baptista quadam die videns eum ambulantem, ait [4] : « Ecce Agnus Dei, » etc.; in prædicatione [5] : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; » in peccatorum dimissione [6] : « Vade, et amplius noli peccare; » item [7] : « Dimittite, et dimittetur vobis; » in passione, unde [8] : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, » etc.; item [9] : « Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam. » Sequitur (v. 2) : *Hanc,* scilicet sapientiam, quia tantæ virtutis est, *amavi*, scilicet affectu cordis, unde supra [10] : « Super salutem et speciem dilexi sapientiam ; » *Et exquisivi*, id est, extra quæsivi effectu boni operis, secundum illud [11] : « Non diligamus lingua, neque verbo, sed opere et veritate; » *A juventute mea,* quasi dicat : in flore ætatis meæ [12] : « Qui mane, » scilicet juventutis, « vigilaverint ad me, invenient me. » Ideo [13] : « Fili, a juventute tua excipe doctrinam. » *Et quæsivi,* scilicet studio lectionis et orationis [14] : « Quærite, et invenietis; » *sponsam mihi assumere*; sponsam dicit ratione amoris [15] : « Dic sapientiæ : Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam (*a*) ; » item ratione delectationis [16] : « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. » Ratione inseparabilitatis : non enim [17] sponsam licet dimittere, nisi causa fornicationis; sed hoc in sapientia locum non habet [18] : « Nihil enim inquinatum incurrit in illam, » supra. Ratione generationis [19] : « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. » *Et amator factus sum formæ illius,* id est pulchritudinis sapientiæ. Et hoc perseverantia et ferventis dilectionis ardore (*b*), eam quasi in habitum convertendo : [20] « Quid bonum, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? » id est, nisi sapientia, quæ reficit affectum, et castificat vel purificat intellectum a corruptione erroris.

Homo.

3. *Generositatem,* etc. : ita amavi sapientiam, etc., merito, quia sapientia increata, *habens contubernium,* id est, consortium et cohabitationem *Dei*, Glossa : « Patris, » quia est ei coæterna [21] : «Ego in Patre, et Pater in me est; » item [22] : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. » *Glorificat generositatem illius*, id est repræsentat generositatem Patris, secundum Glossam : « Ipse enim Filius Dei in se Patris gloriam repræsentat, » quia est « splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, » ut habetur [23]. Item, secundum aliam litteram [4] : « Gloria patris filius sapiens. » Item ejus gloriam mundo manifestat, unde [5] : « Ego gloriam meam non quæro, sed honorifico, » etc. *Sed et*

[1] *Psal.* LXVII, 19. — [2] *Psal.* LXIX, 3. — [3] *Matth.*, XI, 29. — [4] *Joan.*, I, 29. — [5] *Matth.*, XI, 28. — [6] *Joan.*, VIII, 11. — [7] *Luc.*, VI, 37. — [8] *Isa.*, LIII, 7. — [9] *Jer.*, XI, 19. — [10] *Sap.*, VII, 10. — [11] I *Joan.*, III, 18. — [12] *Prov.*, VIII, 17. — [13] *Eccli.*, VI, 18. — [14] *Luc.*, XI, 9. — [15] *Prov.*, VII, 4. — [16] *Prov.*, V, 18. — [17] *Matth.*, XIX, 9. — [18] *Sap.*, VII, 25. — [19] *Eccli.*, XXII, 26. — [20] *Zach.*, III, 17. — [21] *Joan.*, XIV, 30. — [22] *Joan.*, I, 1. — [23] *Hebr.*, I, 2. — [24] *Prov.*, X, 1. — [25] *Joan.*, VIII, 49.

(*a*) *Edit. Ven.* meam. — (*b*) *Cæt. edit.* amore.

omnium Dominus, scilicet Pater, de quo [1] : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, » etc., *dilexit illam* [2] : « Pater diligit Filium. » Et merito (v. 4) : *Doctrix enim est disciplinæ Dei* [3] : « Homo adinvenit omnem viam disciplinæ, » etc. Disciplina duplex est, scilicet factorum, et verborum; unde [4] : « Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit. » Propter hoc dicit : *Doctrix*, etc., scilicet verbis. Et nota, quod disciplina Dei est fides formata, quæ facit discipulos Dei [5] : « Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, » id est, fideles. *Et electrix operum illius*, id est, disciplinæ, quæ est in factis. *Et electrix operum illius*, id est, eligere docens opera disciplinæ fidei [6] : « Fides enim sine operibus mortua est. »

5. *Et si divitiæ appetuntur*; hic ostendit desiderium causatum ex sapientiæ valore comparato; et primo, in comparatione ad pecuniam, quæ est perfectio fortunæ ; secundo, in comparatione ad industriam, quæ est perfectio naturæ : *Si autem sensus*, etc.; tertio, in comparatione ad virtutem, quæ est perfectio gratiæ : *Et si justitiam*, etc.; quarto, in comparatione ad scientiam, quæ est perfectio intelligentiæ : *Et si multitudinem*, etc.

Et si divitiæ appetuntur, quamvis appetendæ non essent [7] : « Qui enim volunt divites fieri, incident in tentationem et in laqueum diaboli; » item in Psalmo [8] : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. » *In vita*, scilicet præsenti, pro ejus sustentatione et sufficientia. *Quid sapientia locupletius, quæ omnia operatur?* [9] « Pater meus usque modo operatur, et ego operor; » *ego*, scilicet sapientia increata; nec potest esse pauper, quia omnia operatur; sic enim est facere argentum, et aurum, et hujusmodi. Ideo dicit [0] : « Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes supernæ. » Augustinus : « Nimis dives est christiana religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere. » (v. 6). *Si autem sensus*, id est naturalis, vel acquisita industria, *operatur*, quia ars imitatur naturam in operando, secundum Philosophum [11]; *Quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?* quasi dicat : Nullus. Unde in Psalmo [12] : « Omnia in sapientia fecisti. » Unde sapientia replevit Dominus Beseleel, ut sciret facere (*a*) opera tabernaculi, ut habetur [13].

7. *Et si justitiam quis diligit*, scilicet generalem, id est, humanæ vitæ rectitudinem, de qua supra [14] : « Diligite justitiam, » etc. : *Laboris hujus*, scilicet sapientiæ, quibus pro ipsa habenda laboratur; et dicit *Labores* pluraliter, quia pro ipsa habenda oportet multum laborare [15] : « In laboribus plurimis. » *Magnas virtutes habent*, id est, acquirunt. Glossa : « Nihil iners, nihil desidiosum in operibus ejus. » *Scribentem enim*, etc. Glossa quatuor virtutes principales ponit : *sobrietatem*, id est, temperantiam, in cavendo superfluum malum, infra [16] : « Deducet me in operibus meis sobrie; » et *sapientiam*, in discernendo et diligendo bonum; *justitiam*, in reddendo debitum; *virtutem*, id est, fortitudinem, cui magis convenit nomen virtutis, quasi vi tuentis in sustinendo difficile, et aggrediendo arduum. De iis tribus [17] : « Mea est æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; » Glossa : « Has virtutes nullus habuit, nisi qui omnium virtutum origo, Deus contulit quocumque tempore, quacumque lege, quacumque gente [18] : « Quidam tamen speciem pietatis habentes, virtutem ignoraverunt (*b*). » Sed numquid philosophi virtutem habuerunt? Et videtur, quod sic, quia secundum Philosophum [19], habetur per acquisitionem. Dicendum quod non habue-

[1] *Psal.* II, 7. — [2] *Joan.*, V, 20. — [3] *Baruc.*, III, 37. — [4] *Psal.* XVII, 36. — [5] *Act.*, IX, 1. — [6] *Jac.*, II, 20. — [7] I *Tim.*, VI, 9. — [8] *Psal.* LXI, 11. — [9] *Joan.*, V, 17. — [10] *Prov.*, VIII, 18. — [11] Arist., *Phys.*, lib. II, text. 7. — [12] *Psal.* CIII, 24. — [13] *Exod.*, XXXI, 3. — [14] *Sap.*, I, 1. — [15] II *Cor.*, XI, 23. — [16] *Sap.*, IX, 11. — [17] *Prov.*, VIII, 14. — [18] II *Tim.*, III, 5. — [19] Arist., *Ethic.*, lib. II, c. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* fovere. — (*b*) *Vulg.* virtutem ejus abnegantes.

runt virtutes perfectas, sed imperfectas, quia sine merito, et informes; vel habuerunt eas a Deo per gratiam gratis datam, sed non per gratiam gratum facientem. *Quibus nihil est utilius in vita hominibus*, id est, in vita humana hominis ad hominem. Sed numquid theologicæ virtutes meliores non sunt et utiliores? Dicendum quod, sicut tactum est, loquitur in vita humana hominis in comparatione ad hominem, non ad Deum, quoniam præsupponit : i's autem nihil est utilius hominibus, quia proficiunt homini in agendo, et in patiendo: in agendo, quia per prudentiam est in agendo recta electio, per justitiam recta executio; in patiendo, quia per temperantiam recte nos habemus ad passiones mulcebres, per fortitudinem ad passiones tristabiles. Ideo dicit Glossa : « Qui temperans est, et (*a*) prudens, et fortis, et justus, quid illi deest? »

8. *Et si multitudinem scientiæ*, etc. Aliqui habent : *Et similitudinem scientiæ*; sed falsa est littera illa, quamvis præsens scientia hominis magis possit dici similitudo scientiæ, quam scientia, eo quod multæ dubietati et multæ ignorantiæ est permixta. *Si multitudinem*, inquam, *scientiæ*, scilicet speculativæ, *desiderat* quis, secundum illud Philosophi [1] : « Omnes homines scire desiderant: » *Scit præterita*, scilicet sapientia ipsa: *Et de futuris æstimat certitudinaliter*, cum tamen sint occulta ex conditione temporis; quia præterita jam transierunt, futura vero nondum evenerunt. *Scit*, inquam, *præterita*, etc.; unde per ipsam edoctus Moyses prophetavit de præteritis [2] : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Item de futuris [3] : « Prophetam suscitabit Dominus de gente tua, et de fratribus tuis. » *Et versutias sermonum*, id est, simplicium propositionum, ut ænigmatum obscuras astutias, nec tantum simplicium propositionum versutias, sed et compositarum. Unde sequitur: *Et dissolutiones argumentorum*, id est, rationum, quæ tamen latent ex perplexione humanæ callidiatis [4] : « Occulta proverbia exquiret, » scilicet sapiens, « et in absconditis parabolarum conversabitur. » Unde Christus, in quo erant thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, » in sermone capi non potuit, ut patet apud *Matthæum* [6]. Et Salomonem edoctum sapientia nullum verbum reginæ Saba latere potuit, ut patet in libro *Regum* [7]. *Signa*, scilicet minora, quæ præter naturam fiunt, *et monstra*, quæ contra naturæ communem cursum fiunt, *scit antequam fiant*, ita bene, sicut quando jam facta sunt. De iis duobus [8] : « Si (*b*) signa et prodigia videbitis, non creditis. » Hæc autem similiter occulta ratione naturalis difficultatis, quia miraculum, secundum Augustinum [9], est opus arduum et insolitum supra spem et facultatem admirantis. » *Et sæculorum*, id est sequentium, quæ eveniunt in æternitate et in futuro : hæc autem nosse non est hominis; unde [10] : « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate : » hæc autem occulta sunt ratione causæ latentis.

9. *Proposui ergo*, etc. Supra ostendit quantum amaret sapientiam, et hoc ex desiderio habendi; hic ex proposito acquirendi, et hoc propter bona, quæ ex ipsa (*c*) proveniunt: et primo propter bona pertinentia communiter ad utramque vitam; secundo, propter pertinentia ad vitam activam : *Habebo per hanc*, etc.; tertio, propter pertinentia specialiter ad contemplativam: *Intrans in domum*, etc.

Ergo, quia talis est, *proposui*, id est, firmiter in corde meo disposui, *hanc*, scilicet sapientiam divinam, non aliam adulterinam, ut poeticas disciplinas, quas vocat Boetius [11], *de Consolatione*, meretriculas, *adducere mihi*, non tantum alteri, contra illos qui tantum alios docent, se ipsos non docent,

[1] Arist., *Metaph.*, lib. I, c. I. — [2] *Gen.*, I, 1. — [3] *Deut.*, XVIII, 15. — [4] *Eccli.*, XXXIX, 3. — [5] *Coloss.*, II, 3. — [6] *Matth.*, XXII, 15. — [7] III *Reg.*, X, 3. — [8] *Joan*, IV, 48. — [9] Aug., *de Utilit. cred.*, c. XVI. — [10] *Act.*, I, 7. — [11] Boet., *de Consol.*, lib. I, c. I.

(*a*) *Cæt. edit.* temperans est prudens. — (*b*) *Vulg.* Nisi. — (*c*) *Edit. Ven.* ipso.

quos arguit Apostolus dicens [1] : « Qui alium doces, cur te ipsum non doces? » *Ad convivandum*, id est, ad reficiendum, scilicet affectum, non tantum ad illustrandum intellectum, sicut multi, qui nullo modo afficiuntur in sacra Scriptura [2] : « Videbis oculis tuis, et inde non comedes. » Item, *Ad convivandum*, dicit, id est, ad communiter et simul reficiendum, quia in bonis sapientiæ pascimur, et reficimur, unde [3] : « Comedite panem, et bibite vinum, quod miscui vobis : » et illa in bonis nostris, unde [4] : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Debemus ei ministrare primum ferculum, quasi de herbis confectum, de liliis honestatis [5] : « Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, » etc.; secundum, de carnalibus hœdinis, id est, detestationem omnis peccati et iniquitatis, tam carnalis, quam spiritualis : iis duobus hœdis libenter vescitur, sicut Isaac [6]; tertium, de piscibus assis patientiæ et tribulationis [7] : « Obtulerunt ei partem piscis assi; » ultimum, de fructu spiritus, id est, de operibus devotionis [8] : « Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. » *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis*, scilicet suis, hæc est invitatio symbolica [9] : « Cœnabo cum eo, et ipse mecum. » Et dicit *de bonis* pluraliter, quoniam, et de bonis præsentibus, et futuris. *Et erit allocutio;* Glossa : « id est, alleviatio; » *cogitationis*, id est, afflictionis in cogitando quoad intellectum, secundum illud [10] : « Frequens meditatio carnis est afflictio : » *Et tædii mei*, in operando, et hoc quantum ad affectum [11] : « Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. »

10. *Habebo*, etc. : hic tangit bona pertinentia ad vitam activam præcipue necessaria prælatis : et primo, quantum ad actum judicandi ; secundo, quantum ad actum loquendi : *Tacentem me*, etc.; tertio, quantum ad actum conversandi (*a*) : *Præterea habebo*, etc.; quarto, quantum ad actum regendi : *Disponam populos*, etc. Quantum ad actum judicandi tangit duo : primo, auctoritatem; secundo, discretionem : *Juvenis et acutus*, etc.

Habebo per hanc, scilicet sapientiam, quæ clara est, ut habetur supra [12]; *Claritatem*, scilicet famæ [13] : « Luceat lux vestra, » etc. [14] « Inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento, » etc. : *Ad turbas*, id est, ad minores; *et honorem*, scilicet reverentiæ; *apud seniores*, id est, quoad (*b*) majores [15] : « Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. » Ex iis duobus fit homo magnæ auctoritatis, scilicet ex fama minorum, et reverentia majorum. *Juvenis*, id est, fortis, et diligens investigando; (v. 11) *Et acutus*, id est, subtilis in penetrando et inveniendo ; *Inveniar in judicio*, Glossa : « Omnia secundum leges dijudicans; » talis fuit Daniel, ut patet [16]. Et supple, *ideo : In conspectu potentium*, id est, minorum prælatorum, *Admirabilis ero : et facies principum*, id es, majorum prælatorum, *mirabuntur me :* hoc ad litteram fuit verum de Salomone, ut patet [17], ubi dicitur, quod « regina Saba, audita fama Salomonis, » etc. « ait : Majorem sapientiam inveni, quam rumor, quem audivi. » Hoc etiam verum fuit de nostro Salvatore, unde [18] : « Audivit tetrarcha famam de Jesu ; et ait pueris suis, » etc. Hoc etiam verum est de perfecto sapiente [19] : « In medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur. »

12. *Tacentem me*, id est, quod doceam præmeditantem, in Psalmo [20] : « Os justi meditabitur sapientiam. » *Sustinebunt*, id est, in silentio expectabunt, non audentes loqui, secundum Glossam [21] : « Expectabant me, sicut pluviam, et aperiebant os suum, sicut ad imbrem serotinum. » *Et loquen-*

[1] *Rom.*, II, 21. — [2] IV *Reg.*, VII, 2. — [3] *Prov.*, IX, 5. — [4] *Prov.*, VIII, 31. — [5] *Cant.*, II, 16. — [6] *Gen.*, XXVII, 9. — [7] *Luc.*, XXIV, 42. — [8] *Cant.*, V, 1. — [9] *Apoc.*, I, 20. — [10] *Eccle.*, XII, 12. — [11] II *Cor.*, I, 8. — [12] *Sap.*, VI, 13. — [13] *Matth.*, V, 16. — [14] *Philip.*, II, 15. — [15] *Job.*, XXIX, 8. — [16] *Dan.*, XIII, 51. — [17] III *Reg.*, X, 5. — [18] *Matth.*, XIV, 1. — [19] *Eccli.*, XIV, 3. — [20] *Psal.* XXXVI, 30. — [21] *Job*, XXIX, 23.

(*a*) *Edit. Ven.* conservandi. — (*b*) *Item* quod.

tem, etc. Taciturnitatem recte præmisit locutioni, quia, secundum Hieronymum [1], « doctrina Pythagoræ erat tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui. » *Et loquentem me respicient*, scilicet diligenter, et hoc in signum attentionis [2] : « Intenti tacebant ad consilium meum. » *Et sermocinante me plura*, sed non superflua, sive multa, quia [3] « in multiloquio, » sive in superfluitate verborum, « non deerit peccatum. » Nota, quod pluralitatem continent duo, vel tria, sed non multitudinem. *Manus ori suo imponent;* Glossa : « Non audentes resistere mihi. » [4] « Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. »

13. *Præterea per hanc*, scilicet per sapientiam, *habebo immortalitatem*, scilicet gloriæ æternæ in cœlo [5] : « Lignum vitæ est iis, qui apprehendunt eam. » *Et memoriam*, Glossa : « meorum operum et virtutum, » *æternam*, id est, perpetuam, quandiu durabit mundus, *iis*, *qui post me futuri sunt, relinquam* [6] : « Memoria justi cum laudibus; » in Psalmo [7] : « In memoria æterna erit justus. »

14. *Disponam*, etc.: hic tanguntur bona per sapientiam habita, quoad actum regendi : et primo, respectu subditorum; secundo, respectu extraneorum : *Timebunt*, etc. Dicit ergo : *Disponam*, Glossa : « erudiam regendo scilicet, et gubernando : » *Populos*, legem habentes : populus enim est multitudo hominum sub una lege viventium, ut Judæi sub lege Moysi : *Et nationes*, id est, gentiles legem non habentes; et dicuntur nationes, quia non renati, sed in nativitatis præputio et vitio permanentes ; unde [8] : « Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. » Et [9] : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. » *Nationes*, inquam, *mihi erunt subditæ*, per obedientiam.

Populus.

15. *Timebunt me audientes reges horrendi*, id est, tyranni et impii. Unde omnes reges per circuitum [10] facti sunt tributarii Salomoni. Item [11] : « Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te. » *Et in multitudine*, scilicet fidelium; *Bonus videbor*, id est, benignus; *et in bello*, scilicet adversariorum, *fortis* : hæc omnia spiritualiter, secundum Glossam, impleta sunt in Christo, et de ipso exponi possunt, ut patet inspicienti Glossa.

16. *Intrans in domum meam*, id est conscientiam, scilicet redeundo de causa exteriori ad interiorem ; sicut discipuli post prædicationem ad Dominum sunt reversi cum gaudio, ut habetur [12]. Præmisit autem actionem contemplationi, ratione temporis, non ratione dignitatis, sicut [13] Lia ante Rachel. *Conquiescam cum illa*, id est simul quiescam in illa (*a*) mecum, vel in me. [14] « Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare (*b*), et illic lude, » etc. Bene dixi; *Conquiescam cum illa*, non enim habet amaritudinem exterioris turbationis. *Conversatio illius*, id est cohabitatio [15] : « Spiritus meus super mel dulcis. » *Nec tædium*, scilicet interioris afflictionis, *convictus illius* [16] : « Qui edunt me, adhuc esurient, » contra fastidium. Hæc duo, scilicet amaritudo exterioris turbationis, et tædium interioris afflictionis, repugnant quieti ; et ideo illa removet, subjungens duo apposita, cum dicit : *Sed lætitiam*, scilicet interiorem (*c*) : *et gaudium*, scilicet exterius [17] : « Jucunditatem atque gaudium dabit. » Item [18] : « Implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, » etc. [19] « Jucunditatem, et exultationem (*d*), » etc.

17. *Hæc cogitans*, etc. Hic tertio ostendit, quantum amaverit sapientiam, et hoc est studio quærendi eam. Et circa hoc primo ostendit diligentiam quærendi ; secundo, aptitudinem suscipiendi : *Puer autem eram;*

[1] Hieron., in *Eccli.*, c. III. — [2] *Job*, XXIX, 21. — [3] *Prov.*, X, 19. — [4] *Job*, XX, 7. — [5] *Prov.*, III, 18. [6] *Prov.*, X, 7. — [7] *Psal.* CXI, 7. — [8] *Psal.* XLVI, 4. — [9] *Isa.*, LV, 4. — [10] III *Reg.*, IX, 21. — [11] *Isa.*, LX, 14. — [12] *Luc.*, X, 17. — [13] *Gen.*, XXIX, 23. — [14] *Eccli.*, XXXII, 5. — [15] *Eccli.*, XXIV, 27. — [16] Ibid., 29. — [17] *Eccli.*, I, 18. — [18] *Isa.*, XI, 2. — [19] *Eccli.*, XV, 6.

(*a*) *Suppl.* et illa. — (*b*) *Cæt. edit.* advoca te. — (*c*) *Edit. Vat.* exterius ; *Edit. Ven.* exterior. — (*d*) *Cæt. edit.* jucunditate et exultatione.

tertio, fiduciam impetrandi : *Et ut scivi.* In prima ponit tres causas moventes ad quærendum scientiam : primo, effectum sapientiæ in corde ; secundo, effectum in opere : *Et in operibus ;* tertio, effectum in locutione : *Et in certamine loquelæ. Hæc*, scilicet præmissa, *cogitans apud me*, frequenter de his meditando : *et commemorans in corde meo,* scilicet frequenter (*a*) ea, ne obliviscar, in memoriam reducendo (*b*) : « animal enim [1] quod ruminat, et findit ungulam, » scilicet memorando et discernendo « mundum est ; » [2] « Maria conservabat omnia verba hæc, » etc, *Quoniam immortalis est*, scilicet per naturam, vel per effectum immortalitatis, quem confert ; supra, eodem : « Habebo per hanc, immortalitatem. » *In cognitione sapientiæ*, id est intellectu ; Glossa : « Quidquid de natura ejus cognoscitur, totum immortale, et semper vivere invenitur. » Infra [4] : « Scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis. » (v. 18) *Et in amicitia illius,* scilicet quando amatur, *delectatio bona*, scilicet in affectu. *Bona*, dicit contra delectationem peccati, quæ mala est, quia ducit ad æternum cruciatum, secundum illud Gregorii : « Momentaneum est, quod delectat ; æternum, quod cruciat. » Item Glossa : « Corporales deliciæ corpus gravant ; spirituales vero mentem relevant, et tanto magis esuriuntur, quanto magis comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. « Spirituales vero deliciæ augent desiderium, et quo magis sumuntur, eo avidius amantur. » *Et in operibus manuum illius*, id est in operibus bonis, quæ fiunt per manus illius, id est virtute et potentia ejus [5] : « Sine me nihil potestis facere. » *Honestas sine defectione*, id est, perfecta honestas : virtus enim, et opus virtutis, sunt de genere honesti. Infra [6] : « Honestavit illum in laboribus. » Item supra [7] : « Innumerabilis honestas per manus illius. » *Et in certamine loquelæ illius*, scilicet quæ est ad modum disputationis, in qua est quoddam certamen opponentis, et respondentis : *Sapientia*, id est, scientia, supple, acquiritur [8] : « Colluctata est anima mea cum illa. » *Et præclaritas*, id est, claræ virtutis evidentia ; *In communicatione sermonum illius,* qui scilicet communicantur per modum simplicis collationis [9] : « Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. » Item [10] : « Qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » *Circuibam* ; Glossa : « diligenter, et studiose ; » [11] « Surgam, et circuibo civitatem. » *Quærens*, scilicet sicut mulier de qua [12] : « Quæ lucernam accendit, et everrit (*c*) domum, quærens diligenter, donec inveniat. » *Ut illam mihi assumerem,* scilicet in sponsam. Unde supra, eodem [13] : *Quæsivi eam mihi sponsam assumere.* In prædicto textu tanguntur octo utilia prædicatori, vel doctori, circa sapientiam addiscendam, sive circa sapientiæ acquisitionem : cognitio de ea per investigationem ; commemoratio, per frequentationem ; delectatio, per amorem ; operatio, per impletionem ; concertatio, per disputationem ; communicatio, per collationem ; circuitio, per interrogationem ; assumptio, per incorporationem.

Prædicatori octo valde utilia.

19. *Puer autem eram*, etc. ; hic tangit aptitudinem suscipiendi : primo, ex parte naturalis industriæ : *Quia puer eram ingeniosus* ; secundo, ex parte gratiæ : *Quia animam bonam sortitus* ; tertio ex parte munditiæ : *Quia cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

Dicit ergo : *Puer eram ingeniosus.* Nota, quod loquitur in persona Salomonis. *Ingeniosus* per naturalem industriam [4] : « Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus. » *Et sortitus*, id est, sortem divinæ electionis adeptus [5] : « Cecidit sors super Matthiam. » *Animam bonam,*

[1] *Levit.*, XI, 4. — [2] *Luc.*, II, 19. — [3] *Sap.*, VIII, 13. — [4] *Sap.*, XV, 3. — [5] *Joan.*, XV, 5. — [6] *Sap.*, X, 10. — [7] *Sap.*, VII, 11. — [8] *Eccli.*, LI, 25. — [9] *Eccli.*, XXIV, 31. — [10] *Dan.*, XII, 3. — [11] *Cant.*, III, 2. — [12] *Luc.*, XV, 8. — [13] *Sap.*, VIII, 2. — [14] *Prov.*, XX, 11. — [15] *Act.*, I, 26.

(*a*) *Edit. Vat.* sequentia ; *Edit. Ven.* frequentia. — (*b*) *Cæt. edit.* redeundo. — (*c*) *Cæt. edit.* evertit.

scilicet per gratiam [1] : « Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris ejus. » (v. 20) *Et cum essem magis bonus*, scilicet ex gratia superaddita, quam essem prius ex industria naturali. *Accessi*, etc.; secundum enim Augustinum, bona temporalia sunt bona infima (*a*); naturalia, media; gratuita, summa. *Accessi*, inquam, mentis proposito et studio, *ad corpus incoinquinatum*, supple, habendum et conservandum per munditiam. Sed Glossa opponit, quod hoc de Salomone vix possit ad litteram intelligi, quia mulieres adamavit etiam alienigenas, ut patet [2]. Sed solutio patet per distinctionem temporum : in juventute enim dilexit munditiam, sed in senectute luxuriam. Melius tamen possunt hæc de Christo intelligi.

21. *Et ut scivi*, scilicet certissima cognitione fidei et rationis, *quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det :* [3] « Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, » etc.: continentia autem est donum perfectissimum [4] : « Non est digna ponderatio continentis animæ. » *Et hoc ipsum erat sapientiæ*, id est, quidam effectus sapientiæ in me scilicet, *scire cujus esset hoc donum*, supra (*b*), eodem : « Doctrix est disciplinæ Dei. » *Ut scivi*, inquam, etc., *adii Dominum*, intentione mentis, non passibus corporis, in Psalmo [6] : « Accedite ad eum, et illuminamini. » *Et deprecatus sum*, scilicet verbo orationis vocalis [7] : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. » *Et dixi ex totis præcordiis meis*, scilicet fervore devotionis, secundum illud [8] : « Sed et spiritu meo de mane in præcordiis vigilabo ad te. » In Psalmo [9] : « Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine. »

CAPUT IX.

1. *Deus patrum meorum*, etc. Postquam ostendit qualiter sapientiam accepit, et quantum acceptam amaverit; hic ostendit, quam devote eam a Deo petierit : et primo tangit petitionis formam; secundo, exauditionis rationem : *Tu autem elegisti*; tertio, petitionis finem : *Mitte illam*; quarto, finis difficultatem : *Quis enim*, etc. In prima parte decorem laudat; secundo, domum specificat : *Da mihi sedium*; tertio, se humiliat : *Quoniam servus*; quarto, indigentiam insinuat : *Et si quis*, etc. *Deus patrum meorum*, scilicet per gratiam electionis; *patrum*, scilicet antiquorum [10] : « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, » etc. Vel *Deus patrum meorum*, id est qui fecisti patres meos, et elegisti, et sanctificasti eos : *Domine misericordiæ*, id est, Domine misericors, ita quod sit intransitiva constructio; vel, *Domine misericordiæ* auctor (*c*), ita quod sit transitiva; in Psalmo [11] : « Miserator et misericors Dominus. » *Domine*, inquam, *misericordiæ* per effectum remissionis peccatorum et justificationis. Misericordia respicit miseriam [12] : « Miseros autem facit populos peccatum. » *Qui fecisti omnia*, scilicet per opus creationis, ut patet in Psalmo [13] : « Dixit, et facta sunt. » *Verbo tuo*, id est, per Filium tuum [14] : « In principio erat Verbum, » et post : « Omnia per ipsum facta sunt. »

2. *Et sapientia tua*, id est, eodem Filio tuo, secundum illud in Psalmo [15] : « Omnia in sapientia fecisti. » *Constituisti*, id est, ex partibus valde diversis composuisti, scilicet ex spiritu rationali et luto terrestri, *hominem :* [16] « Deus de terra creavit hominem. » Et nota, quod cætera dicit facta solo verbo, sed hominem sapientia, quasi opus nobilius, quia capax sapientiæ, tam creatæ, quam increatæ; et ideo, quasi opus majori excogitatione faciendum, propter quod Do-

[1] III *Reg.*, III, 3. — [2] III *Reg.*, XI, 1. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] *Eccli.*, XXVI, 20. — [5] *Sap.*, VIII, 4. — [6] *Psal.* XXXIII, 6. — [7] *Jac.*, I, 5. — [8] *Isa.*, XXVI, 9. — [9] *Psal.* CXVIII, 45. — [10] *Exod.*, III, 6. — [11] *Psal.* CX, 4. — [12] *Prov.*, XIV, 34. — [13] *Psal.* CXLVIII, 5. — [14] *Joan.*, I, 1, 3. — [15] *Psal.* CIII, 24. — [16] *Eccli.*, XVII, 1.

(*a*) *Edit. Ven.* infinita, *perperam.* — (*b*) *Cæt. edit.* super. — (*c*) *Cæt. edit.* actor.

minus, quasi deliberans, ait [1] : « Faciamus hominem ad imaginem, » etc. *Ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est*; creaturæ sed non spirituali, scilicet angelicæ, sed corporali, et hoc per potentiam [2] : « Dominamini piscibus maris. »

3. *Ut disponat orbem terrarum*, scilicet per sapientiam; est enim homo positus in hoc mundo, sicut rex in regno. *In æquitate*, id est, misericordia et justitia: hæc enim duo in disponendo jungi debent. Gregorius [3] : « Disciplina et misericordia conjungi debent; ita ut una cum altera semper teneatur. » *Et in directione cordis*, scilicet per bonitatem, et hoc per rectam ad Deum intentionem; in Psalmo [4] : « Confitebor tibi in directione cordis. » [5] « Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. » *Judicium judicet*, scilicet super subvertitos; nomine autem judicii simpliciter dicti, intelligit judicium verum, vel justum: sicut enim homo pictus, vel mortuus non est homo, sic injustum vel falsum judicium non est judicium.

4. *Da mihi*, a quo [6] omne datum optimum, *sapientiam*, scilicet intellectum, *sedium tuarum assistricem*, id est, sanctarum animarum inhabitatricem; supra [7] : « Per nationes in animas sanctas se transfert: » sanctæ autem animæ dicuntur sedes Dei, quia in eis sedet Deus, et quiescit præsidens, et imperans omnibus earum motibus et affectionibus [8] : « Cœlum mihi sedes est; » Glossa: « Anima justi sedes est sapientiæ. » Et *noli me reprobare*, dando mihi bonitatem et gratiam in affectu. *Noli*, inquam, *reprobare me*, sicut illos, de quibus [9] : « Tradidit illos in reprobum sensum. » [10] « Argentum reprobum vocate eos. » *A pueris tuis*; scilicet a puerorum tuorum numero et consortio excludendo, de quibus [11] : « Ecce ego, et pueri mei, » etc.

5. *Quoniam*, etc., quasi dicat : Ideo peto, ut des mihi sapientiam, *quoniam servus tuus sum ego*, id est, tibi paratus servire; in Psalmo [12] : « Servus tuus sum ego, da mihi intellectum. » [13] « Beati servi tui, qui audiunt sapientiam tuam. » *Et filius ancillæ tuæ*, id est, synagogæ, de qua [14] : « Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit. » Secundum Glossam, verba ista sunt filii ad patrem, secundum quod homo, sapientiam pro membris petentis, servum ejus secundum humanitatem, non filium allegantis [15] : « Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. » *Et filium ancillæ tuæ*, id est Virginis, secundum illud [16] : « Ecce ancilla Domini. » *Homo infirmus*, ex parte corporis, propter corporis fragilitatem, in Psalmis [17] : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. » *Et exigui temporis*, propter vitæ brevitatem [18] : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore. » Et *minor* (*a*), ex parte animæ, id est, ex naturali virtute insufficiens, *ad intellectum;* Glossa: « Ad percipiendum, » *judicii*, id est, judiciorum tuorum, quorum exemplo judicandum est; *Et legum* tuarum, scilicet æternarum, quarum regulatione judicandum est [19] : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! »

6. *Nam etsi quis*, etc. : in hoc innuitur charitas : *Erit consummatus*, id est, perfectus; Glossa : « in judicio; » *inter filios hominum*, qui ex viro scilicet et muliere nascuntur, ad differentiam filii hominis, id est solius Virginis, de quo [20] : « Quem dicunt homines? » Et dicit, *Consummatus inter filios hominum*, quoniam potest esse purus homo per naturam. *Si ab illo fugerit, vel aufugerit*, scilicet tanquam ab indigno et peccatore, secundum illud supra [21] : « In malevolam animam non introibit sapientia. » *Sapientia tua;* Glossa : « divina, non mun-

[1] *Gen.*, I, 26. — [2] *Gen.*, I, 28. — [3] Greg., in lib. I *Reg.*, c. VI, post med. — [4] *Psal.* CXVIII, 7. — [5] *Job*, XXXIV, 14. — [6] *Jac.*, I, 17. — [7] *Sap.*, VII, 27. — [8] *Isa.*, LXVI, 1. — [9] *Rom.*, I, 28. — [10] *Hier.*, IV, 30. — [11] *Isa.*, VIII, 18. — [12] *Psal.* CXVIII, 125. — [13] III *Reg.*, X, 18. — [14] *Gal.*, IV, 22. — [15] *Isa.*, XLIX, 3. — [16] *Luc.*, I, 38. — [17] *Psal.* VI, 3. — [18] *Job*, XIV, 1. — [19] *Rom.*, XI, 33. — [20] *Matth.*, XVI, 13. — [21] *Sap.*, I, 4.

(*a*) Cæt. edit. *Misericordiam*, sine sensu.

dana : » mundana enim propter peccatum non fugit [1] : « Sapientes sunt, ut faciant mala. » *In nihilum,* scilicet more naturæ, *Computabitur*, scilicet apud Deum et sanctos ejus. Infra [2] : « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei : » per gratiam enim est homo id quod est, quantum ad esse hominis. Unde [3] : « Gratia Dei sum id, quod sum. » Item sine charitate homo nihil est, ut patet [4]. Et secundum Augustinum peccator nihil est, scilicet in eo quod talis.

7. *Tu autem elegisti,* etc. Hic subdit multiplicem rationem exauditionis, quarum prima est injunctum officium regni; secunda est mandatum templi ædificandi : *Et dixisti,* etc.

Tu autem, etc., quasi dicat : Ita sum per me insufficiens sine sapientia : *Autem,* pro *sed :* nihilominus *tu elegisti me,* Glossa : « Salomonem, vel Christum; » *Regem populo tuo*, id est, in te credenti. In Psalmis [5] : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, » etc. *Et judicem filiorum tuorum, et filiarum*, scilicet tuarum, id est fidelium, secundum illud Joannis [6] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus. » Regis officium est, in negotiis regni suum exercere judicium ; judicis vero spiritualis (*a*) est, in causis populi.

8. *Et dixisti* ; Glossa : « jussisti; » David enim [7], qui vir sanguinum erat, non fuit permissum templum ædificare. Sed Salomon pupillus ad hoc fuit electus, ut patet [8]. *Et dixisti,* inquam, *ædificare me templum in monte sancto tuo*, id est, in monte Moria, ubi sancta fieri voluisti; *Et in civitate habitationis tuæ*, scilicet Hierusalem, ubi habitare dicebatur, quia ibi excellentius colebatur; *altare*, scilicet holocaustorum : holocaustorum dico, ad differentiam altaris ænei, quod erat in atrio ante templum sub dio; *Similitudinem tabernaculi tui sancti*, id est, ad ejus exemplar de quo [9] : « Quod factum est ad exemplar cœlestis tabernaculi. » Unde ibidem [10] : « Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte demonstratum est. » *Quod præparasti;* Glossa : « per Moysen. » *Ab initio :* non creationis, sed dationis legis. Unde Glossa : « Cum educeres filios Israel de Ægypto. » Tabernaculum in deserto, ut dicit Glossa, signabat Ecclesiam militantem; sed templum in Hierusalem, triumphantem. Ratio hujus est, quia tabernaculum in deserto erat mobile, sed templum in Hierusalem immobile.

9. *Et tecum,* scilicet præparavit, *Sapientia tua,* scilicet increata, id est, filius tuus, de quo [11] : « Christum Dei virtutem atque sapientiam : » *Quæ novit opera tua,* quasi cooperatrix omnium, secundum illud Psalmi [12] : « Omnia in sapientia fecisti : » *Quæ affuit,* tecum præsens, *tunc,* scilicet cum orbem terrarum faceres [13] : « Quando appendebat fundamenta terræ, eram cum eo cuncta componens. » Et in eodem : « Delectabar cum eo, per singulos dies, ludens in orbe terrarum. » *Et sciebat*, *quod* (*b*) *placitum esset oculis tuis,* scilicet quoad consilia; *oculis tuis,* scilicet intellectus et affectus tui, id est, misericordiæ et veritatis tuæ. In omni enim opere Dei misericordia et veritas. « Invenit gratiam coram oculis Domini, » secundum aliam translationem : *Et quod directum;* Glossa : « id est, rectum et justum. » *In præceptis tuis :* in Psalmo [14] : « Justitiæ Dei rectæ, lætificantes corda. »

10. *Mitte illam :* hic ostendit finem petitionis, id est, ad quid sapientiam quæsierit; et primo petit sapientiam ad sciendum et faciendum Dei voluntatem; secundo ostendit, quod videlicet ad talis finis adeptionem : *Scit enim,* etc.

Dicit ergo : *Mitte illam,* scilicet sapientiam, etc. Notandum quod duplex est missio sapientiæ, scilicet una visibilis in carnem, de qua [15] : « Quem Pater sanctificavit, et misit

[1] *Jerem.*, IV, 22. — [2] *Sap.*, XIII, 1. — [3] I *Cor.*, XV, 10. — [4] I *Cor.*, XIII, 2. — [5] *Psal.* II, 6. — [6] *Joan.*, I, 12. — [7] II *Reg.*, VII, 13. — [8] *Paral.*, III, 1 et seq. — [9] *Hebr.*, VIII, 5, quoad sensum. — [10] *Exod.*, XXV, 9. — [11] I *Cor.*, I, 24. — [12] *Psal.* CIII, 24. — [13] *Prov.*, VIII, 29, 30. — [14] *Psal.* XII, 9. — [15] *Joan.*, X, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* spiritualiter. — (*b*) Edit. Ven. *in.*

in mundum; » alia in mentem, quam petit hic. *De cœlis sanctis tuis*, id est, de te ipso, qui cœlum et omnia contines. In Psalmo [1]: « A summo cœlo egressio ejus. » Item [2]: « Quæ desursum est sapientia : primum quidem pudica est, » etc. Dicit autem: *De cœlis*, pluraliter, propter multitudinem contentorum, et effectuum in contentis, sicut dicuntur dies æternitatis pluraliter [3]: « Et egressus ejus sicut a principio dierum æternitatis. » *Et a sede magnitudinis tuæ*; Glossa: « A te ipso, quia sedens et quietus omnia gubernas [4]: « Ego quiescam, et considerabo in loco meo, sicut lux meridiana clara est. » Et notandum, quod sapientia increata quandoque dicitur esse in sinu Patris, ut [5]: « Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis; » aliquando gigni ex utero : in Psalmo [6]: « Ante luciferum genui te. » Aliquando ex ore Patris procedere [7]: « Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam; » aliquando de cœlo menti, ut hic; aliquando sedere in sanctis animabus; unde supra eodem [8] : « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, » etc. Primum, propter occultationem; secundum, propter consubstantialitatem; tertium, propter manifestationem; quartum, propter illuminationem; quintum propter tranquillitatem. *Ut mecum sit*, scilicet intus in animæ essentia et per gratiam inhabitando [9] (*a*) : « In Jacob inhabita, » etc. *Et mecum laboret*, informando (*b*) motivam animæ potentiam ad opus perficiendum [10] : « Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, et cooperationis (*c*), quæ a sæculo sunt. » *Ut sciam*, id est, ut scire me facias, meæ animæ potentiam cognitivam illustrando : *Quid acceptum sit coram te*, vel apud te; in Psalmo [11] : « Doce me facere voluntatem tuam. »

Scit enim omnia illa, omnia scilicet ad scientiam rationis pertinentia, sicut sunt inferiora; *et intelligit omnia*, scilicet pertinentia ad intelligentiam intellectus, ut sunt superiora, supra [12] : « Omnia prospiciens. » *Et deducet me in operibus meis sobrie;* Glossa : « ne offendam dirigendo in opere bono. » Supra [13] : « Sobrietatem docet, » etc. *Et custodiet me in sua potentia*; Glossa : « ab adversariis protegendo. » In Psalmo [14] : « Nisi Dominus custodierit civitatem, » etc. Item [15] : « Ecce non dormitabit, neque dormiet, » etc.

12. *Et erunt accepta opera mea*; Glossa : « coram Deo, tanquam facta pure ex amore suo. » *Et disponam populum tuum juste*, scilicet recte subditos gubernando. Unde supra [16] : « Disponam populos et nationes. » *Et dignus ero sedium patris mei*, ipsum imitando : *Sedium* dicit pluraliter, quia sedes præsentis regni, secundum illud [17] : « Per me reges regnant; » et futuri; unde Glossa : « remuneratione cœlestis regni. »

13. *Quis enim hominum*, etc. Hic ostendit finis difficultatem, primo ostendens, quod Dei voluntas sine sapientia sciri non potest; secundo, quod solum per eam sciri potest : *Sensum autem tuum*, etc. (*d*) Quod sine illa sciri non possit, ostendit primo ex divini sensus profunditate; secundo ex sensus humani imperfectione: *Cogitationes enim*, etc.; tertio ex rerum sensibilium comparatione, ibi : *Et difficile æstimamus*, etc.

Bene dixi : *Mitte illam*, etc.; *quis enim hominum*, scilicet purus homo, *poterit scire*, scilicet sine sapientia tua, *consilium Dei*, quod est in prævidendo et disponendo fienda? [18] « Quis audivit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » *Aut quis poterit cogitare*, id est, cogitando nosse, *quid velit Deus*, scilicet operando prævisa? quasi dicat : Nullus. Unde [19] : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, » etc.

14. *Cogitationes enim mortalium*, scilicet

[1] *Psal.* XVIII, 7. — [2] *Jac.*, III, 17. — [3] *Mich.*, V, 2. — [4] *Isa.*, XIII, 4. — [5] *Joan.*, I, 18. — [6] *Psal.* CIX, 3. — [7] *Eccli.*, XXIV, 5. — [8] *Sap.*, IX, 4. — [9] *Eccli.*, XXIV, 13. — [10] *Eccli.*, LI, 11. — [11] *Psal.* XLII, 10. — [12] *Sap.*, VII, 23. — [13] *Sap.*, VIII, 7. — [14] *Psal.* CXXVI, 1. — [15] *Psal.* CXX, 3. — [16] *Sap.*, VIII, 14. — [17] *Prov.*, VIII, 15. — [18] *Isa.*, XL, 13. — [19] *Rom.*, XI, 33.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et informando. — (*b*) *Cæt. edit. hic deest* informando, *sed transpositum fuit supra.* — (*c*) *Vulg.* operationis. — (*d*) *Cæt. edit. non habent*, etc.

quandiu sumus in statu mortalitatis, *timidæ*; Glossa : « id est, fragiles; » et hoc quantum ad ea quæ sunt supra rationem. *Et incertæ providentiæ nostræ*; Glossa : « quia anima mutabilis est, et caro corruptibilis; » et hoc quantum ad ea, quæ sunt sub ratione et veri cogitatione.

15. *Corpus enim quod corrumpitur*, id est, quod continuæ corruptioni subjacet, propter quod putredini comparatur [1] : « Homo putredo, et filius hominis vermis; *aggravat animam*, scilicet affectum ejus a cœlestibus retrahendo [2] : « Caro concupiscit adversus spiritum. » *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Notandum quod corpus animam peccato originali maculat [3] : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? » Item necessitati peccati venialis obligat [4] : « Quod odi malum, illud facio. » Item ad peccatum mortale inclinat [5] : « Proni sensus, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia. » Item intellectum a contemplatione veritatis obnubilat, supra [6] : « Umbræ transitus tempus nostrum. » Umbræ scilicet interpositione corporis opaci inter animam et solem justitiæ. Item affectum ab amore cœlestium retardat, ut hic : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. » Item potentias motivas a bono impedit et ligat; in Psalmo [7] : « Educ de custodia, vel de carcere, animam meam. » Item [8] : « Non quod volo bonum, hoc ago. » Item, spiritui (*a*) continuum bellum suscitat [9] : « Caro concupiscit adversus spiritum. » Item, cura sui spiritum sollicitat; contra quod [10] : « Nolite solliciti esse, » etc. Item, suis molestiis animam perturbat [11] : « Angustiæ mihi sunt undique. » Item, sui mutabilitate ejus quietem turbat et variat [12] : « Et nunquam in eodem statu permanet. » *Et terrena inhabitatio deprimit*, id est, deorsum premit a contemplatione æternorum retrahendo, id est, ad terrena inclinando; *sensum*, id est, intellectum humanum [13] : « Sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia. » Ideo [14] : « Infelix, » etc. *Sensum*, inquam, *multa cogitantem*, id est temporalia quæ multa sunt non æterna quæ unum sunt, secundum illud [15] : « Turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. »

16. *Et difficile*, etc., quasi dicat : Et hoc patet, quia *difficile æstimamus*, id est, æstimatione, non certitudinaliter cognoscimus [16] : « Cunctæ res difficiles. » *Quæ in terra sunt*, id est, sensibilia inferiora; *et quæ in prospectu sunt*, id est, in aperto, sicut naturæ rerum sensibilium superiorum; *invenimus cum labore* [17] : « Est homo, qui diebus ac noctibus somnum non capit oculis; et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem. » Philosophus [18] : « Sicut se habet oculus noctuæ ad lucem solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturæ. » *Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* cum sint tam remota a nobis [19] : « Altiora te ne quæsieris. » [20] « Deus in cœlo, et tu super terram : idcirco pauci sint sermones tui. »

17. *Sensum autem tuum*, etc. : hic ostendit, quod voluntas divina potest solum sciri per sapientiam. Hoc (*b*) autem ostendit appropriando ei triplicem effectum, scilicet effectum instruendi intelligentiam; corrigendi culpam : (v. 18). *Et sic correctæ*; sanandi naturam, ibi : *Nam per sapientiam*, etc.

Sensum autem tuum, id est, consilium, et voluntatem, *quis sciet?* quasi dicat : Nullus. *Nisi tu dederis sapientiam*, illuminantem intellectum [21] : « Secundum datum suum præbet illam diligentibus se. » [22] « Dat omnibus affluenter. » [23] « Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus discipli-

[1] *Job*, XXV, 6. — [2] *Galat.*, V, 17. — [3] *Job*, XIV, 4. — [4] *Rom.*, VII, 15. — [5] *Gen.*, VIII, 21. — [6] *Sap.*, II, 5. — [7] *Psal.* CXLI, 8. — [8] *Rom.*, VII, 15. — [9] *Galat.*, V, 17. — [10] *Matth.*, VI, 31. — [11] *Dan.*, XIII, 22. — [12] *Job*, XIV, 2. — [13] *Gen.*, VIII, 21. — [14] *Rom.*, VII, 24. — [15] *Luc.*, X, 40, 42. — [16] *Eccle.*, I, 8. — [17] *Eccle.*, VIII, 16. — [18] Arist., *Metaph.*, lib. II, text. 1. — [19] *Eccli.*, III, 22. — [20] *Eccle.*, V, 1. — [21] *Eccli.*, I, 10. — [22] *Jac.*, I, 5. — [23] *Dan.*, II, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* spiritu. — (*b*) *Cæt. edit.* hic.

nam. » *Et miseris Spiritum sanctum tuum*, inflammantem affectum; quasi dicat : Nullus. Sicut enim homo non scit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui (*a*) est in illo, ut habetur [1]; « sic nec ea, quæ Dei sunt, nisi Deus et cui voluerit revelare. » *De altissimis*, id est, de te, qui altissimus es, et de Filio, qui altissimus est : et vos duo altissimi, adjective, non substantive.

18. *Et sic*, scilicet per donum sapientiæ et spiritus, scilicet remissionem, *correctæ sint semitæ*, id est, operationes, *Eorum qui in terris sunt*, id est, hominum; et hoc per revocationem a malo [2] : « Ille arguet mundum de peccato. » Et bene dicit : *Semitæ eorum qui in terris sunt*, id est, peccantium, corrigi non possunt. *Et quæ* (*b*) *tibi placent didicerint homines*, per informationem in bono [3] : « Spiritus paraclitus, etc., docebit vos omnia. » *Nam per sapientiam*, etc. Bene dixi : *Et sic correctæ sint*, etc. : *nam per sapientiam sanati sunt*, scilicet a pravitate intellectus, et corruptione affectus [4] : « Ego quasi fluvius Dorix (*c*), » quod interpretatur medicamentum generationis. *Quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio*, scilicet mundi, secundum Glossam. Infra [5] : « Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, » etc. In Psalmo [6] : « Misit verbum suum, et sanavit eos. » [7] « Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam. » Hinc est, quod canes spirituales, id est, sapientiæ doctores, et prædicatores habent linguas medicinales : et dicit, *omnes*, quia secundum Augustinum [8] eadem fides Mediatoris, quæ salvavit antiquos, salvat et nos.

CAPUT X.

1. *Hæc illum*, etc. In præcedentibus monuit specialiter rectores ad acquirendum sapientiam, et hoc per rationes sumptas ex periculo officii eorum, quos monet, scilicet capite sexto. Secundo per rationes sumptas ab ejus exemplo, qui monet, septimo, octavo, nono capite. Hic tertio hortatur eos ad hanc eamdem, per rationes sumptas a multis effectibus et beneficiis sapientiæ. Est autem sapientia benefica, et sapientes, scilicet amicos suos, promovendo, et insipientes adversarios sapientium puniendo. Et primo agit de beneficiis pertinentibus ad amicorum Dei promotionem, scilicet in capite isto; secundo de pertinentibus principaliter ad adversariorum punitionem, scilicet capite undecimo, et deinceps. In prima (*d*), primo determinat beneficia, collata singularibus personis; secundo beneficia exhibita uni populo : *Hæc populum justum*. In prima ostendit beneficia sapientiæ in sex singularibus personis patriarcharum antiquorum. Primo in persona Adæ, cum dicit, *Hæc illum qui primus*, etc. ; secundo in persona Noe, ibi : *Ab hac ut recessit*. Tertio in persona Abrahæ : *Hæc et in conspectu superbiæ*. Quarto, in persona Lot : *Hæc justum a pœnitentibus*. Quinto, in persona Jacob : *Hæc autem profugum*, etc. Sexto, in persona Joseph : *Hæc venditum justum*. In prima Adæ ostendit beneficium, primo gratiæ, secundo naturæ : *Et eduxit*, etc. *Hæc illum*, etc. Bene dixi, quod per sapientiam *sanati sunt omnes*, quod patet per exempla : *Hæc enim*, scilicet sapientia, *illum*, scilicet Adam : *Qui primus*, omnium hominum, *formatus est a Deo*, scilicet immediate [9] : « Manus tuæ fecerunt, » etc. *Pater orbis terrarum*, id est, totius generis humani futurus [10] : « Numquid non unus est pater omnium vestrum ? » *Cum esset solus creatus*, scilicet ante formationem mulieris [11] : « Formavit igitur Deus hominem de limo terræ : » *Et creatus*, ex parte animæ [12] : « Creavit Deus ad imaginem et similitudinem suam, » etc. *Cum solus*, inquam, *creatus esset*, *custodivit*, scilicet a peccato in terrestri paradiso in statu inno-

[1] I *Cor.*, II, 11. — [2] *Joan.*, XVI, 8. — [3] *Joan.*, XIV, 26. — [4] *Eccli.*, XXIV, 41. — [5] *Sap.*, XVI, 12. — [6] *Psal.* CVI, 20. — [7] *Prov.*, III, 18. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XVIII, c. XLVII. — [9] *Job*, X, 8. — [10] *Mal.*, II, 10. — [11] *Gen.*, II, 7. — [12] *Gen.*, I, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* specie hominis, quæ. — (*b*) Item *qui*. — (*c*) *Vulg.* Fluvii dioryx. — (*d*) *Suppl.* parte.

centiæ [1] : « Posuit enim eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illum. »

2. *Et eduxit illum*, scilicet jam facta muliere, effectum transgressorem : *A delicto suo*, scilicet per immissionem pœnitentiæ, et remissionem culpæ. Et notandum, quod hic habetur expressius de pœnitentia Adæ, quam alibi. *Et eduxit illum de limo terræ*, scilicet ex parte corporis [2] : « Deus de terra creavit hominem. » *Et dedit illi virtutem*, id est, potestatem continendi omnia, et dominandi omnibus; et hoc ex parte animæ, scilicet per rationem, secundum illud [3] : « Dominamini piscibus maris. » Item in Psalmo [4] : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. »

3. *Ab hoc* (*a*), etc. Hic ostendit beneficium sapientiæ specialiter factum ipsi Noe, et iis, qui cum eo fuerunt in arca, quando liberavit ipsum a diluvio, et malos perdidit. Et primo tangit primam causam perditionis malorum; secundo primam causam liberationis bonorum, ibi : *Propter quod*, etc. Dicit ergo : *Ab hac*, scilicet sapientia, *ut recessit*, etc. [5] « Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt; » per hoc enim, quod receditur a sapientia, receditur a Deo, supra [6] : « Perversæ cogitationes separant a Deo. » *Injustus*, scilicet Cain (*b*), qui scilicet injustus antonomastice, quia caput fuit et exemplar injustorum; *in ira sua*, qua scilicet iratus est contra fratrem suum Abel [7] : « Quare iratus (*c*) es, » etc. *Per iram homicidii*, id est, quæ ira fuit homicidium spirituale, secundum illud [8] : « Qui odit fratrem suum, homicida est; » vel transitive, ut sit sensus : *Per iram homicidii*, id est per iram quæ fuit causa homicidii corporalis, unde [9] : « Consurrexit Cain contra Abel fratrem suum, et interfecit eum. » *Fraternitas* (*d*) *deperiit*, id est, societas fraternitatis, Abel corporaliter mortuo, et Cain spiritualiter.

4. *Propter quod* (*e*), etc., scilicet peccatum; illud enim peccatum fuit prima causa corruptionis posteritatis Cain, a qua derivata est corruptio usque in magnam partem posteritatis Seth. Et impletum est illud [10] : « Omnis caro corruperat viam suam. » *Cum aqua deleret terram*, delendo scilicet hominem, quem creavit, a facie terræ : perierunt enim omnes qui scripti erant in terra, scilicet mali, de quibus [11] : « Recedentes a te, in terra scribentur. » Delendo etiam omnem carnem in terra viventium, secundum illud [12] : « Consumpta est omnis caro, quæ movebatur in terra. » *Sanavit iterum*, scilicet mundum, sicut scilicet prius sanaverat Adam; *sanavit*, inquam, mundum, scilicet ipsum a malis hominibus purgando; *per contemptibile lignum*, id est, per arcam contemptibilem, immundam, et contemptam ab illis, qui eam frustra ædificari credebant. *Justum*, scilicet Noe, de quo [13] : « Noe vir justus, » etc. *Gubernans*, scilicet aquarum inundationes, ipsum a submersione liberando [14] : « Octavum Noe justitiæ præconem custodivit, mundo diluvium inducens. » Lignum autem illud signabat crucem, quia contemptibilis est infidelibus, licet fidelibus sit venerabilis, unde [15] : « Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, » etc. Item [16] : « Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum. »

5. *Hæc et in consensu*, etc. Hic tangit beneficium sapientiæ collatum in personam Abrahæ : primo quoad se; secundo in sua posteritate : *Et in filiis*, etc. Dicit ergo : *Hæc*, scilicet sapientia, et etiam *cum se nationes*, id est, illius temporis homines in vitio nativitatis perdurantes, *extulissent*, id est, extra mensuram suam elatione cordis et conatu operis tulissent : contra quod dicitur in Psalmo [17] : « Domine, non est exaltatum cor meum, » etc.; *in consensu superbiæ*, id est, ex superbia veniente, quo scili-

[1] *Gen.*, II, 15. — [2] *Eccli.*, XVII, 1. — [3] *Gen.*, I, 28. — [4] *Psal.* VIII, 8. — [5] *Prov.*, I, 7. — [6] *Sap.*, I, 3. — [7] *Gen.*, IV, 4. — [8] *Joan.*, III, 15. — [9] *Gen.*, IV, 8. — [10] *Gen.*, VI, 12. — [11] *Jerem.*, XVII, 13. — [12] *Gen.*, VII, 20. — [13] *Gen.*, VI, 9. — [14] II *Petr.*, II, 5. — [15] I *Cor.*, I, 18. — [16] Ibid., 23. — [17] *Psal.* CXXX, 1.

(*a*) Cæt. edit. *Abrahæ*. — (*b*) *Item*. Caim, *et sic deinceps*. — (*c*) *Item* natus. — (*d*) Vulg. *Fraterni*. — (*e*) Item *quem*.

cet consensu, vel qua superbia voluerunt[1] turrim ædificare pertingentem usque ad cœlum, et nomen suum celebrare : quorum utrumque superbia fuit. *Cum se*, inquam, *nationes extulissent*, etc.; *scivit*, scilicet sapientia, approbando, et eligendo, et a malis separando[2] : « Novit (*a*) Dominus qui (*b*) sunt ejus. » E contra malis dicitur[3] : « Nunquam novi vos. » *Justum*, scilicet Abraham, qui justus dicitur antonomastice : *Et conservavit sine querela Deo*, in medio pravæ et perversæ nationis, quod fuit difficile[4] : « Erant ambo sine querela. » *Et in filiis*, id est, posteris, *misericordiam fortem custodivit*, scilicet eos ex misericordiæ suæ multitudine et fortiter ab adversariis defendendo, et tandem eis terram promissionis conferendo, sicut promiserat.

6. *Hæc justum a pereuntibus*, etc.: hic ostendit beneficium sapientiæ collatum in persona Lot[5], de subversione Sodomæ liberati : et primo tangit Lot liberationem; secundo aliorum punitionem : *Descendente*, etc.; tertio punitionis æquitatem : *Sapientia autem. Hæc*, scilicet sapientia, *justum*, scilicet Lot, ut dicit Glossa. Item dicitur de ipso[6] : « Aspectu et auditu justus erat; *a pereuntibus impiis*, scilicet de consortio impiorum pereuntium, id est, Sodomitarum; *liberavit*, et a consortio culpæ, secundum illud[7] : « Justum Lot oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit, » et a consortio pœnæ. De utraque liberatione habetur in Genesi[8]. *Descendente igne*, de cœlo, non de terra, immisso[9] : « Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham, sulphur, et ignem, » etc. *In Pentapolim;* Glossa : « id est, in regionem, scilicet quinque civitatum, scilicet Sodomam, Gomorrham, Segor, Seboim, et Adamam. »

7. *Quibus*, scilicet pereuntibus, *in testimonium nequitiæ*, ardentis scilicet et fœtentis luxuriæ, *fumigabunda*, id est, de se fumum emittens : unde in Psalmo[10] : « Ascendit fumus in ira ejus : » *Constat deserta terra*, scilicet a plantis et arboribus[11] : « Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni combusta est. » Item[12] : « Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea. » *Et incerto*, scilicet indeterminato (*c*) *tempore*, *fructus habentes arbores*, inutiles, ut dicitur; quia referuntur poma ibi nasci exterius setosa, intus cinerea et favillosa. Glossa : « Ostendunt, quod sine fructu pœnitentiæ damnatæ animæ in inferno ardebunt in æternum. *Figmentum*, id est statua, *salis*, ad condiendum omnes audientes sale sapientiæ, contra putredinem carnalis concupiscentiæ, vel insipientiæ : *Figmentum*, dico, *stans memoria*, id est, recordatio[13] : « Memores estote uxoris Loth : » quæ retro respexit, nolens credere Angelo prohibenti, ut patet[14]. Notandum autem, quod terra deserta testificatur eorum ad bona opera inutilitatem; fumus, eorum a carnali concupiscentia excæcationem; fructus inutiles, eorum malam conversationem; statua salis, eorum per carnalem concupiscentiam defluxum, et concupiscentiæ putredinem.

8. *Sapientiam enim*, etc. quasi dicat : Et merito sic puniti sunt : *sapientiam enim prætereuntes*, id est, abjicientes Sodomitæ, et ideo infelices, unde supra[15] : « Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est : » ideo etiam petierunt, secundum illud[16] : « Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. » Nec tantum perierunt, quia sapientiam præterierunt, sed et suæ insipientiæ memoriam reliquerunt. Et hoc est, quod subdit : *Non tantum* (*c*), etc. *Sapientiam*, inquam, prætereuntes, *non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent*, ignorantia scilicet, de qua[17] : « Si quis ignorat, ignorabitur; » *Bona*, scilicet pertinentia ad vitam et salutem propriam :

[1] *Gen.*, XV, 4. — [2] II *Tim.*, II, 19. — [3] *Matth.*, VII, 23. — [4] *Luc.*, I, 6. — [5] *Gen.*, XIX, 16. — [6] II *Petr.*, II, 8. — [7] Ibid., 7. — [8] *Gen.*, XIX, 7. — [9] Ibid., 24. — [10] *Psal.* XVII, 9. — [11] *Job*, XXVIII, 5. — [12] *Psal.* CVI, 34. — [13] *Luc.*, XVII, 32. — [14] *Gen.*, XIX, 26. — [15] *Sap.*, III, 11. — [16] *Baruc.*, III, 28. — [17] I *Cor.*, XIV, 38.

(*a*) *Vulg.* Cognovit. — (*b*) *Cæt. edit.* quæ. — (*c*) *Item* determinato. — (*d*) Cæt. edit. *tanquam*.

Sed insipientiæ suæ, quia [1] « comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis : » *Reliquerunt hominibus memoriam*, quoad malam famam, ita videlicet, *ut in iis quæ peccaverint*, id est, ut in iis peccatis quæ fecerint, *nec latere potuissent;* quia noluerunt latere, sed publice peccaverunt [2] : « Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. » Et ideo Dominus peccata eorum toto mundo voluit publicari per publicum supplicium. Latet peccatum, peccandi calliditate [3] : « Tu fecisti abscondite; ego vero faciam verbum illud in conspectu omnis Israel; » sanctitatis simulatione [4] : « Similes estis sepulchris dealbatis, » etc.; dignitatis vel prælationis auctoritate, secundum illud Gregorii : « Nullus in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet : hunc quippe redarguere nemo præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis honoratur. »

9. *Sapientia autem*, quasi dicat, sicut illi injusti puniti sunt propter contemptum sapientiæ : *Autem*, pro *sed :* e contrario : *Sapientia hos qui se*, scilicet sapientiam, *observant*, id est, diligenter corde, ore et opere servant, *a doloribus liberavit*, scilicet pœnarum æternarum, de quibus [5] : « In doloribus dormietis; » Item [6] : « Circumdederunt me dolores mortis. »

10. *Hæc autem* (*a*) *profugum*, etc. : hic tangit multiplex beneficium sapientiæ factum in persona Jacob : quorum primum fuit ejus promotio in bono; secundum, conservatio ejus a malo : *In fraude circumvenientium eum*, etc.; tertium, adjutorium in triumpho : *Et certamen*, etc. *Hæc*, scilicet sapientia, *profugum iræ fratris*, scilicet fugientem, et declinantem ab ira fratris, sive a fratre suo irato [7] : « Ecce frater tuus minatur, ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum : » *Justum*, scilicet Jacob, secundum illud [8] : « Respondebit mihi cras justitia mea : » *Deduxit per vias rectas*, Glossa : « per Mesopotamiam : » [9] « Dominus solus, dux ejus fuit. » *Rectas* dicit, quia [10] « recta est semita Dei (*b*), » ut habetur in Isaia. *Et ostendit illi*, scilicet omnia per imaginariam visionem : *regnum Dei*, quia [11] vidit scalam pertingentem usque ad cœlum. Diabolus vero ostendit regnum mundi, unde [12] : « Ostendit illi omnia regna mundi. » *Et dedit illi scientiam sanctorum*, id est, intelligentiam sacrarum rerum; quia « intelligentia opus est in visione, » ut habetur in Daniele [13]; rerum, inquam, sacrarum, quas viderat, dedit ei intelligentiam, id est, ut intelligeret, quid significet scala quam viderat, et ascensus et descensus angelorum : scala namque est obedientia, per quam ascendunt angeli ad Deo assistendum, et descendunt ad nobis ministrandum [14] : « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. » *Honestavit illum;* Glossa : « id est, ditavit, » secundum illud [15] : « Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem; » et loquitur secundum humanam consuetudinem, quæ divites solet reputare honestas personas. *In laboribus*, id est, propter labores suos, non per justitiam et rapinam, sicut multi se ditant. Sed tales divitiæ non honestant, nec beatificant, sed proprii labores, sive divitiæ acquisitæ ex justis laboribus [16] : « Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, » etc. *Et complevit*, id est, ad optatum finem perduxit, scilicet ipsum reducendo ad patrem suum in terra Chanaan (*c*); *labores illius*, Glossa; « quos in pascendis ovibus sustinuit; » de quibus dicitur [17] : « Die noctuque æstu urebat et gelu. » *Hæc profugum*, etc. Ab hoc loco

[1] *Psal.* XLVIII, 13, 21. — [2] *Isa.*, III, 9. — [3] II *Reg.*, XII, 12. — [4] *Matth.*, XXIII, 29. — [5] *Isa.*, L, 11. — [6] *Psal.* XVII, 5. — [7] *Gen.*, XXVII, 42. — [8] *Gen.*, XXX, 33. — [9] *Deut.*, XXXII, 12. — [10] *Isa.*, XXVI, 7. — [11] *Gen.*, XXVIII, 1, 2. — [12] *Matth.*, IV, 8. — [13] *Dan.*, X, 1. — [14] *Dan.*, VII, 10. — [15] *Eccli.*, XI, 23. — [16] *Psal.* CXXVII, 2. — [17] *Gen.*, XXXI, 40.

(*a*) Vulg. non habet *autem*. — (*b*) *Vulg.* justi. — (*c*) *Cæt. edit.* Chanaam, *et sic deinceps.*

usque ibi : *In fraude circumvenientium*, tangitur beneficium, quod Dominus facit sanctis suis : quorum primum est justificatio in principio suæ conversionis [1] : « Quos vocavit, illos et justificavit. » Et hoc tangitur, cum dicit : *Justum*. Secundum est deductio in profectu conversationis : *Deduxit*, etc. [2] : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » Tertium est ostensio regni in gratia, vel in secreto contemplationis : *Ostendit* [3] : « Ostendam tibi omne bonum. » Quartum, instructio in agnitione divinæ voluntatis : *Et dedit illi scientiam sanctorum* [4] : « Beati sumus, Israel, quia, quæ Deo placent, nobis manifesta sunt. » Quintum est honestatio, id est ditatio in abundantia meriti et virtutis : *Honestavit*, etc. [5] : « Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. » Sextum, completio in præmio : *Et complevit*, etc. : [6] « Consummatus est in brevi, explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. » Item [7] : « Bonorum laborum gloriosus est fructus. »

11. *In fraude circumvenientium*, id est, convenire eum volentium, scilicet Laban et filiorum ejus, ut dicit Glossa ; *Illi affuit*, scilicet custodiendo eum, ne deciperetur, vel damnificaretur [8] : « Tulit Jacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, et de illis facultatibus ditatus, factus est inclytus. »

12. *Custodivit illum ab inimicis*, scilicet a Laban et ejus filiis ipsum persequentibus, et spoliare ipsum volentibus [9] : « Nisi Deus patris mei affuisset mihi, forsitan me vacuum reliquisses. » *Et a seductoribus tutavit illum*, scilicet ab Esau et suis, qui forte intendebant eum capere, quando veniebant in occursum ejus. Sed Dominus immutavit cor Esau per oblationem munerum, quæ præmisit ei Jacob, ut patet in Genesi [10]. *Et certamen forte dedit illi*, Glossa exponit hoc de certamine contra Laban et filios ejus, vel contra Esau. Vel verius potest intelligi de certamine, quo luctatus est cum Angelo ; cum Angelo, inquam, fortiori se. Nam si Angelus malus ita fortis est, quod « non est potestas super terram, quæ ei comparetur, » ut habetur apud *Job* [11] ; quanto magis angelus bonus ? *Ut vinceret*, scilicet ipsum certamen [12] : « In fortitudine sua directus est cum Angelo, et invaluit, » etc. ; *ut vinceret*, inquam, et sic, scilicet victoriam obtinendo, per sapientiam scilicet : *Quoniam potentior omnium est sapientia*, quia potens est liberare a quocumque homine malo, unde [13] : « Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? »

13. *Hæc venditum justum :* hic ostendit beneficium factum in persona Joseph : et primo in ejus liberatione ; secundo, in liberati sublimatione : *Donec afferret*, etc. (*a*) *Hæc*, sapientia scilicet, *Justum*, id est Joseph : pro justitia enim fratrum suorum crimina accusabat apud patrem suum [14] : « Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo. » *Venditum*, scilicet a fratribus suis, quia eum vendiderunt transeuntibus Ismaelitis. *Non dereliquit*, scilicet ab ipso recedendo [15] : « Non derelinquet Dominus sanctos suos in æternum. » *Sed a peccatoribus liberavit eum*, ab uxore Putipharis (*b*) et servis ejus, cum accusaretur de adulterio. *Descenditque cum illo in foveam ;* Glossa, « carceris » : traditus enim fuit in carcere, in quo vincti regis custodiebantur, ubi cum illo sapientia descendit ; quod patuit, quia gratiam principis ei dedit.

14. *Et in vinculis*, carceris, *non dereliquit eum*, quia per sapientem somniorum interpretationem a vinculis liberavit eum. *Donec afferret illi sceptrum regni*, id est, principatum totius Ægypti post Pharaonem, unde [16] : « Tu eris super domum meam. » *Et potentiam*, scilicet judicandi vel vindicandi se, si

[1] *Rom*, VIII, 30. — [2] *Psal.* CXLII, 10. — [3] *Exod.*, XXXIII, 19. — [4] *Baruc.*, IV, 4. — [5] *Job*, V, 26. — [6] *Sap.*, IV, 13. — [7] *Sap.*, III, 15. — [8] *Gen.*, XXXI, 1. — [9] *Gen.*, XXXI, 42. — [10] *Gen.*, XXXIII, 4. — [11] *Job*, XLI, 24. — [12] *Ose.*, XII, 4 — [13] *Gen.*, XXXII, 28. — [14] *Gen.*, XXXVII, 2. — [15] *Psal.* XXXVI, 28. — [16] *Gen.*, XLI, 40.

(*a*) *Cæt. edit. deest*, etc. — (*b*) *Cæt. edit. habent* Phutiforis, *et sic deinceps.*

voluisset, *adversus eos qui eum deprimebant*, id est, contra fratres suos, qui eum depresserant, quibus terrorem magnum incussit, ut patet in Genesi [1]. *Et mendaces ostendit, qui maculaverunt eum*, scilicet macula infamiæ, uxorem scilicet Putipharis, et servos ejus [2] : « Prius ostendens vos fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum. » Nam per ejus divinam exaltationem ostensum fuit et creditum totum esse mendacium, ipsa etiam muliere postea forte hæc recognoscenti. De hac macula infamiæ [3] : « Posuisti (*a*) maculam in gloria tua. » *Et dedit illi claritatem æternam*, scilicet perpetuæ famæ, secundum illud [4] : « In memoria æterna erit justus; » vel æternæ gloriæ, quando scilicet Christus cum cæteris patribus de inferno in gloriam induxit [5] : « Ascendens in altum captivam duxisti captivitatem. » Notandum autem, quod in prædictis sex personis tanguntur sex modi, quibus sapientia liberat sanctos, secundum illud [6] : « In sex tribulationibus liberabit te (*b*), et in septima non tanget te malum. » Liberat enim a tentatione hostis, ut Adam; a tentatione corruptionis fomitis, ut Noe, cæteris pereuntibus propter corruptionem carnis; item a tentatione superbiæ et elationis interioris, ut Abraham a gigantum superbia imitanda vel superbiæ imitatione; item a tentatione exteriore, scilicet pravi exempli et corruptæ conversationis, ut Lot; item a tentatione humanæ fraudis et circumventionis, ut Jacob; item a tentatione mundanæ adversitatis, ut Joseph. Item notandum, quod tres sunt hostes nostri, scilicet diabolus, caro et mundus, significati per tres hostes Salomonis, de quibus in libro *Regum* [7]. Tentatio vero dæmonis duplex est, scilicet exterior et visibilis, interior et invisibilis. Liberatio a prima significatur in liberatione Adæ; a secunda in liberatione Abrahæ. Carnis vero tentatio duplex, scilicet secundum naturam, et contra naturam : liberatio a prima, significata fuit in liberatione Noe; secunda, in liberatione Lot. Mundi vero tentatio duplex, scilicet per fraudulentiam, et per violentiam : nam liberatio a prima signata est in liberatione Jacob; a secunda in liberatione Joseph.

Sapientia quot modis liberet.

Tentatio dæmonis carnis et mundi.

15. *Hæc populum justum :* postquam ostendit beneficia sapientiæ collata singularibus personis, hic ostendit beneficium factum uni populo. Et primo tangitur beneficium generale; secundo speciale : *Intravit*, etc.; tertio, gratiarum actio per utrosque : *Ideo justi*, etc. *Hæc*, scilicet sapientia, *populum justum*, scilicet populum Israeliticum, per fidem justificatum, secundum illud [8] : « Justificati ex fide; » vel *Justum* per operationem boni. *Et semen sine querela*, scilicet per declinationem mali. *Semen*, scilicet Patriarcharum, ut dicit Glossa. Item [9] : « Filii sanctorum sumus. » *Liberavit*, etc. : hujus liberationis præmisit duplicem causam, scilicet populi bonitatem, cum dicit : *Populum justum*; secundo patrum sanctitatem, cum dicit : *Et semen sine querela liberavit a nationibus*, id est, ab Ægyptiis, in vitio nativitatis suæ permanentibus. *Quæ illum opprimebant*, id est, vexabant, scilicet in luto, et latere, et paleis, ut patet in Exodo [10]. Et nota, quod per hanc oppressionem, vel vexationem, potest intelligi vexatio diaboli qua vexat servos suos in operibus luti luxuriæ, et lateris avaritiæ, et palearum superbiæ [11] : « Videns vidi afflictionem populi mei, » etc.

16. *Intravit*, etc. : hic tangit specialia beneficia : primo, facta in Ægypto; secundo, post exitum de Ægypto : *Et reddidit*, etc; tertio, in ipso exitu : *Et transtulit*, etc.

Intravit, id est, ipsa sapientia, *in animam servi Dei*; Glossa, « id est, Moysi : » [12] « Per nationes in animas sanctas se transfert. » Item [13] : « Ego ero in ore tuo, et docebo te, quid loquaris. » *Et stetit*, scilicet constanter, unde [14] : « Stetit Moyses coram Pharaone. »

[1] *Gen.*, XLII, 35. — [2] *Job*, XIII, 4. — [3] *Eccli.*, XLVII, 22. — [4] *Psal.* CXI, 7. — [5] *Ephes.*, IV, 8. — [6] *Job*, V, 19. — [7] III *Reg.*, XI, 14, 23, 26. — [8] *Rom.*, V, 1. — [9] *Tob.*, II, 18. — [10] *Exod.*, I, 14; V, 12. — [11] *Exod.*, III, 7. — [12] *Sap.*, VII, 27. — [13] *Exod.*, IV, 12. — [14] *Exod.*, IX, 10.

(*a*) *Vulg.* dedisti. — (*b*) *Cæt. edit. non habent* liberabit te.

Stetit, inquam, *contra reges horrendos;* Glossa, « Pharaonem et alios principes : » *in portentis*, id est, in majoribus miraculis, *et signis*, minoribus, quæ fecit in Ægypto, unde [1] : « Multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti : » [2] « Magnificavit eum in conspectu regum : » [3] « Timebunt me reges horrendi. »

17. *Et reddidit justis*, Glossa, « Israelitis, » *mercedem laborum suorum*, Glossa, « terram promissionis, quam eis prius promiserat : » [4] « Semini tuo dabo terram hanc. » *Et adduxit illos*, scilicet ad terram prædictam, *in via mirabili*, Glossa, « per desertum [5] : « In terra deserta, invia, et inaquosa. » Hæc autem via fuit mirabilis, quia nullo modo pervia tanto exercitui sine multis miraculis. Unde sequitur : *Et fuit illis in velamento diei*, id est, æstus diurni, scilicet per columnam nubis : *Et in luce stellarum nocte*, id est loco lucis stellarum. Et hæc per columnam ignis, ut dicit Glossa [6] : « Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. » Item [7] : « Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, etc., nubem per diem, » etc.

18. *Et* (*a*) *transtulit illos*, etc., scilicet in exitu de Ægypto, *per mare rubrum* : [8] « Divisa est aqua, et ingressi sunt filii per medium sicci maris. » Dicitur autem *Mare rubrum* a colore, quem trahit, ex terra rubra adjacente. *Et transvexit illos per aquam nimiam*, scilicet ipsius maris, cujus aquæ erant eis [9] muro a dextris et a sinistris. Et nota, quod dicit *per mare rubrum*, quoad qualitatem; *per aquam nimiam*, quoad quantitatem.

19. *Inimicos autem illorum*, scilicet Ægyptios, *demersit in mare*; [10] « Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare. » Item [11] : « Submersi sunt, quasi plumbum, » etc. *Et ab altitudine*, id est, profunditate infernorum, id est, ineffabilium afflictionum, ut dicit Glossa, *eduxit illos*, scilicet filios Israel, in hoc scilicet quod inimicos eorum, qui eos volebant illuc mittendo occidere, illuc transmisit, vel projecit : [12] « De altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii. » *Ideo justi*, scilicet quia cum illis erat sapientia; *Justi*, scilicet filii Israel, *tulerunt spolia filiorum*, Glossa, « vasa aurea et argentea Ægyptiorum, » ut patet in Exodo [13].[14] « Custoditur justo substantia peccatoris. » Nota, quod non dicit : *abstulerunt*, quia de mandato superioris, scilicet Dei, hæc fecerunt : et ideo furtum, vel rapinam non commiserunt saltem illi, qui non cupiditate, sed intentione obediendi, hæc fecerunt.

20. *Et decantaverunt*, id est, devote cantaverunt, scilicet post transitum maris rubri, *Domine*, *nomen sanctum tuum* [15] : « Cantemus Domino, » etc. « Dominus quasi vir pugnator; omnipotens nomen ejus. » Sic autem *decantaverunt*, pro sua liberatione, *et victricem manum tuam*, id est, potentiam, *laudaverunt pariter*, id est simul, scilicet pro suorum adversariorum dejectione; unde [16] : « Dextra tua, Domine, magnificata est in fortitudine. »

24. *Quoniam sapientia*, etc., quasi dicat: Et merito decantaverunt et laudaverunt, etc., quoniam sapientia, eos scilicet liberans, aperuit, scilicet in laudem nominis divini, *os mutorum*, prius præ timore obmutescentium [17] : « Viderunt filii Israel Ægyptios post se, et timuerunt valde. » *Et linguas infantium*, id est, fari nequeuntium, *fecit disertas*, id est, eloquentes fore, ad litteram, linguam puerorum Hebræorum, secundum illud [18] : « Ex ore infantium, » etc. ; vel *infantium*, id est, imperitorum, loqui nescientium, ad modum infantium, secundum illud [19] : « Nescio loqui, quia puer ego sum. » [20] « Ego dabo vobis os, et sapientiam, » etc. [21] « Quis fecit os hominis ? » Glossa : « Sine sapientia Dei, humana mens nec cogitare ali-

[1] *Exod.*, VII, 3. — [2] *Eccli.*, XLV, 2. — [3] *Sap.*, VIII, 15. — [4] *Gen.*, XII, 7. — [5] *Psal.* LXII, 3. — [6] *Exod.*, XIII, 22. — [7] *Isa.*, IV, 5. — [8] *Exod.*, XVI, 21. — [9] Ibid., 22. — [10] *Exod.*, XV, 4. — [11] Ibid., 10. — [12] *Eccli.*, LI, 7. — [13] *Exod.*, XII, 35. — [14] *Prov.*, XIII, 22. — [15] *Exod.*, XV, 1, 3. — [16] Ibid., 6. — [17] *Exod.*, XIV, 10. — [18] *Psal.* VIII, 3. — [19] *Jerem.*, I, 6. — [20] *Luc.*, XXI, 15. — [21] *Exod.*, IV, 11.

(*a*) Vulg. non habet *Et*.

quid, nec digne proferre potest. » Ab ipso ergo, et sapientia, et eloquentia petenda est.

CAPUT XI.

1. *Direxit opera eorum.* Hic agit de beneficiis pertinentibus ad adversariorum punitionem; et primo de pertinentibus ad punitionem (*a*) per pœnas graviores ordinatas ad condemnationem, scilicet capite decimotertio, et deinceps. In prima, primo agit principaliter de punitione Ægyptiorum, Israelitas injuste deprimentium; secundo, de punitione Chananæorum, eorum terram injuste detinentium, scilicet capite duodecimo. In prima, primo agit de punitione Ægyptiorum propter filiorum Israel depressionem injustam; secundo, propter idololatriam : *Quod quidam errantes*, etc. In prima primo ostenditur erga filios Israel, quos detinere volebant, Dei misericordia; secundo, contra Ægyptios volentes injuste detinere eos, Dei justitia : *Per quæ enim*, etc. In prima, primo tangitur Israelitarum in via directio; secundo impedimentorum in via occurrentium expeditio, sive amotio (*b*) : *Steterunt*, etc.; tertio, ipsorum in via refectio : *Sitierunt*, etc.

Dicit ergo : *Direxit*, quasi dicat : Non solum prædicta beneficia fecit sapientia populo Israelitico; sed etiam *direxit opera illorum*; Glossa : « Israelitarum post recessum, » scilicet eorum de Ægypto, *in manibus*, id est, in potestate et regimine, *Prophetæ sancti*, Glossa : « Moysi, » qui fuit propheta quoad doctrinam [1] : « Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus. » *Sanctus*, quoad vitam [2] : « Invenisti gratiam coram me. » Hic eos docebat et regebat non solum verbis, quia propheta, sed etiam exemplis, quia sanctus, ut possit dici de eo illud [3] : « Fuit propheta potens in opere et sermone. »

2. *Iter fecerunt*, Glossa, « Properantes ad terram promissionis, » *per deserta*, id est, per plura loca derelicta, scilicet cultoribus, *quæ non habitabantur*, scilicet ad incolis hominibus. Et hoc factum est sapientia dirigente eos per manum Moysi, secundum illud [4] : « Deduxisti populum tuum sicut oves in manu Moysi, et Aaron. » Quod non recognoverunt multi, unde [5] : « Non dixerunt : Ubi est Dominus, qui transduxit (*c*) nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam? » *Et in locis desertis fecerunt casas*, Glossa : « tabernacula, » id est, pauperes domunculas; et dicuntur *casæ* a *cadendo*, quia de facili cadere possunt. Similiter legitur de Abraham [6], quod habitavit in casulis. Et hæc fecerunt per duas et quadraginta mansiones, quæ determinantur in *Numeris* [7].

3. *Steterunt contra hostes*, scilicet contra Amalechitas, cum eis pugnando; et contra Madianitas. *Et de inimicis*, scilicet Amalechitis, *se vindicaverunt*, scilicet triumphando, et eos occidendo; et hæc per orationem Moysi, et elevationem manuum ejus, ut patet in *Exodo* [8].

4. *Sitierunt*, scilicet ex parte corporis, propter aquæ penuriam; *et invocaverunt te*, scilicet ex parte animæ. Et hæc per seipsos, vel per Moysen, unde [9] : « Domine Deus, audi clamorem populi hujus. » [10] « Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur. » *Et data est eis aqua de petra altissima*, id est, de petra valde alta [11] : « Percuties petram, » etc. Item [12] : « Loquimini ad petram, et illa dabit vobis aquas. » *Et requies sitis*, id est, sedatio sitis per potum aquæ, (*d*) *de lapide duro*, repente *data est eis* [13] : « Percussit petram, et fluxerunt aquæ. » Item [14] : « Egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut biberet populus et jumenta. » Dicitur autem petra altissima, id est, valde alta; vel altissima, ratione significati, scilicet quia significabat Christum, unde [15] : « Pe-

[1] *Deut.*, XVIII, 15. — [2] *Exod.*, XXXIII, 12. — [3] *Luc.*, XXIV, 19. — [4] *Psal.* LXXVI, 21. — [5] *Jerem.*, II, 6. — [6] *Hebr.*, XI, 9. — [7] *Num.*, XXXIII, 1-49. — [8] *Exod.*, XVII, 11. — [9] *Num.*, XX, 6. — [10] *Psal.* CVI, 6. — [11] *Exod.*, XVII, 6. — [12] *Num.*, XX, 8. — [13] *Psal.* LXXVII, 20. — [14] *Num.*, XX, 11. — [15] I *Cor.*, X, 4.

(*a*) *Suppl.* per pœnas ordinatas ad repressionem; secundo. — (*b*) *Cæt. edit.* amovitio. — (*c*) *Vulg.* traduxit. — (*d*) Cæt. edit. add. *Et*.

tra autem erat Christus : » de hac petra egrediuntur spirituales aquæ gratiarum : [1] « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, » etc. Item [2] : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. »

5. *Per quæ enim :* hic ostenditur divinæ justitiæ effectus contra Ægyptios, qui Israelitas detinere volebant. Et primo tangitur, per defectum aquæ, Ægyptiorum punitio; secundo, congruentia pœnæ : *Nam pro fonte*, etc.; tertio, intentio punientis : *Qui cum minuerentur*, etc.; quarto, gravitas punitionis : *Hoc quidem ;* quinto, effectus in punitis (*a*) : *Cum enim audirent. Per quæ*, etc. Glossa : « Memoratis beneficiis priori populo datis, narratur pœna inimicorum. » *Per quæ enim*, etc., quasi dicat : Israelitis data est aquarum abundantia; *enim*, pro *quia* : per hæc pœnas passi sunt inimici illorum, scilicet Ægyptii; *a defectione potus sui*, scilicet tota aqua Ægypti versa in sanguinem, ut de ea non possent bibere, ut patet [3]. *Et in eis, cum abundarent filii Israel*, scilicet in aquis, quæ in terra Gessen abundabant, vel secundum Glossam, quæ fluxerant de petra : *Lætati sunt* (v. 6) *per hæc*, scilicet per aquas : *Cum illis deessent*, scilicet aquæ, Glossa : « Israelitis; » *bene cum illis actum est*, quia defectus ille per miraculum suppletus est.

7. *Nam pro fonte*, etc., quasi dicat : Bene et congrue Ægyptiis defectus aquæ; Israelitis vero aquarum abundantia condonata est. *Nam pro fonte quidem*, certe, *sempiterni fluminis*, id est, Nili a principio mundi continue fluentis, est enim de fluminibus paradisi; *humanum sanguinem*, id est, speciem humani sanguinis, *dedisti injustis*, id est, Ægyptiis, quoniam, secundum Glossam, aquæ eorum in sanguinem versæ sunt, ut patet in Exodo [4].

8. *Qui*, scilicet filii Israel, *cum minuerentur in traductione infantium occisorum*, id est, propalatione et occisione infantium, quæ fiebat ne populus multiplicaretur, sed minueretur, ut patet in Exodo [5]; *dedistis illis*, scilicet filiis Israel, *abundantem aquam insperate*, id est, ex improviso, quia in deserto, et de petra fluente per miraculum in deserto. Miraculum [6] est opus arduum et insolitum, supra spem et facultatem existens admirantis. *Humanum sanguinem*, etc., quasi vellet dicere, secundum Glossam : Ægyptiis pro aqua sanguinem; Israelitis pro sanguine puerorum effuso aquam dedisti.

9. *Ostendens*, o Domine, *per sitim, quæ tunc fuit* in Ægypto Ægyptiis, et in deserto Israelitis, *quemadmodum tuos exaltares*, scilicet in futuro, cum [7] « torrente voluptatis tuæ potabis eos : » in hoc scilicet, quod tam mirabiliter potasti eos in præsenti. *Et adversarios eorum necares* ; Glossa : « siti æterna, » sicut divitem epulonem. Item [8] : « Ecce mei servi bibent, vos sitietis. » Vel secundum litteram per hoc figurabantur Ægyptii in Mari Rubro necandi, et Israelitæ liberandi.

10. *Cum enim tentati sunt*, scilicet filii Israel in deserto tentationibus multis et plagis ; Glossa : « Israelitas peccantes dignis plagis corripuit Deus, et consolatus est; unde sequitur : *Et quidem*, id est certe, *cum misericordia disciplinam*, cum misericordia consolante disciplinam corripientem, vel misericordem et levem correptionem, seu flagellationem, pro culpis suis : et ideo ipsam abjicere non debuerunt [9] : « Fili mi, disciplinam Domini ne abjicias ; » et [10] : « Quod si extra disciplinam estis, adulteri estis, et non filii. » *Scierunt*, scilicet per experimentum, *quemadmodum cum ira*, id est quam aspere : quod timebat Propheta, dicens [11] : « Domine, ne in furore tuo arguas me, » etc. *Judicati impii*, scilicet in præsenti, *tormenta paterentur*, scilicet in futuro incomparabiliter graviora [12] : « Pluet enim super pec-

[1] *Joan.*, IV, 13. — [2] *Joan.*, VII, 37. — [3] *Exod.*, VII, 21. — [4] *Exod.*, VII, 20. — [5] *Exod.*, I, 10, 16. — [6] Aug., *de utilit. Cred.*, c. XVI. — [7] *Psal.* XXXV, 9. — [8] *Isa.*, LXV, 13. — [9] *Prov.*, III, 11. — [10] *Hebr.*, XII, 7. — [11] *Psal.* VI, 2. — [12] *Psal.* X, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* impuniti.

catores laqueos, » etc. *Scierunt,* inquam, per experimentum, et in hoc quod tam aspere correcti sunt[1] : « Si in viridi ligno hoc fuerit, in arido quid fiet? » Item[12] : « Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator? » Item[3] : « Ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere : et vos quasi innocentes immunes eritis? » quasi dicat : Non.

11. *Hos quidem,* Glossa : « Israelitas, » *tanquam pater monens*, scilicet ad majorem profectum, vel ad proficiendum in melius, *probasti,* id est, de sua correctione monendo, probatos reddidisti[4] : « Flagellat enim Dominus omnem filium, quem recipit ; » et[5] : « Quem diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. » Item[6] : « Tanquam aurum in fornace probavit illos. » *Illos autem,* Glossa : « Ægyptios aut Chananæos, » *tanquam rex durus,* per effectum scilicet punitionis, qui in natura tua benignus es ; *interrogans*, pœnis scilicet et quæstionibus tormentorum, sicut scilicet latrones et malefactores ponuntur in quæstionibus et torquentur. Gregorius : « Pœna interrogat, si quis quietus veritatem amat. » *Condemnasti,* quia per flagella non sunt emendati, sed deteriorati[7] : « Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. » Item[8] : « Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos. »

12. *Absentes enim,* etc., quasi dicat : Bene dixi, quod dure condemnasti eos : *absentes enim*, scilicet Ægyptii a præsentia Moysi et Pharaonis, vel a filiis Israel, *et præsentes*, scilicet malitiæ Pharaonis expresse consentientes ; vel, secundum Glossam, Chananæi, sive qui ab Israel occisi sunt, sive qui victoriam aliorum audierunt, *similiter torquebantur,* quia plagæ erant in tota terra Ægypti, ut patet de plaga sanguinis. Vel *præsentes torquebantur* corpore ; *absentes,* qui hoc audiebant, torquebantur mente. Sed tunc quæritur quo modo ergo similiter torquebantur, si absentes mente torquebantur, præsentes vero corpore. Dicendum, quod similiter in genere, scilicet quantum ad hoc, quod tam illi, quam isti, torquebantur ; sed non similiter in specie vel modo.

Dubitatio.

Solutio.

13. *Duplex enim illos acceperat*, scilicet quasi in possessione, *tædium*, id est afflictio, secundum illud : « Induantur, sicut diploide, confusione sua. »[10] « Duplici contritione contere eos. » *Duplex,* inquam, *et* (pro *id est*) *gemitus*, de incursu malorum præsentium, *cum memoria præteritorum*, id est cum dolore, quem habebant ex recordatione præteritorum malorum, videntes quod plagis plagæ succedebant. Glossa : « *Duplex tædium,* id est præteritorum malorum recordatio, et præsentium tempestas. »

14. *Cum enim audirent*, etc. Hic ostenditur punitionis effectus in punitis : primo, ex parte Israelitarum ; secundo, ex parte Ægyptiorum : *Quem enim,* etc. ; tertio, ex parte utrorumque : *Non similiter,* quasi : Hos probasti, et illos condemnasti. *Cum enim audirent,* scilicet filii Israel, Moyse hæc eis prædicante, *per sua tormenta bene secum agi,* id est, utiliter, scilicet ad eorum salutem, secundum illud[11] : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum : » *commemorati sunt Dominum*, quem scilicet quasi oblivioni tradiderant : qui desperantes,[12] « non sunt recordati manus ejus, » etc. Item[13] : « Obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis : » postea tamen afflicti, sunt ejus recordati : « Oculos enim, quos culpa claudit, pœna aperit, » ut dicit Gregorius[14]. [15] « Et rememorati sunt, quia Deus adjutor eorum est. » *Admirantes,* scilicet Dei potentiam et misericordiam, *in finem exitus*, id est, post finem eventus rei, ex fine enim dependet rectum judicium : Exitus enim[16] acta probat. Unde et Christum Petrus[17] « sequebatur, ut videret finem. »

[1] *Luc.*, XXIII, 31. — [2] *Prov.*, XI, 31. — [3] *Jerem.*, XXV, 29. — [4] *Hebr.*, XII, 6. — [5] *Prov.*, III, 12. — [6] *Sap.*, III, 6. — [7] *Ezech.*, XXIV, 6. — [8] *Jerem.*, VI, 30. — [9] *Psal.* CVIII, 23. — [10] *Jerem.*, XVII, 17. — [11] *Rom.*, VIII, 28. — [12] *Psal.* LXXVII, 42. — [13] Ibid., 11. — [14] Greg., *Moral. in Job*, lib. XV, c. VII. — [15] *Psal.* LXXVII, 35. — [16] Ovid. — [17] *Matth.*, XXVI, 58.

16. *Quem enim*, etc. quasi : Et vere ita est; *quem*, scilicet populum Israeliticum, vel Moysen, *in expositione prava projectum*, id est, male et periculose projectum, scilicet in flumine, *deriserunt*, scilicet Ægyptii, tanquam periturum in flumine, non obstante fiscella : *in finem eventus mirati sunt*, id est, post finem eventus rei, *videntes*, scilicet Moysen ita sublimatum miraculis, unde [1]: « Fuit ita Moyses vir magnus valde coram servis Pharaonis et omni populo. » Vel *in finem mirati sunt*, scilicet populum miraculose liberatum [2] : « Fugiamus enim Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. » Sic erant impii, non considerantes finem justorum, sed tantum præsentem afflictionem [3] : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. » *Non similiter*, etc., quasi dicat : Sic impios condemnasti, et justos liberasti, tu, dico, *non similiter justis faciens* (*a*), Glossa : « ut injustis » : quia [4] « septies in die cadit justus, et resurgit; impii autem in malum corruent. » Ratio vero diversitatis non est ex parte Dei, cum [5] « non sit acceptor personarum; » sed ex parte injustorum, unde sequitur (v. 16) : *Pro cogitationibus autem*. Bene dixi : *Non similiter* (*autem* pro *sed* potius) *pro cogitationibus insensatis*, id est, in malo induratis, *iniquitates* (*b*) *illorum*, scilicet exteriores sunt; quasi dicat : Pro malis cogitationibus permittuntur cadere in malas operationes; unde Glossa : « Iniqua opera ex cogitationibus prodeunt, quia reprobi non mutant cor inter flagella Domini.» [6] «Secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, » etc. [7] « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » *Quod quidam errantes*, etc. : hic tangitur punitio Ægyptiorum propter idololatriam, et hoc per immissionem muscarum; et ostenditur hujus pœnæ congruitas primo ex parte peccantis; secundo ex parte judicis punientis, ibi : *Non enim quod quidam*, etc., quasi dicat : Sicut puniti sunt pro Israelitarum punitione, *quod* (pro *quia*) *quidam* Ægyptiorum *errantes*, scilicet a fide [8] : « Errant, qui operantur malum. » *Colebant mutos serpentes* : *mutos* dicit, ad differentiam serpentis qui locutus est Evæ in paradiso terrestri. *Et bestias supervacuas*, id est inutiles ad colendum; colebant enim Ægyptii Æsculapium sub specie serpentis; Mercurium, sub specie canis; Jovem, sub specie arietis; Apim sub specie bovis : [9] « Mutaverunt similitudinem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. » *Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam*, scilicet ranas, et muscas, cinifes et locustas, secundum illud [10] : « Misit in eos cœnomyiam (*c*), et comedit eos; et ranam, et disperdidit eos; et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ. »

Ægyptiorum idololatria.

17. *Ut scirent, quia per quæ*, id est per qualia, *peccat quis, per hæc*, id est, per similia, *et* (id est etiam) *torquetur*; Glossa : « Ut ex similitudine pœnæ, cognoscerent qualitatem culpæ; » sicut [11] Aman « suspensus est patibulo, quod paraverat Mardochæo ; » et Holophernes proprio pugione occisus est a muliere, quam male concupierat.

18. *Non enim impossibilis*, etc. Hic ostenditur pœnæ congruentia ex parte judicis punientis, qui potius vult uti misericordia, quam potentia. Et primo ostenditur, quod hujus levis punitio non fuit ex impotentia; secundo, quod fuit ex (*d*) misericordia : *Sed omnia*; tertio subditur probatio potentiæ : *Multum enim* ; quarto probatio misericordiæ : *Et misereris*. In prima ostendit, quod poterat eos aliter punire, scilicet aut per instrumentum vindictæ jam creatum, aut per aliud novo creandum, ibi : *Aut novi generis*, etc.; aut immediate per ipsum : *Nam et sine iis*, etc. Dicit ergo : *Non enim*, etc. :

[1] *Exod.*, XI, 1. — [2] *Exod.*, XIV, 25. — [3] *Sap.*, V, 4. — [4] *Prov.*, XXIV, 16. — [5] *Act.*, X, 34. — [6] *Rom.*, II, 5. — [7] *Apoc.*, XXII, 11. — [8] *Prov.*, XIV, 22. — [9] *Rom.*, I, 23. — [10] *Psal.* LXXVII, 45. — [11] *Esth.*, VII, 10.

(*a*) Vulg. *sitientes*. — (*b*) Vulg. *iniquitatis*. — (*c*) *Cæt. edit.* cynomyam. — (*d*) *Item* hæc.

bene dixi, quod punivisti eos per ea, per quæ peccaverant, et hæc propter pœnæ ad culpam convenientiam, non propter impotentiam : *Non enim impossibilis erat*, id est, valde impotens, *manus tua*, id est, filius tuus, secundum illud [1] : « Emitte manum tuam de alto. » *Omnipotens*, unde [2] : « Omnipotens sermo tuus, Domine, » etc. *Quæ creavit*, id est, formavit, *orbem terrarum :* creare enim est de nihilo aliquid facere; formare vero, ex materia præjacente : orbis autem terrarum fuit ex materia præjacenti, prius tamen creata informi, unde sequitur : *Et materia invisa*, id est, ex prima materia, quæ invisa, id est invisibilis erat tunc ex parte sui, quia carebat forma distincta, et ex parte agentis, quia deerat lux, quæ necessaria est ad reducendum sensum visus de potentia in actum, unde [3] : « Terra erat inanis, et vacua, » scilicet quoad primum defectum; « et tenebræ erant super faciem abyssi, » quoad secundum. *Immitte illis*, scilicet pro vindicta, *multitudinem ursorum, aut leones audaces*, quæ sunt animalia fortia et rapacia; propter quod de eorum superatione gloriatur David [4] : « Leonem et ursum interfeci. » *Immitte*, inquam, *leones*, etc., sicut fecit quando [5] in terram Samariæ misit leones, qui populos illuc translatos devorabant, quia Deum non colebant ; (v. 19) *aut novi generis ira plenas, et ignotas bestias*, et ideo terribiliores [6] : « Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, » etc.; *aut vaporem igneum*, vel ignium, *spirantes*, scilicet ad consumptionem; *aut odorem fumi proferentes*, scilicet ad aeris infectionem; *aut horrendas ab oculis scintillas emittentes* ad terrorem; (v. 20) *quarum non solum læsura*, facta scilicet percutiendo, *poterat illos exterminare*, id est, extra terminos vitæ ponere; *sed et aspectus*, videndo, *per timorem occidere*, scilicet injustos et malos; de justo enim dicitur [7] : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et et draconem. » Notandum autem, quod per diversas prædictas bestias possunt sex genera peccatorum intelligi : per ursum, vitium gulæ ; per leonem, superbiæ ; per bestias ira plenas, iræ; per vaporem igneum spirantes, luxuriæ; per odorem fumi proferentes, avaritiæ ; per scintillas ab oculis emittentes, invidiæ.

Materia prima creata.

Pecc sex p totid besti signi cata.

21. *Sed et sine iis*, etc.: nec solum hoc modo poteras eos punire; *sed et sine iis*, id est, sine harum bestiarum adminiculo, *uno spiritu poterant occidi*, Glossa : « id est una indignatione, vel jussu. » Sic accipitur spiritus, ubi dicitur [8] : « Non permanebit spiritus meus in homine, » id est, indignatio mea, etc. Vel *uno spiritu*, scilicet angelico, sicut Sennacherib et exercitus ejus, ut patet in Isaia [9]. *Persecutionem passi*, scilicet tanquam a causa meritoria, *ab ipsis factis suis*, ita quod ipsis operibus suis perimerentur, sicut vipera suo partu perit [10] : « Genimina viperarum, » etc. [11] « Secundum opera manuum eorum tribue illis. » *Et dispersi*, scilicet per loca diversa extra terram suam, *per spiritum virtutis suæ :* hoc potest intelligi intransitive, et tunc intelligitur de spiritu increato. [12] « Vidi eos qui operantur iniquitatem, stante Deo, periisse, et spiritu ejus esse consumptos.» *Sed omnia*, etc.: ostendit (*a*) quod ex misericordia punivit, et punit minus quam posset; et primo per hoc, quod non punivit ultra quam exigeret culpæ quantitas : *Quia in mensura ;* secundo per hoc, quod non punivit ultra, quam exigeret culpæ multiplicitas : *Quia in numero ;* tertio, quia non ultra quam exigeret peccantis conditio, vel qualitas : *Quia in pondere*. Bene dixi, quod non punis secundum immensitatem potentiæ tuæ, id est, quantum posses. *Sed* (*b*) *omnia*, etc., quasi dicat : Non tantum crea-

[1] *Psal.* CXLIII, 7. — [2] *Sap.*, XVIII, 15. — [3] *Gen.*, I, 2. — [4] I *Reg.*, XVII, 36. — [5] IV *Reg.*, XVII, 35. — [6] *Deut.*, XXXII, 24. — [7] *Psal.* XC, 13. — [8] *Gen.*, VI, 3. — [9] *Isa.*, XXXVII, 7. — [10] *Luc.*, III, 7. — [11] *Psal.* XXVII, 4. — [12] *Job*, IV, 8.

(*a*) Cæt. edit. *Sed et omnia ostendit*. — (*b*) Hic etiam add. *et*.

turas ipsas, sed et earum retributiones et pœnas, seu punitiones : *disposuisti in mensura*, ut non excedant culpæ quantitatem ; *in numero*, ut non excedant culpæ multitudinem ; *in pondere*, ut non excedant peccantis conditionem, vel peccati circumstantiam. Quod autem puniat secundum mensuram [1] : « Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date ei tormentum et luctum. » Item [2] : « In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabit eam. » Item [3] : « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » Quod secundum numerum [4] : « Duplicate ei duplicia secundum opera ejus. » Item [5] : « Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, » id est, duplicem pœnam, scilicet pœnam damni, et pœnam sensus ; vel pœnam corporalem exteriorem, et spiritualem interiorem, id est, conscientiæ remorsum. Quod secundum pondus, patet supra [6] : « Exiguo conceditur misericordia ; potentes potenter tormenta patientur. »

Aliter potest sic exponi : *Omnia*, scilicet corporalia quantum ad suam naturam, *disposuisti in mensura*, *numero et pondere*, quia mensura omnium corporalium sunt quatuor elementa, quæ habent numerum, pondus et mensuram, ut patet. Vel aliter : *pondus* refertur ad potentiam operantis ; *numerus*, ad sapientiam ordinantis ; *mensura*, ad clementiam conservantis [7] : « Ex quo omnia, » quantum ad potentiam Patris ; « per quem omnia, » quoad sapientiam Filii ; « in quo omnia, » quoad clementiam Spiritus sancti. Secundum Glossam [8] Rabani, *in mensura*, qualitas ; *in numero*, quantitas ; *in pondere*, ratio. Secundum Augustinum [9], *mensura* creaturæ est ejus certa quantitas, qua dicitur magna, vel parva, vel mediocris ; *numerus*, certa qualitas, qua ab alia disjungitur ; *pondus*, proprietas, qua in loco suo consistit ; unde, secundum Augustinum [10], mensura idem est quod modus ; species idem est quod numerus ; ordo, quod pondus. Hæc tria, scilicet modus, species et ordo, ubi magna sunt, magna bona sunt ; ubi parva, parva ; ubi nulla, nulla, sicut ipse dicit. Vel potest hoc exponi de mensura, numero et pondere in increatis, sic : *In mensura*, id est, in te omnia mensurante, id est, modum rei cuilibet præfigente ; *in numero*, id est, in te omnia numerante, id est, cuilibet rei speciem propriam largiente ; *in pondere*, id est, in te omnia ponderante, id est omnibus proprium et certum ordinem assignante. Huic concordat quædam expositio Augustini dicentis [11] : *In mensura*, id est in te ipso, qui es mensura sine mensura, unicuique rei modum præfigurans ; numerus sine numero, omni rei speciem præbens ; pondus sine pondere, omnem rem ad stabilitatem trahens : primum, in ratione efficientis ; secundum, in ratione exemplaris ; tertium, in ratione causæ finalis. Moraliter sic : *In mensura*, contra vitium inflationis (*a*) ; *in numero*, contra vitium singularitatis ; *in pondere*, contra vitium levitatis.

Sed objicitur : Si omnia disposuit in mensura, numero et pondere, ergo de mensura in mensuram, et sic in infinitum. Potest dici, quod loquendo de numero, pondere et mensura in increatis, distributio est universalis ; loquendo vero de creatis, distributio est accommoda, ita scilicet, quod intelligitur fieri distributio pro mensuratis, numeratis et ponderatis. Vel omnia entia completa, non in alio (*b*) concreata : talia autem non sunt mensura, numerus et pondus ; sed in aliis concreantur, cum non sint (*c*) entia per se stantia, et completa.

22. *Multum enim*, etc. : hic ponitur probatio potentiæ divinæ : primo per ejus magnitudinem ; secundo per parvitatem creaturæ : *Quoniam tanquam*, etc.

[1] *Apoc.*, XVIII, 7. — [2] *Isa.*, XXVII, 8. — [3] *Luc.*, VI, 38. — [4] *Apoc.*, XVIII, 6. — [5] *Isa.*, XL, 2. — [6] *Sap.*, VI, 7. — [7] *Rom.*, XI, 36. — [8] Ex *Hypognost.* seu *Hypomnest.*, lib. VI, n. 6. inter Opera S. Aug., append. t. X. — [9] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. IV, c. III ; n. 7. — [10] Ibid. — [11] Ibid., et *ad Oros.*, q. XXXIX, inter Oper. Aug., append. tom. VI.

(*a*) *Cæt. edit.* influitatis. — (*b*) *Item* completa in alio, non. — (*c*) *Item add.* non.

Multum enim, etc., quasi dicat : Bene patet quod ex impotentia non fuit, quia sic eos punivit : *multum enim valere*, id est, valde posse, *tibi soli*, etiam sine alterius adjutorio, *superat semper*, scilicet propter infinitatem potentiæ tuæ : « infinitum enim [1] est, cujus partes, vel quantitatem accipienti semper est accipere aliud extra. » [2] « Non erit impossibile apud Deum omne verbum. » *Semper*, id est, omni tempore, vel in æternum, secundum illud [3] : « Potestas ejus, potestas æterna. » *Et virtuti*, id est, perfectæ potentiæ, quia secundum Philosophum, [4] « virtus est ultimum de potentia in re; » *brachii tui*, secundum illud [5] : « Induere fortitudinem, brachium (*a*) Domini : » *quis resistet?* quasi dicat : Nullus potest; et hoc est, quia non patitur ab aliquo.

23. *Quoniam*, etc. Et vere; *quoniam totus orbis terrarum*, id est, universitas creaturarum, *sic est ante te*, id est, in tua dispositione, vel in tua comparatione, *sicut momentum stateræ*, id est, illud modicum quo statera huc vel illuc inclinatur. Unde dicitur *momentum* a *movendo*, vel quia sicut faciliter et quasi in momento movetur huc et illuc, sic divina virtute mundus ad nutum Dei movetur; unde [6] : « Ecce gentes, quasi stilla situlæ, et sicut momentum stateræ, reputatæ sunt. *Et quasi gutta roris antelucani*, id est, ante lucem cadentis, *qui descendit in terram*, quæ a facie solis facile dissolvitur, nec ei potest resistere. Et notandum, quod dicit creaturam esse *tanquam momentum*, etc., respectu Dei, quantum ad facilitatem agendi in ipsam; *et tanquam gutta roris*, etc., quantum ad impossibilitatem patiendi ab illa [7] : « Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram illo. »

Momentum unde dicatur.

24. *Sed misereris omnium*, etc. Hic ponitur probatio divinæ misericordiæ : et primo probat eam per effectum dissimulationis; secundo, per effectum dilectionis : *Diligis enim*, etc.; tertio, per effectum conservationis, *quomodo autem posset*, etc.; quarto, per effectum remissionis : *Parcis autem*, etc.

Sed misereris omnium, id est, in omnibus exerces misericordiæ effectum, secundum illud [8] : « Miserationes ejus super omnia opera ejus. » Item [9] : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas. » Item [10] : « Misericordia Domini plena est terra. » *Quoniam omnia potes*; unde omnia sunt facturæ tuæ, et opera tua, secundum illud [11] : « Qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt. » *Et dissimulas ad tempus*, scilicet non puniendo, *peccata hominum :* non dicit *Angelorum*, quia peccatum Angelorum statim fuit punitum; unde [12] : « Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? » *Propter pœnitentium;* unde [13] : « Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? » [14] « Si egerit impius pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, etc., vita vivet et non morietur. »

25. *Diligis enim omnia quæ sunt*, scilicet bona eorum approbando et conservando; unde [15] : « Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. » Glossa : « Bonus opifex opus suum diligit. » Deus autem peccatum non fecit; unde [16] : « Sine ipso factum est nihil, » id est, peccatum, secundum Augustinum [17]. Et ideo peccatum non diligit, sed odit, secundum illud [18] : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » *Et nihil odisti eorum quæ fecisti*; nullum scilicet reprobando. Contra quod dicitur [19] : « Iniquos odio habui. » Item [20] : « Odisti omnes qui operantur iniquitatem. » Item [21] : « Altissimus odio habet peccatores. » Sed dicendum, quod non odit facturam suam, sed facturæ vitium; sicut artifex statuam, quam fecit, diligit, et tamen aliquem nodum, in ea ex parte materiæ existentem, odit. *Non enim odiens*,

[1] Arist., *Phys.*, lib. III, text. 63. — [2] *Luc.*, I, 37. — [3] *Dan.*, VII, 14. — [4] Id., *de Cœl.*, lib. I, text. 116. — [5] *Isa.*, LI, 9. — [6] *Isa.*, XL, 15. — [7] Ibid., 17. — [8] *Psal.* CXLIV, 9. — [9] *Psal.* XXIV, 10. — [10] *Psal.* XXXII, 5. — [11] *Psal.* CXLV, 6. — [12] *Isa.*, XIV, 12. — [13] *Rom.*, II, 4. — [14] *Ezech.*, XVIII, 21. — [15] *Gen.*, I, 31. — [16] *Joan.*, I, 3. — [17] Aug., *in Evang. Joan.*, tract. I, n. 13. — [18] *Psal.* XLIV, 8. — [19] *Psal.* CXVIII, 113. — [20] *Psal.* V, 7. — [21] *Eccli.*, XII, 3.

(*a*) *Item* brachii.

id est invitus, *aliquid constituisti,* scilicet de nihilo ipsum creando, aut fecisti de materia præjacenti formando; unde Boetius [1] :

> Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
> Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
> Forma boni, etc

Unde [2] : « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. »

26. *Quomodo autem posset aliquid,* id est ulla creatura, *permanere,* scilicet in suo esse, *nisi tu voluisses,* id est, nisi tua bonitate voluntarie conservares? quasi dicat : Nullo modo. Unde Gregorius [3] : « Cuncta, quæ sunt, in nihilum tenderent, nisi manu Creatoris sustentarentur, vel tenerentur. » *Aut quod a te vocatum non esset,* id est, nisi tua sapientia intuendo approbares [4] : « Qui vocat ea, quæ non sunt, » etc. *Conservaretur,* quasi dicat : Nihil.

27. *Parcis autem omnibus,* scilicet hominibus, qui dicuntur *omnis creatura,* secundum illud [5] : « Prædicate Evangelium omni creaturæ; » *parcis,* inquam, quia tibi est proprium, juxta illud [6] : « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere. » *Quoniam tua sunt;* unde [7] : « Omnes animæ meæ sunt. » *Qui amas animas*; quod patet, quia animam tuam posuisti pro eis, et [9] : « Majorem hac dilectionem nemo habet, » etc. Unde Bernardus [10] : « Majorem habuisti, eam ponens pro inimicis tuis. »

CAPUT XII.

1. *O quam bonus*, etc. Postquam egit de beneficiis exhibitis filiis Israel in afflictione vel punitione Ægyptiorum principaliter; hic agit de beneficiis exhibitis eisdem in afflictione Chananæorum et Amorrhæorum, terram promissionis inhabitantium principaliter. In prima, primo ostenditur illorum populorum justa punitio; secundo, misericordia exhibita in puniendi modo : *Sed in iis*, etc.; tertio, populi Dei in utroque instructio : *Tu autem*, *Domine*, etc.; quarto, adversariorum incorrigibilium per utrumque condemnatio : *Unde et in illis*, etc. In prima tangitur pia intentio punientis; secundo, æquitas punitionis : *Illos enim*, etc. Piæ intentionis primo ostendit causam; secundo, signum : *Ideo*, etc; tertio, finem : *Ut relicta malitia*, etc. *O quam bonus,* etc.: exclamatio est innuens insufficientiam loquentis ad exprimendum bonitatem Creatoris; est enim sensus : *O quam*, etc., quasi dicat : Non valeo exprimere quantum; et hoc, propter infinitatem bonitatis tuæ. *Bonus*, scilicet in bona tua communicando : est enim bonum diffusivum sui, secundum Dionysium [11]. Et [12] : « Nemo bonus, nisi solus Deus : » solus enim Deus communicat sua; omnis creatura, alienum, quia nihil habet suum; unde [13] : « Quid habes, quod non accepisti? » *Et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus*, scilicet malis parcendo nostris [14] : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. » *Spiritus,* inquam, *tuus in nobis*; Glossa : « Quia amor Dei fons totius boni est. » *In omnibus,* maxime in quibus magis apparet Dei misericordia; nam [15] : « Suavis Dominus universis. »

Exclamatio quid innuat.

2. *Ideoque*, quia bonus et suavis, *eos qui exerrant*, id est, extra viam veritatis errant in fide, vel moribus, sicut illi, de quibus ait [16] : « Omnes nos, quasi oves, erravimus; » item [17] : « Erraverunt cæci in plateis; » *partibus corripis,* id est, flagella per partes, non simul, et successive immittendo, secundum illud [18] : « Non ejiciam eos a facie tua uno anno, sed paulatim expellam eos; » et [19] : « Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde, sed modicum. » *Corripis*, vel per te, vel per eos quos Spiritu sancto reples, secundum Glossam [20] : « Arguet mundum de peccato : » *Et de quibus*

[1] Boet., *de Consol.*, lib. III, metr. 9. — [2] *Prov.*, XVI, 4. — [3] Greg., *Moral.* lib. XVI, c. XVI, post med. — [4] *Rom.*, IV, 17. — [5] *Marc.*, XVI, 15. — [6] *Orat. Litan.* — [7] *Ezech.*, XVIII, 4. — [8] *Joan.*, X, 15. — [9] *Joan.*, XV, 13. — [10] Bern., *de Pass. Dom.* serm., non procul a princ. — [11] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV. — [12] *Matth.*, XIX, 17. — [13] I *Cor.*, IV, 7. — [14] *Psal.* XXXIII, 9. — [15] *Psal.* CXLIV, 9. — [16] *Isa.*, LIII, 6. — [17] *Thren.*, IV, 14. — [18] *Exod.*, XXIII, 29. — [19] *Job.*, XXXV, 15. — [20] *Joan.*, XVI, 8.

peccant, id est, de peccatis quibus peccant, *admones*, scilicet veniam promittendo, secundum illud [1] : «Pœnitentiam agite, » etc., et [2] : « Convertimini ad me, et salvi eritis, » etc. Beati qui audiunt vocem admonentis [3] : « Aures tuæ audient verbum post tergum monentis. » *Et alloqueris*, id est, pœnam comminando [4] : « Si audieritis me, bona terræ comedetis ; quod si non audieritis, gladius devorabit vos.» *Ut relicta malitia*, scilicet peccati vel infidelitatis, *credant in te, Domine*, scilicet, fide formata; *in te*, inquam, te, vel tibi tantum [5] : « Derelinquat impius viam suam, » etc. Contrarius enim est motus pœnitentiæ motui malitiæ ; quia sicut ille est a bono in malum, sic iste a malo in bonum.

3. *Illos enim*, etc. Hic tangitur æquitas punitionis; et primo, ex consideratione ipsius culpæ ; secundo, ex consideratione pœnæ : *Voluisti perdere*, etc.

Illos enim, etc. Bene dixi : *Corripis*, etc., quod patet per exemplum : *Illos enim antiquos habitatores*, scilicet Chananæos et Amorrhæos, et alios hujusmodi, *habitatores terræ sanctæ tuæ*, id est, tuis sanctis promissæ, scilicet Abraham, Isaac, Jacob ; *exhorruisti* in tantum, ut populum tuum eis copulari nolueris, aut misceri, secundum illud [6] : « Non inibis cum eis fœdus, nec sociabis conjugia, nec misereberis eorum : » (v. 4) *Quoniam odibilia tibi opera faciebant*, scilicet peccata enormia [7] : « Similiter odio sunt Deo impius, et impietas ejus : » *per medicamenta*, scilicet veneficiorum, *et sacrificia injusta*, idolorum, et contra Deum ; erant autem et sacrificia justa, quæ Deo offerebantur, sicut obtulit Noe. (v. 5) *Et filiorum suorum necatores*, et hoc contra proximum ; *sine misericordia*, id est sine compassione, quia in sacrificiis dæmonum immolabant eos cum multa devotione, secundum illud [8] : « Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. » Contra quod dicitur [9] : « Ne imitari velis abominationes illarum gentium ; nec inveniatur apud e, qui lustret filium aut filiam, ducens per ignem, *et comestores viscerum hominum* : hoc non legitur factum, sed credendum est potuisse fieri, sicut tempore obsidionis Samariæ legitur factum esse, et [10] : « Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos. » *Et devoratores sanguinis humani*, contra illud [11] : « Carnem cum sanguine non comederis. »

6. *Et auctores*, id est, effusores sanguinis ; *parentes*, id es, quamvis parentes essent sanguinis effusi ; quod gravius est, sanguinis ; dico *animarum*, id est, hominum ; partem enim ponit pro toto, et est synecdoche, sicut in *Exodo*, ubi dicitur [12] : « Omnes animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum. » *Inauxiliatarum ;* Glossa : « id est, eorum, qui se non poterant defendere ; » vel quibus nolebant auxiliari, scilicet propriorum infantulorum, quorum sanguinis ipsimet erant generatores, et effusores in sacrificio, et comestores comedendo de sacrificato. *Filiorum*, inquam, *suorum necatores*, etc., *perdere voluisti*, id est, expellere, *a medio sacramento tuo* ; id est, a terra promissionis sacra : et dicitur terra promissionis sacra, vel sacramentum, propter rei sacræ, id est, terræ viventium significationem ; et propter sacramentorum salutis nostræ in ea completionem ; et propter sacramentorum Ecclesiæ in ea institutionem, ut Eucharistiæ et Baptismi ; et propter sacrorum hominum in ea futuram inhabitationem, ut patriarcharum, prophetarum, apostolorum ; et propter sanguinis Christi in ea effusionem et irrigationem ; et propter sacrorum corporum et pulverum in ea resolutionem, scilicet patrum antiquorum ibidem sepultorum ; et propter sacri loci in ea ædificationem, scilicet templi ; et propter Sancti sanctorum nativitatem et conversationem. *Per manus parentum nostrorum*, illorum

[1] *Matth.*, IV, 17. — [2] *Isa.*, XLV, 22. — [3] *Isa.*, XXX, 21. — [4] *Isa.*, I, 19. — [5] *Isa.*, LV, 7. — [6] *Deut.*, VII, 3. — [7] *Infra*, XIV, 9. — [8] *Psal.* CV, 37. — [9] *Deut.*, XVIII, 10. — [10] *Thren.*, IV, 10. — [11] *Gen.*, IX, 4. — [12] *Exod.*, I, 5.

scilicet qui cum Josue terram promissionis intraverunt : (v. 7) *ut dignam perciperent*, scilicet parentis nostri, *peregrinationem*, id est, terram peregrinationis, *puerorum Dei*, scilicet patriarcharum, de quibus [1] : « Confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram : « *Quæ*, scilicet terra peregrinationis, *est tibi terra charior omnium*, scilicet terrarum, id est, omnibus terris, scilicet propter salutem humani generis procurandam, secundum illud Psalmi [2] : « Operatus est salutem in medio terræ. »

8. *Sed et his*, etc. Hic ostenditur misericordia exhibita in modo punitionis, et illius modi primo removet causam falsam ; secundo subdit veram : *Cum ergo*, etc. In parte prima primo ostendit, quod ille modus puniendi non fuit ex impotentia ; secundo, quod nec ex ignorantia : *Sed partibus*, etc.; tertio, quod nec ex timore : *Nec timens*, etc.; quarto, quod nec ex (*a*) injustitia : *Nec enim*, etc.

Sed et his, etc. Quamvis aliqui legant hoc de patribus introducendis, quorum Dominus hostes prius misericorditer exterruit, volens eos velut homines mortales (*b*) exponere subitis bellorum periculis ; tamen congruentius videtur exponendum de gentibus Chananæis, a facie eorum ejiciendis. Dicit ergo : *Sed et his*, quamvis scilicet tam enormiter peccassent, *pepercisti*, scilicet non statim et simul omnes illos expellendo, *tanquam hominibus*, carne fragili indutis, et ideo ad peccandum promptioribus [3] : « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia. » Hanc rationem allegat ipse Dominus in *Genesi* [4] : « Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. » *Et misisti antecessores exitus tui vespas*, id est, genus muscarum valde pungitivarum. Glossa dicit : « Timores acerrimos, quibus corda gentium pungebantur : » ii sunt crabrones, de quibus [5] : « Crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat ; » et [6] : « Mittat terrorem meum in præcursum tuum ; » et post : « Emittens crabrones prius, qui fugabant Hevæum, » etc. *Ut illos*, scilicet Chananæos, *paulatim exterminarent*, id est, extra terminos terræ promissionis ponerent, vel fugarent, vel extra terminos vitæ præsentis, vel extra terminos terræ viventium, unde [7] : « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, » exclusi scilicet a terra viventium.

9. *Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis*, secundum illud Psalmi [8] : « Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me. » *Aut bestiis sævis*, id est, aut per bestias crudeles, secundum illud Jeremiæ [9] : « Lupus ad vesperam vastavit eos, et pardus vigilans super civitates eorum ; » et [10] : « Non enim impossibilis erat manus tua, » etc. *Aut verbo duro*, id est, per visum aspero (*c*) illos *simul exterminare*, secundum illud Jeremiæ [11] : « Numquid non verba mea quasi ignis, et quasi malleus conterens petras ? »

10. *Sed partibus*, etc. Hic ostendit, quod hoc non fecit ex ignorantia, scilicet culpæ eorum actualis, vel originalis, dicens : *Sed partibus*, etc. Bene dixi, quod non quia impotens, etc.; *sed partibus*, id est paulatim, vel per partes et successive, *judicans*, id est, juste puniens [12] : « Consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ : » *dabas locum pœnitentiæ*, ut quibusdam punitis, alii corrigerentur [13] : « Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam. » *Non ignoras*, quia ignorantia in Deum non cadit, sicut nec tenebra in lucem, unde [14] : « Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ : » *quoniam iniqua est natio illorum*, per culpæ malitiam, quia iniquorum patrum iniqui filii, unde [15] : « Ex iniquis omnes qui nascuntur, testes sunt nequitiæ illorum : » *et naturalis malitia illo-*

[1] *Hebr.*, XI, 13. — [2] *Psal.* LXXIII, 12. — [3] *Gen.*, VIII, 21. — [4] *Gen.*, VI, 3. — [5] *Deut.*, VII, 20. — [6] *Exod.*, XXIII, 27, 28. — [7] *Baruc.*, III, 19. — [8] *Psal.* XVII, 40. — [9] *Jerem.*, V, 6. — [10] *Sap.*, XI, 18. — [11] *Jerem.*, XXIII, 29. — [12] *Deut.*, VII, 22. — [13] *Job*, XXIV, 23. — [14] I *Joan.*, I, 5. — [15] *Sap.*, IV, 6. — (*a*) *Cæt. edit. deest* ex. — (*b*) *Cæt. edit.* morales. — (*c*) *Item* asperos.

rum, id est naturali similis per usum pravæ consuetudinis. Consuetudo enim altera natura est : sicut enim ea, quæ sunt a natura, difficile, vel nunquam exui possunt; sic nec ea, quæ ex consuetudine, unde [1] : « Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. » Gregorius [2] : « Difficile surgit, quem moles consuetudinis premit. » *Et naturalis malitia eorum ;* Glossa : « permanens, inveterata, » scilicet per usum pravæ consuetudinis. *Et quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum*, scilicet propter obstinationem voluntatis eorum perversæ; Glossa : « indurata propria nequitia, » unde [3] : « Dedit me in manum, de qua non potero surgere. » Sed contra : In libertate arbitrii est peccare, et post peccatum pœnitere. Respondeo : *Non poterat*, id est, vix poterat : vel *non poterat* per se solum, sed Deo inspirante [4] : Homo enim est « spiritus vadens, » scilicet per culpam, « et non rediens, » scilicet, nisi per gratiam.

Consuetudo altera natura.

11. *Semen enim erat maledictum ab initio,* id est, in primo parente sui generis, scilicet in Chanaan ; nam [5] : « Maledictus Chanaan. » Vel, secundum Glossam, *ab initio,* id est, in præsentia Dei; vel, secundum Glossam, *ab initio*, quia ex quo fuerunt, quædam prava qualitas in ipsis erat maledictione digna. *Nec timens :* hic excludit a Deo timorem quadruplici ratione : primo per hoc, quod judicium ejus nullus potest discutere ; secundo, quia nec ei resistere : *Aut quis dabit,* etc.; tertio, quia nec vindicare : *Aut quis in conspectu*, etc.; quarto, quia nec redarguere : *Aut quis tibi*, etc. Dicit ergo : *Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis eorum. Nec timens aliquem,* scilicet quasi potentiorem [6] : « Magna potentia Dei solius. » Et [7] : « Quis tu, ut timeas ab homine mortali ? » Item [8] : « Numquid timens arguet te ? » quasi dicat : Non. Imo etiam [9] columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. » Quanto magis columnæ terræ ?

12. *Quis enim dicet tibi*, id est, dicere auderet, vel dicere rationabiliter posset : *Quid fecisti* ? scilicet facti tui rationem discutiendo; quasi dicat : Nullus. Unde [10] : « Numquid dicit figmentum ei, qui finxit se : Quid me fecisti sic ? Numquid dicit lutum figulo : Quid facis ? » *Aut quis stabit contra judicium tuum ?* scilicet tuæ sententiæ resistendo [11] : « Deus, cujus iræ resistere nemo potest; » et post : « Si æquitas judicii quæritur, nemo audet pro (*a*) me testimonium reddere. » *Aut quis in conspectu tuo veniet*, id est, comparere audebit, *vindex* (*b*) *iniquorum hominum*, id est volens vindicare iniquos, te puniendo, quasi feceris eis injuriam ipsos condemnando ? quasi dicat : Nullus, quia [12] : « Mea est ultio, » etc. Item : « Videte, quoniam ego sim solus, et non sit, qui de manu mea possit eruere. » *Aut quis imputabit tibi*, scilicet de culpa arguendo ? quasi dicat : Nullus. Unde [13] : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » *Quis,* inquam, *imputabit tibi, si perierint nationes quas tu fecisti ? Perierint* per culpam suam; *quas tu fecisti,* quantum ad eorum naturam. Glossa : « Non est culpa Creatoris, si pereunt, sed naturæ vitium. » [14] « Si destruxerit, nemo est qui ædificet. »

13. *Non* (*c*) *enim*, etc. Bene dixi : Quis aliquod prædictorum contra tuum judicium faciet ? *Non* (*c*) *enim est alius Deus, quam tu,* secundum illud *Isaiæ* [15] : « Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me ? » *Quam tu* (*d*), inquam, *cui cura est de omnibus :* supra [16] : « Æqualiter est tibi cura de omnibus. » Sed contra [17] : « Numquid de bobus cura est Deo ? » Dicendum, quod cura providentiæ est illi de omnibus; cura disciplinæ de solis rationalibus. *Ut*, scilicet per hoc, *ostendas quoniam non injuste judicas judicium*, punitionis iniquorum. Nam [18] :

[1] *Jerem.*, XIII, 23. — [2] Greg., *Moral.* lib. IV, c. XXV. — [3] *Thren.*, I, 14. — [4] *Psal.* LXXVII, 39. — [5] *Gen.*, IX, 25. — [6] *Eccli.*, III, 21. — [7] *Isa.*, LI, 12. — [8] *Job*, XXII, 4. — [9] *Job*, XXVI, 11. — [10] *Isa.*, XLV, 9. — [11] *Job*, IX, 13, 19. — [12] *Deut.*, XXXII, 35, 39. — [13] *Joan.*, VIII, 46. — [14] *Job*, XII, 14. — [15] *Isa.*, XLV, 71. — [16] *Sap.*, VI, 8. — [17] I *Cor.*, IX, 9. — [18] *Psal.* CXVIII, 137.

(*a*) *Cæt. edit.* per. — (*b*) Item add. *enim.* — (*c*) Item *nec.* — (*d*) Item pro *Quam tu*, habent *Quantum.*

« Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. »

14. *Neque rex*, etc.; quasi dicat: Ita recte judicas, quod *neque rex*, qui bene regit et secundum justitiam, *neque tyrannus*, qui scilicet male regit et per injustitiam, *in conspectu tuo inquirent de iis quos perdidisti:* Glossa: « utrum juste perdideris, » secundum illud *Job*[8]: « Quis potest dicere: Cur ita facis? »

15. *Cum ergo*, etc. Hic ostendit causam veram, quare Deus misericordiam exhibuit in modo puniendi prædicto; et hoc, primo ostendendo quod Deus in omnibus exercet (*a*) justitiam; secundo, quod nihilominus exhibet misericordiam: *Et ab hoc*, etc.; tertio, quod ad incredulos aliquando ostendit potentiam: *Virtutem*, etc.

Cum ergo sis justus, scilicet in natura tua, *juste omnia disponis*, scilicet in creatura, scilicet juste filium puniens in præsenti, ut in futuro parcas ei [2]: « Flagellat omnem filium, quem recipit; »[3] « Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt; » item [4]: « Judicia Domini vera, justificata in semetipsa. » *Ipsum quoque, qui non debet puniri*, id est, per pœnam temporalem corrigi, *condemnas;* Glossa: « pœna æterna, parcens ei in præsenti, ut in futuro punias; » unde [5]: « Auferetur a me zelus meus, et quiescam, nec irascar amplius. » *Et exterum æstimas a tua virtute*; Glossa: « id est, alienum, et indignum divina pietate. » Virtus enim Dei est pietas, secundum illud Gregorii [6]: « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere. » Ideo in Psalmo [7]: « In virtute tua, » id est, pietate, « judica me. » Vel sic: *Et eum qui non debet puniri*, scilicet in æternum, *condemnas*, scilicet secundum reputationem reproborum, quia ipsum in præsenti corripis, *et æstimas*, id est æstimare facis alios, talem *exterum*, *esse* supple, *a tua virtute*, id est alienum et indignum tua pietate, quia tam graviter punivisti eum.

16. *Virtus enim tua*, id est, misericordia: opus enim justitiæ dicitur alienum a Deo; sed opus misericordiæ proprium ei. Et hoc est, quia nobis miseretur ex bonitate propria, sed justitiam in nos exercet ex causa nostra, scilicet propter nostram culpam. *Virtus*, inquam, *tua*, id est, misericordia, *justitiæ*, scilicet nostræ, id est justificationis nostræ, *est initium*, secundum illud Apostoli [8]: « Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos non fecit. » Item [9]: « Justificati gratis per gratiam ipsius. » *Et ob hoc, quod omnium Dominus es*, scilicet per potentiam, *omnibus te parcere facit*, per misericordiam. Unde Glossa: « Ut qui præes potentia, mitescas natura. » [10] « Misereris omnium, quia omnia potes. »

Misericordiæ opus proprium Deo, justitiæ vero ab eo alienum quomodo dicatur.

17. *Virtutem enim tuam ostendis*, id est, potentiam in puniendo, *tu qui non crederis*, scilicet ab errantibus, *in virtute consummatus*, id est, perfectus [11]: « Quasi nihil possit facere Omnipotens, æstimabant illum. » *Et hos, qui te nesciunt*, scilicet infideles, *in audacia traducis*, id est, audacter ad pœnam ducis, et hoc merito iniquitatum suarum [12]: « Traducent eos ex adverso iniquitates eorum. »

18. *Tu autem dominator*, etc. Ostensa punitione adversariorum, et misericordia judicis in puniendo, hic ostendit instructionem populi Dei in utroque: et primo tangit exemplum, per quod instruit; secundo misericordiam, de qua instruit: *Docuisti*, etc.; tertio modum, quo instruit: *Si enim inimicos*, etc.; quarto finem, propter quem instruit: *Cum ergo nobis*, etc.

Tu autem, etc. Bene dixi, quod ostendis incorrigibilibus virtutem tuam et potentiam. *Autem*, pro *sed*. *Tu dominator virtutis*, etc.: hoc potest intelligi intransitive, ut sit sensus, *tu dominator virtutis*, id est, Dominus virtutum omnium, scilicet tam angelicarum,

[1] *Job*, IX, 12. — [2] *Hebr.*, XII, 6. — [3] *Tob.*, III, 2. — [4] *Psal.* XVIII, 10. — [5] *Ezech.*, XVI, 42. — [6] Greg., *Orat. Litan.* — [7] *Psal.* LIII, 3. — [8] *Tit.*, III, 5. — [9] *Rom.*, III, 24. — [10] *Sap.*, XI, 24. — [11] *Job*, XXII, 17. — [12] *Sap.*, IV, 20. — (*a*) *Al.* exerceat.

quam humanarum [1] : « Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. » *Cum tranquillitate judicas*, id est, sine intellectus vel affectus perturbatione [2] : « Apud quem non est transmutatio. » Item [3] : « In veritate educet judicium ; non erit tristis, neque turbulentus. » *Et cum multa reverentia*, in effectu, id est, cum multa moderatione, *disponis nos*, non sicut ille judex, qui [4] « nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. » *Subest enim tibi, cum volueris, posse :* ecce causa tranquillitatis in judicando, et reverentiæ in disponendo. Sed objicitur, quod secundum rationem intelligendi potentia antecedit voluntatem, non voluntas potentiam : deberet ergo dicere : Subest tibi velle, cum potueris; non nosse, cum volueris. Dicendum, quod potentia præcedit in essendo, sed voluntas in agendo. Unde potest multa, quæ non facit, quia non vult.

Voluntas et potentia quo modo inter se se habeant.

19. *Docuisti autem* (*a*) *populum tuum*; alia enim non docentur. Unde [5] : « Non erudietur, qui non est sapiens in bono. » *Per talia opera*, scilicet justitiæ et misericordiæ simul : *quoniam oportet esse justum*, quia tu justus, *et humanum*, id est, mansuetum, quia homo est animal mansuetum natura. Et hoc, quia tu misericors, non solum justus, unde [6] : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. » Item [7] : « Misericors, et miserator, et justus Dominus. » Et si Dominus, ergo et servus, unde [8] : « Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? » [9] « Noli esse justus multum, » scilicet in tantum, ut misericordiam excludas a tua justitia. Samaritanus enim sauciato infudit [10] non tantum vinum, sed et oleum simul. *Et bonæ spei fecisti filios tuos*, id est, de venia consequenda fideles tuos, qui filii tui sunt; unde [11] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus. » Hæc est bona spes, de qua in Psalmo [12] : « Sperate in eo, omnis congregatio populi. » Item [13] : « In Deo speravit cor meum, et adjutus sum. » Et [14] : « Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam. » *Quoniam judicans*, id est, puniens peccatores, *das locum pœnitentiæ in peccatis*, scilicet expectando eos ad pœnitentiam [15] : « Propterea expectat Dominus, ut misereretur vestri. » Locus pœnitentiæ est mundus iste : post egressum enim de hoc mundo, non restat pœnitentiæ locus; propter quod *Ecclesiastes* [16] : « Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit. » Chrysostomus : « Tunc non erit pœnitentiæ locus, nec satisfaciendi tempus, nec resistendi virtus. » Ideo Ecclesiastes [17] : « Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia apud inferos, quo tu properas. »

20. *Si enim inimicos servorum tuorum*, quoad peccatum in proximum, quibus, inquam, servis dicitur [18] : « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit : » *Et debitos morti*, quantum ad peccatum in Deum, qui vita est animarum secundum Augustinum [19]; *debitos*, inquam, *morti*, secundum illud *ad Romanos* [20] : « Non solum qui talia agunt, digni sunt morte, » etc. *Cum tanta cruciasti attentione*, sed (*b*) non simul, sed per partes et successive puniendo, ut patet in plagis Ægypti. *Et liberasti* (*c*), scilicet illos ab illis cruciatibus temporalibus; quia, orante Moyse, a singulis cruciatibus liberantur (*d*). Simile etiam contigit in Chananæos. *Dans tempus et locum, per quæ possent mutari a malitia : tempus*, scilicet vitæ spatium; *et locum*, scilicet hujus mundi exilium. De tempore [21] : « Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret. » De loco [22] : « Dedit ei

[1] *Psal.* XXIII, 10. — [2] *Jac.*, I, 17. — [3] *Isa.*, XLII, 3, 4. — [4] *Luc.*, XVII, 2. — [5] *Eccli.*, XXI, 14. — [6] *Psal.* C, 1. — [7] *Psal.* CXI, 4. — [8] *Matth.*, XVIII, 33. — [9] *Eccle.*, VII, 17. — [10] *Luc.*, X, 34. — [11] *Joan.*, I, 12. — [12] *Psal.* LXI, 9. — [13] *Psal.* XXVII, 7. — [14] I *Petr.*, I, 13. — [15] *Isa.*, XXX, 18. — [16] *Eccle.*, XI, 3. — [17] *Eccle.*, XI, 10. — [18] *Luc.*, X, 16. — [19] Imo auct. Dialog., *Quæst.* LXV *Oros.*, q. XXXII, inter Oper. Aug., append. tom. VI. — [20] *Rom.*, I, 32. — [21] *Apoc.*, II, 21. — [22] *Job*, XXIV, 23.

(*a*) Al. *enim*. — (*b*) *Leg.* scilicet.— (*c*) Vulg. non habet *et liberasti*.— (*d*) *Leg.* liberabantur.

locum pœnitentiæ : et ille abutitur eo in superbiam. »

21. *Cum quanta diligentia judicasti filios tuos*, etc.; quasi dicat : Cum multa diligentia et attentione, secundum quæ petebat Psalmista dicens [1] : « Exurge, et intende judicio meo, Deus meus, et Dominus meus, in causam meam. » In figura hujus legitur in *Genesi*, [2] quod Deus judicaturus peccatum Adæ, *deambulabat*, etc. *Filios tuos*, scilicet sanctos [3] : « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est : » vel *filios tuos*, id est fideles tuos, secundum illud [4] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui creduut in nomine ejus. » *Quorum*, scilicet filiorum, *parentibus*, id est, patriarchis, ut Abraham, Isaac, Jacob, *juramenta et conventiones dedisti*, id est, juratas conventiones. Nota, quod conventio est simplex promissio : juramentum vero promissio cum attestatione rei sacræ, [5] « ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, » etc. *Bonarum promissionum*, scilicet de terra promissionis, et de benedictione seminis.

Quid conventio, et id juramentum.

22. *Cum ergo*, etc.; quasi dicat : Ita beneficus es et misericors adversariis. *Cum ergo nobis disciplinam das*, id est, pœnam emendatoriam, quæ non est abjicienda, secundum illud *Proverbiorum* [6] : « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, » quia erudit; unde [7] : « Disciplina tua correxit me in finem, » etc. *Inimicos nostros*, qui scilicet nos oderunt, quamvis diligantur a nobis, secundum quod monet Dominus [8] : « Diligite inimicos vestros. » *Multipliciter flagellas peccatores;* Glossa : « Magna distantia est inter judicium electorum, et reproborum : illos enim Deus corripit, ut emendet; ii superbiæ et perfidiæ pœnas luunt. *Ut bonitatem tuam*, scilicet in præsenti, *cogitemus judicantes*, scilicet alios, quos videmus a te flagellatos. Glossa : « Felix judex, qui bonitatem et pietatem sui judicii semper inspicit, scilicet ut inspecta pietate Dei judicantis, discat pietatem habere, cum judicat alios. [9] « Quam bonus Israel Deus iis, qui recto sunt corde! » [10] « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. » *Et cum de nobis judicatur*, scilicet per immissionem tribulationum præsentium, *speremus misericordiam tuam*, scilicet in futuro, scilicet vitæ æternæ mercedem. [11] « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, » etc. [12] « Gloriamini in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem, » etc.

23. *Unde et illis*, etc. Hic tangitur condemnatio adversariorum incorrigibilium, propter contemptum utriusque, scilicet divinæ justitiæ, et misericordiæ. Et primo tangitur flagellum, quo debuerunt corrigi; secundo convenientia flagelli : *Etenim*, etc.; tertio, incorrigibilitas flagellatorum : *Qui autem*, etc.; quarto, manifestatio incorrigibilitatis : *In iis enim*, etc.; quinto, ratio propter quam corrigi debuerunt : *Per hæc quæ putabant*, etc.; sexto, contaminatio condemnationis, quia correcti non sunt, ibi : *Propter quod*, etc. *Unde*, etc.; quasi dicat : Ita tu das disciplinam, *unde*, scilicet per oppositum, *et*, id est etiam, *illis, qui in vita sua insensate et injuste vixerunt*, quoad errorem in fide; vel *in vita sua*, id est, quasi sibi, non Deo vixerunt, *et injuste*, quoad errorem in moribus; *per hæc quæ coluerunt*, scilicet per animalia bruta, *dedisti summa*, id est, valde magna, *tormenta*, ut per ranas, et muscas, et locustas, et vespas, et hujusmodi : *per hæc*, etc., scilicet in genere, et sine numero vel specie.

24. *Etenim ipsi erraverunt*, non modico tempore, sed *diutius*, quorum peccatum aggravatur; quia, sicut dicit Gregorius : « tanto peccata sunt deteriora, quanto diu-

[1] *Psal.* XXXIV, 23. — [2] *Gen.*, III, 8. — [3] *Sap.*, V, 5. — [4] *Joan.*, I, 12. — [5] *Hebr.*, VI, 18. — [6] *Prov.*, III, 11. — [7] *Psal.* XVII, 36. — [8] *Matth.*, V, 44. — [9] *Psal.* LXXII, 1. — [10] *Nah.*, I, 7. — [11] *Jac.*, I, 2. — [12] *Rom.*, V, 3.

tius infelicem animam retinent obligatam : » *in via erroris*, id est, infidelitatis, quæ antonomastice dicitur error. De hac via dicitur [1] : « Est via, quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. » *Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua*, id est animalia artificialiter sculpta, non naturalia. Artificialia autem animalia dicuntur *supervacua*, quia inutilia; naturalia autem omnia habent aliquam utilitatem, ut dicit Damascenus [2]. *Deos æstimantes*, etc. : [3] « Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. » Item [4] : « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. » Nota, quod non dicit *in vitulum*, sed *similitudinem vituli*, quod minus est, et pejus, videlicet *insensatorum infantium more viventes*, quoad peccata in moribus : [5] « Nolite pueri effici sensibus. » Item [6] : « Quasi modo geniti infantes, rationabiles (*a*), » non insensati. In hoc vero, more infantium, insensatorum vivebant, quia imagines ut pueri faciebant, et adorabant, sicut Ismael cum Isaac legitur lusisse, eum adorare luteas imagines cogendo, ut dicunt Hebræi.

25. *Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti*, id est, pœnam, in qua deridebantur, quia per ranas, et muscas, et hujusmodi modica animalia et contemptibilia affligebantur; non per majora, et nobiliora, ut per leones et ursos, ut patet [7].

26. *Qui autem in ludibriis et increpationibus*, id est, increpationibus ludibrio plenis, *non sunt correcti*, scilicet ab infidelitate et perversitate, *dignum judicium Dei experti sunt*, scilicet condemnationis et mortis. Ex hoc videtur innuere, quod aliqui inter flagella correcti sunt. Unde et aliqui Ægyptiorum cum Israelitis iverunt, ut colligitur in *Exodo ;* et Gabaonitæ confœderati (*b*) sunt cum eis, » ut patet *Josue*. *In iis enim*, etc. ; quasi dicat : Et merito : *in iis enim, quæ patiebantur*, scilicet in flagellis divinis, *moleste ferebant*, impatienter portando, *in quibus patientes*, id est sustinentes, ita quod patientes dicantur a passione, non a patientia ; *indignabantur*, scilicet murmurando contra Deum. [8] « Præcordia fatui, quasi rota carri. » *Per hæc quæ putabant deos*, scilicet bruta animalia, *in ipsis*, id est, per ipsa, *cum exterminarentur*, id est punirentur [9] : « Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. » *Videntes illum*, id est, Deum, quasi sensibili experimento perpendentes : in se enim videri non potest [10] : « Deum nemo vidit unquam : » *quem olim*, scilicet in prosperitate, *negabant* se nosse, secundum illud *Exodi* [11] : « Nescio Dominum, et Israel non dimittam : » *Verum Deum, esse* supple, *agnoverunt*, credulitate non voluntaria, sed per pœnas extorta; talis est fides dæmonum [12] : « Dæmones credunt, » etc. Isaias [13] : « Domine, in angustia requisierunt te. » « Oculos enim, quos culpa claudit, pœna aperit, » ut dicit Gregorius [14]. Littera sic construenda : *Videntes*, scilicet Ægyptii et Chananæi, *illum, quem olim negabant se nosse, agnoverunt verum Deum, esse* supple. *Agnoverunt*, inquam, *per hæc, quæ putabant deos*, id est, per bruta animalia : et hoc fuit, *cum exterminarentur in ipsis; propter quod*, scilicet, *quia agnoverunt Deum*, non tamen ipsum glorificaverunt, secundum illud [15] : « Quia (*c*) cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, » etc. *Finis condemnationis illorum*, id est, finalis eorum condemnatio, de qua in *Matthæo* (*d*) [16] : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » Condemnationis initium est in separatione animæ a corpore; medium in cruciatu animæ separatæ ; finis vero in resurrectione, quando cruciabitur in inferno cum resumpto corpore. *Finis*, inquam, *condemnationis illo-*

[1] *Prov.*, XVI, 25. — [2] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. X. — [3] *Rom.*, I, 23. — [4] *Psal.* CV, 20. — [5] I *Cor.*, XIV, 20. — [6] I *Petr.*, II, 1. — [7] *Exod.*, VIII, 7, 21, etc. — [8] *Eccli.*, XXXIII, 5. — [9] *Baruc.*, III, 19. — [10] *Joan.*, I, 18. — [11] *Exod.*, V, 2. — [12] *Jac.*, II, 19. — [13] *Isa.*, XXVI, 16. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. VII. — [15] *Rom.*, I, 21. — [16] *Matth.*, XXV, 41.

(*a*) *Vulg.* rationabile. — (*b*) *Cæt. edit.* confœderatæ. — (*c*) *Al.* Qui. — (*d*) *Al.* Matthæus.

rum, qui in præsenti corrigi noluerunt, *veniet*, etc. : Gregorius [1] : « Quos in præsenti flagella non corrigunt, ad futura transmittunt : » *super illos*, quia de cœlo ad eorum oppressionem, ita quod resistere non possint, tanquam obruti, vel oppressi. In Psalmo [2] : « Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulphur, » etc.

CAPUT XIII.

1. *Vani autem*, etc. Supra determinavit de punitione adversariorum per pœnas leviores ordinatas ad correctionem ; hic autem de punitione eorumdem per pœnas graviores ordinatas ad condemnationem. Et primo determinat de merito culpæ eorum, scilicet usque ad decimum sextum caput ; secundo, de supplicio pœnæ eorum, scilicet a decimo sexto capite et deinceps. Meritum culpæ respectu condemnatoriæ pœnæ eorum fuit idololatria, qua honorem divinum ad creaturam transtulerunt, sive creaturæ exhibuerunt. Et ideo primo tangitur multiplex error idololatrantium, scilicet isto capite ; secundo, detestatio idolorum, scilicet decimo quarto capite ; tertio, condemnatio veri Dei, scilicet decimo quinto capite. Error idololatrantium tangitur duplex : primus colentium Dei creaturas ; secundus colentium proprias facturas : *Infelices autem*, etc. In prima, primo tangitur in eis causa tanti erroris, scilicet ignorantia Dei ; secundo, prædictæ causæ effectus, scilicet creaturæ cultura : *Sed aut ignem*, etc. ; tertio, utriusque inexcusabilitas : *Quorum si specie*, etc. ; quarto, in comparatione ad alios idololatrantes : *Sed tamen*, etc. In prima tangitur duplex ignorantia, scilicet, quia nec fide agnoscebant Deum, nec ratione cognoscebant ipsum : *Et de iis quæ videntur*, etc.

Ordo dicendorum.

Dicit ergo : *Vani*, etc. Ita dictum est, quod aliqui cognoverunt Deum inter flagella ; sed eum non sunt venerati. *Autem*, pro *sed*. *Vani sunt homines*, etc. [3] « Vanitas vanitatum, » etc. « Ambulaverunt enim post vanitatem creaturæ, et vani facti sunt, » ut habetur in Jeremia [4]. *Vani*, inquam, vanitate cogitationis, unde [5] : « Evanuerunt in cogitationibus suis, » etc. Item in Psalmo [6] : « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. » Item, vanitate locutionis, unde in Psalmo [7] : « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : » etc. Item vanitate operationis, unde Jeremias [8] : « Vana sunt opera, et risu digna. » *In quibus non subest scientia Dei*, id est, cogitatio de Deo per fidem. Augustinus : « Neque quidquid sciri potest ab homine in rebus humanis, ubi plurimum supervacuæ vanitatis, et noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuo, » scilicet scientiæ divinæ : « sed illud tantum, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur : qua scientia non pollent, » etc. *Et de iis, quæ videntur bona*, scilicet aperte, *non potuerunt*, scilicet impotentia sequente voluntatem, non antecedente. Unde Glossa : « *Non poterunt intelligere*, etc., obstante cæcitate peccati, » secundum illud [9] : « Excæcavit eos malitia eorum. » In Psalmo [10] : « Noluit intelligere, ut bene ageret. » *Intelligere*, id est intellectu cognoscere : non enim sensu cognosci potest Deus. Joannes [11] : « Deum nemo vidit unquam. » *Eum qui est*, id est, Deum, cui esse substantiale, non accidentale ; unde Hilarius : « Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas. » Item : « Cui esse semper præsens, nunquam præteritum, aut futurum. » Deus enim, secundum Augustinum [12], semper est, non fuit, aut erit, quia non novit, scilicet per experientiam, præteritum, aut futurum. Item, cujus esse purum est, quia quidquid in eo est, ipse est. Augustinus : « Quidquid in Deo est, Deus est. » Item, cujus esse ab alio non est, im-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XXIII. — [2] *Psal.* X, 7. — [3] *Eccle.*, I, 1. — [4] *Jerem.*, II, 5. — [5] *Rom.*, I, 21. — [6] *Psal.* XCIII, 11. — [7] *Psal.* XI, 3. — [8] *Jerem.*, LI, 18. — [9] *Sap.*, II, 21. — [10] *Psal.* XXXV, 4. — [11] *Joan.*, I, 18. — [12] Aug., *in Epist. Joan.*, tract. II, n. 5.

mutabile est. Unde Hieronymus [1] ad Damasum : « Deus, qui solus exordium non habet, veræ essentiæ nomen tenuit : quia in ejus comparatione, qui vere est, quia incommutabilis, quasi non sunt, quæ mutabilia sunt, ut sunt omnes creaturæ, » secundum illud Psalmi [2] : « Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, » etc. Item [3] : « Ego sum Deus, vel Dominus, et non mutor. » Propter rationes prædictas, Moysi quærenti nomen ejus, ait [4] : « Ego sum qui sum. » *Neque operibus attendentes*, quæ scilicet ipse fecit, *agnoverunt, quis esset artifex*, scilicet horum, et tamen faciliter poterant cognoscere [5] : « Invisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur. »

2. *Sed aut ignem*, scilicet Vulcanum, ut Chaldæi ignem adorantes ; *aut spiritum*, id est, æthera, scilicet partem aeris superiorem, quem quidem intelligebant per Jovem fulminantem ; *aut citatum aerem*, id est, partem inferiorem, quam vocabant Junonem ; *aut gyrum stellarum*, id est, cœlum stellarum, ut illi qui adorabant militiam cœli, de quibus dicitur [6] : « Ut vadant, et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli ; » *aut nimiam aquam*, quam scilicet vocabant Neptunum ; *aut solem*, quem vocabant Phœbum, vel Apollinem, quem adorabant Babylonii; *aut lunam*, quam vocabant Dianam, vel cœli reginam, de qua in Jeremia [7]. *Rectores orbis terrarum Deos putaverunt*, propter aliquos effectus eorum mundo necessarios. Secundum sensum spiritualem, *ignem* colunt luxuriosi ; *spiritum*, superbi ; *citatum aerem*, iracundi et impetuosi ; *gyrum stellarum*, in scientia curiosi ; *nimiam aquam*, voluptuosi; *solem* hæc inferiora gignentem, cupidi ; *lunam*, pigri et acediosi.

3. *Quorum si specie*, etc. Hic ostenditur inexcusabilitas eorum, quia scilicet potuerunt Creatorem cognoscere, vel per creaturarum pulchritudinem, vel per earum virtutem, quod ostenditur ibi : *Aut si virtutem*, etc.; vel per utrumque simul, quod ostenditur ibi : *A magnitudine*, etc.

Dicit ergo : *Quorum si specie delectati*, id est, pulchritudine [8] : « Species decepit te, » etc., *Deos putaverunt*, supple *ipsos esse* ; *putaverunt*, inquam, falsa et erronea opinione, cum non sit nisi unus Deus [9] : « Deus tuus unus est. » *Sciant quanto dominator eorum*, scilicet Creator eorum, gubernator, conservator et possessor, secundum illud *Judith* [10] : « Deus cœlorum, Creator aquarum, rex universæ creaturæ tuæ : » *his speciosior est*, scilicet, qui tam speciosa fecit ; speciosior, inquam, infinita scilicet distantia, quia Deus speciosus per essentiam, sed creaturæ per participationem [11]. « Speciosior est sole. » *Speciei enim generator* ; speciei, scilicet creaturæ, per ejus productionem, secundum illud Boetii [12] :

..... pulchrum, pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens similique ab imagine formans.

Vel *speciei* increatæ, id est, Filii per æternam generationem. *Hæc omnia constituit*, scilicet superiora, media, et inferiora.

4. *Aut si virtutem*, id est, potentiæ magnitudinem, *et opera eorum*, id est effectus a potentia procedentes, *mirati sunt*, scilicet ita, ut ipsos esse Deos crederent : *intelligant ab ipsis*, id est, ab ipsorum consideratione, secundum illud *Job* [13] : « Interroga jumenta, et docebunt te : » *Quoniam qui hæc fecit*, scilicet Deus, *fortior est illis*, id est, potentior. Unde [14] : « Ipse est omnipotens supra omnia opera sua, et magnus vehementer. » Item [15] : « Si fortitudo quæritur, robustissimus est. »

5. *A magnitudine enim speciei*, id est pulchritudinis, *et creaturæ*, id est virtutis creaturarum, *cognoscibiliter*, non sensibi-

[1] Hieron., *ad Damas.*, epist. LVII. — [2] *Psal.* CI, 27. — [3] *Malac.*, III, 6. — [4] *Exod.*, III, 14. — [5] *Rom.*, I, 20. — [6] *Deut.*, XVII, 3. — [7] *Jerem.*, XLIV, 25. — [8] *Dan.*, XIII, 56. — [9] *Deut.*, VI, 5. — [10] *Judith*, IX, 17. — [11] *Sap.*, VII, 29. — [12] Boet., *de Consol. philos.*, lib. III, metr. 9. — [13] *Job*, XII, 7. — [14] *Eccli.*, XLIII, 31. — [15] *Job*, IX, 19.

liter, id est oculo intellectuali, non sensibili, *poterat creator eorum videri.* Augustinus : « Omnia clamant : Deus me fecit : » totus enim mundus est quasi liber quidam, in quo Creator potest cognosci per ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, relucentes in creaturis. Unde [1] : « Hæc omnia liber vitæ. » Isidorus [2] : « Creator per creaturam suam laudatur ; et quanto sit excellentior, ex operis sui conditione monstratur. »

6. *Sed tamen*, etc. : hic ostendit culpam colentium creaturas in comparatione ad alios idololatras. Et primo ostendit respectu illorum aliquo modo excusabiles ; secundo ostendit quod tamen sunt simpliciter inexcusabiles : *Iterum autem*, etc.

Sed tamen, etc. ; quasi dicat : Sic errant illi ; *sed tamen adhuc in iis*, scilicet errantibus, *minor est querela*, id est, ratio querelæ, quam in adorantibus sculptibilia, quia, sicut dicitur *Baruch* [3] : « Non lucebunt, ut sol : neque illuminabunt, ut luna, » scilicet ipsa sculptibilia. *Et hi enim*, scilicet, qui colunt creaturas, *forsitan errant* : *forsitan* est hic nota libertatis arbitrii, non nota dubitationis. *Deum quærentes*, scilicet quadam curiositate, secundum illud *Actuum* [4] : « Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam superficiem terræ, etc., quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant. » *Et volentes invenire*, scilicet intentione affectus [5] : « Surgam, et circuibo civitatem, » id est, creaturarum universitatem. Secundum enim Boetium [6] *de Consolatione*, « mentibus hominum insita est veri bonique cupiditas. » Sed objicitur, quia *Lucæ* [7] dicitur : « Omnis, qui quærit, invenit : » ergo justi inveniunt verum Deum. Dicendum, quod illud intelligitur de quærentibus pie, non curiose.

Forsitan nota libertatis.

7. *Etenim cum in operibus illius conversentur*, scilicet de illis disputando, quantum ad intellectum, secundum illud [8] : « Mundum tradidit disputationi eorum ; » et utendo, scilicet quantum ad affectum et effectum, quia [9] : « Solem suum facit oriri super bonos et malos. » *Inquirunt*, scilicet ratiocinando ; *et persuasum habent*, scilicet sentiendo ; *quoniam bona sunt, quæ videntur* [10] : « Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. » In hoc sunt isti meliores, sive minus mali, ipsis Manichæis, qui hæc visibilia dicunt esse mala.

8. *Iterum autem nec iis debet ignosci :* simplex enim ignorantia meretur veniam ; unde [11] : « Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci : » sed ignorantia crassa et supina, non. Unde [12] : « Si quis ignorat, ignorabitur. »

Ignorantia duplex.

9. *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum,* id est naturas rerum sæcularium cognoscere : *quomodo hujus Dominum,* scilicet sæculi, *facilius non invenerunt?* quasi dicat : Facilius potuissent Deum cognoscere. Sed contra [13] : « Difficile æstimamus, quæ in terra sunt : quæ in cœlis sunt, quis investigabit ? » Dicendum, quod non vult dicere, quod facilius potuerunt cognoscere Deum esse factorem horum, simpliciter ; sed ipsum potius esse Deum, quam ea quæ colebant.

10. *Infelices autem,* etc. Hic ponitur error colentium facturas proprias : primo facturas proprias in materia metallina ; secundo in materia lignea : *Aut si quis*, etc.

Dicit ergo : *Infelices autem sunt,* scilicet per privationem felicitatis viæ, de qua supra [14] : « Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est. » *Et inter mortuos*, scilicet æterna morte, *spes illorum est,* id est expectatio : spes autem hic sumitur improprie, quia spes proprie dicta non est nisi de bono. *Inter mortuos*, inquam, *spes illorum est,* per privationem felicitatis æternæ, secundum illud Psalmi [15] : « Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es me-

Spes non nisi de bono proprie dicitur.

[1] *Eccli.*, XXIV, 32. — [2] Isid., *Sent.*, lib. I, c. IV. — [3] *Baruc.*, VI, 66. — [4] *Act.*, XVII, 26. — [5] *Cant.*, III, 2. — [6] Boet, *de Consol.*, lib. III, metr. 9. — [7] *Luc.*, XI, 10. — [8] *Eccle.*, III, 11. — [9] *Matth.*, V, 45. — [10] *Gen.*, I, 31. — [11] I *Tim.*, I, 13. — [12] I *Cor.*, XIV, 38. — [13] *Sap.*, IX, 16. — [14] *Sap.*, III, 11. — [15] *Psal.* LXXXVII, 6.

mor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt : » de manu, scilicet misericordiæ salvantis, non de manu justitiæ punientis. Vel primum ad pœnam damni in futuro ; secundum ad pœnam sensus. *Illorum*, inquam, *qui appellaverunt deos*, etc. Et bene dicit : *appellaverunt :* sunt enim dii appellatione tantum, non natura. *Opera manuum hominum*, secundum illud Psalmi [1] : « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, » et [2] : « Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. » *Aurum et argentum*, id est, facta de auro et argento, quantum ad materiam, secundum illud *Oseæ* [3] : « Argentum et aurum multiplicavi eis, quæ fecerunt Baal. » Item [4] : « Repleta est terra auro et argento, et non est finis thesaurorum ejus, et repleta est terra ejus idolis. » *Artis inventionem*, id est, figuram aliquam arte inventam ; et hoc quantum ad formam : *Et similitudines animalium*, non ipsa animalia, sed ipsorum imaginem, vel similitudinem. Contra quod dicitur [5] : « Non facietis similitudinem omnium animalium, quæ in terra sunt. » *Aut lapidem inutilem*, scilicet quantum ad (*a*) utilitatem quam idololatræ ei inesse credunt, quamvis sit utilis quantum ad usum naturalem. *Michææ*(*b*)[6]. « Superfluum (*c*) in operibus Dei, cujusmodi sunt creaturæ : [7] « Dei perfecta sunt opera, » non superflua, nec diminuta. *Opus manus antiquæ*, id est, manus antiqui artificis, quia « in antiquis est sapientia, » ut dicit Job. [8] Contra hæc omnia dicitur in *Actibus* [9] : « Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi, sculpturæ artis, aut cogitationis hominum, divinum esse simile. »

11. *Aut si quis*, etc. : hic ponitur error colentium facturas proprias in materia lignea. Et primo tangitur eorum error in fabricando, vel carpentando ; secundo, in venerando : *Et de substantia*, etc. In prima primo tangit materiam ; secundo formam : *Et per scientiam* ; tertio situm : *Et faciet ei*, etc. ; quarto impotentiam : *Imago*, etc.

Aut si quis artifex faber : faber hic large sumitur, scilicet pro artifice (*d*) in quacumque materia, sive lignea, sive alia, non tantum ferrea. *De silva lignum rectum secuerit* [10] : « Succidit cedros, tulit ilicem, » etc. *Hujus*, scilicet ligni, *docte eradat omnem corticem*, scilicet exteriorem ; *et arte sua usus, fabricet diligenter vas utile* ; Glossa : « Valde utile ; » *in conversationem vitæ humanæ*, scilicet [11] : « In magna enim domo sunt vasa lignea, et fictilia, » etc. (v. 12) *Reliquis autem hujus operis*, id est, ligni prædicti, *ad præparationem escæ abutatur*, id est, utatur, secundum illud *Isaiæ* [12] : « Sumpsit ex eis, et calefactus est, succendit, et coxit panes. » (v. 13) *Et reliquum horum*, horum scilicet, quæ in usus humanos posita sunt ; *quod ad nullum usum*, scilicet humanum ; *facit*, ipsum dico, *lignum curvum*, scilicet in seipso ; *vorticibus*, id est, nodis ; *plenum*, scilicet exterius : *sculpat*, diligenter, scilicet removendo nodositates ; *per vacuitatem suam*, quia quantumcumque ibi laboret, totus labor ejus otiositas reputatur, eo quod ille inutiliter laboret ; *et per scientiam suæ artis figuret illud*, scilicet exteriori lineatione, et hoc quoad formam ; *et assimilet illud imagini hominis*, scilicet membrorum repræsentatione. Et nota, quod non dicit : *assimilet* homini, sed *imagini hominis*, quia in exterioribus, et non interioribus potest esse ista figuratio. (v. 14) *Aut alicui ex animalibus illud comparet*, id est, assimilet [13] : « In similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, » etc. Item in Psalmo [14] : « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli, comedentis fœnum. » *Perliniens*, id est, exterius ; *rubrica*, id est, regula vel filo tincto (*e*) colore rubeo, quo sit distinctio. Dicitur enim *ru-*

[1] *Psal.* CXIII, 4. — [2] *Isa.*, II, 8. — [3] *Ose.*, II, 8. — [4] *Isa.*, II, 7. — [5] *Deut.*, IV, 16. — [6] *Mich.*, II, 1. — [7] *Deut.*, XXXII, 4. — [8] *Job*, XII, 12. — [9] *Act.*, XVII, 29. — [10] *Isa.*, XLIV, 14. — [11] II *Tim.*, II, 20. — [12] *Isa.*, XLIV, 25. — [13] *Rom.*, I, 23. — [14] *Psal.* CV, 20. — (*a*) *Cæt. edit. deest* quantum ad. — (*b*) *Cæt. edit.* Michæas. — (*c*) *Suppl.* non est. — (*d*) *Cæt. edit.* artificio. — (*e*) *Cæt. edit.* tracto.

brica terra rubra, et color qui inde fit; et *regula,* vel filum, quo fit et ipsa tinctura, et debet semper media produci. *Et rubicundum faciens fuco colorem illius* : fucus dicitur color innaturalis, et quasi adulterinus. Item notandum quod fucus dicitur animal api simile, quod non mellificat, sed mel devorat; item quædam herba, quæ tingit; item quilibet color adulterinus; item mendacium, sive fraus, et dolus, secundum Papiam. *Et omnem maculam, quæ in illo est,* scilicet ligno, (*a*) *perliniens terra,* (v. 15) *et faciat ei dignam cohabitationem.* Unde Baruch [1] : « Constitutis illis in domo, pleni sunt oculi eorum pulvere a pedibus introeuntium. » *Et in pariete ponens illud,* scilicet ut magis appareat. *Et confirmans ferro*, id est clavis ferreis : (v. 16) *Ne forte cadat :* [2] « Confortavit eum clavis, ne moveretur : » *Prospiciens illi,* id est, providens (*b*) et præcavens. *Sciens, quoniam non potest adjuvare se,* scilicet per seipsum. Unde in Psalmo [3] : « Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt, » etc. Nec mirum : *Imago enim est,* id est similitudo rei, non res; *et opus est illi adjutorium,* scilicet humanum [4] : « Si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgent, » ut patuit de Dagon. Item [5] : « Portata tollentur, quia incedere non valent. » (v. 17) *Et de substantia sua,* id est, de possessione exteriori; *et de filiis suis,* id est, de salute filiorum suorum; *et de nuptiis*, scilicet contrahendis; *votum faciens,* scilicet ei : *inquirit,* scilicet ab eo, et petit necessaria sibi et filiis, cum tamen non sit vovendum, nisi Deo, secundum illud Psalmi [6] : « Vovete, et reddite Domino Deo vestro, » etc. Item [7] : « Vota vovebunt Domino, et solvent. » *Non erubescit loqui,* scilicet ipse animam habens, *cum illo,* scilicet Deo falso, *qui sine anima est* : [8] « Cum audierint mutum non posse loqui, offerent ad Bel; » et [9] : « Os habent, et non loquentur. » (v. 18) *Et pro sanitate,* id est, sua vel suorum, *infirmum,* id est, omnino impotentem : *Quidem,* id est, *certe* : *deprecatur, et pro vita rogat mortuum,* id est, vita omnino carentem : ita quod intelligitur mortuus negative, non privative; quia si privative, tunc intelligeretur alienam vitam habuisse, sed postea privatus fuisse, quod falsum esset. *Et in adjutorium inutilem vocat,* id est, non potentem juvare se, vel alium. Unde Baruch [10] : « Habet in manu gladium, et se a latronibus non liberat. » (v. 19) *Et pro itinere,* id est, itineris directione, *petit ab eo qui ambulare non potest,* secundum illud Psalmi [11] : « Pedes habent, et non ambulabunt, » etc. Et Baruch [12] : « Sine pedibus in humeris portantur. » *Et de acquirendo,* scilicet per negotiationes; *et de operando,* scilicet per mechanicas artes; *et de omnium rerum eventu,* generaliter petit ab eo, qui in omnibus est inutilis. [13] « Formavit deum, et sculptile conflavit ad nihil utile. » Sed videtur idem posse Christianis objici imagines adorantibus. Sed dicendum, quod non est simile, quia idololatræ adorabant imagines ut res, putantes in eis aliquod vivum esse; Christiani vero adorant ut signa solum, et in quantum ducunt in illa, quorum sunt signa.

Fucus multiplex.

CAPUT XIV.

1. *Iterum alius navigare,* etc. Postquam multiplices idololatrantium errores descripsit, hic tangit idolorum detestationem : et primo ex inutilitate ipsorum idolorum; secundo ex offensa Creatoris : *Similiter autem odio sunt,* etc.; tertio ex novitate et modo adinventionis : *Neque enim erant,* etc.; quarto ex effectu humanæ corruptionis : *Et non suffecerat errasse,* etc. Inutilitatem autem idolorum ostendit in parte prima exemplo navigantium in mari, a quibus invocata

Ordo dicendorum.

[1] *Baruc.*, VI, 16. — [2] *Isa.*, XLII, 7. — [3] *Psal.* CXIII, 7. — [4] *Baruc.*, VI, 26. — [5] *Jerem.*, X, 5. — [6] *Psal.* LXXV, 12. — [7] *Isa.*, XIX, 21. — [8] *Baruc.*, VI, 40. — [9] *Psal.* CXIII, 4. — [10] *Baruc.*, VI, 14. — [11] *Psal.* CXIII, 7. — [12] *Baruc.*, VI, 25. — [13] *Isa.*, XLIV, 10.

(*a*) Cæt. edit. add. *Est.* — (*b*) *Cæt. edit.* prævidens.

subvenire eis non possunt. Hanc autem impotentiam ostendit esse detestandam : primo ex fragilitate idoli non valentis; secundo ex Dei potentia etiam sine nave salvantis : *Tu autem*, etc.; tertio ex utilitate ipsius navis : *Sed ut non essent*, etc.; quarto exemplo arcæ Noe genus humanum conservantis : *Sed et ab initio*, etc.

Dicit ergo : *Iterum alius*, etc., quasi dicat: Non solum inutiliter petunt homines ab idolis adjutorium in terra; *sed iterum* in aqua, quia *alius*, scilicet homo, *navigare cogitans*, scilicet proposito, *et per feros fluctus*, id est, periculosos : unde in Psalmo [1] : « Mirabiles elationes maris; » item [2] : « Qui navigant mare, enarrent pericula ejus. » *Iter facere incipiens*, scilicet propositi executione : *Ligno portante se*, *fragilius lignum invocat. Invocat*, scilicet in auxilium, *lignum*, scilicet idolum, *fragilius ligno portante se*, id est navi.

2. *Illud enim*, scilicet lignum idoli, *cupiditas acquirendi excogitavit* : unde dicitur avaritia [3] « idolorum servitus. » *Et artifex sapientia fabricavit sua : sua*, inquit, quasi dicat : Non divina [4], « sed terrena, animalis, diabolica. [5] « Abierunt in confusionem fabricatores errorum. » Et Job [6] : « Ostendens vos fabricatores mendacii. » Glossa : « Cum major sit qui fecit, quam quod fit, facturam suam adorare insanire est. »

3. *Tua autem, pater :* quasi dicat : Ita invocant illi idolum in regimine itineris. *Autem*, pro *sed*. *Tua, pater*, creatione :[7] « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos (*a*) vero lutum, » etc. Item provisione, unde [8] : « Pater noster, etc., panem nostrum, » etc. *Gubernas*, omnia scilicet, *providentia*, quæ secundum Damascenum [9] est cura Dei ad res : de qua Judith [10] : « Judicia tua in tua providentia posuisti. » Ex dictis patet, quod in Deo nihil agitur a casu et fortuna; quia, sicut dicit Plato [11], « nihil est, cujus ortum non præcesserit legitima causa. » Mundum vero administrari providentia, probat Tullius [12] sic : « Melius administrantur, quæ fuerint a providentia, quam quæ a casu : » sed mundus optime administratur : ergo, etc. *Quoniam*, etc., quasi dicat : Hoc patet, quod omnia providentia gubernas; *quoniam dedisti*, scilicet filiis Israel, *in mari viam*, educendo eos de Ægypto per medium sicci maris; *et inter fluctus*, scilicet fluvii Jordanis, *semitam firmissimam*, ut patet in *Josue*. De utroque dicitur in Psalmo [13] : « In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis. » Glossa : « Israelitas per Mare Rubrum sicco vestigio transduxit divina potentia, et Jordanis aquas divisit. »

4. *Ostendens*, scilicet per hoc, *quoniam potens es ex omnibus*, scilicet periculis et casibus, *sanare*, vel melius secundum aliam litteram, *salvare, etiam si sine rate*, id est, navi, *quis adeat mare*.[14] « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. » Unde Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, ut patet in *Matthæo;* Paulum, tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit.

5. *Sed ut non essent supervacua*, imo necessaria usui humano, *opera sapientiæ tuæ*, id est, per tuam sapientiam adinventa [5] : « Omnia in sapientia fecisti : » *Propter hoc etiam exiguo ligno*, scilicet modicæ navi, *credunt homines animas suas*, id est, vitam suam corporalem; *et transeuntes mare*, in quo tamen sunt innumera pericula, *per ratem liberati sunt*. Glossa : « Creator dedit creaturæ suæ scientiam, qua sibi in præsenti consuleret, et ejus voluntati deserviret. » Allegorice exiguum lignum potest dici crux Christi propter ejus abjectionem et vilitatem [6] : « Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam. » *Huic credunt homines animas suas*, scilicet in Christum crucifixum cre-

Crux Christi considerator.

[1] *Psal.* XCII, 4. — [2] *Eccli.*, XLIII, 26. — [3] *Ephes.*, V, 5. — [4] *Jac.*, III, 5. — [5] *Isa.*, XLV, 16. — [6] *Job*, XIII, 4. — [7] *Isa.*, LXIV, 8. — [8] *Matth.*, VI, 11. — [9] Damas., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. IX. — [10] *Judith*, IX, 5.— [11] Plat., in *Timæo*.— [12] Cicer., *de Divinat.*— [13] *Psal.* LXXVI, 20. — [14] *Isa.*, XLIII, 2. — [15] *Psal.* CII, 24.— [16] I *Cor.*, I, 23.— (*a*) *Edit. Ven.* vos.

dendo, et creditum adorando. *Et sic transeuntes mare* hujus mundi, scilicet crucis virtute et imitatione, per ratem liberantur, et perveniunt ad portum (*a*) æternæ salutis. Unde Damascenus [1] : « Crux est dormientium resurrectio, infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium auxilium, proficientium profectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum doctrix, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. » In his autem verbis, *Exiguo*, etc., primo innuitur crucis humilitas, cum dicitur : *Exiguo ligno;* secundo, ejus veneratio et dignitas, cum dicitur : *Credunt homines animas suas*, homines scilicet rationales, ut beatus Andreas, dicens : « Suscipe me ab hominibus; » tertio necessitas, cum dicitur : *Et transeuntes mare*, scilicet hujus mundi, de quo in Psalmo [2] : « Hoc mare magnum, » etc.; quarto ejus virtus et utilitas, cum dicitur : *Per ratem liberati sunt :* [3] « Prædicamus Christum, » etc.; item : « Verbum crucis pereuntibus, etc., nobis autem, » etc.

6. *Sed et ab initio*, etc. : hic utilitas arcæ Noe primo ostenditur; secundo ipsa laudatur, ibi : *Benedictum lignum*, etc.; tertio idolum et ejus artifex vituperatur : *Per manus autem*, etc. *Sed et ab initio*, etc., quasi dicat : Non tantum liberat a periculo maris, sed etiam a diluvio; et hoc est, quod dicit : *Sed et ab initio*, scilicet in principio secundæ ætatis, scilicet tempore Noe. *Cum perirent*, scilicet in diluvio, *superbi gigantes*, de quibus habetur in *Genesi : Spes orbis terrarum*, scilicet futuri, Glossa : « seminarium generis humani, scilicet octo personæ, de quibus dicitur [4] : « In qua paucæ animæ salvæ factæ sunt » per aquam (*b*) : *Ad ratem confugiens*, id est arcam ad modum ratis factam, quia major fuit longitudo latitudine, *remisit sæculo*, scilicet futuro post diluvium, *semen nativitatis*, scilicet tam hominum, quam animalium, ut patet in *Genesi*. *Quæ*, scilicet arca : *manu tua*; Glossa : « potentia, vel Filio, » secundum illud *Psalmi* [5] : « Emitte manum tuam de alto, » etc.: *erat gubernata*, quia nullum gubernatorem habuit nisi Deum, vel angelum ejus : cum omnes homines extra existentes, essent mortui : existentes intra, essent clausi.

7. *Benedictum est enim lignum*, scilicet arcæ Noe, *per quod fit justitia*, scilicet liberationis justorum, malis submersis, quod fuit justum. De hoc ligno supra [6] : « Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia per contemptibile lignum, justum gubernans. » Hoc autem lignum allegorice potest dici lignum crucis, de quo dicitur [7] : « Peccata vestra pertulit in corpore suo super lignum. » Per illud lignum facta est *justitia*, quia unicuique redditum est, quod suum erat. Nam per illud *lignum* destructum est peccatum, secundum illud, quod cantat Ecclesia : « Mors mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit; » et [8] : « O mors, ero mors tua, » etc. Item per ipsum est diabolus victus, secundum illud Gregorii [9] : « Qui per lignum vincebat, per lignum quoque vinceretur. » Item per ipsum est homo reconciliatus : [10] « Delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci. » Item [11] : « Pacificans per sanguinem crucis. » Item infernus spoliatus [12] : « Spolians (*c*) principatus et potestates, » etc. Item cœlum apertum, unde latroni dictum est [13] : « Hodie mecum eris in paradiso. » Et [14] : « Dabo clavem domus David. » Item Christus exaltatus; unde [15] : « Propter quod et Deus exaltavit illum, » etc. Hæc fuit virga Assueri [16] in signum clementiæ homini ostensa, vel porrecta. Et bene dixi, benedictum esse lignum secundum quod fit justitia : (v. 8) *Autem*, pro *sed : Idolum quod fit per manus*, scilicet artificum, *maledictum est et ipsum*, scilicet idolum, *et qui fecit illud*, scilicet

[1] Damasc., *de Fid., Orthod.*, lib. IV, c. XII. — [2] *Psal.* CIII, 25. — [3] I *Cor.*, I, 23. — [4] I *Petr.*, III, 20. — [5] *Psal.* CXLIII, 7. — [6] *Sap.*, X, 4. — [7] I *Petr.*, II, 24. — [8] *Osee.*, XIII, 1. — [9] Greg., *Præf. de Cruce.* — [10] *Coloss.*, II, 14. — [11] *Coloss.*, I, 20. — [12] *Coloss.*, II, 15. — [13] *Luc.*, XXIII, 43. — [14] *Isa.*, XXII, 22. — [15] *Philip.*, II, 9. — [16] *Esth.*, XV, 15. — (*a*) *Cæl. edit.* portam. — (*b*) *Item* quam. — (*c*) *Vulg.* Expolians.

artifex. Sed idolum cum sit res inanimata, quo modo maledicitur? quia ista maledictio, aut intelligitur ratione culpæ, quæ in idolum non cadit, aut ratione pœnæ, quæ ratione culpæ infligi habet. Dicendum, quod in idolo est considerare duo, scilicet spiritum præsidentem, et figuram ligni. Ipse malignus spiritus maledictus est maledictione pœnæ et culpæ; sed lignum, maledictione detestationis et infamiæ, quasi cujusdam pœnæ, non quia sit subjectum culpæ ratione cujus habet infligi pœna, sed quia materia, vel occasio culpæ. Unde Glossa : « Diabolus enim punietur, quia sibi honorem divinum usurpat; et homo, qui pro Creatore creaturam honorat. » *Quia ille quidem operatus est,* scilicet idolum. Unde merito maledictus est [1] : « Ecce omnes participes ejus confundentur. » *Illud autem*, scilicet idolum, *cum esset fragile*, quia de fragili materia, *Deus cognominatus est*, scilicet sola nuncupatione, non rei veritate : propter quod merito maledicitur.

Dubitatio. Solutio. Deus nuncupative quisnam sit.

9. *Similiter autem*, etc. : hic tangit causam detestationis idolorum sumptam ex parte offensæ Creatoris : et primo tangit signum offensæ, scilicet idoli, et idololatrantis pœnam; secundo, pœnæ irremissibilitatem : *Propter hoc*, etc.; tertio causam a parte idoli : *Quoniam creaturæ;* quarto causam a parte idololatrantis: *Initium enim*, etc. Bene dixi, quod utrumque maledictum, etc. *Autem*, pro *quia, similiter odio sunt Deo impius*, scilicet idololatra, qui abnegat pietatem divini cultus. *et impietas ejus,* id est, materia impietatis ejus, scilicet idolum, id est, dæmon præsidens idolo. [2] « Altissimus habet odio peccatores. » Et notandum, quod odium Dei non notat vel sonat affectum in ipso, sed effectum in eo quem odit.

Autem pro Quia. Dei odium quo modo sumatur.

10. *Etenim quod factum est,* scilicet idolum, *cum illo qui fecit*, id est, cum artifice idololatra, *tormenta patietur*. De idololatra planum est; sed de idolo quo modo verum esse potest, scilicet quod tormentum patiatur, cum sit res inanimata? Dicendum, quod de idolo loquitur ratione maligni spiritus in eo præsidentis, non ex parte figuræ, vel materiæ ipsius idoli. Sed contra : Idololatra non facit spiritum malignum præsidentem. Dicendum, quod licet non faciat ipsum in se, facit tamen quod in idolo præsideat; sicut Deum dicimur exaltare, et magnificare, non in se, sed in nobis [3]: « Magnificate Dominum mecum, » etc. Utrumque enim punietur [4] : « Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui operatur illud, ibit cum illo; » Et [5] : « Conteretur cum delinquente delictum. »

Dubitatio. Soli

11. *Propter hoc*, scilicet quia, *Deo sunt odio, et,* id est etiam, *in idolis nationum*, id est, in dæmonibus præsidentibus in idolis gentilium, de quibus in *Psalmo* [6] : « Omnes dii gentium dæmonia, » etc. *Non erit respectus*, scilicet clementiæ. Quod est contra Origenem, qui dixit ipsum pro dæmonibus in aere in fine passurum, et sic eos fore salvandos. Contra quod dicitur hic, et in *Ecclesiastico* [7] : « Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua. » *Quoniam*, etc. : Et merito, *quoniam creaturæ Dei*, id est, a Deo factæ, sicut aurum et argentum, unde *Oseas* [8] : « Argentum, et aurum multiplicavi eis. » etc. *Factæ sunt in odium*, scilicet irascibilis, ut Deum scilicet odiant homines, sicut dæmones : de quibus in *Psalmo* [9] : « Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. » *Et in tentationem animabus hominum*; concupiscibilis, ut scilicet subderent se homines quibuscumque potestatibus libere, secundum voluntatem, vel suggestionem deorum suorum : *Et in muscipulam,* id est, deceptionem rationalis : et dicitur muscipula instrumentum, quo mures capiuntur : *pedibus,* scilicet interioribus animæ, non exterioribus, scilicet corporis; *insipientium*, id est, infidelium. *Job* [10] : « Abscondita est in terra pedica ejus. » Item *Jeremias* [11] : « Inventi sunt

[1] *Isa.*, XLIV, 11. — [2] *Eccli.*, XII, 3. — [3] *Psal.* XXXIII, 4. — [4] *Eccli.*, XIV, 20. — [5] *Eccli.*, XXVII, 3. — [6] *Psal* XCV, 5. — [7] *Eccli.*, XXXIX, 33. — [8] *Osee.*, II, 8. — [9] *Psal.* LXXIII, 23. — [10] *Job*, XVIII, 10. — [11] *Hier.*, V, 26.

in populo meo viri impii insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. »

12. *Initium enim*, etc. Bene dixi : *quod creaturæ Dei*, etc. *Initium enim fornicationis*, scilicet spiritualis, quæ est recedendo a Deo, est, etc. Unde Glossa : « Pessimum genus fornicationis est, quo anima recedit a Deo et fornicatur cum idolis, » unde *Jeremias*[1] : « Mœchata est cum ligno et lapide. » Tales perduntur, sive destruuntur a Deo, secundum illud *Psalmi*[2] : « Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. » *Initium*, inquam, *fornicationis*, prædictæ, *est exquisitio idolorum*. Sed contra[3] : « Initium omnis peccati superbia. » Respondeo : Non loquitur hic de fornicatione, quæ est per quemcumque recessum a Deo, sicut est in quolibet peccato mortali ; sed de illa, qua recedit a Deo perfecto recessu, scilicet usque ad subversionem fidei, quæ est fundamentum totius spiritualis ædificii[4] : « Fides est sperandarum substantia rerum, » etc. Item[5] : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, » etc. *Et adinventio illorum, corruptio vitæ est*, scilicet quoad mores[6] : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis sui, in immunditiam. » In *Psalmo*[7] : « Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. »

13. *Neque* (*a*) *enim erant* : hic tangitur tertia ratio detestationis idolorum, scilicet ex novitate, et merito suæ adinventionis. Finis adinventionis et culturæ tangit plures causas : primo hominum curiosam otiositatem ; secundo, parentum ad filios defunctos affectionem : *Acerbo enim*, etc.; tertio, tyrannorum timorem : *Deinde*, etc.; quarto, principum reverentiam et honorem : *Hos quos*, etc.; quinto, artificum diligentiam et sollicitudinem : *Provexit autem*, etc.; sexto ponit causarum principalium recapitulationem : *Et hæc fuit vitæ*, etc. Bene dixi : *Exquisitio idolorum, et adinventio*, etc. *Non enim erant a principio*, scilicet idola : quod patet, quia non sunt creatores; unde[8] : « Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terra; » nec etiam creatura, quia omnis creatura a Deo est : sed idola non sunt a Deo, sed sunt hominum fictio; propter quod dicitur[9] : « Idolum nihil est in mundo, » scilicet quantum ad esse divinum, quod illi creditur esse ab idololatris. *Neque erunt in perpetuum*, imo destruentur, conversis hominibus ad cultum unius Dei[10] : « Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. »

14. *Supervacuitas enim*, id est otiositas, *hominum hæc adinvenit*, etc.[11] : « Multam malitiam docuit otiositas, » scilicet otiosos, qui laborare nolebant ad quærendum unum verum Deum, et digne colendum. *In orbem terrarum* : in cœlo enim nullus error talis unquam fuit : et ideo, scilicet quia non semper fuerunt, *brevis illorum finis inventus est*, scilicet apud sapientes : cito enim deserti sunt a filiis Israel tempore Moysi, et a populo Christiano, tempore Christi, vel novæ legis[12] : « Confusus est omnis artifex in sculptili : vana sunt opera, et risu digna : in tempore visitationis suæ peribunt. »

15. *Acerbo enim luctu dolens pater*, scilicet de morte filii, sicut David doluit de morte Absalon, vel de morte pueri, quem primo habuit de Bethsabee ; *cito sibi rapti*, id est violentia mortis prærepti ; *fecit imaginem* ; Glossa : « Homines defunctorum amicorum sibi simulacra finxerunt, quorum contemplatione aliquid habuerunt solatium. » *Et illum qui tunc*, scilicet de recenti, *quasi homo mortuus fuerat*, cujus proprietas est esse mortalis, secundum illud[13] : « Omnes morimur, » etc. *Nunc* (*b*), id est, paulo post, quod est inexcusabilius, *tanquam Deum colere cœpit* : Glossa : « Progressique longius

[1] *Hier.*, III, 9. — [2] *Psal.* LXXII, 27. — [3] *Eccli.*, X, 15. — [4] *Hebr.*, XI, 1. — [5] I *Cor.*, III, 11. — [6] *Rom.*, I, 24. — [7] *Psal.* XXVII, 4. — [8] *Hier.*, X, 11. — [9] I *Cor.*, VIII, 4. — [10] *Isa.*, XIX, 1. — [11] *Eccli.*, XXXIII, 29. — [12] *Hier.*, X, 14. — [13] II *Reg.*, XIV, 14.

(*a*) Cæt. edit. *non*. — (*b*) Item *Vivit*.

per amorem, defunctorum memoriam colere cœperunt. » *Et constituit inter servos suos*, timore sibi obedientes, non ratione, *sacra*, scilicet thurificationes et laudes, *et sacrificia*, scilicet animalium immolationes. Primus autem, ut dicit Isidorus super illud *Lucæ* [1] : « In Belzebub principe dæmoniorum, » etc., Ninus rex Assyriorum Beli patris sui mortui fecit imaginem, quam tanta veneratione honoravit, ut etiam reis ad ipsam confugientibus parceret; propter quod homines imperiti statuam Beli ut Deum colere cœperunt, et statuas multiplicare. Quorum quidam illud idolum vocabant Bel; quidam Baal; quidam Baalim; quidam Beelzebub.

Beli statua.

16. *Deinde interveniente tempore*, id est, mora temporis; *convalescente iniqua consuetudine*, quæ potius extirpanda est, quam tenenda, quia diuturnitas temporis non diminuit peccatum, sed potius auget : *hic error*, scilicet colendi idola, *tanquam lex*, sub præcepto scilicet, *custoditus est.* [2] « Leges populorum vanæ sunt. » Item [3] : « Væ, qui condunt leges iniquas. » *Et tyrannorum imperio*, id est, malorum principum, *colebant figmenta.* Unde Antiochus compellebat Judæos ad cultum gentium; et Nabuchodonosor cogebat statuam suam adorare.

17. *Et hos, quos in palam homines honorare non poterant*, id est, in præsentia eorum; *propter hoc*, scilicet *quod longe essent*, *e longinquo*, scilicet loco, *figura eorum allata*, scilicet in pictura, *evidentem imaginem*, scilicet sculptam imaginem dico, *regis*, *quem honorare volebant*, *fecerunt*, scilicet tribuentes divinum honorem hominibus. Cicero [4] : « Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum tollerent. » *Ut illum*, scilicet regem, *qui aberat*, id est, absens erat, tamen vivens, *tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.* Glossa : « Propter hominum stultitiam et pravitatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant, ipsum regem totamquegentem summis laudibus extulerunt, ita ut etiam deos appellarent, vel pro insigni virtute, vel pro beneficiis, vel pro adulatione. » *Hos*, *quos*, etc. Littera sic est construenda : Homines fecerunt evidentem imaginem, quam honorare volebant, allata de longinquo figura illorum. *Et hos*, *quos in palam*, id est præsentialiter, *honorare non poterant*, *propter hoc*, supple *quod longe essent*, *fecerunt*, inquam, *ut illum qui aberat*, etc.

18. *Provexit autem ad horum*, scilicet idolorum, *culturam et*, id est etiam, *hos qui ignorabant*, id est ignorantes et rudes, *eximia*, id est maxima, *artificis diligentia;* artificis, inquam, diligenter et curiose idolum fabricantis, et illud decorantis, secundum illud *Hieremiæ* [5] : « Argento et auro decoravit illud. » Item [6] : « Fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo. »

19. *Ille enim* (*a*), artifex, *volens placere illi qui se assumpsit*, id est conduxit, scilicet ad faciendum idolum : hæc est mala placentia, de qua in *Psalmo* [7] : « Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. » Item [8] : « Si hominibus placerem, Christi servus non essem. » *Elaboravit arte sua, ut similitudinem*, id est imaginem, *in melius figuraret*, id est, meliori modo quo posset [9] : « Faber ferrarius lima operatus est. » *Baruch* [10] : « Sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt. »

20. *Multitudo autem hominum*, scilicet stultorum [11] : « Stultorum infinitus est numerus; » *abducta*, scilicet a veritate, *per speciem operis*, id est, pulchritudinem [12] : « Fallax gratia, et vana est pulchritudo; » [13] « Species decepit te; » *eum qui ante tempus*, supple *modicum*, *tanquam homo honoratus fuerat*, scilicet honore duliæ; *nunc Deum æstimaverunt*, honorantes eum honore latriæ.

[1] *Luc.*, XI, 15. — [2] *Hier.*, X, 3. — [3] *Isa.*, X, 1. — [4] Cic., *de Nat. Deor.*, lib. I. — [5] *Hier.*, X, 4. — [6] *Isa.*, XLIV, 13. — [7] *Psal.* LII, 6. — [8] *Gal.*, I, 10. — [9] *Isa.*, XLIV, 12. — [10] *Baruc.*, VI, 8. — [11] *Eccle.*, I, 15. — [12] *Prov.*, XXXI, 30. — [13] *Dan.*, XIII, 56.

(*a*) Cæt. edit. *autem.*

21. *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio*, id est causa deceptionis, causa, inquam, duplex, quasi duplex mortis porta, scilicet amor et timor, secundum Glossam super illud *Psalmi* [1] : « Incensa igni, et suffossa, » etc. *Quoniam autem affectui*, scilicet proprio, in honoratione amicorum, *aut regibus*, in veneratione potentum ; Glossa : « Sic per populos, vel regiones (*a*), scilicet præ adulatione, vel præ timore, varia sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos principes cupiunt : » *deservientes*, id est, devote servientes, *homines*, contra illud [2] : « Nolite effici servi hominum ; » *Incommunicabile nomen* : Glossa : « Dei omnipotentis, quia scilicet forma, a qua impositum est nomen illud, *Deus*, incommunicabilis est creaturis, communicabilis tamen est personis divinis : *lapidibus et lignis imposuerunt*, contra illud præceptum [3] : « Non assumes nomen Dei tui in vanum. » Sed contra [4] : « Ego constitui te Deum Pharaonis. » Item in *Psalmo* [5] : « Ego dixi : Dii estis, » etc. : ergo nomen Dei est communicabile creaturis. Dicendum, quod Deus tripliciter dicitur, natura, adoptione, nuncupatione : primo modo est incommunicabile ; secundo modo, non. Sed contra, quia Christo homini communicatum est nomen divinum. Unde [6] : « Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. » Sed dicendum, quod non est communicatum non habenti prius, sed aliter quam prius, quia hoc nomen personæ convenit, non naturæ, scilicet humanæ, sed tamen habenti naturam humanam. Ad illud, quod objicitur : « Dedit illi nomen, » etc., dicendum, quod datio illic (*b*) accipitur pro manifestatione. Vel *dedit illi* in natura humana, qui prius habebat in divina.

22. *Et non suffecerat* ; hic tangitur ultima causa detestationis idolorum, sumpta ab effectu humanæ corruptionis. Et primo tangitur in idololatris excæcatio mentis ; secundo corruptio operis : *Aut enim filios*, etc. ; tertio rationabilitas excæcationis et corruptionis : *Et omnia*, etc. ; quarto causa utriusque : *Infandorum*, etc. Dicit ergo : *Et non suffecerat errasse eos* ; Glossa : « Cum falsa religione omnibus vitiis se subdiderint ; » *errasse*, inquam, scilicet *circa Dei scientiam*, id est fidem [7] : « Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. » *Sed et in magno viventes inscientiæ*, id est infidelitatis, *bello*, per quam scilicet infidelitatem adversus Deum bellant ; unde *Job* [8] : « Ipsi fuerunt rebelles lumini ; » *tot*, scilicet quoad numerum, *et tam magna* quantum ad intensionem, vel quantum ad durationis quantitatem, *mala*, quantum ad deformitatem ; *tot*, inquam, *et tam magna mala*, in quibus scilicet vivunt, *pacem appellant*, secundum illud [9] : « Et esse sub sentibus delicias computabant ; » et *Jeremias* [10] : « Dicentes : Pax, pax ; et non erat pax. » Glossa : « Sub regno diaboli, diversis vitiis subjecti, veram pacem habere non poterant. »

23. *Aut enim*, etc. Hic enumerat mala, quibus opere sunt corrupti : primo malum specialiter commissum in Deum ; secundo specialiter commissum in se, et in proximum : *Neque vitam*, etc. *Dicit* ergo : *Aut enim filios suos sacrificantes*, secundum illud *Psalmi* [11] : « Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. » Et *Ezechielis* [12] : « Numquid parva est fornicatio tua? Immolasti filios meos, et dedisti illos consecrans eis : » quia, sicut dicit Glossa, in sacris Saturni, propter odium Jovis, sine respectu pietatis suos parvulos immolabant. *Aut obscura sacrificia facientes*, obscura, id est, nocturna, sicut fiebat secundum Glossam in sacris Osiridis Ægyptiæ, et cæteris, quæ sacra ardentium tædarum jactatione celebrabantur : *aut insaniæ plenas vigilias habentes* ; in sacris enim Bacchi et Cybeles matris Deorum, ad exem-

[1] *Psal.* LXXIX, 17. — [2] I *Cor.*, VII, 23. — [3] *Exod.*, XX, 7. — [4] *Exod.*, VII, 1. — [5] *Psal.* LXXXI, 6. — [6] *Philip.*, II, 9. — [7] *Sap.*, XIII, 1. — [8] *Job*, XXIV, 13. — [9] *Job*, XXX, 7. — [10] *Hier.*, VI, 14. — [11] *Psal.* CV, 37. — [12] *Ezech.*, XVI, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* religiones. — (*b*) *Item* illi.

plum eorum, qui in festivitate satiati noctem totam lusibus ducebant, id est, ludebant, ut ait Glossa. Contra hoc dicitur in *Psalmo* [1] : « Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit vanitates, et insanias falsas. »

24. *Neque vitam*, scilicet propriam, mundam : quia [2] « tradidit illos Deus in immunditiam. » *Neque nuptias mundas jam custodiunt*, contra quod [3] : « Honorabile connubium, et torus immaculatus. » *Jam custodiunt*, etc., quia, sicut dicit Glossa, per libidinem et immunditiam diis suis placere putabant, et quanto quis sceleratior erat, tanto magis deo suo placere putabat. *Sed et alius alium occidit per invidiam*, scilicet in persona sua, ut Cain Abel, et Judæi Christum. *Aut adulterans contristat*, scilicet in persona sibi conjuncta ; *contristat*, dicit, quia magna causa tristitiæ est violatio tori conjugalis. Unde bene et secundum leges civiles data est viro licentia occidendi adulterum et adulteram in ipso actu adulterii inventos.

25. *Et omnia*, scilicet vitia, *commixta sunt*; unde [4] : « Maledictum, et adulterium, et furtum inundaverunt. » *Sanguis;* hic tangit primo quædam peccata spiritualia; secundo, quædam carnalia : *Animarum*, etc. In prima, primo quædam mala operis; secundo, quædam mala cordis : *Corruptio;* tertio, quædam mala locutionis : *Et perjurium.* Mala operis tangit quatuor, scilicet vulnerationem, cum dicit : *Sanguis;* occisionem, cum dicit : *Homicidium*; furtum, cum dicit : *Furtum*; fraudem, cum dicit : *Et fictio.* Bene dixi, quod *omnia commixta sunt*, scilicet *sanguis*, mutua vulneratione. Unde *Isaias* [5] : « Manus vestræ plenæ sanguine sunt. » Item *Oseæ* [6] : « Sanguis sanguinem tetigit. » *Homicidium;* unde [7] : « Vir fratrem suum venatur ad mortem. » *Furtum* (*a*) [8] : « Principes tui infideles, socii furum ; » et (*b*) in Psalmo [9] : « Si videbas furem, currebas cum eo. » *Et fictio*, id est, dolus : dolus enim est, cum aliud agitur, et aliud prætenditur, vel simulatur. *Corruptio :* hic tangit peccata cordis, scilicet concupiscibilis potentiæ : in *Psalmo* [10] : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt, » etc. *Infidelitas*, scilicet rationalis, unde [11] : « Periit fides, et ablata est de ore eorum. » *Turbatio*, scilicet potentiæ irascibilis, unde [12] : « Non est pax impiis, dicit Dominus. » Hæc sunt tria mala cordis. Deinde tangit tria mala locutionis, dicens : *Perjurium*, scilicet vel assertorium, sicut est in falsis attestationibus ; vel promissorium, ut in falsis promissionibus, contra quod dicitur [13] : « Non perjurabis. » *Et tumultus*, scilicet in contentionibus et discordiis ; unde [14] : « Tumultuabitur puer contra senem. » *Et bonorum.*

26. *Dei* (*c*) *immemoratio*, id est, ingratitudo, quia non laudatur Deus de benficiis suis ; unde [15] : « Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, » etc. ; et [16] : « Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde. » Hæc sunt tria mala locutionis : primum in Deum et proximum ; secundum in proximum ; tertium in Deum, scilicet omittendo. *Animarum inquinatio*, etc. Hic tangit peccata carnalia : primo peccata libidinis interioris ; secundo commixtionis innaturalis, ibi : *Nativitatis*, etc.; tertio bigamiæ : *Nuptiarum*, etc.; quarto adulterii : *Inordinatio*, etc.; quinto fornicationis : *Impudicitiæ*, etc. Dicit ergo : *Animarum inquinatio*, scilicet per internam libidinem ; unde [17] : « Jam mœchatus est in corde suo ; » et [18] : « Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, » etc.; et [19] : « Coinquinatæ sunt illorum mens et conscientia. » *Nativitatis immutatio*, id est, naturæ, sive usus naturalis ; unde [20] : « Fœminæ eorum immutaverunt naturalem

[1] *Psal.* XXXIX, 5. — [2] *Rom.*, I, 24. — [3] *Hebr.*, XIII, 4. — [4] *Osee*, IV, 2. — [5] *Isa.*, I, 15. — [6] *Ose.*, IV, 2. — [7] *Mich.*, VII2. — [8] *Isa.*, I, 23. — [9] *Psal.* XLIX, 18. — [10] *Psal.* XIII, 2. — [11] *Hier.*, VII, 28. — [12] *Isa.*, LVII, 21. — [13] *Levit.*, XIX, 12. — [14] *Isa.*, III, 5. — [15] *Luc.*, XVII, 18. — [16] *Psal.* XXX, 13. — [17] *Matth.*, V, 28. — [18] *Hier.*, IV, 14. — [19] *Tit.*, I, 15. — [20] *Rom.*, I, 26.

(*a*) *Cæt. edit. add.* Et. — (*b*) *Cæt. edit. non habent* et. — (*c*) Vulg. *et tumultus bonorum, Dei.*

usum, » etc. *Nuptiarum inconstantia*, scilicet uxores pro voluntate accipiendo, et repudiando, cum tamen deberent esse duo in carne una; ita[1] : « Quod Deus conjunxit, homo non separet. » *Inordinatio mœchiæ*, id est, adulterii contra ordinem matrimonii, contra quod[2] : « Non mœchaberis; » *et impudicitiæ*, id est, fornicationis. contra quod[3] : « Non in cubilibus, et impudicitiis. »

27. *Infandorum*, etc. : hic ostenditur, quod idololatria est causa hujus corruptionis. Et primo ostendit, quo modo idololatria est causa omnium malorum in idololatris; secundo propter quid, quoniam propter spem impunitatis : *Dum enim confidunt*, etc.; tertio ostendit quod hoc ipsum est eis causa punitionis : *Utraque*, etc.; quarto ostendit, quæ sit illa punitio, scilicet casus et præcipitatio in alia peccata : *Non enim*, etc. *Infandorum*, etc. Ita dixi, quod tot et tanta mala faciunt idololatræ : *infandorum enim idolorum*, id est, nefandorum, id est, nominatione indignorum, secundum illud *Psalmi*[4] : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea; » *infandorum*, inquam, *idolorum cultura omnis malitia est*, scilicet per intellectus excæcationem, et voluntatis subversionem; *et initium*, scilicet per operis inchoationem; *et finis*, per ejusdem completionem : sicut fides et cultus Dei causa est omnis boni, ut probat Apostolus qui ait[5] : « Fides est sperandarum substantia rerum. » Sed contra[6] : « Initium omnis peccati, superbia. » Item[7] : « Radix omnium malorum, cupiditas : » male ergo dicitur hic, quod omnium malorum initium est infidelitas. Dicendum, quod non est inconveniens plura esse initia malorum, secundum diversos respectus, sicut unius rei sunt quatuor causæ, scilicet efficiens, materialis, etc., et tamen initia in uno genere, quia ex parte rationalis infidelitas, ex parte concupiscibilis cupiditas, ex parte irascibilis superbia.

28. *Aut enim dum lætantur, insaniunt;* Glossa : « In festis et ludis, » et hoc quantum ad malum in affectione; *insaniunt*, dicit, quia lætitia irrationalis, insania est, sicut risus hæreticorum. Unde[8] : « Insania in domo Dei ejus. » *Aut certe vaticinantur falsa*, scilicet falso prophetando. Et hoc quantum ad malum cogitationis, unde[9] : « Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. » *Aut vivunt injuste*, et hoc quantum ad malum conversationis[10] : « Impius multo tempore vivit in malitia. » *Aut perjurant*, id est, pejerant, et hoc peccatum locutionis : *cito*, id est, de facili, propter malam suam consuetudinem, propter quod dicitur[11] : « Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa. »

29. *Dum* (*b*) *enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt*, quoad vitam, *Male jurantes*, scilicet ex parte rei, quam jurant, quod falsum, contra illud[12] : « Jurabis, vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia : » *Noceri non sperant*, id est, non timent. Sed quomodo non timent, cum esse veros deos credant? Dicendum, quod licet ipsos deos colant, non tamen eis inesse omnipotentiam putant. Vel non credunt, quod peccata hominum puniant. Et revera eis non possunt nocere, propter quod dicitur[13] : « Nolite timere illa, » scilicet idola, « quia nec male, nec bene possunt facere. » Sed tamen a Deo punientur pro peccato perjurii. Unde sequitur (v. 30) : *Utraque ergo illis evenient*, scilicet malum culpæ, quia male jurare permittuntur; et malum pœnæ, quia propter hoc punientur. *Evenient*, inquam, *digne*, scilicet pro meritis; unde[14] : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » *Quoniam male senserunt de Deo attendentes idolis*, id est, divinum cultum eis tribuendo, pejerant per idolum. *Et injuste juraverunt in idolo contemnentes justitiam*, scilicet illici-

[1] *Matth.*, XIX, 6. — [2] *Exod.*, XX, 14. — [3] *Rom.*, XIII, 13. — [4] *Psal.* XV, 4. — [5] *Hebr.*, XI, 5. — [6] *Eccli.*, X, 15. — [7] I *Tim.*, VI, 10. — [8] *Ose*, IX, 8. — [9] III *Reg.*, XXII, 22. — [10] *Eccle.*, VII, 16. — [11] *Eccli.*, XXIII, 9. — [12] *Jerem.*, IV, 2. — [13] *Jerem.*, X, 5. — [14] *Apoc.*, XXII, 11.

(*a*) Edit. Ven. *Cum*.

tum vel falso jurando; et ita dupliciter errant, vel peccant, scilicet quia jurant per quod non debent, et quia jurant id quod non debent. Unde [1] : « Per nomen exteriorum Deo rum non jurabitis.

31. *Non enim*; quasi dicat : Et vere peccant sic jurando; *non enim jurantium* (*a*), scilicet sic, *est virtus*, id est, opus virtuosum, vel meritorium ; *sed peccantium pœna*, id est, peccatum ipsum, quod etiam est pœna præcedentium peccatorum, et culpa in se, *perambulat semper*, scilicet de malo in pejus; *in justorum*, id est, justarum rerum, scilicet mandatorum Dei, *prævaricationem*, scilicet peccatum. « Peccatum enim [2], quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. » Unde [3] :« Fiat via illorum tenebræ et lubricum, » etc.

CAPUT XV.

Tu autem, Deus noster, etc. Postquam ostendit idololatrantium errorem, et idolorum detestationem, hic subdit veri Dei commendationem. Verum autem Deum ostendit esse commendabilem, primo ex ipsius bonitate; secundo, ex credentium in eum remuneratione : *Etenim si peccaverimus*, etc.; tertio, ex idolorum utilitate : *Sed et figulus*, etc.; quarto ex idololatrantium vituperatione : *Omnes enim*. etc.

Ordo dicendorum.

Tu autem, etc.; quasi dicat : talia sunt idola : *autem*, pro *sed* : *Sed tu, Deus noster*; Deus, inquam, creatione, secundum illud [4] : « In principio creavit Deus : » Item gubernatione et conservatione; secundum Damascenum [5] Deus dicitur Θεὸς ἀπο τοῦ θεεῖν, id est, disponere, vel gubernare : primus effectus est sapientiæ; secundus, potentiæ; tertius, bonitatis. *Noster*, scilicet cultus appropriatione, quia tunc tantum « notus in Indæa Deus, » ut dicitur in *Psalmo* [6]. *Suavis*, scilicet affectui, secundum illud [7] : « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. » Supra [8] : « O quam bonus, et quam suavis est spiritus tuus in nobis ! » *Suavis*, inquam; Glossa : « inæstimabilis charitatis. » Gregorius [9] : « O inæstimabilis dilectio charitatis ! ut servum redimeres, filium tradidisti. *Et verus es*, scilicet intellectui contemplanti; Glossa : « quia nec fallit nec fallitur. » Item [10] : « Est autem Deus verax ; omnis homo autem mendax. » Utrumque autem prædictorum refertur ad bonos. *Et patiens*, scilicet malæ (*b*) culpæ, dissimulando scilicet, quoad malos. Unde Glossa : *Patiens*, id est, diu sustinens peccantes [11] : « Patiens, et præstabilis super malitia. » Et [12] : « Deus judex justus, fortis et patiens. » *Et in misericordia disponens omnia*, quoad omnes; *omnia*, scilicet mala pœnæ remittendo. Unde [13] : « Miserationes ejus super omnia opera ejus. » Et [14] : « Solem suum facit oriri super bonos et malos. »

2. *Etenim*, etc. Hic ostenditur commendabilis excolentium remuneratio. Et primo ostendit, quod peccantes sunt Deo subjecti; secundo, quod non peccantes sunt Deo accepti : *Et si non peccaverimus*, etc.; tertio ostendit, quæ sit ratio hujus, quoniam notitia et cultus Dei : *Nosse enim te*, etc.; quarto ostendit qui sunt hujusmodi beneficio digni : *Non enim in errorem*, etc.; quinto, qui sunt indigni : *Malorum amatores*, etc.

Etenim, etc.; quasi dicat : Et vere talis es, *etiam si peccaverimus*, scilicet peccato mortali, et maxime peccato infidelitais, quod dicitur peccatum antonomastice. Unde [15] : « Arguet mundum de peccato. » Et specialiter de hoc loquitur hic : *Si peccaverimus*, inquam, *tui sumus*, id est, in tua potestate et gubernatione constituti. Glossa : « Evadere non possumus, quia tua creatura sumus. » Unde [16] :« Si ascendero in cœlum, tu

[1] *Exod.*, XXIII, 3. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXV, c. IX. — [3] *Psal.* XXXIV, 6. — [4] *Gen.*, I, 1. — [5] Damasc., *de Fid. orthod.*, lib. I, c. XII. Vid. tom. I, p. 50. — [6] *Psal.* LXXV, 2. — [7] *Psal.* XXXIII, 9. — [8] *Sap.*, XII, 1. — [9] Greg., in *Præcon. Paschali*. — [10] *Rom.*, III, 4. — [11] *Joel.*, II, 13. — [12] *Psal.* VII, 12. — [13] *Psal.* CXLIV, 9. — [14] *Matth.*, V, 45. — [15] *Joan.*, XVI, 8. — [16] *Psal.* CXXXVIII, 8.

(*a*) Vulg. *juratorum*. — (*b*) *Leg.* mali.

illic es, » etc. Item [1] : « Non est, qui de manu mea possit eruere. » *Sciens magnitudinem tuam,* magnitudinem dico non molis, sed virtutis, omnia continentem, et omnia destruere valentem. Unde [2] : » Magnus Deus, et magna virtus ejus. » *Et si non peccaverimus,* scilicet peccato mortali, quod est peccatum simpliciter, et maxime peccatum infidelitatis, quod est peccatum antonomastice. Peccato enim veniali carere non possumus, aut si possumus, non tamen diu. Unde [3] : « Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » *Si non peccaverimus,* inquam, etc., *scimus,* scilicet per fidem, *quoniam apud te sumus computati;* Glossa: « apud quem bonorum operum numerus scitur, vel servatur. » Unde [4] : « Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. » Nec solum numerati, sed etiam nominatium adscripti. Unde [5] : « Quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. » Dicuntur autem boni esse computati sicut dilecti et electi, et bene possunt computari, quia pauci, secundum illud [6] : « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » Mali autem non computantur a Deo, sicut nullus computat monetam reprobatam; ipsi autem sunt reprobata moneta, secundum illud [7] : « Argentum reprobum vocate eos. » Item, quia infiniti, secundum illud [8] : « Stultorum infinitus est numerus. » Hoc tamen non est ex impotentia Dei computantis, sed magis ex eorum indignitate. Peccator enim indignus est pane, quo vescitur, ut dicit Augustinus. Item infra [9] : « Luto vilior vita ejus : » lutum autem nullus computaret.

Quisque peccato veniali diu carere non potest.

3. *Nosse enim,* etc. Bene dixi, *si non peccaverimus,* et maxime peccato infidelitatis, *quod sumus apud te computati : nosse enim te,* scilicet per fidem formatam, *consummata justitia est,* id est, perfectio justitiæ in præsenti. Et hoc intelligendum causaliter, ut sit sensus : *Nosse te* per fidem, est *consummata justitia,* id est, causa consummatæ justitiæ; fides enim justificat. Unde [10] : « Justificati ergo ex fide, » etc. Item [11] : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » *Et scire*, scilicet per fidem formatam, *justitiam et virtutem tuam,* justitiam scilicet bonitatis, *et virtutem* potestatis, vel *virtutem,* id est, Christum, qui est. [12] « Dei virtus, et sapientia, » *radix est immortalitatis,* id est, principium et causa æternæ beatitudinis in futuro. Unde [13] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, etc. *Radix,* id est, arboris spiritualis, id est, vitæ justi, qui est [14] « sicut lignum plantatum secus decursus aquarum. » etc. Radix est fides, ut hic dicitur, pes humilitas; sicut e contrario pes impiorum est superbia, secundum illud [15] : « Non veniat mihi spes superbiæ. » Scirpus in altum se erigens, est spes [16]: « Quæ sursum sunt quærite. » Humor interior et viriditas hujus arboris est gratia internæ devotionis; et *Job* [17] : « Numquid potest vivere scirpus absque humore? » Calor dirigens est virtus charitatis; unde [18] : Ignem veni mittere in terram, » etc.; exterior irrigans, doctrina spiritualis. Unde Sapientia dicit [19] : « Rigabo hortum plantationum mearum. » Rami, multiplicatio bonæ operationis; et [20] : « Montes Israel, ramos vestros expandite. » Flores, mores honestæ conversationis; unde [21] : « Flores apparuerunt in terra nostra. » Folia, verba discretæ locutionis, secundum illud [22] : « Et folium ejus non defluet. » Fructus, mentis æternæ retributiones [23] : « Bonorum laborum gloriosus est fructus. »

4. *Non enim,* etc. Bene dixi, *quoniam sumus apud te computati,* nos, et non alii, scilicet idololatræ : *non enim in errorem,* scilicet idololatriæ, qui est error præcipuus, *induxit nos,* scilicet sicut alios, de quibus supra [24] :

[1] *Deut.*, XXXII, 39. — [2] *Psal.* CXLVI, 5. — [3] I *Joan.*, I, 8. — [4] *Psal.* CXXXVIII, 18. — [5] *Luc.*, X, 20. — [6] *Matth.*, XXII, 14. — [7] *Hier.*, VI, 30. — [8] *Eccle.*, I, 15. — [9] *Sap.*, XV, 10. — [10] *Rom.*, V, 1. — [11] *Rom.*, IV, 3. — [12] I *Cor.*, I, 23. — [13] *Joan.*, XVII, 3. — [14] *Psal.* I, 3. — [15] *Psal.* XXXV, 12. — [16] *Coloss.*, III, 1. — [17] *Job*, VIII, 11. — [18] *Luc.*, XII, 49. — [19] *Eccli.*, XXIV, 42. — [20] *Ezech.*, XXXVI, 8. — [21] *Cant.*, II, 12. — [22] *Psal.* I, 2. — [23] *Sap.*, III, 15. — [24] *Sap.*, XIV, 18.

« Pertraxit autem ad horum culturam, et hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia : » *hominum*, scilicet idola fabricantium, etc., *malæ artis excogitatio*, id est, ad malum inducentis per deos, qui per eam figurantur. Ipsa tamen ars bona est in se; sed abusus malus. Omnis enim scientia de genere bonorum est, scilicet quantum ad ipsum habitum, cum sit a Deo [1] : « Omnis sapientia a Domino Deo est. » Et sciendum, quod duo tangit, inductiva scilicet, sive provocativa ad idololatriam, scilicet artis diligentiam, cum dicit : *Malæ artis excogitatio;* et idoli pulchritudinem, cum subdit : *Nec umbræ picturæ,* id est, pictura speciem ligni obumbrans. [2] « Assiduitas ejus variat picturam. » *Labor,* scilicet artificis, *sine fructu,* scilicet utilitatis. Supra [3] : « Vacua spes illorum, et labores sine fructu. » *Effigies*, id est, imago, *sculpta per varios colores*, distinguentes partes sculpturæ; supra [4] : « Rubicundum faciens fuco colorem ejus. »

Scientia omnis est de genere bonorum.

5. *Cujus aspectus insensato,* id est infideli, *dat concupiscentiam,* scilicet occasionaliter incitando ad malum; unde [5] : « Vana spes et mendacium viro insensato. » *Et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima; diligit*, inquam, *effigiem,* id est figuram, ut Deum colendo; *imaginis mortuæ*, id est, carentis actu vitæ, et hæc carentia negationis non privationis; *sine anima*, id est, carentis potentia vivificandi. Anima enim est actus corporis physici organici, potentia vitam habentis, ut habetur [6] in libro *de Anima.*

6. *Malorum,* etc. : et merito *non induxit*, quia *malorum amatores*, scilicet idolorum, et peccatorum ex idolis provenientium, *digni sunt morte*, scilicet æterna et temporali [7] : « Qui talia agunt, digni sunt morte : » *qui spem habent in talibus,* scilicet idolis, scilicet auxilium eorum invocando. Unde [8] : « Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili. » *Et qui faciunt illos,* scilicet deos hujusmodi fabricando [9] : « Similes illis fiant, qui faciunt ea. » *Et qui diligunt,* scilicet affectu, devotionem ad idola habendo. Supra, eodem [10] : « Diligit mortuæ imaginis effigiem, » etc. *Et qui colunt,* effectu, exterius adorando [11] : « Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. » [12] « Non adorabis (*a*) deos alienos, neque coles. »

7. *Sed et figulus,* etc. Hic ostenditur verus Deus esse commendabilis ex idolorum vilitate : hanc autem vilitatem ostendit primo ex vilitate materiæ; secundo ex artificis vilitate : *Et cum labore*, etc. : et eam, scilicet vilitatem artificis, ibi ostendit : primo ex fragilitate conditionis; secundo ex varietate intentionis moventis : *Sed est illi cura,* etc.; tertio ex ignorantia Creatoris : *Cinis est enim*, etc.; quarto ex errore conversationis : *Sed et æstimaverunt*, etc.; quinto ex comparatione iniquitatis : *Hic enim scit*, etc.

Sed et figulus, etc.: ita dixi, quod *malorum amatores digni sunt morte*, qui idola colunt vel faciunt. *Sed et figulus*, id est, factor vasorum fictilium, supple, *de numero illorum est*; *figulus*, inquam, *mollem terram premens laboriose*, unde [3] : « Figulus sedens ad opus suum, et convertens pedibus suis rotam, qui semper in sollicitudine positus est propter opus suum; » *fingit ad usus nostros unumquodque vas* [4] : « In magna enim domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : » *et de eodem luto fingit quæ munda sunt ad usus* honestos et mundos; *similiter quæ his sunt contraria*, ut sunt illa, quæ deputata sunt ad usus immundos. Unde [5] : « Quædam in honorem, quædam in contumeliam. » Et [6] : « An non habet potestatem figulus de eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? » *Horum autem vasorum quis usus sit*, scilicet mundus, aut immundus, *judex est figulus*, tanquam superior et eorum fac-

[1] *Eccli.*, I, 1. — [2] *Eccli.*, XXXVIII, 18. — [3] *Sap.*, III, 11. — [4] *Sap.*, XIII, 14. — [5] *Eccli.*, XXXIV, 1. — [6] Arist., *de Anima*, lib. II. — [7] *Rom.*, I, 32. — [8] *Isa.*, XLII, 17. — [9] *Psal.* CXIII, 8. — [10] *Sap.*, XV, 5. — [11] *Psal.* XCVI, 7. — [12] *Deut.*, V, 7. — [13] *Eccli.*, XXXVIII, 32. — [14] II *Tim.*, II, 20. — [15] Ibid. — [16] *Rom.*, IX, 21.

(*a*) *Vulg.* habebis.

tor; non ipsa vasa[1] : « Numquid dicit lutum figulo : Quid me fecisti sic? »

8. *Et cum labore vano*, id est, infructuoso; unde[2] : « Vana sunt opera eorum, et risu digna. » *Deum fingit de eodem luto :* simile dicitur de idolis ligneis, quod[3] pars comburitur in humanos usus, pars ut Deus colitur. *Ille*, scilicet figulus, *quia paulo ante de terra factus fuerat*, per terrenam nativitatem[4] : « Formavit Deus hominem de limo terræ » : *et post pusillum*, scilicet tempus, unde[5] : « Breves dies hominis sunt; » item[6] : « Brevi vivens tempore, » *reduxit se*, scilicet merito peccatorum suorum, scilicet in mortem[7] : « Impii manibus et verbis accersierunt illam, » scilicet mortem, et per mortem (*a*) *unde acceptus est*, id est, in terram, de qua sumptus fuerat ex parte corporis, secundum illud[8] : « Donec revertaris in terram de qua sumptus es; » et[9] : « Omnia, quæ de terra facta sunt, in terram pariter convertentur. » *Repetitus animæ debitum, quam*, scilicet animam, *habebat* ante (*b*) : *debitum*, mutuatum, ut redderet cum usuris; non datum, sicut ille dives, cui dictum est[10] : « Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; » et[11] : « Tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes, » scilicet animæ debitum.

9. *Sed est illi cura*, quamvis scilicet labor sit vanus : *non quia laboraturus est*, et vane, de quo magis esset curandum; *laboraturus est*, etiam inique, secundum illud[12] : « Ut inique agerent, laboraverunt; » *nec quoniam illi brevis est vita*, cum tamen eo magis esset ei curandum, ut eam utiliter expenderet. Et[13] : « Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens. » *Sed concertatur aurificibus et argentariis*, decorem sui operis et subtilitatem illis assimilare satagendo. *Sed et ærarios imitatur* : notandum, quod *aurifices* vocat artifices, qui deos faciunt ex auro; *argentarios*, qui ex argento; *ærarios*, qui ex ære[14] : « Confertis argentum de sacculo, et aurum statera ponderatis, conducentes artificem, ut faciat deum. » *Et gloriam præfert*, scilicet vanam suo labori vel vitæ brevitati : gloria est frequens fama cum laude. Gloria. *Gloriam*, id est de hoc gloriando, in quo non esset gloriandum. *Quoniam supervacuas res*, id est, inutiles, scilicet idola fingit, scilicet de lutea materia facit. Unde[15] : « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » Item[16] : « Gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. »

10. *Cinis est enim*, etc., quasi ita gloriatur : *enim*, pro *sed* : vel sic : Ita gloriatur, quod tamen non deberet facere : *enim*, pro *quia* : *cinis*, id est, res vilis, *est*, sicut *cinis*, *cor ejus*, id est, ejus cogitatio, quia in cinere et pulvere de quo deum suum fabricat, ponit cor suum[17] : « Quid superbis, terra et cinis? » *Et terra supervacua*, id est inutilis, *spes illius*, id est, ejus desiderium et affectio, quia scilicet ponit eam in idolo terreo, supra[18] : « Vacua spes illorum; » tale enim idolum est terra vacua et nihili, de qua *Hieremias*[19] : « Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili. » *Et vita illius*, id est conversatio, *luto vilior*, quia scilicet occupat vitam suam in idolum luteum faciendo et colendo[20] : « Ut lutum platearum delebo eos. » Vilius autem est lutum culpæ, luto naturæ. Unde Glossa : « Vita illius cœno sordidior. » Et[21] : « Sus lota in volutabro luti. »

11. *Quoniam ignoravit*, scilicet ignorantia de qua[22] : « Qui ignorat, ignorabitur : » *Qui se finxit*, id est, Deum, qui eum fecit de limo terræ ex parte corporis[23] : « Ipse cognovit figmentum nostrum; » *et inspiravit illi animam*, secundum illud[24] : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » *Et animam*, scilicet amat magis, quam Deum, *quæ operatur*, scilicet idola : *et qui insuffla-*

[1] *Isa.*, XLV, 9. — [2] *Hier.*, LI, 18. — [3] *Isa.*, XLIV, 16. — [4] *Gen.*, II, 7. — [5] *Job*, XIV, 5. — [6] Ibid., 1. — [7] *Sap.*, I, 16. — [8] *Gen.*, III, 19. — [9] *Eccle.*, III, 20; *Eccli.*, XL, 11. — [10] *Luc.*, XII, 20. — [11] *Matth.*, XVIII, 28. — [12] *Hier.*, IX, 5. — [13] *Jacob.*, IV, 15. — [14] *Isa.*, XLVI, 6. — [15] *Osee*, IV, 7. — [16] *Philip.*, III, 19. — [17] *Eccle.*, X, 9. — [18] *Sap.*, III, 11. — [19] *Hier.*, IV, 23. — [20] *Psal.* XVII, 43. — [21] II *Petr.*, II, 22. — [22] II *Cor.*, XIV, 38. — [23] *Psal.* CII, 14. — [24] *Gen.*, II, 7.

(*a*) *Suppl.* in id. — (*b*) *Cæt. edit.* antequam.

vit ei spiritum vitalem, repetendum *ignoravit*, et loquitur modo de spiritu corporeo, cum dicit *spiritum vitalem*[1] : « Spiritus a facie mea egredietur, et flatum ego faciam. » Et[2] : « Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. »

12. *Sed et æstimaverunt :* ita dixi, quod Deum ignoraverunt, sed magis *æstimaverunt,* scilicet idolorum fabricatores, *vitam nostram,* scilicet naturalem, *lusum esse,* id est, lasciviam, sicut illi de quibus[3] : « Sedit populus manducare et bibere. » Unde[4] : « Tenet tympanum et citharam. » *Lusum esse,* etc. : hoc dicit, quia idola facere et colere ludo puerorum videtur simile esse, et sic qui faciunt imagines luteas et adorant. *Et conservationem vitæ*, scilicet moralem, *compositam,* id est ordinatam, *ad lucrum*, scilicet avaritiæ, nec solum lucrum, sed illicitum. Unde subdit : *Et oportere undecumque etiam ex malo acquirere,* id est, ex artificio, vel negotio illicito, contra quod[5] : « Noli esse anxius in divitiis injustis : non enim proderunt in die obductionis, vel ultionis, et vindictæ. » Hæ sunt[6] « divitiæ conservatæ in malum Domini sui. »

13. *Hic enim*, etc., quasi : Et vere ex malo acquirunt, idola facientes : *hic enim scit se super omnes alios,* scilicet artifices idolorum, *delinquere, hic*, inquam, *qui ex terræ materia,* quæ vilior est, *fragilia vasa* ex una parte, *et sculptilia*, id est idola, ex parte alia materiæ suæ, *fingit*. Unde ex horum comparatione vilitatem idolorum melius intelligit, vel intelligere potest. Sed quomodo potest hoc scire, scilicet se super omnes delinquere, cum Deum ignoret, ut dictum est? Dicendum, quod hoc scit, vel scire potest habitu legis naturalis scriptæ in corde suo. Sed actualiter hoc nescit, scilicet, quia non vult hoc perscrutari, cum tamen possit. Vel, si non potest ad plenum, vel de facili, hoc est quia excæcatus est merito infidelitatis suæ.

[1] *Isa.*, LVII, 16. — [2] *Psal.* CXLV, 4. — [3] *Exod.*, XXXII, 6. — [4] *Job*, XXI, 12. — [5] *Eccli.*, V, 10. — [6] *Eccle.*, V,

14. *Omnes enim*, etc : hic ostenditur verus Deus esse commendabilis ex idololatrantium fatuitate : et primo ex fatuitate idololatrantium, colentium res inanimatas, scilicet statuas; secundo, colentium animatas : *Sed et animalia*, etc. In prima, primo illos esse fatuos ostendit, et reprehendit, quia idola cultoribus suis multorum malorum causa sunt; secundo, quia in se etiam inutilia sunt homini : *Quoniam idola,* etc.; tertio, quia ab homine facta sunt : *Homo enim*, etc.; quarto, quia homine deteriora sunt : *Melior est enim*, etc.

Omnes enim, etc. Bene dixi, quod hic, qui de materia lutea facit idola, scit se delinquere super omnes alios artifices : *omnes enim insipientes ;* Glossa : « qui idola Deos putant : » hoc enim est magna insipientia, unde[7] : « Filii insipientes sunt et vecordes. » *Insipientes* dico per defectum sapientiæ, vel fidei, quantum ad intellectum; *et infelices,* quoad affectum : et hoc propter defectum gratiæ, quæ felices facit. Supra[8] : « Infelices sunt, qui appellaverunt Deos opera manuum suarum. » *Supra modum animæ suæ,* id est, naturæ suæ, *superbi sunt,* scilicet contra Deum, et hoc fingendo sibi idola tanquam Deos (*a*)[9] : « Audivimus superbiam Moab; superbus est valde : superbia et arrogantia est plus, quam fortitudo ejus. » Vel *infelices supra modum*, quia infinita infelicitate, quia[10] : « Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. » *Inimici populi tui*, scilicet persequendo credentes in Deum. Et quoad effectum, *inimici*, inquam, persequendo factis[11] : « Non sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute : sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa. » *Et imperantes*, scilicet verbis; unde[12] : « Improperia (*b*) exprobantium tibi ceciderunt super me. » Sicut quidam de Ephraim et Manasse nuntios Ezechiæ, ad

12. — [7] *Hier.*, IV, 22. — [8] *Sap.*, XIII, 10. — [9] *Isa.*, XVI, 6. — [10] *Isa.*, LXVI, 24. — [11] *Esth.*, XIV, 8. — [12] *Psal.* LXVIII, 10.

(*a*) *Edit. Ven.* Deus. — (*b*) *Vulg.* Opprobria.

cultum Dei volentes eos revocare, irridebant, ut patet[1].

15. *Quoniam omnia idola*, etc. : vel sic : Bene dixi, *quod insipientes et infelices, et supra modum animæ suæ superbi*, etc. : *quoniam omnia idola nationum*, id est, gentilium non per fidem renatorum, sed in vitio nativitatis manentium, *Deos æstimaverunt :* sic fecerunt Romani, scilicet omnia idola gentilium subjugatorum perperam adorando et custodiendo, *quibus*, scilicet idolis, *nec oculorum visus est ad videndum*, secundum illud[2] : « Oculos habent, et non videbunt : » *neque aures ad audiendum*, secundum illud[3] : « Aures habent et non audient. » *Neque nares ad percipiendum spiritum*[4] : Nares habent et non odorabunt : » *Neque digiti manuum ad tractandum*, id est, palpandum aliud; unde[5] : « Manus habent, et non palpabunt. » *Sed pedes eorum pigri*, id est, immobiles ad ambulandum[6] : « Pedes habent, et non ambulabunt. » Ideo dicitur[7] : « Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, et prodesse sibi. »

16. *Homo enim*, cujus scilicet non est dare sensum et motum, *fecit illos*, non genuit de substantia sua, sed figuravit de materia exteriori : *et qui mutuatus est spiritum*, scilicet a Deo, illi reddendum, quando placebit ei; unde[8] : « Et spiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum. » *Is finxit illos*, id est, de luto fecit. *Nemo enim*, etc., quasi : Et vere sic sine sensu et motu sunt : *nemo enim sibi similem poterit fingere Deum*, similem, scilicet similitudine æqualitatis, qua homo similis est alii homini, licet similem similitudine alicujus exterioris repræsentationis.

17. *Cum enim sit mortalis*, vitam mortalem habens, *mortuum*, id est, vita penitus carentem, *finxit manibus iniquis*. Unde[9] : « In quorum manibus iniquitates sunt. » Melius autem est mortale, quam mortuum, secundum illud[10] : « Melior est canis vivus leone mortuo. » Et bene dixi, *quod nemo potest sibi simile*, etc. : *melior enim est ipse iis, quos colit :* Deus vero debet esse optimum hominis, secundum Augustinum, cum sit ejus beatitudo. *Quia ipse quidem vixit* aliunde, scilicet homo, *cum esset mortalis*, quod enim non vivit, non est mortale; *illi autem nunquam*, scilicet dii falsi. Jure autem præponuntur viventia non viventibus, sentientia non sentientibus, secundum Augustinum. Sed objicitur, quia supra, eodem, dicitur[11] : « Luto vilior vita ejus. » Dicendum, quod supra loquitur de vita mortali ; hic de naturali.

18. *Sed et animalia*, etc. Hic ostenditur vituperatio colentium res animatas : et primo ostenditur in se esse miserabiles; secundo respectu præcedentium aliquantulum excusabiles : *Insensata*, etc.; tertio simpliciter inexcusabiles : *Sed nec aspectu*, etc. Et ibi ostenduntur inexcusabiles : primo, per hoc quod colunt irrationalia; secundo, quia deseruntverum Deum : *Fugerunt*, etc.

Sed et animalia; Glossa : « Non solum hominum speciem, sed et animalium imaginem, » ut Ægyptii Isidem in specie bovis; Babylonii draconem, ut patet in *Daniele*[12]. *Miserrimi colunt*[13] : « Miseros facit populos peccatum. » Sunt quidem miseri omnes impii et peccatores; sed miseriores omnes infideles; sed miserrimi idola colentes. Propter hoc bene dixi : *Sed et animalia miserrima colunt* :[14] « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. » *Insensata enim : enim*, pro *sed* : *insensata*, id est, statuæ, *comparata his*, scilicet animalibus, *illis deteriora sunt*, quia secundum Augustinum melius est vivens non vivente, et sentiens non sentiente. Unde Glossa : « In veritate viventia meliora sunt mortuis, et sensibilia insensibilibus, et rationalia irrationalibus. » Sed dignum fuit, ut qui Creatorem ignorabant, in creaturis distinctionem non scirent.

[1] II *Par.*, XXX, 10. — [2] *Psal.* CXIII, 5. — [3] Ibid., 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid., 7. — [6] Ibid. — [7] *Baruc.*, VI, 67. — [8] *Eccle.*, XII, 7. — [9] *Psal.* XXV, 10. — [10] *Eccle.*, IX, 4. — [11] *Sap.*, XV, 10. — [12] *Dan.*, XIV, 22. — [13] *Prov.*, XIV, 34. — [14] *Psal.* CV, 10.

19. *Sed nec aspectu*, etc.: ita dictum est, quod idola nec audiunt, nec vident aliquid, vel cognoscunt: nec solum illa nihil vident; *sed nec aspectu aliquod ex iis animalibus bona potest conspicere. Sed nec aspectu*, quasi dicat: Non solum in absentia per imaginationem, sed nec in præsentia per sensum, *aliquod ex iis animalibus*, quæ scilicet colunt, *bona potest conspicere:* et intelligendum est de bonis honestis, quæ sunt bona simpliciter, ut sunt virtutes et hujusmodi, non de bonis utilibus, vel delectabilibus, quæ sunt bona secundum quid. *Effugerunt autem*, etc., quasi: Ita infirmi colunt animalia: *autem*, pro *sed: effugerunt*, etc. Vel *autem*, hoc est *certe*, colendo animalia, *effugerunt Dei laudem et benedictionem;* quasi dicat: Nec ipsum Deum laudaverunt, nec benedixerunt: *laudem*, pro ejus bonitate in se, *et benedictionem*, pro ejus beneficentia ad nos. Contra quæ duo dicitur in *Psalmo* [1]: « Confitemini Domino, quoniam bonus, » scilicet in se; « quoniam in sæculum misericordia ejus, » scilicet (*a*), quoniam beneficentia misericordiæ ejus ad omnes se extendit. Et dicit: *effugerunt*, non solum intus corde non laudantes, et non benedicentes, sed nec ore confitentes, contra quod dicitur [2]: « Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. »

Bona simpliciter, secundum quid.

CAPUT XVI.

1. *Propter hæc, et per his similia*, etc. Postquam a decimo tertio capite egit de merito culpæ, quoad pœnas graviores ordinatas ad condemnationem impiorum, hic agit de supplicio pœnæ: et primo de pœnis antecedentibus mortem, scilicet in isto capite et decimo septimo; secundo, de pœnis inferentibus mortem, scilicet capitibus decimo octavo et undevigesimo. In prima, primo agit de pœna sensus, et de plagarum immissione, scilicet capitulo isto; secundo de pœna damni, scilicet de lucis subtractione, capite decimo septimo. In prima, primo de pœna inflicta per res animatas; secundo, de pœna inflicta per res inanimatas: *Negantes autem te*, etc. In prima, primo tangitur Ægyptiorum, per vilia animalia et nociva, punitio; secundo, e contra Hebræorum, per delectabilia animalia, consolatio: *Pro quibus*, etc.; tertio, eorum ab animalibus nocivis liberatio: *Etenim*, etc.; quarto, prædictæ punitionis, et liberationis ratio: *In hoc autem*, etc.

Propter hæc, scilicet, *quia infirmi colebant idola*, sive propter idololatriæ peccata; *et his similia*, id est, propter alia peccata idololatriæ prædictis similia: *passi sunt digne tormenta;* unde [3]: « Propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiæ. » Et [4]: « Pro mensura peccati, erit et plagarum modus. » Non enim debet esse dedecus culpæ sine decore justitiæ, vel vindictæ, secundum Augustinum. *Et per multitudinem bestiarum*, terram scilicet eorum vastantium, ut muscarum, locustarum, et ranarum, et hujusmodi; *exterminati sunt*, id est, graviter afflicti, et forte aliqui eorum occisi; unde supra [5]: « Per hæc, quæ coluerunt, dedisti eis summa tormenta; » et [6]: « Dentes bestiarum immittam in eos. »

2. *Pro quibus tormentis*, etc.: hic tangitur Israelitarum consolatio, et primo ponitur consolationis modus; secundo causa: *Utilli*, etc.; tertio celeritas: *Ii autem*, etc.; quarto accelerationis opportunitas: *Oportebat*, etc. *Pro quibus tormentis*, id est, loco quorum tormentorum, quasi *e contrario, bene disposuisti populum tuum*, scilicet Israeliticum, qui erat ejus populus peculiaris, ut habetur in *Deuteronomio* [7]. *Quibus*, id est, cui populo, *dedisti concupiscentiam delectamenti sui*, id est, concupitum delectabile [8]: « Desiderium enim si compleatur, delectat animam, » ut habetur in *Proverbiis*. *Novum saporem*, in cibum novi saporis, *escam parans eis or-*

[1] *Psal.* CX, 1. — [2] *Rom.*, X, 10. — [3] *Ephes.*, V, 6. — [4] *Deut.*, XXV, 2. — [5] *Sap.*, XII, 23. — [6] *Deut.*, XXXII, 24. — [7] *Deut.*, VII, 6. — [8] *Prov.*, XIII, 19.

(*a*) *Cæt. edit. non habent* quoniam in sæculum misericordia ejus, scilicet.

tygometram, id est, coturnicem. Græcus enim liber habet pro coturnice ortygometram, ut dicunt, ab Ortygia terra, in qua primo visa est, et inde abducta. Vel *escas parans*, etc.; et tunc secundum aliquos ponitur hic singulare pro plurali, cum dicit: *escas parans eis ortygometram,* id est coturnicem, secundum illud *Psalmi* [1]: « Petierunt, et venit coturnix, etc.; et [2]: « Factum est vespere; et ascendens coturnix, cooperuit castra. » Item [3]: «Ventus autem Domini egrediens coturnices arreptas trans mare detulit, » etc. Sed non oportet quod pro singulari ponatur plurale, quia potest glossari sic; *escas*, id est, loco escarum.

Ortygometra unde dicatur: et dicitur etiam quasi mater coturnicis.

3. *Ut illi quidem,* scilicet filii Israel, *concupiscentes escam*, scilicet carnium Ægypti; *Propter ea*, scilicet coturnices, *quæ illis ostensa sunt,* scilicet ad desiderandum, scilicet ad comedendum, *etiam a necessaria concupiscentia,* id est, valde urgenti, *averterentur*, id est, ne amplius carnes Ægypti, et reditum in ipsam desiderarent. Unde [4]: « Concupierunt concupiscentiam in deserto. » Item [5]: « Populus flagravit desiderio carnium: » cum tamen dicatur [6]: « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. » *Hi autem*, scilicet filii Israel, *in brevi inopes facti,* id est, modico tempore, quia eorum inopia parum duravit: Deus enim cito subvenit, secundum illud *Isaiæ* [7]: « Antequam clament, ego exaudiam. » *Inopes*, id est cibo indigentes; *novam gustaverunt escam,* id est, *insolitam*, vel insolitarum avium.

4. *Oportebat enim,* etc., quasi et recte sic factum; *oportebat enim*, id est, optimum erat; *illis*, scilicet Egyptiis; *sine excusatione*, scilicet culpæ, ex qua puniebantur. Unde [8]: « Ita, ut sint inexcusabiles. » Item [9]: « Propter quod inexcusabilis es, o homo. » *Supervenire interitum,* scilicet pœnæ interimentis supplicium a summo judice ad eorum oppressionem, unde [10]: « Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus. » Item [11]: « Viro, qui corripientem dura cervice contempserit, repentinus ei superveniet interitus. » *Illis,* dico Ægyptiis, *exercentibus tyrannidem*, id est, crudele imperium in filios Israel, opprimendo eos duris operibus, ut patet in *Exodo* [12], et in flumine pueros eorum submergendo, ut patet etiam in *Exodo* [13]. *Iis autem,* scilicet Israelitis (*a*), *tantum ostendere,* supple *oportebat*; *quemadmodum inimici eorum exterminabantur,* ut sic visa eorum pœna corrigerentur, secundum illud [14]: « Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. » Item [15]: « Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus. »

5. *Etenim,* etc. Hic primo ostenditur periculi gravitas; secundo liberationis celeritas: *Sed non diu,* etc.; tertio liberantis virtus sive potestas: *Qui enim*, etc.

Dicit ergo: *Etenim,* quasi: Bene dixi: *Iis autem tantum ostendere*, etc.: *et enim,* pro *quia cum illis*, scilicet filiis Israel, *supervenit sæva bestiarum ira,* scilicet ab offensa superni judicis, quem offenderant murmurando contra ipsum, ut patet [16]; unde dicitur: « Misit Dominus in populum serpentes ignitos. » *Morsibus perversorum colubrorum*, quia efficaces erant ad nocendum; *exterminabantur*, scilicet aliqui eorum. Unde [17]: « Murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt. »

6. *Sed non in perpetuum,* id est, sine fine, ita quod pœna æterna temporali continuaretur, sicut in Herode: *Ira tua*, id est, iræ tuæ effectus, non animi tui affectus, secundum illud [18]: « Ego Dominus, et non irascar (*b*): » *permansit*, scilicet in filiis Israel. Et [19]: « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » *Sed ad correptionem,* non ad condemnationem; *in brevi,* id est, modico tempore; *turbati sunt*, id est, afflicti, scilicet

[1] *Psal.* CIV, 40. — [2] *Exod.*, X, 13. — [3] *Num.*, XI, 31. — [4] *Psal.* CV, 14. — [5] *Num.*, XI, 4. — [6] *Eccli.*, XVIII, 30. — [7] *Isa.*, LXV, 24. — [8] *Rom.*, I, 20. — [9] *Rom.*, II, 1. — [10] *Job*, XVIII, 14. — [11] *Prov.*, XXIX, 1. — [12] *Exod.*, I, 10. — [13] Ibid., 22. — [14] *Prov.*, XIX, 25. — [15] *Prov.*, XXI, 11. — [16] *Num.*, XXI, 6. — [17] I *Cor.*, X, 10. — [18] *Jerem.*, III, 12. — [19] *Habac.*, III, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* Israeliticis. — (*b*) *Item* irascor.

exterius; et inde *turbati*, interius. Unde [1] : « Ad punctum in modico dereliqui te, et in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. » Unde [2] : « Te autem non faciam in consummationem ; sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. » *Signum habentes salutis*, Glossa : « serpentem æneum, pro signo positum, cujus aspectu sanabantur, ut patet [3]. *Ad commemorationem mandati legis tuæ*, scilicet custodiendæ, secundum illud [4] : « Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea : » sicut puer negligens flagellatur ut lectionem suam repetat. Et confirmat (*a*) : Et bene dixi *signum habentes*, non *causam* (v. 7) : *qui enim conversus est*, scilicet vel interius per pœnitentiam ad Deum, vel exterius ad serpentem æneum (*b*) aspiciendum : *non per id quod videbatur*, scilicet oculo corporali, *sanabatur*, id est, non per serpentem æneum, *sed per te Salvatorem omnium*, per dictum serpentem signatum, cui, non huic (*c*), obediebat [5] : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; » sicut etiam mortuus non potuit suscitari per Elisæi baculum, ut habetur in libro *Regum* [6].

8. *In hoc autem ostendisti*, etc. : hic subjungitur prædictæ punitionis et liberationis ratio, scilicet ostensio divinæ justitiæ et misericordiæ : et primo ex parte Ægyptiorum punitorum, ostensio divinæ justitiæ; secundo, ex parte Hebræorum liberatorum, ostensio divinæ misericordiæ, et quædam causæ aliæ : *Filios autem tuos*, etc.

In hoc autem, scilicet in Ægyptiorum afflictione, et Israelitarum facili liberatione, *ostendisti*, id est, ostendere voluisti, quamvis illi non viderint. Unde non possunt conqueri, nisi de cæcitate oculorum suorum, sicut si alicui lippo ostendatur sol lucens, et ille non videat, secundum Augustinum. *Inimicis nostris*, scilicet Ægyptiis : mali enim sunt inimici justorum, scilicet active, non passive, qui scilicet odiunt justos, quamvis diligantur ab eis : *ostendisti*, inquam, *quia tu es*, scilicet solus, *qui liberas ab omni malo*. Unde [8] : « Multæ tribulationes justorum, » etc. Contra : cur multi non liberantur a malo? Dicendum, quod sic intelligendum : liberat omnes, qui liberantur, sicut illud [9] : « Illuminat omnem hominem, » etc., scilicet qui illuminatur.

9. *Illos enim*, scilicet Ægyptios te non colentes, *locustarum et muscarum occiderunt morsus* : *occiderunt*, ad litteram, aliquem eorum, quamvis non legatur alibi expresse. *Et non est inventa sanitas animæ illorum*, Ægyptiorum scilicet, sicut filiis Israel a serpentibus, ut in *Psalmo* [10] : « Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, » etc. [11] « Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. » *Quia digni erant*, scilicet exigentibus eorum meritis, *ab hujusmodi*, scilicet universalibus animalibus, *exterminari*, unde Augustinus *super Joannem* [12] : « Populum superbum Pharaonis Dominus domare potuit ursis et leonibus, sed muscas et res vilissimas immisit, ut eorum superbia domaretur. » Eadem ratione et homines pulicibus affliguntur. Quid te inflas, humana superbia? Pulicibus resiste, ut dormias.

10. *Filios autem tuos*, etc. : hic ostenditur multiplex ratio liberationis Hebræorum. Sed, ut ordinate procedat, primo repetit eorum liberationem; secundo, liberationis multiplicem rationem : *Misericordia enim tua*, etc. *Filios autem tuos*, id est, Israelitas; nam [13] : « Primogenitus meus Israel. » *Filios* inquam, *tuos*, per fidem, secundum illud [14] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus. » *Nec draconum venenatorum dentes*, id est, serpentum ignitorum, unde [15] : « Ductor tuus fuit in solitu-

[1] *Isa.*, LIV, 7. — [2] *Jerem.*, XXX, 11. — [3] *Num.*, XXI, 9. — [4] *Psal.* CII, 18. — [5] *Joan.*, III, 14. — [6] IV *Reg.*, IV, 31. — [7] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, Prolog. — [8] *Psal.* XXXIII, 20. — [9] *Joan.*, I, 8. — [10] *Psal.* XXXVII, 4. — [11] *Jerem.*, XX, 12. — [12] Aug., *in Evang. Joan.*, tract. I, n. 15. — [13] *Exod.*, IV, 22. — [14] *Joan.*, I, 12. — [15] *Deut.*, VIII, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* confirmet. — (*b*) *Item add.* ad. — (*c*) *Cæt. edit.* in hoc.

dine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas. » Loquitur hic de bonis qui filii Dei sunt, non de malis.

Misericordia enim tua, etc.: ostenditur autem hic ratio multiplex liberationis Israelitarum, quarum prima fuit pietas Dei; secunda, periculum desperationis : *In memoria enim*, etc.; tertia, virtus divini sermonis : *Etenim neque herba*, etc.; quarta, ostensio divinæ pietatis : *Tu es, Domine*, etc.; quinta, humana fragilitas : *Homo autem*, etc. Bene dixi : *Filios autem tuos*, id est, Israelitas : *nec draconum venenatorum dentes*, id est, morsus serpentum ignitorum, *vicerunt : misericordia enim tua*, id est effectus misericordiæ tuæ, *adveniens sanabat illos*. Unde [1] : « Si dicebam : Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me; » et [2] : « Obducam cicatricem tuam, et dabo tibi sanitatem; » et [3] : « Ipse enim vulnerat, et medetur. »

11. *In memoria enim sermonum tuorum*, id est, per remunerationem mandatorum tuorum, *examinabantur*, aliqui scilicet illorum; *et velociter sanabantur*, vel *salvabantur*, scilicet alii pœnitentes, visa morte vel pœna aliorum. Vel *exterminabantur*, id est, graviter puniebantur; *et velociter sanabantur*, *ne in altam*, id est profundam, *incidentes*, id est intus cadentes, *oblivionem*, scilicet desperationis, scilicet propter adjutorii et remedii dilationem, *non possent tuo uti adjutorio*, id est, gratiæ tuæ liberantis, ipsi, dico, facti indigni misericordia tua propter desperationem. Unde [4] : « Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. » Unde in Psalmo [5] : « Obliti sunt Domini, qui salvavit (*a*) eos, » etc.

12. *Etenim*, etc. (*b*) Et bene dixi : *In memoria sermonum tuorum* : *etenim*, pro *quia*, *neque herba*, id est, potio ex herbis confecta, quæ bibendo intra sumitur; *neque malagma*, id est, emplastrum, quod extra loco doloris superponitur; *sanavit eos*, scilicet a morsibus serpentum : *sed sermo tuus*, *Domine*, id est, mandatum de serpente æneo faciendo et aspiciendo : *qui*, scilicet sermo, *sanat omnia*, scilicet quæ sanantur. Unde hæc est accommoda distributio : nam in Psalmo [6] : « Misit verbum suum, et sanavit eos. » Vel *Sermo* increatus, id est, Filius, de quo [7] : « In principio erat Verbum. « Iste sermo, secundum Glossam, curat corpora, et a spiritualibus bestiis animam sanat; unde [8] : « Sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem. »

13. *Tu es enim, Domine*, etc. Bene dixi, quod sermo tuus sanat omnia : *tu enim es*, *Domine*, scilicet creator omnium, *qui vitæ et mortis habet potestatem*, id est, vivificandi et mortificandi, secundum illud [9] : « Dominus mortificat, et vivificat, » etc. Item [10] : « Mors et vita a Deo sunt. » Sed contra, quia dicitur supra [11] : « Deus mortem non fecit. » Respondeo dicendum, quod quamvis mortis non sit Deus causa meritoria, nec efficiens, quantum ad ipsam privationem, habet tamen potestatem mortis; quia, licet non sit causa malorum, habet tamen posse super mala, quia ex eis elicit et potest elicere bona. Ad illud quod objicitur, quod mors non est a Deo, dicendum quod in morte est privatio vitæ, quæ nihil est, et ideo causam efficientem non habet, sed magis deficientem; item est ibi pœnalis afflictio, quæ aliquid est, et a Deo est juste infligente eam peccatoribus merito peccatorum suorum. *Et deducis ad portas mortis*, id est, ad extremum vitæ articulum; *et reducis*, scilicet sanando, ut patet in Ezechia [12]. In morte duo sunt

14. *Homo autem*, etc., quasi sic : Potes mortificare, et vivificare : *autem*, pro *sed*, *homo* (*c*) potest occidere se, sed non vivificare : et hoc est, quod dicit : *homo autem*,

[1] *Psal.* XCIII, 18. — [2] *Jerem.*, XXXIII, 6. — [3] *Job*, V, 18. — [4] *Prov.*, XVIII, 1. — [5] *Psal.* CV, 21. — [6] *Psal.* CVI, 20.— [7] *Joan.*, I, 1.— [8] *Matth.*, IV, 23. — [9] I *Reg.*, II, 6. — [10] *Eccli.*, XI, 14. — [11] *Sap.*, I, 13. — [12] *Isa.*, XXXVIII.

(*a*) *Edit. Ven.* salvat. — (*b*) Cæt. edit. deest *Etenim*, etc. — (*c*) Cæt. edit. repet. *sed*.

Homo ab humo dicitur.

scilicet peccator, dictus *homo* ab *humo, occidit quidem,* id est, certe per malitiam culpæ, *animam suam,* propter quod dicitur in *Psalmo*[1] : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, » est enim homicida suiipsius : peccatum (*a*) enim est gladius bis acutus; occidit enim corpus et animam : unde[2] : « Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas. » *Et cum exierit spiritus*, scilicet a corpore per mortem, *non revertetur,* scilicet in corpus in præsenti sæculo. Unde[3] : « Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, » etc. Item[4] : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. » Sed contra, quia dicitur in *Psalmo*[5] : « Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. » Dicendum, quod hoc intelligitur de reversione ad terram suæ naturalis habitationis, id est, corporis, secundum justitiam retributionis ; et hoc per virtutem divinam. *Nec revocabit*, scilicet homo, *animam,* a corpore separatam, *quæ recepta est,* in loco suo scilicet, in gloria vel in pœna. Unde[6] : « Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit. »

15. *Sed tuam manum*, id est, potestatem, tam in præsenti quam in futuro, tam in vita quam in morte, *effugere impossibile;* unde[7] : « Non est qui de manu tua possit eruere. » Ideo dicitur[8] : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? » Non enim est abbreviata manus Domini, imo longissima et totum continens, secundum illud *Psalmi*[9] : « In manu[10] tua, Domine, omnes fines terræ. »

16. *Negantes enim*, etc. Hic agit de pœnis inflictis Ægyptiis per res inanimatas : et primo tangitur Ægyptiorum punitio ; secundo, e contrario Israelitarum consolatio : *Pro quibus angelorum,* etc.; tertio, punitionis Ægyptiorum ratio : *Nix enim*, etc.; quarto, ratio consolationis Israelitarum : *Propter hoc et tunc*, etc. In prima ponit punitionis Ægyptiorum causam meritoriam ; secundo modum et formam : *quod enim mirabile*, etc.; tertio, diversitatem secundum plus et minus : *Quodam enim tempore,* etc.

Negantes enim, etc. : bene dixi : Impossibile est effugere manum tuam : *Negantes enim te nosse impii,* id est Ægyptii, scilicet Pharao cum servis suis ; *negantes,* inquam, verbo, unde[11] : « Nescio Dominum, et Israel non dimittam ; » et facto, illi de quibus dicitur[12] : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » *Per fortitudinem brachii tui*, id est, per fortem potentiam tuam, unde[13] : « Quis similis tui in fortibus, Domine, » etc. *Flagellati sunt,* unde[14] : « Educam eos de ergastulo Ægyptiorum in brachio excelso; » et[15] : « Dextera tua percussit inimicum. » *Novis aquis* et, pro *id est, grandinibus;* grando enim est quasi aqua congelata ; *et pluviis*, quæ sunt quasi aquæ fluidæ, *persecutionem passi* sunt ; unde[16] : « Videns Pharao, quod cessasset pluvia et grando. » *Et per ignem,* id est, simul cadentem, *consumpti*[17] : « Grando et ignis mixta pariter ferebantur ; » item in *Psalmo*[18] : « Posuit pluvias eorum grandinem, ignem cumburentem in terra ipsorum. »

17. *Quod enim,* etc. (*b*) Bene dixi : « Per ignem cum grandinibus : » *quod enim mirabile erat*, scilicet contrarium a contrario non destrui, cum scriptum sit[19] : « Ignem ardentem extinguit aqua ; » unde sequitur : *In aqua, quæ omnia extinguit*, scilicet ignita, *ignis plus valebat,* id est, fortius agebat cum aqua : *vindex enim est orbis*, id est, vindictæ instrumentum ; *vindex*, inquam, *orbis justorum,* id est, vindicans justos. Unde supra[20] : « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. » Per prædictum

[1] *Psal.* X, 6. — [2] *Eccli.*, XXI, 4. — [3] *Job*, X, 21. — [4] II *Reg.*, XIV, 14. — [5] *Psal.* CXLV, 4. — [6] *Eccle.*, XI, 3. — [7] *Job*, X, 7. — [8] *Psal.* CXXXVIII, 7. — [9] *Psal.* XCIV, 4. — [10] Invitat. matut., fer. IV. — [11] *Exod.*, V, 2. — [12] *Tit.*, I, 16. — [13] *Exod.*, XV, 11. — [14] *Exod.*, VI, 6. — [15] *Exod.*, XV, 6. — [16] *Exod.*, IX, 34. — [17] *Exod.*, IX, 24. — [18] *Psal.* CIV, 2. — [19] *Eccli.*, III, 33. — [20] *Sap.*, V, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* peccator. — (*b*) Cæt. edit. deest. *Quod enim*, etc.

textum innuit quod punitio Ægyptiorum facta fuit non secundum ordinem naturæ, sed secundum ordinem divinæ justitiæ vindicantis Israelitas de Ægyptiis, qui eos oppresserant. Glossa : « Non mirum, quod grando et ignis mixta feruntur, quia ad Creatoris voluntatem omnia consentiunt. »

18. *Quodam enim tempore*, quasi dicat : Non semper uniformiter agebat : *enim*, pro *sed*, (*a*) *quodam tempore mansuetabatur ignis*, scilicet quousque animalia timentium sermones Moysi revocarentur, vel reducerentur de agris. Unde in *Exodo* dicitur [1] : « Mitte et congrega jumenta tua, et omnia, quæ habes in agris, » vel agro ; et post [2] : « Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos, et jumenta in domos. » *Mansuetabatur*, inquam, *ne comburerentur animalia, quæ missa erant ad impios*, id est, jumenta divinitus eis data. Nec solum propter hoc ; *sed etiam ut ipsi videntes*, prædictam interpolationem, *scirent*, scilicet per ipsam, *quoniam Dei judicio*, non eventu naturali, *patiuntur persecutionem :* item, secundum Glossam, ut cognoscerent, quoniam omnis creatura parata est ulcisci injuriam Creatoris. Unde [3] : « Cognoscetur Dominus judicia faciens ; » qui, sicut dicit Bernardus, non est cognitus injurias patiens. Et notandum, quod Dominus punivit Sodomitas per ignem sine mansuetudine ; et hoc, quia nulli erant boni inter eos ; sed Ægyptii per ignem cum mansuetudine, quia filii Israel erant in Ægypto, qui boni erant ; (v. 19) *et quodam tempore*, scilicet revocatis animalibus. *In quæ supra virtutem naturalem*, scilicet quia per miraculum, *ignis exardescebat undique*, scilicet per totam terram Ægypti, *ut iniquam terræ nationem exterminaret*, id est, Ægyptios, qui erant terrestris natio, non cœlestis. Contra quod dicitur [4] : « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. »

20. *Pro quibus*, etc. : hic circa consolationem Israelitarum primo tangitur exhibitio beneficii ; secundo, ratio exhibendi : *substantiam* (*b*) *enim*, etc.

Pro quibus, scilicet malis, id est, loco quorum malorum, e contrario *Angelorum esca*, id est manna, quod propter angelos erat præparatum, *nutrivisti populum tuum*, etc. ; unde in *Psalmo* [5] : « Panem angelorum manducavit homo ; » vel quia præfigurabat escam angelorum, scilicet [6] « panem vivum, qui de cœlo descendit. » *Nutrivisti*, inquam, *populum tuum*, scilicet filios Israel : hoc enim cibo nutrivit eos, quousque tangerent fines terræ promissionis, ut habetur in *Exodo* [7]. *Et paratum panem*, id est, refectionem, *de cœlo*, scilicet aereo, descendentem, secundum illud *Psalmi* [8] : « Pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis, » *præstitisti illis sine labore*. Contra, quia dicitur [9] : « Circuibat populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas, quasi saporis panis oleati. » Respondeo : *Sine labore* acquirendi per agriculturam ; sed non *sine labore* parandi. Nos vero laborem habemus in acquirendo et parando ; unde [10] : « In sudore vultus tui. » *Omne delectamentum in se habentem*, id est, effectum omnis cibi delectantis, faciendo similem delectationem in comedente ; *et omnis saporis suavitatem*, id est, omnem suavem saporem : taliter enim unicuique sapiebat, sicut volebat, ut dicit Gregorius [11]. Sed contra dicitur, quod habebat saporem quasi panis oleati. Dicendum, quod de natura sua habebat determinatum saporem dulcissimum, scilicet [12] sicut sapor « similæ cum melle ; » sed per gratiam divinam habebat sapores diversos, scilicet secundum desideriorum diversitatem, ut tangit Glossa super illud [13] : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt. » Sed contra, quia si habebat

Mannæ sapor unus, et multiplex.

[1] *Exod.*, IX, 19. — [2] Ibid., 20. — [3] *Psal.* IX, 17. — [4] *I Cor.*, XV, 49. — [5] *Psal.* LXXVII, 15. — [6] *Joan.*, VI, 51. — [7] *Exod.*, XVI, 35. — [8] *Psal.* LXXVII, 20. — [9] *Num.*, XI, 8. — [10] *Gen.*, III, 19. — [11] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. IX. — [12] *Exod.*, XVI, 31. — [13] *I Cor.*, X, 3.

(*a*) *Cæt. edit. repet.* sed. — (*b*) Vulg. *Substantia.*

saporem a quolibet desideratum, ergo non desiderassent carnes Ægypti, nec *nauseasset anima* eorum *super cibo levissimo*, cum tamen oppositum legatur [1]. Dicendum, secundum Glossam : « Boni saporem optimum ibi inveniebant ; sed mali fastidiebant. » Vel dicendum, quod requirebant in cibo non solum delectationem saporis quoad gustum ; sed etiam coloris quoad aspectum, et odoris quoad odoratum. Hieronymus : « Aves coram divitibus in suis saporibus decoquuntur, ut visu et odore reficiantur, sicut deliciosi in vino, » cum tamen dicatur [2] : « Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro, » etc.

21. *Substantiam enim tuam* (*a*), id est, tuam virtutem sustentandi ; *et dulcedinem*, id est, potestatem delectandi ; *quam habes in filios*, scilicet eos sustentando per cibi substantiam, et delectando per ejusdem cibi saporem ; *ostendebas* (*b*), etc.: unde [3] : « Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus : » *ostendebas* (*b*), inquam, conferendo eis prædictam escam sustentantem et delectantem. *Et deserviens*, scilicet cibus vel panis prædictus, *uniuscujusque voluntati*, scilicet comedentium, *ad quod quisque volebat, convertebatur*, id est, ad qualem saporem : habebat enim, ut dictum est, unum saporem determinatum per naturam, sed varios per divinam gratiam. Mystice, per manna significabatur congrue Christus sub sacramento altaris : primo, quia ipse est panis angelorum, scilicet sacerdotum, secundum illud [4] : « Angelus Domini exercituum est ; » secundo, quia cœlitus paratur, id est, quia virtute cœlesti conficitur, unde [5] : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : » [6] « Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus ; » tertio, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, id est, devotione reficiuntur (*c*), secundum illud [7] : « Desiderium animæ ejus tribuisti ei : » item [8] : « Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo ; » quarto, quia cum ipso ros (*d*) gratiæ descendit et datur, sicut et ros cum manna descendebat, ut habetur in *Numeris* [9] ; et ideo panis iste Eucharistia dicitur, *Eucharistia* bona gratia interpretatur ; quinto, quia sicut apparebat manna ut [10] « semen coriandri albi, » sic et Christus sub formula (*e*) candida sumitur [11] : « Ecce nubem candidam, et supra nubem sedentem similem filio hominis ; » sexto, quia sex diebus, et non in sabbato colligebatur, sic Christus in præsenti sub sacramento sumitur, sed in futuro sabbato, de quo dicitur [12] : « Erit sabbatum ex sabbato, » ad faciem videbitur [13] : « Tunc autem facie ad faciem ; » item [14] : « Videbimus eum, sicuti est ; » septimo, quia, usque ad ingressum terræ promissionis, in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt, sic, usque ad finem mundi, in deserto hujus mundi fideles Ecclesiæ nutriuntur, secundum illud [15] : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. »

* Christus per manna significatur.

22. *Nix autem*, etc. Hic tangitur ratio afflictionis Ægyptiorum : primo ex parte punitorum ; secundo, ex parte eorum pro quibus puniebantur : *Hic autem*, etc. ; tertio, ex parte Dei punientis : *Creatura*, etc.

Dicit ergo : *Nix autem*, etc. Ita dictum est, quod *ignis in aqua plus valebat*; *nix autem et glacies*, id est grando, *sustinebant vim ignis*, id est calorem, qui est ejus qualitas activæ virtutis. *Et non tabescebant*, id est non liquefiebant, unde [16] : « Pluit Dominus grandinem super terram Ægypti ; et grando, et ignis mixta pariter ferebantur : » *ut scirent*, scilicet Israelitæ, *quomodo fructus inimicorum*, id est Ægyptiorum, *exterminabat ignis ardens*, scilicet per calorem, *in grandine, et pluvia coruscans*, scilicet per splendorem [17] : « Linum et hordeum læsa sunt, eo

[1] *Num.*, XXI, 5. — [2] *Prov.*, XXIII, 31. — [3] *Psal.* LXVII, 11. — [4] *Malac.*, IV, 8. — [5] *Joan.*, VI, 51. — [6] *Psal.* LXIV, 10. — [7] *Psal.* XX, 3. — [8] *Psal.* LXXVII, 29. — [9] *Num.*, XI, 9. — [10] Ibid., 7. — [11] *Apoc.*, XIV, 14. — [12] *Isa.*, LXVI, 23. — [13] I *Cor.*, XIII, 12. — [14] *Joan.*, III, 2. — [15] *Matth.*, XXVIII, 20. — [16] *Exod.*, IX, 24. — [17] *Exod.*, IX, 31. — (*a*) Vulg. *Substantia enim tua.* — (*b*) Item *ostendebat.* — (*c*) *Cæt. edit.* recipiuntur. — (*d*) *Item* res. — (*e*) *Item* nebula.

quod hordeum virens esset, et linum jam folliculos germinaret. »

23. *Hoc* (*a*) *autem iterum*, etc.: sciendum, quod ly *hoc* potest esse ablativi casus, ut sic exponatur *hoc*, pro *hoc igne* (*b*); vel nominativi, ita quod sic legatur : *hoc autem iterum*, supple, *factum est, ut nutrirentur justi*, scilicet filii Israel. *Ignis etiam suæ virtutis oblitus est*, scilicet non exterminando fructus terræ justorum, ut patet, et legitur [1], « tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidisse. » Sic et vim virtutis suæ oblitus est ignis, quando tres pueros justos in fornace non læsit, ut patet [2].

24. *Creatura enim tua*, scilicet quæcumque, *tibi factori deserviens*, id est, tuæ voluntati, nam omnia fecisti, secundum illud *Psalmi* [3]: « Omnia quæcumque voluit fecit; » *excandescit*, id est vehementer movetur et concitatur; *in tormentum*, punitionis; *adversus injustos*, id est, inimicos tuos : *et lenior fit*, id est, innocua (*c*) vel innoxia; *ad benefaciendum pro iis, qui in te confidunt*, id est, pro justis : obedientibus enim Deo creaturæ obediunt, ut patet in *Josue*, ubi legitur [4], quomodo « Sol stetit ad imperium Josue, » et rebellantibus rebellavit : unde supra [5] : « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. »

25. *Propter hoc*, etc. Hic tangitur ratio consolationis Israelitarum : primo, recognitio divini beneficii; secundo, exhibitio cultus divini : *Quod enim ab igne*, etc.; tertio, vitatio ingratitudinis : *Spes enim*, etc.

Propter hoc, scilicet quia creatura deservit Creatori : *et tunc*, scilicet quando filii Israel in deserto manna pascebantur : *in omnia*, id est, omnium rerum desideratarum saporem: *transfigurata*, scilicet ipsa creatura, scilicet manna : *omnium nutrici gratiæ tuæ*, id est, gratuitæ bonæ voluntati tuæ, ita quod intelligatur de gratia increata, unde [6] : « Contristastis nutricem vestram Jerusalem. » *Deserviebant*, id est, obediebant; Glossa : « Confundantur hic peccatores, quia cum cæteræ creaturæ factori suo deserviant, ipsi repugnant : » unde creaturarum omnium concordia flagellantur. *Deserviebant*, inquam, *ad voluntatem*, complendam scilicet, *eorum qui a te desiderati sunt*, scilicet speciali amore delecti, ut filii Israel, unde [7] : « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. »

26. *Ut scirent filii tui*, scilicet Israelitæ, secundum illud [8] : « Primogenitus meus Israel; » et [9] : « Filios enutrivi. » *Quos dilexisti*, *Domine*, scilicet æterna dilectione, et temporali, unde [10] : « Dilexi vos, dicit Dominus. » *Scirent*, inquam, *quoniam nativitatis fructus*, id est, non naturales fructus de terra nati, secundum illud *Geneseos* [11] : « Germinet terra, » etc.; *pascunt homines*, scilicet in quantum sunt homines, id est, secundum illud quo differunt a bestiis, scilicet secundum rationalem animæ potentiam, vel partem : *sed sermo tuus*, id est, creatus, id est, mandatum tuum; nam [12] : « Non in solo pane vivit homo, » etc.; vel *Sermo* increatus, id est, Filius, de quo [13] : « Sermo tuus, veritas est; » et [14] : « Ego sum via, veritas, et vita : » *hos qui in te crediderunt, conservat*, unde [15] : « Dedit tibi Dominus cibum manna, quod ignorabas tu, et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. »

27. *Quod enim ab igne non poterat exterminari*, scilicet manna, quia ad ignem durescebat, ita quod exinde fierent tortulæ, ut patet [16]; *statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*, id est, liquefiebat, ut patet [17] : unde oportebat, quod mane colligeretur.

28. *Ut notum omnibus esset*, scilicet per

[1] *Exod.*, IX, 26. — [2] *Dan.*, III, 50. — [3] *Psal.* CXIII, 45. — [4] *Josue*, X, 13. — [5] *Sap.*, V, 21. — [6] *Baruch*, IV, 8. — [7] *Deut.*, VII, 6. — [8] *Exod.*, IV, 22. — [9] *Isa.*, I, 2. — [10] *Malac.*, I, 2. — [11] *Gen.*, I, 11. — [12] *Matth.*, IV, 4. — [13] *Joan.*, XVII, 17. — [14] *Joan.*, XIV, 6. — [15] *Deut.*, VIII, 3. — [16] *Num.*, XI, 8. — [17] *Exod.*, XVI, 21. — (*a*) Vulg. *Hic*. — (*b*) Cæt. edit. non habent *igne*. — (*c*) *Cæt. edit.* innociva.

hoc signum, *quoniam oportet prævenire solem*, id est solis ortum, *ad tuam benedictionem*, supple obtinendam, hoc est ad recipiendum et colligendum manna, ne post ortum solis liquefieret calore solis : sic ad benedictionem gratiæ obtinendam, oportet prævenire solem, mane vigilando, secundum illud [1] : « Qui mane vigilaverint ad me, invenient me; » et [2] : « Mane astabo tibi, et videbo, » etc. *Ad ortum lucis*, id est, statim ut oritur lux, vel versus orientem, ubi lux oritur; *Te adorare*, scilicet pro receptione illius mannæ. Versus orientem, inquam, quia, sicut dicit Damascenus [3], « Omne melius est Deo tribuendum. » Unde, quia oriens est melior pars cœli, ideo ad orientem est. Ad orientem, secundum illud *Psalmi* [4] : « Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. » Adorandi versus orientem multiplex est ratio : quarum prima est loci dignitas, quia scilicet oriens est melior pars cœli, et hanc ponit Damascenus [5]; secunda est finis, propter quem adoramus, scilicet ut illuminemur, unde [6] : « Accedite ad eum, » scilicet per orationem, « et illuminamini; » tertia est proprietas ejus, quem adoramus, quasi (*a*) scilicet ipse est verus Sol justitiæ, de quo Malachias [7], et Zacharias [8] : « Ecce vir, Oriens nomen ejus; » quarta est situs paradisi, quem adorando quærimus. In cujus signum legitur [9] paradisus terrestris plantatus ad orientem, secundum quod habet alia translatio [10] : Quinta, contraria consuetudo Judæorum, qui adorabant ad occidentem : ingressus enim templi erat ab oriente, ut patet [11]. Sexta, ascensus Christi ad orientem, secundum illud [12] : « Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. » Septima, adventus ejus ad judicium ex parte orientis [13] : « Sicut fulgur exit aboriente, » etc., ita erit adventus filii hominis. Notandum autem, quod in hoc, quod manna in ortu solis liquefiebat, significabatur, secundum Glossam, in ortu Christi sacramentum vetus cessaturum, quia [14] « finis legis Christus. »

Adorandi versus orientem ratio multiplex.

29. *Ingrati enim spes*, etc. : ita dixi, quod tabescebat calore solis, et hoc in signum hujus, *quia spes ingrati tabescet*, etc. Vel sic : Bene dixi, quod oportet adorare ad ortum lucis, etc., scilicet pro receptione prædicti beneficii; et hoc ad vitandam ingratitudinem, quæ valde damnosa : *ingrati enim spes*, scilicet cujuscumque impii, vel specialiter Judaici populi, secundum Glossam; *tanquam hybernalis glacies*, Glossa : « constricta frigore infidelitatis, » secundum illud [15] : « Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. » *Tabescet*, id est, liquefiet, id est, calore solis justitiæ dissolvetur in die judicii, vel particularis, vel universalis; unde [16] : « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. » *Tabescet*, inquam, quoad pœnam damni, scilicet amittendo omnia bona quæcumque habuit, vel speravit, scilicet bona gratiæ et gloriæ : *et disperiet*, id est, dupliciter peribit, id est, in corpore et anima patietur tormentum, et hoc quantum ad pœnam sensus : *disperiet*, inquam, *tanquam aqua supervacua*, id est, inutilis, quæ in terram effunditur, vel projicitur. Sic et ingratus, tanquam inutilis, in infernum projicietur, juxta illud [17] : « Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores. » *Ingrati ergo spes tabescet, et disperiet*, etc.; unde supra [18] : « Spes impii tanquam lanugo, quæ a vento tollitur. » Item Bernardus [19] : « Ingratitudo est ventus urens, fontem pietatis exsiccans, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. »

CAPUT XVII.

1. *Magna enim sunt*, etc. Postquam egit de pœna sensus, hic agit de pœna damni, id est, de lucis subtractione : et primo tangitur

Ordo cendum.

[1] *Prov.*, VIII, 17. — [2] *Psal.* V, 5. — [3] Damasc., *de Fid. orthod.*, lib. IV, c. XIII. — [4] *Psal.* LXVII, 34. — [5] Ibid. — [6] *Psal.* XXXIII, 6. — [7] *Malach.*, IV, 2. — [8] *Zach.*, VI, 18. — [9] *Gen.*, II, 8. — [10] *Juxta* LXX : « Plantavit Deus paradisum in Ede ad orientem, Κατὰ ἀνατολὰς; » *Vulg.* a principio. — [11] III *Reg.*, VII, 39. — [12] *Psal.* LXVII, 34. — [13] *Matth.*, XXIV, 27. — [14] *Rom.*, X, 4. — [15] *Eccli.*, XLIII, 22. — [16] *Psal.* LXVII, 3. — [17] *Matth.*, XXV, 30. — [18] *Sap.*, V, 15. — [19] Bern., *in Cant. Cantic.*, serm. LI. — (*a*) *Leg.* quia.

punitionis Ægyptiorum æquitas, quia scilicet pro meritis puniti sunt; secundo, irremediabilitas, scilicet quia sine interpolatione : *Neque enim quæ continebat*, etc.; tertio, generalitas, quia omnes, ibi : *Illi autem qui impotentem*; etc.; quarto, singularitas, quia illi soli, scilicet Ægyptii : *Omnis enim*, etc. Æquitas autem ostenditur ex causa meritoria peccatorum illorum : primo, peccati in Deum; secundo, in proximum : *Dum enim persuasum*, etc.; tertio, in seipsos : *Et dum putant*, etc.

Magna enim, etc. Bene dixi, quod Ægyptii sunt puniti, Israelitæ vero consolati : *magna enim sunt judicia tua, Domine*; Glossa : « quibus regis universa. » Unde [1] : « Judicia tua abyssus multa. » *Et inenarrabilia verba tua*, scilicet quibus rationalem creaturam instruis; *inenarrabilia*, dico, ad plenum, unde hoc [2] : « O altitudo divitiarum sapientiæ Dei, » etc. *Propter hoc*; Glossa : « quia Creatorem suum credere et intelligere noluerunt : » *indisciplinatæ animæ*, id est, incorrigibiles de peccatis suis [3] : « Est processio in malum (*a*) viro indisciplinato. » Item [4] : « Percussisti eos, et non doluerunt, et renuerunt accipere disciplinam; » et [5] : « Tu vero odisti disciplinam. » *Erraverunt* a via veritatis, supra [6] : « Ergo erravimus a via veritatis, » de qua *Joannes* [7] : « Ego sum via, veritas, et vita. » Via in exemplo; veritas in promisso; vita in præmio.

2. *Dum enim*, etc. Bene dixi, quod erraverunt : *dum enim iniqui*, scilicet Ægyptii, dicti *iniqui* propter iniquam oppressionem Israelitarum, et submersionem infantium ipsorum; *persuasum habent*, id est, credunt; *posse dominari nationi sanctæ*, id est, filiis Israel, qui dicuntur natio sancta, quia erant sanctorum filii, secundum illud [8] : « Filii sanctorum sumus; » item, quia per circumcisionem sanctificati, de qua sanctificatione habetur in *Genesi* [9]; tertio, quia per conversationem sanctificandi, secundum illud *Levitici* [10] : « Sancti estote, quia ego sanctus sum. » *Vinculis tenebrarum*, scilicet palpabilium quæ fuerunt in Ægypto; *et longæ noctis*, id est, obscuri temporis, ac si esset nox, quod tempus longum fuit, quia tribus diebus nemo vidit proximum suum, ut patet [11]. *Compediti*, scilicet per effectus similitudinem : quia scilicet non poterant ire, ac si essent compediti, unde [12] : « Tribus diebus non movit se quispiam de loco, in quo erat. » *Inclusi sub tectis*, scilicet domorum suarum, non audentes egredi; *fugitivi perpetuæ providentiæ*, scilicet quantum in eis erat, scilicet quia prævisam a Deo liberationem Israelitarum putabant impediri. Vel *fugitivi*, etc., id est, volentes effugere Dei providentiam : quod esse non poterat, cum dicatur supra [13] : « Manum tuam effugere impossibile est. » *Latuerunt*, id est, latere putaverunt; vel *placuerunt*, scilicet in pœna, qui displicuerunt in culpa : quia per pœnam fit recordatio (*b*) eorum, qui per culpam deordinati fuerunt.

3. *Et dum putant se latere*, scilicet Deum punitorem, cum tamen [14] « omnia nuda sint et aperta oculis ejus; » *latere*, inquam, *in peccatis obscuris*, id est, enormibus, quæ maxime in obscuro fiunt, unde [15] : « Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere : » quia [16] « qui male agit, odit lucem : » propter hoc peccata dicuntur [17] « opera tenebrarum. » *Tenebroso velamento oblivionis*, id est, tenebrarum caligine eos velante, et aliorum oblivionem immittente, dum scilicet seipsos juvare non poterant, *dispersi sunt*, scilicet unus ab altero, *paventes horrende*, id est, timore horribili, scilicet propter tenebrositatem. *Et cum admiratione nimia perturbati*, scilicet propter inconsuetam rei novitatem, supra [18] : « Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur, » etc.; unde [19] : « In die ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror. »

[1] *Psal.* XXXV, 7. — [2] *Rom.*, XI, 33. — [3] *Eccli.*, XX, 9. — [4] *Hier.*, V, 3. — [5] *Psal.* XLIX, 17. — [6] *Sap.*, V, 6. — [7] *Joan.*, XIV, 6. — [8] *Tob.*, II, 18. — [9] *Gen.*, XVII, 13. — [10] *Levit.*, XI, 44. — [11] *Exod.*, X, 23. — [12] Ibid. — [13] *Sap.*, XVI, 15. — [14] *Hebr.*, IV, 13. — [15] *Ephes.*, V, 12. — [16] *Joan.*, III, 20. — [17] *Rom.*, XIII, 12. — [18] *Sap.*, V, 2. — [19] *Job*, XVIII, 20.

(*a*) *Vulg.* in malis. — (*b*) *Leg.* reordinatio.

4. *Neque enim, quæ continebat illos spelunca*, etc. : hic ostenditur pœnæ irremediabilitas : primo, a loco ; secundo, a contrario : *Et ignis*, etc. ; tertio, ab artificio : *Et magicæ*, etc.

Neque enim, etc. Bene dixi *paventes horrende*, etc. : *neque enim spelunca, quæ continebat eos*, qui scilicet illuc fugerant propter grandinem, et pluviam, et ignem. Et nota, quod singulare ponit pro plurali, cum dicit spelunca, quia non ad unam tantum speluncam fugerant, sed ad plures, et in diversis locis latebant. *Sine timore custodiebat*, Glossa : « quia semper tenebras comitatur horror; et quanto minus discernit quisque, quæ circa se sunt, tanto magis metuit. » *Quoniam sonitus descendens*, scilicet in illam foveam; *sonitus*, inquam, vel tonitruorum cœlestium, vel illusionum diabolicarum : *perturbabat*, id est, perfecte turbabat illos, unde [1] : « Sonitus terroris semper in auribus ejus. » *Et personæ tristes illis apparentes*. Sed quomodo apparebant in tantis tenebris? Potest dici, quod non apparebant sensui, sed imaginationi. *Pavorem præstabant*, quia, sicut dicit Glossa, potuit esse, ut dæmones aliqua phantasmata terribilia eis ingererent, quæ eos ad augmentum pœnarum exterrerent, secundum illud [2] : « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. »

5. *Et ignis quidem*, etc. Hic ostenditur pœnæ irremediabilitas, et hoc ex parte contrarii, scilicet ignis : primo, quia non præstabat adjutorium; secundo, quia potius præstabat nocumentum : *Apparebat autem illis*, etc.

Dicit ergo : *Et ignis quidem nulla vis poterat eis lumen præbere*. Unde deficiebat eis illuminatio a parte inferiori. Et dicit : *Nulla vis*, quia tres sunt species ignis, secundum Philosophum, scilicet lux, flamma, et carbo. *Nec siderum limpidæ flammæ*, id est, dati radii, *illuminare poterant illam noctem horrendam*. Unde patet, quod eis deficiebat lumen a parte superiori, quamvis supra sint positæ stellæ, ut illuminent noctem. Et merito defuit eis lumen, quia scilicet rebelles fuerunt lumini. Et ideo Sol justitiæ non oriebatur eis; unde supra [3] : « Sol intelligentiæ non est ortus nobis, et justitiæ lumen non luxit nobis. »

6. *Apparebat autem illis*, scilicet Ægyptiis, *subitaneus ignis*, scilicet coruscationum cœlestium; *timore plenus*, scilicet propter aspectum malorum visorum, scilicet fulgurum : quanto enim graviores sunt dolores, tanto majores timentur horrores. *Et timore percussi*, propter visionem malorum imaginatorum, *illius, quæ non videbatur faciei*, id est, phantasmatis non visi (*a*) exterius, sed imaginati interius, quod diabolus immittebat ad magis terrendum : *æstimabant deteriora esse, quæ videbantur*, supple, *quam essent secundum rei veritatem*, unde [4] : « Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus. »

7. *Et magicæ*, etc. : hic ostenditur irremediabilitas ab artificio, scilicet artis magicæ : et primo ostenditur magorum confusio; secundo materia confusionis, scilicet timor : *Illi enim*, etc.; tertio, causa exterius timorem efficiens : *Tametsi nihil*, etc.; quarto, dispositio interius timorem augens : *Frequenter*, etc. : et ibi tanguntur tria timorem augentia, quorum primum est remorsus conscientiæ; secundum est perturbatio consequens remorsum : *Semper enim*, etc.; tertium est diffidentia auxilii, consequens utrumque : *Nihil enim est timor*, etc.

Et magicæ artis, id est, magorum ipsorum, *appositi erant*, scilicet ad prædicta mala, *derisus*, in hoc scilicet quod hæc mala expellere tentabant, et non poterant. Unde et ipsi vehementer timebant [5] : « Digitus Dei est hic; » *et sapientiæ gloria* (*b*), id est, gloria magorum de sapientia sua : *correptio*

[1] *Job*, XV, 21. — [2] *Job*, VII, 14. — [3] *Sap.*, V, 6. — [4] *Job*, XVIII, 11. — [5] *Exod.*, VIII, 19.

(*a*) *Edit. Val.* non nisi; *edit. Ven.* enim nisi. — (*b*) Vulg. *gloriæ*.

cum contumelia, supple, *erat*, id est, causa correctionis contumeliosæ; unde [1] : « Ubi fuerit superbia, ibi contumelia; » et [2] : « Non glorietur sapiens in sapientia sua. »

8. *Illi enim*, etc. (*a*) Et bene dixi, quod eorum correptio fuit cum contumelia ipsorum : *illi enim*, scilicet magi, *qui promittebant timores*, scilicet interiores; *et perturbationes*, scilicet exteriores; *se expellere*, scilicet per suam artem magicam, *ab anima languente*, scilicet præ timore et perturbatione : *ii cum derisu*, illato ab aliis, *pleni timore*, in seipsis, *languebant*. Unde cuilibet eorum poterat verbum dici illud [3] : « Medice, cura teipsum; » et [4] : « Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. »

9. *Nam et si nihil illos ex monstris*, id est, phantasmatibus apparentibus, vel miraculis Moysi, *perturbabat*, quia scilicet monstris erant assueti, sicut Balaam non timuit loquelam asinæ, ut patet [5]; *transitu tamen animalium*, scilicet subito et impetuoso, scilicet ursorum, et leonum, et hujusmodi, *et sibilatione serpentum*, vel serpentium, quos scilicet videre non poterant, *commoti*, scilicet interius; *tremebundi*, exterius, *peribant*, scilicet deficientes propter prædicta, unde [6] : « Dabit tibi Dominus cor pavidum, et oculos deficientes, et animam mœrore consumptam, et timebis nocte et die. » *Et*, id est *etiam*, *aerem*, *quem nulla ratione effugere quis posset*, scilicet propter necessitatem inspirationis et respirationis; *negantes se videre*, propter tenebras palpabiles. *Frequenter enim præoccupant*, scilicet cogitando et expectando ante eventum, *pessima* (*b*), scilicet supplicia pro peccatis inferenda. *Pessima* dicit, quia mala in vita, pejora in morte, pessima post mortem; vel mala innata, pejora illata ab homine, sed pessima inflicta a Deo, propter quod [7] : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » *Redarguente* eos *conscientia*, secundum illud [8] : « Arguet te malitia tua. »

10. *Cum sit enim timida nequitia*, id est, habens timorem annexum, eo quod malum culpæ semper consequitur, vel comitatur malum pœnæ : unde sicut « charitas perfecta excludit timorem, » ut dicitur [9], sic iniquitas eum causat et inducit, unde [10] : « Trepidaverunt timore, ubi non erat timor; » item [11] : « Terrebit eos sonitus folii volantis. » *Dat testimonium condemnationis*, scilicet contra actorem suum, unde [12] : « Testimonium reddente conscientia : » *testimonium*, inquam, *condemnationis*, scilicet actoris sui, id est, testificatur ipsum esse dignum condemnatione, unde supra [13] : « Nos insensati, » etc. Item [14] : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. » Alii habent : *Data est in omnium condemnationem. Semper enim præsumit*, id est, antequam eveniant, suspicatur; *sæva*, id est, aspera sibi eventura; *perturbata conscientia*, scilicet peccato, vel peccati remorsu, unde dicit Cain [15] : « Omnis, qui invenerit me, occidet me. »

Timor ex præsumptione causatur.

11. *Nihil enim est*, etc. Nota, quod hic causalis prædicatio, non essentialis habetur : timor enim non est præsumptio, sed causatur ex præsumptione, id est, præsumpta suspicione mali futuri. Unde describit hic timorem dupliciter : primo per causam, quæ est præsumptio mali futuri; secundo, per effectum ejus, qui est perditio, vel manifestatio cogitationis deficientis auxilii : *Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adjutorium* (*c*) : id est, præsumptio, sive suspicio mali futuri, vel eventuri, adjuvans ad timendum; *et proditio cogitationis auxiliorum*, scilicet deficientium, id est, cogitatio prodens defectum auxilii, et ipsi timenti, et aliis, scilicet qui ejus timore percipiant deficere auxilium. Unde talis timor facit clamare petendo auxilium, ut patet in Petro, qui cum cœpis-

[1] *Prov.*, XI, 2. — [2] *Jerem.*, IX, 23. — [3] *Luc.*, IV, 23. — [4] *Prov.*, XXV, 14. — [5] *Num.*, XXII, 29. — [6] *Deut.*, XXVIII, 65. — [7] *Hebr.*, X, 31. — [8] *Hier.*, II, 19. — [9] *1 Joan.*, IV, 18. — [10] *Psal.* XIII, 10. — [11] *Levit.*, XXVI, 36. — [12] *Rom.*, II, 15. — [13] *Sap.*, V, 4. — [14] *Gen.*, XLII, 21. — [15] *Gen.*, IV, 14. — (*a*) Cæt. edit. deest *Illi enim*, etc.— (*b*) Hæc, scilicet : *Frequenter*, etc., Vulg. non habet.— (*c*) Item nec *præsumptionis adjutorium, et.*

set mergi, clamavit, et dixit [1] : « Domine, salvum me fac. »

12. *Et dum ab intus*, scilicet in mente, *minor est expectatio*, id est, spes vel confidentia, quia caret justitia, quæ facit justos confidentes et securos, secundum illud [2] : « Justus, quasi leo, confidens absque terrore erit. » *Majorem putant scientiam*, id est, majorem reputant vim ad nocendum, *ejus causæ*, scilicet terribilis, *de qua tormentum præstat*, id est, imminet sibi : quia defectus majoris spei et confidentiæ auget timorem, facientem suspicari majus malum, quam imminet et quam sit. Aliter videtur posse exponi, secundum Glossam, ab illo : *Semper enim præsumit sæva*, etc.; quasi dicat : Merito *nequitia dat testimonium condemnationis*; *semper enim præsumit sæva*, id est, præsumptuose (*a*) extollitur ad inferendum sæva aliis *perturbata conscientia*; id est, irata conscientia, non tranquilla : *enim* pro *sed* : *Nihil enim timor est*, *nisi præsumptionis adjutorium*, id est, medicamentum, reprimendo scilicet motum hujus præsumptionis; *et proditio*, id est, manifestatio; *cogitationis auxiliorum*, id est, infirmæ cogitationis, quæ se ante extollebat, præsumendo se non indigere auxilio. *Et dum ab intus minor est expectatio*, id est, minor operatur potestas nocendi, rei, a qua punitur, scilicet extrinsecus, *majorem putat scientiam*, id est, virtutem ad nocendum sibi, quam sit secundum veritatem.

13. *Illi autem*, etc. : hic ostenditur punitionis generalitas : primo, ex parte temporis; secundo, ex parte personarum afflictarum : *Deinde si quis*, etc.; tertio, ex parte causarum : *Sive spiritus sibilans*, etc., quia sic terrebantur magi.

Illi autem, scilicet Ægyptii, *qui impotentem vere noctem*, id est, fortem, quia tenebrosam valde, et longam, et nullo remedio illuminabilem : *et ab infimis*, scilicet exaltatione vaporum et fumositatum grossarum, aerem obscurantium, *et ab altissimis*, scilicet defectu irradiationis corporum cœlestium, *supervenientem*, id est, super eos venientem, *eumdem somnum*, id est, communem, *dormientes*, quia sicut dormiebat unus, sic alius, non melius (v. 14) : *aliquando monstrorum exagitabantur timore*, id est, phantasmatum monstruosorum in somnis apparentium eis, unde [3] : « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. » *Aliquando animæ deficiebant traductione*, id est, quasi imminente exitu de corpore, et hoc vigilando, quando jam excitati erant : quia, sicut dicit Glossa, nec vigilantes, nec dormientes quiescere poterant, quia horrendis monstris, et visionibus, et terrore inimico circumdabantur : *subitaneus enim*, id est, repentinus, *et insperatus*, id est, improvisus, quia cito et ex improviso, *illis timor supervenerat*, id est, superne (*b*) a divino judicio; unde [4] : « Veniet super te repente miseria, quam nescis. »

15. *Deinde*, scilicet præter prædicta mala, *si quis ex illis*, scilicet Ægyptiis, *decidisset*, scilicet in foveam, vel hujusmodi; *custodiebatur in carcere*, id est, in loco in quo ceciderat, non valens inde exire; *sine ferro reclusus*, id est, sine vinculis ferreis : quia vinculo tenebrarum omnes erant compediti, ut patet supra, eodem [5].

16. *Si enim rusticus quis erat*, id est, ruris cultor, aut pastor animalium, *aut agri laborum operarius*, ut messor, vel vindemiator; *præoccupatus esset*, scilicet illis tenebris extra domum suam; *ineffugibilem sustinebat necessitatem*, scilicet penuriam et afflictionem : quia nemo movit se tribus diebus de loco in quo erat, ut patet [6].

17. *Una enim*, id est, communi, *catena tenebrarum*, scilicet exteriorum, *omnes erant colligati*, id est, simul ligati : nec tantum catena exteriorum, sed interiorum, scilicet infidelitatis et peccatorum, unde [7] : « Funibus peccatorum suorum quisque constringitur; »

[1] *Matth.*, XIV, 30. — [2] *Prov.*, XXVIII, 1. — [3] *Job*, VII, 14. — [4] *Isa.*, XLVII, 11. — [5] *Sap.*, XVII, 17. — [6] *Exod.*, X, 23. — [7] *Prov.*, V, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* promptuose. — (*b*) *Cæt. edit.* super.

item [1] : « Funes peccatorum circumplexi sunt me. » *Sive enim spiritus sibilatus,* id est [2], « sibilus auræ tenuis; » *aut inter spissos ramos arborum avium sonus,* id est, cantus *suavis*; suavis, in quantum erat de se idoneus ad delectandum magis, quam ad terrendum; *aut vis aquæ decurrentis nimium,* id est, impetuose currentis, sicut currunt aquæ torrentium; (v. 18) *aut sonus validus præcipitantium petrarum*, id est, impetuose de altis locis cadentium; *aut ludentium animalium cursus invisus,* scilicet propter tenebrarum densitatem; *animalium,* scilicet mitium, ut jumentorum; *aut mugientium valida bestiarum vox,* id est, ferarum, aut ursorum, aut leonum, aut hujusmodi; *aut resonans de altissimis montibus echo,* id est repræsentatio vocis animalium propter reverberationem montium, vel petrarum, *deficientes faciebant illos præ timore*, scilicet omnia supradicta. Unde Glossa : « Undique miseri cruciabantur : quidquid enim auribus, vel oculis, vel quolibet sensu percipiebant, tanquam periculosum formidabant. »

Moralis expositio

Notandum autem, quod catena prædicta moraliter loquendo significat peccatorum progressum, et connexionem, de qua *Isaias* [3]: « Si abstuleris de medio tui catenam. » *Spiritus sibilans* significat diaboli occultam suggestionem [4] : « Vidi de ore draconis, de ore bestiæ, et de ore pseudo-prophetæ exire tres spiritus immundos in modum ranarum. » *Avium sonus suavis,* cogitationum delectationem [5] : « Vox cantantis in fenestra; » *Aqua decurrens,* consensum in perpetrationem peccati, contra quod [6] : « Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum. » *Sonus petrarum cadentium,* peccati exteriorem operationem, unde [7] : « Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. » *Cursus animalium ludentium*, pravam consuetudinem, unde [8] : « Omnes bestiæ agri ludunt ibi. » *Valida vox bestiarum mugientium,* apertam gloriationem de peccato perpetrato, contra quod in *Psalmo* [9] : « Quid gloriaris in malitia? » *Resonans echo,* delectabilis peccati recordatio (*a*), unde [10] : « Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto. »

19. *Omnis enim,* etc. Hic tangitur pœnæ singularitas : et quod [11] opposita juxta se posita magis elucescunt, primo tangitur illuminatio aliorum; secundo Ægyptiorum obtenebratio : *Solis autem illis,* etc.; tertio, obtenebrationis meritum : *Ipsi ergo*, etc.

Bene dixi Ægyptios compeditos vinculis tenebrarum, et non alios : *omnis enim orbis terrarum,* scilicet excepta regione Ægypti; *limpido,* id est claro; *illustrabatur lumine,* scilicet solis et cœlestium luminarium, quamvis alibi essent multi peccatores in mundo. [12] « Solem suum facit oriri super bonos, et malos. » *Et non impeditis continebatur*, id est, conservabatur, *non impeditis operibus* luminarium per densitatem tenebrarum, vel alio modo; *non impeditis operibus* hominum aliorum ab Ægyptiis, propter defectum lucis, cum alibi esset claritas lucis, quæ ad operandum requiritur; unde [13] : « Operamini, dum dies est; venit enim nox, quando nemo potest operari. »

20. *Solis autem illis*, scilicet Ægyptiis, *superposita erat*, scilicet a Deo, *gravis nox,* quia obscurior solito, et longior, unde [14] : « Nos quippe involvimur tenebris. » *Nox,* dico, existens; *imago,* id est, expressa repræsentatio; *tenebrarum,* scilicet, æternarum; *quæ,* scilicet imago tenebrarum, id est tenebræ imaginatæ, *superventura illis erat*, scilicet in inferno, unde [15] : « Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores. » Item [16] : « Terram miseriæ, et tenebrarum, » etc. Et quia tam graves tenebras, etc., non immerito : *Ipsi ergo sibi erant graviores tenebræ,* id est, graviorum tenebrarum, supple, quam

[1] *Psal.* CXVIII, 61. — [2] III *Reg.*, XIX, 12. — [3] *Isa.*, LVIII, 9. — [4] *Apoc.*, XVI, 12. — [5] *Soph.*, II, 14. — [6] *Eccli.*, XXV, 34. — [7] *Job*, XIV, 18. — [8] *Job*, XL, 15 — [9] *Psal.* LI, 3. — [10] *Num.*, XI, 5. — [11] Arist., *Elench.*, lib. I, c. XIV. — [12] *Matth.*, V, 45. — [13] *Joan.*, IX, 4. — [14] *Job*, XXXVII, 19. — [15] *Matth.*, XXV, 30. — [16] *Job*, X, 22. — (*a*) *Leg.* recordationem.

patiebantur, id est, superventurarum sibi in inferno, unde [1] : « Novit opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur. » Vel *ipsi erant graviores tenebræ*, id est periculosiores, per excæcationem cordis. « Excæcavit enim eos malitia eorum, » supra [2]; et [3] : « Eratis aliquando tenebræ. » Aliqui libri habent *graviores tenebris* (*a*), scilicet exterioribus, propter remorsum conscientiæ.

CAPUT XVIII.

1. *Sanctis autem tuis*, etc. Postquam egit de pœnis antecedentibus mortem, hic agit de pœnis inferentibus mortem : et primo, de exterminatione primogenitorum suorum in Ægypto, scilicet capite isto; secundo, de subversione eorum in Mari Rubro, scilicet ultimo capite. In prima, primo tangitur Hebræorum, quos opprimebant, commendatio; secundo, per eorum liberationem, Ægyptiorum opprimentium eos digna punitio : *Digni quidem*, etc. ; tertio, post Hebræorum liberationem, gravis tentatio, scilicet in deserto : *Tetigit*, etc. Circa commendationem, tangitur primo pro (*b*) beneficii continuatione supplicatio : *Et ut esset*, etc.; secundo (*c*), supplicationis exauditio, ibi : *Propter quod*, etc.

Sanctis autem tuis, etc. : ita erant Ægyptii in tenebris : *Autem*, pro *sed : Sanctis tuis*, scilicet Israelitis, secundum illud [4] : « Sancti eritis : » *Maxima erat lux*, quia lux exterior corporalis, unde [5] : « Ubicumque habitabant filii Israel, lux erat; » item lux interior spiritualis, unde Glossa : « *Sanctis tuis*, id est, Israelitis, quos fides et conscientiæ puritas illuminabat, » unde [6] : « Omnes filii lucis estis; » item lux superior cœlestis [7] : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, » etc. Item [8] : « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. » *Et horum quidem*, scilicet sanctorum, *vocem*, humanæ locutionis, vel divinæ laudis, *inimici audiebant*, scilicet Ægyptii; *sed figuram non videbant*, scilicet propter tenebras impedientes. Sed contra : Quia existens in tenebris potest videre illum qui est in lumine, et non e converso. Dicendum, quod hoc verum est, nisi sit impedimentum in ejus oculo, vel in ipso medio. Ibi vero erat impedimentum in oculo videntium, quia percussi erant quasi quadam cæcitate, et in medio, quia tenebræ densæ et palpabiles ibi erant : *Et quia non et*, etc. : *et*, id est etiam; *ipsi*, scilicet sancti; (*d*) *eadem passi erant*, id est, easdem plagas, secundum Glossam; *magnificabant te*, scilicet laudando, unde [9] : « Magnificat anima mea Dominum; » et [10] : « Quis magnificabit eum, sicut est ab initio? »

Dubitatio.

Solutio.

2. *Et qui ante læsi erant*, scilicet a Pharaone opprimente eos et flagellante, ut patet in *Exodo* [11]. *Quia non lædebantur*, scilicet plagis inflictis a Deo; *gratias agebant tibi*, unde [12] : « Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. » *Et ut esset differentia*, scilicet inter ipsos et Ægyptios, *te Deum petebant*, vel, *te Deum* orabant, secundum illud *Psalmi* [13] : Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : » sicut et Abraham petebat [14], ne perderetur (*e*) justus, sicut impius. *Vel differentia*, scilicet distantia : hoc Israelitis præstitum fuit, quando « tollens se angelus stetit inter castra Ægyptiorum, et castra Israelis, » ut patet in *Exodo* [15].

3. *Propter quod*, scilicet quia beneficio præstito grati erant, conferendo orabant : *Ardentem columnam ignis habuerunt*, de nocte, ut patet [16]; *Ducem ignotæ viæ*, scilicet per desertum; *et solem sine læsura*, per unam columnam, supple *demonstratricem*; *boni hospitii*, in termino viæ; *præstitisti*, sine læsura, inquam, de die : et hoc, columna nubis æstum solis temperante, ut patet [17]. Et supra [18] : « Fuit eis in velamento

[1] *Job*, XXXIV, 25. — [2] *Sap.*, II, 21. — [3] *Ephes.*, V, 8. — [4] *Levit.*, XI, 44. — [5] *Exod.*, X, 23. — [6] I *Thess.*, V, 5. — [7] *Joan.*, I, 9. — [8] *Malach.*, IV, 4. — [9] *Luc.*, I, 46. — [10] *Eccli.*, XLIII, 35. — [11] *Exod.*, I et V. — [12] *Isa.*, LI, 3. — [13] *Psal.* XLII, 1. — [14] *Gen.*, XVIII, 23. — [15] *Exod.*, XIV, 19. — [16] *Exod.*, XIII, 21. — [17] Ibid. — [18] *Sap.*, X, 17. — (*a*) Ita Vulg. — (*b*) *Cæt. edit. deest* pro. — (*c*) *Cæt. edit.* quarto. — (*d*) Cæt. edit. add. *pro*. — (*e*) *Cæt. edit. habent* proderetur.

diei, et in luce stellarum nocte. » Ita quod veniebant ad locum, in quo poterant competenter hospitari, et tentoria figere; unde[1]: « Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem; » et post[2]: « Erit in umbraculum diei ab æstu. »

4. *Digni quidem*, etc. Hic ostenditur digna punitio Ægyptiorum Israelitas opprimentium. Et primo tangitur, quasi epilogando, pœna communiter omnium; secundo specialiter occisorum : *Cum cogitarent*, etc.; tertio specialiter vivorum et vigilantium : *Resonabit*, etc.; quarto vivorum dormientium : *Cum enim quietum*, etc.

Digni quidem illi, scilicet Ægyptii, supple, *erant carere luce*, quoad privationem sensus; *et pati carcerem tenebrarum*, quoad privationem motus; *qui inclusos custodiebant*, etc., non permittendo eos exire de terra Ægypti[3]: « Nescio Dominum, et Israel non dimittam; » *sanctos filios tuos*, scilicet Israelitas in te credentes, unde[4]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus; » *per quos incipiebat*, etc., scilicet per illius populi præparationem ad legis susceptionem, quia nondum erat data; *incorruptum lumen legis sæculo dari :* notandum, quod lex aliquando dicitur *lumen*, quia illuminat intellectum, unde[5]: « Mandatum lucerna, et lex lux : » *incorruptum*, quia purificat, vel a corruptione conservat affectum, secundum illud[6]: « Eloquium Domini igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. »

Lex cur lumen dicatur.

5. *Cum cogitarent*, etc. Hic primo tangitur percussio primogenitorum Ægypti; secundo præscientia percussionis : *Illa enim*, etc.; tertio evasio Hebræorum : *Suscepta est autem a populo*, etc.; quarto, ratio evasionis : *Absconsio enim*, etc.

Cum cogitarent, scilicet Ægyptii; *justorum*, id est, Hebræorum; *occidere infantes*, non solum cogitatione simplici, sed etiam progressiva in opus, ut patet in *Exodo*[7]: *Et uno filio*, scilicet Moyse; *exposito*, scilicet a matre; *et liberato*, scilicet a filia Pharaonis, ut patet[8]. *In traductionem illorum*, id est punitionem Ægyptiorum : vel *in traductionem illorum*, id est Hebræorum, id est, ut educeret eos de Ægypto per Moysen liberatum; *multitudinem filiorum abstulisti*, id est universitatem primogenitorum. *Et pariter*, id est simul; *illos*, scilicet Ægyptios parentes eorum; *perdidisti in aqua valida*, scilicet submergendo eos in Mari Rubro[9]: « Nec unus quidem superfuit ex eis. Submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus. »

6. *Illa enim*, etc.: *enim*, pro *sed; nox*, scilicet qua occisa sunt primogenita; *cognita est autem a patribus nostris*, scilicet Abraham et aliis, unde[10]: « Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, » etc.; vel ipsis Israelitis in Ægypto, Moyse prænuntiante illis, ut patet[11]. *Ut vere*, id est certitudinaliter; *scientes quibus juramentis crediderunt*, id est, quam firmis Dei promissionibus, unde[12]: « Per memetipsum juravi, dicit Dominus; » item[13]: « Ut per duas res immobiles, » etc. *Animæquiores* (*b*) *essent*, scilicet in expectando impletionem juramenti.

7. *Suscepta est autem*, etc., scilicet nocte illa, vel secundum Glossam, « Lex Phase, nocte illa, quasi pro magno beneficio; » *a populo tuo*, scilicet Israelitico, ut patet in *Exodo*, ubi dicitur[14]: « Feceruntque, » etc. *Sanitas quidem justorum;* per illam enim salvati sunt Israelitæ ab angelo exterminatore, ut patet[15]. *Injustorum autem*, scilicet Ægyptiorum, *exterminatio*, id est, per angelum exterminatorem occisio[16].

8. *Sicut enim læsisti adversarios nostros*, scilicet ob eorum peccata occidendo; *sic nos provocans*, supple *ad meliora*, scilicet ad

[1] *Isa.*, IV, 5. — [2] Ibid., 6. — [3] *Exod.*, V, 2. — [4] *Joan.*, I, 12. — [5] *Prov.*, VI, 23. — [6] *Psal.* XI, 7. — [7] *Exod.*, I, 15. — [8] *Exod.*, II, 9. — [9] *Exod.*, XIV, 28, et XV, 4. — [10] *Gen.*, XV, 13. — [11] *Exod.*, XII, 12. — [12] *Gen.*, XXII, 16. — [13] *Hebr.*, VI, 18. — [14] *Exod.*, XII, 35. — [15] *Exod.*, XII, 25. — [16] Ibid., 29.

(*a*) *Cæt. edit.* erant supple. — (*b*) Cæt. edit. *animi qu iores.*

fidem et legis susceptionem, unde [1] : « Sicut aquila provocans ad volandum, » etc. *Magnificasti,* scilicet ab illo exterminio magnifice liberando.

9. *Absconse enim,* scilicet propter metum Ægyptiorum, secundum Glossam; *sacrificabant,* scilicet pascha immolando, ut patet [2]. *Justi pueri*, scilicet filii, *bonorum*, scilicet Israelitarum cum ipsis patribus suis, propter quod meruerunt liberari, Ægyptiorum primogenitis interfectis. *Et justitiæ legem*, scilicet datam, de immolatione Phase [3], quæ justa erat, quia justificationem per mortem Christi faciendam significabat : item lex dicebatur, quia ligabat ad sui observantiam pro tempore suo. *In concordia disposuerunt,* id est, concorditer susceperunt et impleverunt, unde in *Psalmo* [4] : « Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. » *Similiter*, id est æquanimiter; *bona et mala,* id est prospera et adversa, *recepturos justos,* scilicet seipsos, repete, *disposuerunt,* quæcumque vellet Deus inferre, unde [5] : « Si bona suscepimus de manu Domini, quare autem mala non sustineamus? » Item [6] : Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala, » id est æquanimiter. *Patrias laudes,* id est, a patribus institutas et celebratas; *decantantes*, id est, devote cantantes, Deum scilicet laudando tam de malis, scilicet pœnæ, quam de bonis, scilicet gratiæ, vel fortunæ, vel naturæ; unde [7] : « Semper laus ejus in ore meo; » semper, id est, non solum in prosperitate, sed etiam in adversitate.

10. *Resonabat autem*, etc. Hic tangitur pœna Ægyptiorum viventium et vigilantium, scilicet luctus de morte primogenitorum suorum : et primo tangitur materia luctus; secundo utilitas lugentium : *Simili autem pœna,* etc. ; tertio, causa universalitatis : *Similiter ergo omnes*, etc.; quarto, effectus consequens : *De omnibus enim,* etc. Ita dixi, quod laudes patrias decantabant : *resonabat autem,* fortiter per totam terram Ægypti; *inconveniens inimicorum vox,* id est, Ægyptiorum vox auditu horribilis, unde [8] : « Ortus est clamor magnus in Ægypto : » *vel flebilis audiebatur planctus*, id est, fletus cum planctu; erat autem clamor vocis, fletus oculorum, et planctus manuum : *flebilis*, inquam, *planctus ploratorum infantium*, id est, de infantibus, vel pro infantibus, quos plangebant, secundum illud [9] : « Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. »

11. *Simili autem pœna*, id est, amissione primogeniti sui; *servus cum domino afflictus est,* in una domo; *et popularis homo regi similia passus,* scilicet in toto regno Ægypti, unde [10] : « Percussit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, » unde [11] : « Erit sicut populus, sic et sacerdos; et sicut servus, sic dominus ejus. »

12. *Similiter ergo omnes,* id est, majores, et minores, et mediocres, scilicet rex Pharao, et domini alii, et eorum servi; *habebant mortuos innumerabiles,* primogenitos omnes; *mortuos,* inquam, *uno nomine mortis*, scilicet uno genere, quia divina plaga. Et bene dicit *omnes*, quia « non erat domus, in qua non jaceret mortuus,» ut habetur in *Exodo* [12]. *Nec enim*, etc. : et bene dixi, *innumerabiles : nec enim ad sepeliendum*, scilicet mortuos, *vivi sufficiebant*, unde [13] : « Morientur parvi et grandes, et non sepelientur, » etc. *Quoniam uno momento,* scilicet una hora noctis; *quæ erat præclarior natio illorum*, id est primogenitorum universitas, qui dignitate præcellunt reliquos filios; *exterminata est,* id est, ab angelo exterminatore occisa, ut patet in *Exodo* [14].

13. *De omnibus enim,* etc.: quasi dicat : Et merito sic occidebantur primogenita : *de omnibus enim*, id est, pro omnibus plagis prius

[1] *Deut.* XXXII, 11. — [2] *Exod.*, XII, 28. — [3] Ibid. — [4] *Psal.* XLIX, 5. — [5] *Job*, II, 10. — [6] *Luc.*, XVI, 25. — [7] *Psal.* XXXIII, 2. — [8] *Exod.*, XII, 30. — [9] *Jerem.*, VI, 26. — [10] *Exod.*, XII, 29. — [11] *Isa.*, XXIV, 2. — [12] *Exod.*, XII, 30. — [13] *Jerem.*, XVI, 6. — [14] *Exod.*, XII, 29.

illatis; *non credentes*, scilicet Ægyptii; *propter beneficia*, scilicet eis facta in singularum plagarum relaxatione, ut patet [1] : *Tunc cum primum fuit exterminium primogenitorum*, scilicet in ultima plaga; *spoponderunt populum Dei se esse*, id est, promiserunt se Dei mandatum facere, quod erat de dimissione filiorum Israel : tunc enim dimiserunt eos, ut patet [2]. Vel *spoponderunt*, etc., id est, promiserunt se Deo Hebræorum credere, si liberarentur, unde [3] : « Domine, in angustia quæsierunt te; » et [4] : « Cum occideret eos, quærebant eum. »

14. *Cum enim quietum*, etc. : postquam determinavit de afflictione vigilantium pro morte primogenitorum, hic agit de afflictione dormientium. Et primo tangitur causa; secundo pœna : *Tunc continuo*, etc. Bene dixi : *Tunc cum primum fuit exterminium* : *enim*, pro *quia*; *cum quietum silentium contineret omnia* : *silentium*, scilicet noctis, quæ data ad quiescendum, sicut dies ad operandum, unde [5] : « Qui dormiunt, nocte dormiunt; » *Et nox in suo cursu iter medium haberet*, id est, cum esset medium noctis, unde [6] : « Factum est autem in noctis medio, » et hoc propter improvisionem; (v. 15) *omnipotens sermo tuus, Domine*, id est, ordinatio tua et jussus, unde [7] : « Vivus est sermo Dei, et efficax, » scilicet propter resistendi impossibilitatem : *exiliens de cœlo* : *exiliens*, dicit propter velocitatem; *de cœlo*, id est, in angelo exterminatore; *a regalibus sedibus*, scilicet tuis, id est, ab angelorum consortio, in quibus regnas et sedes [8] : « Qui sedes super Cherubim; » vel *exiliens* (*a*) *de cœlo*, scilicet a te remissus, qui in cœlo sedes : [9] « Omnes enim administratorii sunt spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. » *Durus*, id est, implacabilis; *debellator*, scilicet Ægyptiorum propter eorum obstinationem; *in mediam exterminii terram*, id est, in terram Ægypti morte primogenitorum exterminandorum (*b*); *prosilivit*, scilicet subito; (v. 16) *gladius acutus*, id est, gladii acuti officium impleturus per occisionem primogenitorum, unde [10] : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. » Item [11] : « Gladium spiritus, quod est verbum Dei. » Gladius ergo acutus propter promptam nocendi facilitatem. *Insimulatum imperium tuum portans*, id est, non fictum, sed verum mandatum tuum, et potestatem (*c*), quia [12] : « Non est potestas, nisi a Deo. *Insimulatum* ergo *imperium* dicitur propter divinam auctoritatem, *et stans* propter sententiæ immobilitatem. *Replevit omnia morte*, id est, totam terram Ægypti primogenitis mortuis : « Non enim erat domus, in qua non jaceret mortuus, » ut patet in *Exodo* [13]. Dicit ergo : *Replevit omnia*, etc., propter hujus plagæ universalitatem. Sed objicitur, quia in *Exodo* dicitur [14] : « Transibo nocte illa per terram Ægypti, et percutiam omne primogenitum, » etc.: non ergo stabat : male ergo dicitur hic : *Et stans*, etc. Sed dicendum, quod iste status, de quo loquitur hic, oppositus erat recessui de terra Ægypti, non motui per ipsam terram. Unde vult dicere, quod Angelus exequens sermonem, vel mandatum de occisione primogenitorum datum, stetit in terra Ægypti, ita quod extra Ægyptum nullus fuit occisus; sed non vult dicere, quin transiret per Ægyptum de domo in domum. *Et usque ad cœlum attingebat stans in terra*, id est, attingere videbatur, scilicet propter inevitabilitatem, scilicet ne quis evaderet, unde [15] : « Si ascendero in cœlum, illic es. » Vel *usque ad cœlum*, etc., hoc dicit, quia ille angelus in cœlo contemplabatur (*d*) ministrans in terra, secundum illud Bedæ : « Intra Deum currunt quocumque mittantur. » Item [16] : « Angeli

Dubitatio.

Solutio.

[1] *Exod.*, VII, VIII, IX, X et XII. — [2] *Exod.*, XII, 33. — [3] *Isa.*, XXVI, 16. — [4] *Psal.* LXXVII, 34. — [5] I *Thess.*, V, 7. — [6] *Exod.*, XII, 29. — [7] *Hebr.*, IV, 12. — [8] *Psal.* LXXXVIII, 1. — [9] *Hebr.*, I, 14. — [10] *Hebr.*, IV, 12. — [11] *Ephes.*, VI, 17. — [12] *Rom.*, XIV, 1. — [13] *Exod.*, XII, 30. — [14] Ibid., 12. — [15] *Psal.* CXXXIII, 8. — [16] *Matth.*, XVIII, 10.

(*a*) Cæt. edit. *exhibere*. — (*b*) *Item* terra Ægypti mortem primogenitorum exterminandam. — (*c*) *Item* potestate. — (*d*) *Cæt. edit.* contemplabitur.

eorum, » scilicet administratores, in cœlis « semper vident » per contemplationem « faciem patris mei, » etc.

Allegorica expositio.

Allegorice vero describitur hic adventus Christi in carnem, qui dicitur *omnipotens sermo* Dei propter (*a*) æternam generationem, secundum illud Joannis [1] : « In principio erat Verbum; sed *de cœlo a regalibus sedibus* venisse propter (*a*) carnis temporalem assumptionem, unde [2] : « A summo cœlo egressio ejus; » *medio noctis silentio,* propter temporis opportunitatem [3] : « At ubi venit plenitudo temporis. » Primum silentium fuit sub lege naturæ, et hoc propter ignorantiam infirmitatis; secundum sub lege Moysi, et hoc propter desperationem sanitatis; tertium sub lege gratiæ, et hoc propter adeptionem salutis. *Tanquam durus debellator,* etc., scilicet propter dæmonum expugnationem (*b*), unde [4] : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet; cum autem fortior eo supervenerit, » etc. *In mediam terram exterminii,* id est, in medium (*c*) mundi, propter terræ, in qua natus est, positionem [5] : « Operatus est salutem in medio terræ. » *Imperium Dei* (*d*) *portasse,* propter coomnipotentem Patri deitatem, unde [6] : « Et Deus erat Verbum : » de quo postea subdit [7] : « Et verbum caro factum est; » item [8] : « Data est mihi omnis potestas, » etc. *Omnia morte replevisse,* propter omnium in morte ejus consummationem, secundum illud [9] : « Consummatum est. » *Stans in terra cœlum attigisse,* quia anima ejus in statu viatoris habebat continuam Dei fruitionem, unde [10] : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. »

Silentium triplex.

17. *Tunc continuo,* scilicet ipsa hora occisionis, *visus somniorum malorum*, id est, terribilium; *Turbaverunt illos,* scilicet dormientes, Glossa : « ut nec vigilantibus nec dormientibus daretur requies; » *et timores insperati,* id est, subiti; *supervenerunt,* secundum illud [11] : « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties; » item [12] : « In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare, » supple homines, « pavor tenuit me. »

18. *Et alius alibi*, scilicet quam alter, *projectus semivivus*, id est, in extremo vitæ suæ; *propter quam moriebatur, causam mortis demonstrabat,* scilicet aliis indicando, sicut poterat, scilicet propter duritiam cordis, Deo Hebræorum, et Moysi servo ejus, rebellantis, unde [13] : « Secundum duritiam tuam, et cor impœnitens. »

19. *Visiones enim,* somniorum scilicet, *illos turbaverunt. Hæc præmonebant,* scilicet causam suæ mortis; *ne inscii quare mala paterentur, perirent,* et sic propter ignorantiam excusarentur de impœnitentia [14] : « Vexatio dabit intellectum auditui. » Gregorius [15] : « Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit. »

20. *Tetigit,* etc. : hic subditur Hebræorum post suam liberationem gravis tentatio in deserto : et primo ostenditur periculum a parte tentatorum; secundo, modus liberationis a parte pontificis : *Sed non diu*, etc.; tertio causa, vel virtus liberans a parte ornatus pontificalis : *In veste,* etc.; quarto, effectus consecutus a parte Angeli exterminantis : *His autem cessit*, etc. (*e*)

Tetigit autem, etc. Ita puniti sunt Ægyptii, nec tantum illi : *Autem*, pro *sed*; (*f*) *tunc*, etc. : *tunc* (*g*) sumitur large, ita quod sic sensus : *Tunc*, scilicet illo tempore, quo egressi de Ægypto proficiscebantur per desertum, *tetigit justos*, scilicet filios Israel. *Tetigit*, dicit, quia *non* (*h*) *diu permansit,* scilicet nec in omnibus fuit; *tentatio mortis,* id est, ad mortem ducens : *et commotio in*

[1] *Joan.*, I, 1. — [2] *Psal.* XVIII, 7. — [3] *Galat.*, IV, 4. — [4] *Luc.*, XI, 21. — [5] *Psal.* LXXIII, 12. — [6] *Joan.*, I, 1. — [7] Ibid., 14. — [8] *Matth.*, XXVIII, 18. — [9] *Joan.*, XIX, 30. — [10] *Joan.*, III, 13. — [11] *Job*, VII, 14. — [12] *Job*, IV, 13. — [13] *Rom.*, II, 5. — [14] *Isa.*, XXVIII, 19. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. VII, post med.

(*a*) *Cæt. edit.* per. — (*b*) *Item* expurgationem. — (*c*) *Item* medio. — (*d*) Item add. *secundum.* — (*e*) Cæt. edit. deest *His autem cessit*, etc. — (*f*) Cæt. edit. repet. *Tetigit.* — (*g*) Cæt. edit. non repet. *tunc.* — (*h*) Item non habent *non.*

eremo facta est multitudinis, scilicet contra Moysen et Aaron, ita quod fugerunt ad tabernaculum Donini, ut patet [1]. *Sed non diu permansit ira tua* (*a*), unde [2] : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. »

21. *Properans enim*, etc. Hic tangit triplicem modum liberationis eorum, scilicet devote orando; secundo, patrum commissa rememorando: *Vicit autem*, etc.; tertio, se personaliter interponendo : *Cum enim jam acervatim*, etc. Dicit ergo : *Properans enim*, etc.: bene dixit, quod *non diu permansit ira* sua : *properans enim homo sine querela*, scilicet Aaron, unde [3] : « Quod cum audisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem quam jam vastabat incendium : » *properans*, in hoc innuitur fervor cordis; *sine querela*, sanctitas conversationis; *deprecari pro populis*, etc. : talem enim Deus exaudit, et non peccatores; unde in *Joanne* (*b*) [4] : « Peccatores Deus non exaudit. » Gregorius : « Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. » *Deprecari pro populis* : deprecatio proprie est de malis amovendis; oratio vero, de bonis adipiscendis : sed communiter ponitur unum pro altero. *Proferens servitutis suæ scutum, orationem*, etc. Oratio dicitur scutum ratione protectionis, unde [5] : « Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret positus contra me. » *Servitutis vero suæ*, dicitur, quia ad hoc servitium tenebatur ratione officii pontificalis, unde [6] : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur : » et postea sequitur [7] : « Debet quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis. » Notandum, quod scutum spiritualiter potest dici fides, unde [8] : « In omnibus sumentes scutum fidei; » item verbum Dei, unde [9] : « Omnis sermo Domini, » vel Dei, « ignitus clypeus est sperantibus in se; » item oratio, unde hic : *Proferens scutum servitutis suæ orationem;* item æquitas, unde supra [10] : « Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem; » Item eleemosyna [11] : « Super scutum potentis, et super lanceam adversus inimicum tuum pugna; » item patientia [12] : « Ibi abjectus (*c*) est clypeus fortium, » etc.; item obedientia, hæc est [13] « aureus clypeus Simonis mnarum mille. » *Et per incensum*, id est, incensi oblationem; *deprecationem allegans*, id est allegando proferens : [14] « Obtulit thymiama, et stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est. » Et notandum, quod oratio fuit pro remissione peccati; deprecatio, pro amotione flagelli; incensum, pro reconciliatione judicis offensi. *Properans*, inquam, homo, *restitit iræ*, id est divinæ percussioni. *Et finem imposuit necessitati*, id est, humanæ afflictioni inevitabili : *ostendens*, scilicet facto, non solum verbo, *quoniam tuus est famulus*, secundum illud *Joannis* [15] : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » [16] « Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum, » etc. E contra conqueritur Dominus de prælatis malis [17] : « Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel. »

22. *Vicit autem turbas*, id est populum turbatum, dividendo et penetrando, *non in virtute corporis*, sicut Samson Philisthæos; *nec armaturæ potentia*, scilicet armatura potenti et forti, sicut David Goliath [18] : « Non in multitudine exercitus victoria belli. » Sed *verbo*, scilicet devotæ orationis, *illum qui se vexabat, subjecit*, scilicet Angelum populum exterminantem, quod reputabant suam vexationem, juxta illud [19] : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » etc. *Juramenta patrum, et testamentum*, id est, promissionem factam patribus de danda eis terra promissionis in hæreditatem (*d*) [20] : « Semini tuo dabo terram hanc; » *commemorans*, scilicet in sua oratione.

[1] *Num.*, XVI, 43. — [2] *Habac.*, III, 2. — [3] *Num.*, XVI, XVI, 47. — [4] *Joan.*, IX, 31. — [5] *Ezech.*, XXII, 30. — [6] *Hebr.*, V, 1. — [7] Ibid., 3. — [8] *Ephes.*, VI, 16. — [9] *Prov.*, XXX, 5. — [10] *Sap.*, V, 20. — [11] *Eccli.*, XXIX, 16. — [12] II *Reg.*, I, 21. — [13] I *Mach.*, XV, 18. — [14] *Num.*, XVI, 47. — [15] *Joan.*, X, 11. — [16] *Eccli.*, XLV, 20. — [17] *Ezech.*, XIII, 5. — [18] I *Mach.*, III, 19. — [19] II *Cor.*, XI, 29. — [20] *Gen.*, XII, 7. — (*a*) Cæt. edit. *sua*. — (*b*) Item *Joannes*. — (*c*) *Item* adjectus. — (*d*) *Item* et hæreditate.

23. *Cum enim,* etc.; quasi dicat : Bene dixi, quod vicit turbas, etc.: *cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit,* id est inter vivos et mortuos stetit, unde [1] : « Stetit inter mortuos et viventes; » *et amputavit impetum,* scilicet ignis consumentis eos, unde [2] : « Extinxerunt impetum ignis; » *et divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam,* scilicet opponendo se igni in medio viæ, ne ignis a mortuis ad viventes transiret.

24. *In veste enim,* etc. Hic tangitur causa liberationis a parte pontificis; secundo ex parte Angeli exterminantis : *His autem,* etc. *In veste enim,* etc., quasi dicat : Ideo facere prædicta potuit. *In veste enim poderis,* id est tunica talari hyacinthina [3], in cujus extremitate erant tintinnabula, ut mala punica : vel secundum Josephum [4], totum vestimentum pontificale interius et exterius; *poderis,* est linea vestis usque ad pedes descendens, unde dicitur a *podos* [5] græce, quod pedes sonat latine; unde *poderis,* quasi pedibus hærens, *in veste poderis* intelligitur; quod videtur verius per sequentia. *In veste,* inquam, *poderis, quam habebat,* scilicet Aaron, *totus erat orbis terrarum,* scilicet descriptus, scilicet in signo, quia, sicut dicit Glossa, byssum terræ tribuunt Hebræi, quia ex terra gignitur; purpuram mari, quia ex conchis ejus tingitur; hyacinthum aeri, propter coloris similitudinem; coccum igni et ætheri, scilicet ut pro toto mundo oret pontifex : si quidem ex terra, aqua, igne et aere consistit mundus. Sed, secundum quod exponitur de tunica hyacinthina tantum, quæritur quo modo erat in ipsa totus orbis descriptus. Cum enim tota esset ex hyacintho, non videtur in ea aliqua pars mundi descripta, nisi solum aer. Sed dicendum, quod etsi corpus tunicæ erat de hyacintho, tamen in extremitatibus ejus erant aliqua ex purpura, et bysso, et hyacintho, et cocco, sicut malagranata, et hujusmodi. Zona repræsentabat Oceanum, quia cingit totam terram; superhumerale vero, et duo lapides qui desuper erant, utrumque humerum tegentes, duo hemisphæria repræsentabant, vel solem et lunam; mala punica, et tintinnabula inferius posita, fulgura et tonitrua; duodecim lapides rationalis, duodecim menses, vel duodecim partes Zodiaci; rationale, divinam providentiam et dispositionem; cidaris, cum vitta hyacinthina, cœlum; lamina in fronte pontificis, et nomen Dei scriptum ibi, universa, quæ in ipso, Dei summo (*a*) arbitrio gubernari. *Et parentum magnalia,* id est, magnæ auctoritatis nomina; *in quatuor ordinibus lapidum sculpta erant:* in rationali enim erant quatuor ordines lapidum pretiosorum; singulis vero erant inscripta singula nomina duodecim patriarcharum, ut patet in *Exodo* [6]. Sic etiam in fundamentis Jerusalem dicuntur [7] inscripta nomina duodecim Apostolorum. *Et magnificentia tua, in diademate illius capitis, scripta erant,* id est, nomen Dei magnificum tetragrammaton, id est, ex quatuor litteris, quæ sunt. Iod, Heth, Vau, He [8], quæ significant principium vitæ et passionis Christi.

Poderis vestis unde dicta.

Dubitatio.

Solutio.

Zona quid repræsentet

25. *His autem,* scilicet ornamentis sacris, *cessit qui exterminabat,* scilicet Angelus vel ignis. Vel *cessavit* (*b*) non propter ornamenta illa, sed propter significatum, scilicet propter futurum ornamentum, id est, sacrificium summi pontificis, scilicet Christi, secundum quod tangit Glossa. *Et hæc extimuit,* id est, fecit quasi timere, scilicet discedendo. Et bene dixi, *His cessit,* etc. : *erat enim sola tentatio iræ,* id est, incitatio, non consummatio; *sufficiens,* scilicet ad populi correctionem, scilicet cum pontificis intercessione.

CAPUT XIX.

1. *Impiis autem usque in novissimum,* etc. Postquam determinavit de punitione Ægyptiorum per mortem primogenitorum, hic

[1] *Num.,* XVI, 17. — [2] *Hebr.,* XI, 34. — [3] *Exod.,* XXVIII, 33.— [4] Joseph., *Antiquit.,* lib. III, c. VII, n. 4. — [5] Πούς, ποδὸς.— [6] *Exod.,* XXVIII, 21.— [7] *Apoc.,* XXI, 14. — [8] יהוה.

(*a*) *Cæt. edit.* sunt. — (*b*) Item *cessando.*

determinat de punitione ipsorum per mortem propriam, scilicet quando submersi sunt in Mari Rubro. Et primo tangitur submersio; secundo, liberatio Hebræorum : *Omnis enim creatura,* etc.; tertio, gratiarum actio pro utroque : *Videntes tua,* etc.; quarto, obedientia creaturarum in utroque : *In se enim elementa*, etc. In prima, primo tangitur gravitas punitionis; secundo, ratio ex parte punientis : *Præsciebat,* etc.; tertio, meritum ex parte punitorum : *Adhuc enim*, etc.; quarto, congruentia pœnæ : *Ducebat enim*, etc.

Impiis autem, etc., quasi dicat : sic Israelitæ liberati sunt ab incendio : *Autem*, pro *sed; Impiis*, scilicet Ægyptiis carentibus pietate religionis quoad Deum, et compassionis in proximum, quia et Deum contemnebant, et ejus populum opprimebant; *Usque in novissimum*, id est, finaliter, unde [1] : « Novissima illius amara quasi absinthium. » *Sine misericordia ira supervenit. Sine misericordia*, scilicet non relaxante, seu (*a*) sine misericordia liberante ; et hoc quia impii et sine misericordia erant, unde [2] : « Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam. » *Ira*, id est, peccati vindicta, quæ est signum iræ; *supervenit,* id est, superno judicio Dei venit ad eorum oppressionem, unde [3] : « Lucerna impiorum extinguetur, et superveniet super eis inundatio; » et [4] :« Quando venerit (*b*) super vos tribulatio et angustia. » Et merito *supervenit,* etc.; *præsciebat enim,* Deus scilicet; *Et*, id est *etiam* (*c*); *futura illorum,* scilicet peccata antequam fierent, unde [5] : « Omnia nuda et aperta oculis ejus. » Item [6] : « Intellexisti cogitationes meas de longe.» Item [7] : « Domino Deo nostro, antequam crearentur, universa sunt agnita, » etc.

2. *Quoniam cum ipsi*, scilicet Ægyptii; *reversi essent*, scilicet ad cor suum, secundum quod monet Isaias, dicens [8] : « Redite ad cor, prævaricatores; » *reversi*, inquam, ad cor, extra quod fuerant præ timore, ut [9] : « Cor meum dereliquit me. » *Et permisissent,* scilicet prius, *ut seducerent,* id est, seorsum de terra eorum ducerent filii Israel, unde [10] : « Egredere, tu et omnis populus, qui subjectus est tibi. » *Et cum magna sollicitudine*, id est, instantia; *præmisissent illos,* scilicet compellendo eos exire de terra velociter; *Consequebantur illos*, scilicet Ægyptios, cum hoc fecissent; *pœnitentiæ actus* (*d*), id est, dolor de recessu eorum, dolor, inquam, in corde, et confessio in ore, et ostentio utriusque in persecutionis opere, unde [11] : « Immutatum est cor Pharaonis, et servorum ejus super populo, » et dixerunt : « Quid voluimus (*e*) facere, ut dimitteremus Israel? »

3. *Adhuc enim*, etc. (*f*) Et bene dixi, quod *consequebantur*, etc. : *adhuc enim inter manus habentes luctum*, id est, luctus materiam, scilicet primogenitos mortuos, vel luctum, id est, signa luctus; *et deplorantes*, id est, valde plorantes, vel de corde plorantes; vel *deplorantes,* id est, de morte primogenitorum plorantes, unde sequitur : *Ad monumenta mortuorum,* scilicet primogenitorum, *assumpserunt sibi aliam cogitationem*, etc. Bene dicit : *Assumpserunt*, etc., quia mala cogitatio ab homine est, sed bona a Deo, unde [12] : « Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, » etc. *Cogitationem*, inquam, *inscientiæ,* id est stultam : « Omnis enim [13] malus ignorans; » et [14] : « Errant, qui operantur malum. » Prior cogitatio stulta fuerat, qua cogitaverunt eos per vim detinere; alia etiam stulta fuit, qua cogitaverunt eos per vim revocare, vel reducere : *Et quos rogantes projecerant,* scilicet compellendo filios Israel exire, ut patet [15]; *hos tanquam fugitivos*, id est, quasi sine licentia eorum recedentes, quod falsum erat; *persequebantur*, ut patet in *Exodo* [16].

[1] *Prov.*, v, 4. — [2] *Jacob.*, ii, 13. — [3] *Job*, xxi, 17. — [4] *Prov.*, i, 27. — [5] *Hebr.*, iv, 13. — [6] *Psal.* cxxxviii, 3. — [7] *Eccli.*, xxiii, 29. — [8] *Isa.*, xlvi, 8. — [9] *Psal.* xxxix, 13. — [10] *Exod.*, xi, 8. — [11] *Exod.*, xiv, 5. — [12] II *Cor.*, iii, 5. — [13] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. I; lib. VI, c. xii et xiii. — [14] *Prov.*, xiv, 22. — [15] *Exod.*, xii, 33. — [16] *Exod.*, xiv, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* seu. — (*b*) *Item* venit. — (*c*) Item *eam.* — (*d*) Vulg. *pœnitentia acti.* — (*e*) *Cæt. edit.* volumus. — (*f*) Cæt. edit. non habent *Adhuc enim,* etc.

4. *Ducebat*, etc., quasi : Et congrue : *ducebat enim illos ad hunc finem*, scilicet obstinationis et submersionis ; *digna necessitas*, non fortunæ vel fati, sed divinæ justitiæ. Sed contra : Quia voluntarie ad hoc tendebant ; non ergo necessitate. Dicendum, quod non fuit necessitas coactionis, sed immutabilitatis. Sed contra : Quia poterant pœnitere, e sic pœnam illam vitare. Dicendum, quod poterant, sed nolebant : unde necessitas illa erat consequens voluntatem, non antecedens ; vel non poterant complere per se, nec petere volebant Dei auxilium. *Et horum quæ acciderant*, scilicet multarum plagarum, pro retentione filiorum Israel illatarum ; *commemorationem amittebant*, id est perdebant, et si non habitu, tamen actu vel opere, etsi non corde, unde [1] : « Elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei. » *Ut quæ deerant tormentis*, scilicet procedentibus, nondum enim erant sufficienter puniti ; *repleret punitio*, scilicet assequens : Et ponitur ly *Ut* consecutive, non causaliter.

Dubitatio.

Solutio.

5. *Et populus quidem tuus*, scilicet Israeliticus ; *mirabiliter transiret*, per Mare Rubrum sicco vestigio, unde [2] : « Filii Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus. » *Illi autem*, scilicet Ægyptii ; *novam mortem invenirent*, scilicet novum moriendi modum, scilicet per miraculosam submersionem, unde [3] : « Ingressus equus, » id est equitatus Pharaonis, genitivi casus, « cum curribus et equitibus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris. »

6. *Omnis enim*, etc. Hic tangitur Hebræorum liberatio : et primo, in generali ; secundo, in speciali : *Nam nubes*, etc. *Omnis enim*, etc., quasi sic : Ægyptii sunt submersi, et Israelitæ liberati : *omnis enim creatura*, id est, omnia elementa, *ad suum genus ab initio*, supple *habitum*, *refigurabatur*, id est iterum assimilabatur, in hoc scilicet, quod non nocebat bonis, sicut nec in statu innocentiæ. Unde Isidorus : « Si homo non peccasset, aqua non submergeret, ignis non combureret, nec spinarum aculei vulnerarent. » Ipsa, dico, creatura, *deserviens præceptis tuis*, id est, tuæ ordinationi et voluntati [4] : « Statuit ea in æternum, etc. ; præceptum posuit, et non præteribit. » Item [5] : « Qui posuit arenam terminum maris, præceptum sempiternum, quod non præteribit. » *Ut pueri tui*, scilicet Hebræi tibi subjecti [6] : « Ecce ego et pueri mei ; » *custodirentur illæsi*, ut [7] : « Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter. »

7. *Nam nubes*, scilicet a Deo per Angeli ministerium data ; *illorum castra*, scilicet Hebræorum ; *obumbrabat*, stans inter castra eorum, et castra Ægyptiorum, ita ut tota nocte ad eos accedere non valerent, ut patet [8]. *Et ex aqua*, id est, postquam, secundum quod dicitur, ex mane fit meridies, id est post ; *Ex aqua*, inquam, *quæ ante erat* in loco, per quem transierunt, *terra apparuit arida*, scilicet per flatum venti exsiccata, ut patet [9] ; *et in Mari Rubro*, scilicet diviso, ut patet [10] ; item [11] : « Qui divisit Mare Rubrum in divisiones. » *Via*, scilicet apparuit, *sine impedimento*, scilicet aquæ vel luti, secundum illud *Psalmi* [12] : « In mari via tua, » etc. [13] « Viam fecisti in mare (*a*) equis tuis. » Item [14] : « Posuisti profundum maris viam, ut transeant liberati. » *Et campus germinans*, id est via plana et delectabilis, sicut per campum germinantem ; *de profundo nimio*, id est, post nimiam profunditatem aquæ prius existentis ibidem ; (v. 8) *per quem*, scilicet campum, *omnis natio*, scilicet Hebræorum, *transivit*, persequentibus Ægyptiis ; *quæ tegebatur*, id est protegebatur, *tua manu*, id est potentia, unde [15] : « In umbra manus suæ protexit me : » vel Filio, ut in *Psalmi* [16] : « Emitte manum tuam de alto, » etc.

[1] *Ose.*, XIII, 6. — [2] *Exod.*, XV, 19. — [3] Ibid. — [4] *Psal.* CXLVIII, 6. — [5] *Jerem.*, V, 22. — [6] *Isa.*, VIII, 18. — [7] *Prov.*, II, 7. — [8] *Exod.*, XIV, 20. — [9] *Exod.*, XIV, 21. — [10] Ibid. — [11] *Psal.* CXXXV, 13. — [12] *Psal.* LXXVI, 20. — [13] *Habac.*, III, 15. — [14] *Isa.*, LI, 10. — [15] *Isa.*, XLIX, 2. — [16] *Psal.* CXLIII, 7. — (*a*) *Vulg.* mari.

Videntes, Ægyptii, etc. Hic subjungitur gratiarum actio : primo, pro Hebræorum liberatione; secundo, pro Ægyptiorum punitione, vel submersione : *Et vexationes*, etc. In prima, primo tangitur Hebræorum de Ægypto eductio; secundo, miracula facta pro eis in Ægypto : *Memores enim*, etc.; tertio, eorum refectio (*a*), in deserto : *Novissime autem*, etc. *Videntes tua*, etc., quasi non tantum audientes, sed etiam videntes; unde [1] : « Quod vidimus, quod audivimus, » etc. *Mirabilia tua, et monstra : Mirabilia*, scilicet minora; *et monstra*, scilicet majora : vel *mirabilia*, in sua liberatione; *Monstra*, in Ægyptiorum subversione. *Monstrum* enim dicitur non solum quid mirabile, sed etiam horribile.

9. *Tanquam enim equi*, (*b*) etc. : *Enim*, id est, certe; *depaverunt* (*c*) *escam*, scilicet in suorum adversariorum dejectione, vel consumptione. Vel hoc dicit pro tanto : quia delectati sunt in destructione eorum, sicut equi, quando escam comedunt, vel depascunt. *Tanquam equi*, quibus scilicet Dominus insidebat, secundum illud [2] : « Viam fecisti in mari equis tuis. » *Tanquam equi*; scilicet de suis hostibus hinniendo, secundum illud [3] : « Levabunt vocem suam, atque laudabunt. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. » *Et tanquam agni*, scicicet simplices et mansueti, unde [4] : « Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium, » id est, tam majores, quam minores eorum. *Exultaverunt*, non solum intus in corde, sed etiam extra gaudendo; *Magnificantes te, Domine*, id est, magnum te prædicando, vel magnifice laudando, unde [5] : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. » *Qui liberasti illos*, scilicet per mare transducendo [6] : « Qui eduxit eos per abyssum, quasi equum in deserto impingentem, et quasi animal in campo. » Et merito te magnificabant :

10. *Memores enim erant adhuc illorum*, scilicet signorum, *quæ in incolatu eorum facta fuerant*, id est quando adhuc erant incolæ Ægypti; *quemadmodum pro natione animalium*, id est loco productionis naturalium animalium, *produxit terra muscas*, et hic miraculose, ut patet in *Exodo* [7]. Item dixit [8] : « Et venit cœnomyia, et cinifes, » etc. *Et pro piscibus*, id est loco piscium; *eructavit fluvius*, scilicet Nilus; *multitudinem ranarum :* ranæ enim ascenderunt de prædicto fluvio, ut habetur in *Exodo* [9]. Nec est illud contrarium ei, quod dicitur in *Psalmo* [10] : « Et dedit terra eorum ranas, » etc.; quia in psalmo ponitur continens pro contento, scilicet alveus terræ, pro aqua fluminis.

11. *Novissime autem*, id est, post prædicta : nova quidem, vel prior fuerat Ægypti percussio; magis nova, quam eorum eductio de Ægypto; sed novissima eorum refectio in deserto. *Viderunt*, scilicet propriis oculis, *novam creaturam avium*, scilicet coturnicum. Sed contra : Quia in *Genesi* dicitur [11] : « Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit ab omni opere, » id est, novis creaturarum generibus, vel speciebus creandis, secundum Augustinum [12]. Item [13] : « Nihil novum sub Sole : » ergo male dicit hic : *Viderunt novam creaturam*. Dicendum, quod non erat simpliciter nova, sed nova illis, quia prius ab illis invisa; item nova in illo loco, scilicet in deserto; et nova in tanta multitudine, ad quam non solent aves accedere, sed magis fugere. *Cum adducti*, id est longe a Deo ducti; *concupiscentia*, unde [14] : « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. » De concupiscentia istorum dicitur [15] : « Concupierunt concupiscentiam in deserto. » Unde et locus ille vocatus est [16] sepultura (*d*) concupiscentiæ. *Postulaverunt*, scilicet a Moyse, *escas epulationis*, id est delicatas et superfluas, non necessitatis vel educationis.

[1] I *Joan.*, I, 1. — [2] *Habacuc*, III, 15. — [3] *Isa.*, XXIV, 14. — [4] *Psal.* CXIII, 4. — [5] *Exod.*, XV, 1. — [6] *Isa.*, LXIII, 13. — [7] *Exod.*, VIII, 21. — [8] *Psal.* LXVII, 45. — [9] *Exod.*, VIII, 7. — [10] *Psal.* CIV, 30. — [11] *Gen.*, II, 2. — [12] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. IV, c. XII. — [13] *Eccle.*, I, 10. — [14] *Jacob.*, I, 14. — [15] *Psal.* CV, 14. — [16] *Num.*, XI, 34.

(*a*) *Cæt. edit.* repletia.— (*b*) Item *Videntes, inquam.* — (*c*) Item *depascunt.* — (*d*) *Vulg.* sepulcra.

12. *In allocutione enim desideriorum*, id est consolatione et mitigatione, *ascendit illis*, scilicet Hebræis, *de mari:* vel sic: *In allocutione enim desiderii*, vel *desideriorum*, dum præ desiderio carnium loquerentur scilicet verba murmurationis; *ascendit illis de mari:* hoc non dicit propter hoc, quod de mari traherent originem, sed quia de ultra mare, vel de aliqua insula maris adducebantur, secundum illud [1]: « Ventus egrediens a Domino arreptas trans mare coturnices detulit, et misit in castra. » *Ortygometra*, id est coturnix. Dicitur autem *ortygometra* ab *orthos* [2], quod est *rectum*, et *agoge* (*a*), quod est ductio, et metron (*b*), quod est mensura, quasi esca recte adducta eis mensura. Vel, sicut dictum est supra [3], dicitur *Ortygometra* ab Ortygia insula, in qua primum fuisse putantur tales aves, secundum Isidorum [4]. Notandum quod, sicut dicit Glossa, « Inimicis Dei terra producit muscas, fluvius ranas; cultoribus autem Dei terra dat fructum, et mare carnis alimentum. »

Et vexationes, etc. Hic tangitur gratiæ actio pro vexatione Ægyptiorum, seu punitione: et primo tangitur eorum punitio; secundo, justitia punitionis: *Juste enim*, etc.; tertio, cæcitas punitorum: *Percussi sunt*, etc. Justitia punitionis ex hoc patet, quod male se habuerunt ad peregrinos cum eis habitantes, vel habitare volentes (*c*), scilicet ad filios Israel: et hoc, vel eos nullatenus recipiendo, vel receptos in servitutem redigendo: *Alii autem*, etc.; aut invite suscipiendo: *Et non solum*, etc.; aut eos recipientes lætanter, graviter affligendo: *Qui autem*, etc. *Et vexationes*, etc., quasi dicat: non tantum prædicta bona facta sunt Hebræis; *sed et vexationes*, id est afflictiones corporis et animæ, *peccatoribus supervenerunt*, etc., secundum illud [5]: « Multa flagella peccatoris: » *peccatoribus*, inquam, Ægyptiis, qui peccatores hic dicuntur antonomastice, et hoc propter peccatum idololatriæ, quæ ibi vigebat, ita ut dixerit Cicero, quod Ægyptus erat templum totius mundi. *Supervenit*, inquam, id est, super illas venerunt, quas passi fuerant in Ægypto. Unde sequitur: *Non sine illis*, imo cum illis et præter illa, *quæ ante facta erant, argumentis*, id est, signis divinæ potentiæ, et eorum duritiæ manifestativis, secundum illud *ad Ephesios* (*d*) [6]: « Omne quod arguitur, a lumine manifestatur. » *Quæ*, inquam *facta erant*, id est in Ægypto, *per vim fluminum*, scilicet quando conversa sunt in sanguinem, et quando ranæ ascenderunt de flumine. Vel sic: *Supervenerunt*, inquam, *per vim fluminum*, id est per impetum fluminum collectorum in Mari Rubro, super eos redeuntium, et eos suffocantium, et [7] « submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » *Justi enim patiebantur hoc*, scilicet quia pro meritis peccatorum suorum. Unde subdit: *Secundum nequitias suas*, id est merita nequitiarum suarum; unde [8]: « Pro mensura peccati, erit et plagarum modus. »

13. *Etenim* (*e*), pro quia; *detestabiliorem*, scilicet cæteris, *instituerunt*, id est, quasi institutam servaverunt, *inhospitalitatem*, contra illud [9]: « Hospitalitatem nolite oblivisci; » item [10]: « Hospitales invicem sine murmuratione. » Sic habent Rabanus et Augustinus. Sed aliqui dicunt *Indetestabiliorem*, id est valde detestabilem, ita quod præpositio notet augmentum, vel intensionem. Et dicit *inhospitalitatem*, vel quia non recipiebant hospites, vel quia male recipiebant. *Alii quidem*, scilicet ipsorum, *ignotos non recipiebant advenas*, contra quod faciebat Job, unde [11]: « Foris non mansit peregrinus. » Similes istis erant illi de Gabaa Benjamin [12], qui Levitam cum uxore sua noluerunt recipere hospitio suo. *Alii autem bonos hospites*, receptos, *in servitutem redigebant*,

[1] *Num.*, XI, 31. — [2] Ὀρθὸς, et sic ἀγωγὴ, μέτρον; sed potius a vocibus ὄρτυξ, *Coturnix*, et μήτηρ, *Mater*. — [3] *Sap.*, XVI, 2. — [4] Isidor., *Etymol.*, lib. XII, c. VII; lib. XIV, c. VI. — [5] *Psal.* XXXI, 10. — [6] *Ephes.*, V, 13. — [7] *Exod.*, XV, 10. — [8] *Deut.*, XXV, 2. — [9] *Hebr.*, XIII, 2. — [10] I *Petr.*, IV, 9. — [11] *Job*, XXXI, 32. — [12] *Judic.*, XIX, 8.

(*a*) Cæt. edit. *gogos*. — (*b*) Item *metros*. — (*c*) *Item* nolentes. — (*d*) *Item* illud Epheseos. — (*e*) Edit. Ven. *Etiam*.

vel *recipiebant*, ut filios Israel, opprimentes eos servitute luti et lateris.

14. *Et non solum hæc*, supple *faciebant; Sed etiam alius erat respectus illorum*, id est, perversa erat intentio ipsorum; *quoniam inviti recipiebant extraneos*, cum tamen essent rogandi exemplo Abrahæ dicentis [1] : » Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum. » Nec tantum rogandi, sed etiam cogendi exemplo duorum discipulorum, de quibus [2] : « Et coegerunt illum; » super quod dicit Gregorius [3], quod « peregrini non solum sunt invitandi ad hospitium, sed trahendi. »

15. *Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant institutis, sævissimis afflixerunt doloribus.* Littera sic construenda : Ita dixi, quod aliqui recipiebant peregrinos, sed inviti: *Autem*, pro *sed* : *Qui eisdem usi erant institutis*, scilicet detestabilis inhospitalitatis, quibus et præcedentes : *Sævissimis afflixerunt doloribus : sævissimis* dicit, quia sævus est dolor de malo illo in possessione (*a*) extrinseca : sævior in persona conjuncta, scilicet in uxore : sævissimus in propria persona : *Afflixerunt hos, qui cum lætitia receperunt*, scilicet hospites, sicut voluerunt affligere Lot ipsi Sodomitæ, sicut patet [4], et Benjamitæ senem illum [5].

16. *Percussi sunt autem*, scilicet Ægyptii, *cæcitate*, scilicet corporali, per plagam tenebrarum, de quibus in *Exodo* [6] ; et spirituali, per mentis excæcationem, ita ut inter flagella pejores fierent, ut [7] « induratum est cor Pharaonis, » etc. *Sicut illi*, scilicet Sodomitæ innominabiles, propter peccatum eorum innominabile, quod ipsi faciebant; ut [8] « tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. » *In foribus justi*, scilicet Loth, de quo [9] : « Aspectu et auditu justus erat. » *Illi*, inquam, *cum subitaneis cooperti essent tenebris*, scilicet aorisia [10] vel avidentia percussi ab angelo. *Unusquisque*, scilicet eorum, *transitum ostii sui*, scilicet Lot, *quærebat*, et invenire non poterat; unde [11] : « Eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. »

17. *In se enim elementa*, etc. Hic post Ægyptiorum punitionem, et Hebræorum consolationem, et pro utrorumque gratiarum actionem (*b*), dicit hic creaturarum in prædictis obedientiam : et primo ponit hujus obedientiæ commendationem ; secundo ejus per exempla manifestationem : *Sicut in organo*, etc.; tertio, populi Dei per hoc exaltationem : *In omnibus*, etc. Exempla ponit primo in elementis inferioribus; secundo, in elemento superiore, scilicet in igne, ibi : *Ignis in aqua*, etc.; tertio, in elementatis : *Flammæ e contrario*, etc.

In se enim : ita dixi, quod per creaturas inferiores sunt afflicti Ægyptii, et Hebræi consolati : *elementa dum convertuntur*, id est, transeunt, unum in vim et potestatem, seu officium, et modum alterius, et hoc miraculose; *qualitatis sonus*, id est qualitas soni; *immutatur*, scilicet actu, id est consonantia naturalis in suis effectibus ad horam mutatur secundum voluntatem et imperium Dei moventis. *Sicut in organo*, id est, sicut in quolibet instrumento musico, quod per organum hic intelligitur, mutatur qualitas soni actu, secundum voluntatem moventis. Aliquando tamen sumitur organum pro determinato instrumento, ut in *Psalmo* [12] : « Laudate eum in chordis et organo. » *Et omnia*, id est singula elementa et elementata, *suum sonum*, id est, harmoniam suam naturalem et ordinem, *custodiunt*, habitu : similiter singulæ chordæ in organo suum sonum custodiunt, et tamen sonus organi mutatur secundum voluntatem moventis. Unde Glossa : « Sicut in organo diversi soni ad concordiam melodiæ temperamento con-

[1] *Gen.*, XVIII, 3. — [2] *Luc.*, XXIV, 29. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XXIII, n. 1.— [4] *Gen.*, XIX, 5.— [5] *Judic.*, XIX, 22. — [6] *Exod.*, X, 22. — [7] *Exod.*, VII, 13. — [8] *Rom.*, I, 26. — [9] II *Petr.*, II, 8. — [10] Voces inusitatæ, scilicet *aorisia* ab α privativo et ὁράω sive *video*.— [11] *Gen.*, XIX, 11. — [12] *Psal.* CL, 5.

(*a*) *Leg.* persona. — (*b*) *Edit. Ven.* actione.

sentiunt, ita discrepantia elementa, salvato jure naturæ, ad Creatoris voluntatem flectuntur. » Non enim creaturam condit sibi contrariam, sed per omnia voluntati suæ consentaneam. *Unde*, id est de qua re, *æstimari*, id est, cognosci, *ex ipso certo visu potest*, scilicet aspiciendo metaphoram organi, et veritatem rei factæ in populo Dei.

18. *Agrestia enim*, scilicet animalia, *in aquatica convertebantur*, id est, in modum aquaticorum, scilicet quando homines et jumenta, ut dicit Glossa, in profundum Maris Rubri sicco vestigio transierunt; *et quæcumque erant natantia*, ut ranæ, *in terram transibant*, scilicet per terram deambulando, unde [1] : « Ascenderunt ranæ, scilicet de flumine, operueruntque terram Ægypti. »

19. *Ignis in aqua valebat*, id est valde agebat, *supra suam virtutem*, scilicet naturalem, quæ est ut in aqua extinguatur, secundum illud [2] : « Ignem ardentem extinguit aqua. » *Et aqua obliviscebatur naturæ extinguentis*, scilicet ignem, quia « grando et ignis mixta pariter ferebantur, » ut habetur in *Exodo* [3]. Item supra [4] : « In aqua quæ omnia extinguit, plus valebat ignis. »

20. *Flammæ*, etc. (*a*) *E contrario*, supple, quam natura earum requireret, *non vexaverunt carnes*, scilicet urendo; *carnes*, inquam, *corruptibilium animalium*, scilicet hominum et jumentorum; *coambulantium*, ipsis flammis; hoc dicit, quia columna ignis Hebræos concomitante de nocte non affligebantur, sive non urebantur, ut patet [5]. *Nec dissolvebant*, scilicet calore solis, *sicut glacies*, scilicet dissolvitur a calore solis, supra [6] : « Quod enim ab igne non poterat exterminari, » etc. *Bonam escam* appellat manna, quia bonitatem quorumlibet ciborum repræsentabat, supra [7] : « Deserviens uniuscujusque voluntati. » *In omnibus enim*, scilicet prædictis miraculis, *magnificasti populum tuum, Domine*, scilicet Israeliticum, eorum adversarios deprimendo; *et honorasti*, multis beneficiis exaltando; unde [8] : « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, » etc. Item [9] : « Si quis honorificaverit me, honorificabo (*b*) eum. » *Et non despexisti eos*, scilicet in suis tribulationibus deserendo; ut [10] : « Multæ tribulationes justorum, et de omnibus iis liberavit eos Dominus. » [11] « Quis invocavit eum, et despexit eum? » quasi dicat : Nullus. *In omni tempore*, scilicet prosperitatis et adversitatis, unde [12] : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. » Et ideo omni tempore benedicendus, secundum illud *Psalmi* [13] : « Benedicam Dominum » in omni loco, et « in omni tempore, » scilicet tam securo, quam periculoso. *Assistens eis*, tanquam paratus juvare, unde [14] : « Cum transieris per aquas, tecum ero. » Notandum autem, quod Dominus sanctos suos magnificat multipliciter : primo modo, gratiam suam conferendo, secundum illud [15] : « Quos justificavit, illos et magnificavit; » secundo, miraculis illustrando, secundum illud [16] : « Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis; » item [17] : « Fuit Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis, et omni populo; » tertio, dignitatibus ecclesiasticis sublimando, unde cantat Ecclesia [18] : « Ecce sacerdos magnus; » et [19] : « Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientia; » quarto, ad cœlestis regni gloriam perducendo, secundum quod cantat Ecclesia [20] : « Magnificavit eum in conspectu regum, » scilicet angelorum, « et dedit illi coronam gloriæ [21]. » Et [22] :

[1] *Exod.*, VIII, 6. — [2] *Eccli.*, III, 33. — [3] *Exod.*, IX, 24. — [4] *Sap.*, XVI, 17. — [5] *Exod.*, XIII, 22. — [6] *Sap.*, XVI, 27. — [7] Ibid., 21. — [8] *Joan.*, XII, 26. — [9] I *Reg.*, II, 30. — [10] *Psal.* XXXIII, 20. — [11] *Eccli.*, II, 12. — [12] *Matth.*, XXVIII, 20. — [13] *Psal.* XXXIII, 1. — [14] *Isa.*, XLIII, 2. — [15] *Rom.*, VIII, 30. — [16] *Eccli.*, XLVIII, 4. — [17] *Exod.*, XI, 1. — [18] In Commun. Confessor. Pontificum, in epist. missæ *Statuit*. — [19] III *Reg.*, X, 23. — [20] Ibid. — [21] *Eccli.*, XLV, 2. — [22] *Psal.* XX, 6.

(*a*) Cæt. edit. non habent *Flammæ*, etc. — (*b*) *Vulg.* glorificaverit... glorificabo.

« Magna est gloria ejus in salutari tuo, » etc. Hujus gloriæ tanta est magnitudo, ut illius regni minimus, major sit maximo hujus mundi, unde [1] : « Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. » Ad hanc magnitudinem nos perducat Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Amen.

[1] *Matth.*, XI, 11.

EXPOSITIO

IN LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Ad Jeremiæ lamentationes luculentam sanctus Bonaventura præfationem primum adhibet, qua legentium animis aditum patefacit ad mysticos illos sensus, quos in ipsis inesse, veterum etiam Patrum monimentis traditum est. Deinde expositionem aggressus, in hac frequentius, quam in aliis, omnes sacræ Scripturæ sensus ita amplectitur, ut litterali dilucide explicato, tropologicum allegoricumve præclare aperiat ad patefacienda, quæ latent, divina arcana. Multiplici igitur divinorum sensuum ratione, tanquam egregius doctor, sapientibus et insipientibus debitor, versatur quasi in viis pluribus, quibus doctrinæ suæ alumni insistendo, ad eam pervenire possint, quæ ducit ad Deum. Cum autem expositionis hujusce liber ederetur, in quo etiam præter cæteros doctrinæ egregiæ splendor magnus elucet, divina providentia factum est, ut illius auctor Bonaventura sanctissimus inter primarios Ecclesiæ Doctores a Sixto V, Pont. Opt. Max., sit sapientissime annumeratus. Quam rem commemorari libuit, ut inscriptionis, quæ S. Bonaventuræ eximii Ecclesiæ Doctoris nomine huic libro primum adhibita est, ratio inter omnes deinceps constet perpetuo.

PROŒMIUM

[2] «Tempus plangendi, et tempus saltandi.» In verbo isto ostenditur libri hujus causa materialis, scilicet in planctu; et formalis, quia modum habet lamentativum; et ejus causa finalis, in saltu. Materia quidem hujus operis est Synagogæ, seu Ecclesiæ, seu cujuslibet particularis animæ desolatio lugubris; forma etiam lamentativa tota deducitur cum quæstionibus et indignationibus metrice compositis. Ad quorum intelligentiam notandum, sicut ibidem dicitur[3] : « Omnia tempus habent, et suis spatiis quæque pertranseunt. » Sicut enim mundus major sensibiliter continuis successibus variatur, Deo cuncta mirabiliter gubernante; sic mundus minor, homo scilicet, modo attendens consideransque divinam severitatem, modo cernens radiare Dei benignitatem, diversimode afficitur, et divinis judiciis conformatur, ad quam variationem respiciens Salomon, dixit : « Tempus plangendi, et tempus saltandi. » Hæc autem variatio viris sanctis ex tribus causis solet accidere : vel ex diver-

[1] *Cf.* edit. Vatic., an. 1588, tom. I, pag. 428; edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 935. — [2] *Eccle.*, III, 4. — [3] *Eccle.*, III, 1.

sitate considerationum spiritualium; vel ex diversitate eventuum temporalium; vel ex variatione statuum mundi principalium, viæ scilicet et patriæ. Primo dico, ex diversitate considerationum spiritualium : modo enim Sancti convertuntur ad considerationem lugubrem peccatorum suorum, et aliorum, et hoc est plangere; modo ad contemplationem æternorum bonorum, et hoc est saltare. Ad hunc planctum invitans Jeremias, dixit [1] : « Accingite vos ciliciis, plangite, et ululate; quia non est aversa ira furoris Domini a vobis. » In *cilicio*, omnis corporalis afflictio intelligitur : in *planctu*, culpæ detestatio; in *ululatu*, detestationis vehementia et intensio designatur, quæ exercendæ sunt, donec Spiritus sancti clementia interius experiatur : qui, ut dicit Gregorius [2], « ideo *Paraclitus*, id est consolator, dicitur, quia dum spem veniæ parat, mentem a tristitia levat. » *Ira* autem *furoris* est voluntas, sive animus puniendi. Istud est exercitium præcipue neophytorum, propter quod dicit idem Jeremias [3] : « Filia populi mei, accingere cilicio, conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. » Hunc igitur affectuosum planctum assumit Ecclesia sibi in temporibus jejuniorum [4] : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu, et planctu : » ut per planctum veniat ad saltum gaudii spiritualis et contemplationis, dicente Psalmista [5] : « Convertisti planctum meum in gaudium; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. » Saccus consciditur, cum post signa pœnitentiæ, signa lætitiæ assumuntur. De hoc genere saltus dicitur [6] : « David percutiebat in organis armigatis [7], et saltabat totis viribus ante Dominum. » *Organa armigata*, id est, ad armum ligata, significant opera fortia pœnitentiæ; ad quæ *percutere*, est in eis efficaciter se exercere, et in contemplationis altitudinem, quasi per saltum levare. In contemplationis altitudinem libere volant Angeli; sed saltant tantum homines miseri, quia in altam contemplationis speculam evecti, cito, corpore aggravante, coguntur relabi. In cujus figuram pisces habentes squamas et pinnulas, secundum legem, mundi reputantur, quia per vices super aquas (*a*) saltibus levantur [8] : « Omne, quod habet pinnulas et squamas tam in mari, quam in fluminibus et stagnis, comedetis. » Et infra [9] : « Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis. » [10] « Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles. » Per *montes* et *colles* intelliguntur, qui in Ecclesia sunt eminentiores; in quibus salit, quia visitationis suæ dulcedo non manet, sed transit, ut dicit Glossa : « Transilit colles, quia parum elevatos relinquit suæ excessivæ dulcedinis expertes. » Pro utroque, contra reprobos [11] : « Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. »

Amplius secundo fit hæc variatio planctus et saltus pro diversitate temporalium eventuum. Tempus quidem plangendi est in Ecclesiæ tribulatione; tempus saltandi, et gratias agendi, in Ecclesiæ revelatione. Ad hoc genus saltus invitavit Hieremias, dicens [12] : « Super montes assumam fletum ac lamentum, et super sponsa deserti planctum, quoniam incensa sunt; » et infra [13] : « A volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt, et recesserunt. » Hoc dicit ad litteram Hieremias de vastatione Synagogæ facta per Chaldæos; quod potest intelligi verius de vastatione Ecclesiæ, facta per homines immundos, qui sicut Synagoga adversitate, sic adversi (*b*) sunt prosperitate. Montes, id est, viri ecclesiastici; sponsa deserti, id est, religiosi; volucres, id est,

[1] *Jerem.*, IV, 8. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 3. — [3] *Jerem.*, VI, 26. — [4] *Joel.*, II, 12. — [5] *Psal.* XXIX, 12. — [6] II *Reg.*, VI, 14. — [7] Septuaginta : Δαυὶδ ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, id est, *David pulsabat in organis modulatis*, juxta interpretationem edit. Jager. Vulgata vero nihil simile habet. — [8] *Levit.*, XI, 9. — [9] Ibid., 21. — [10] *Cant.*, II, 8. — [11] *Matth.*, XI, 17. — [12] *Jerem.*, IX, 10. — [13] Ibid.

(*a*) *Cæt. edit.* quas. — (*b*) *Leg.* perversi.

clerici; pecora, id est, laici. Unde Glossa ibi : « Super montes fletus assumitur, et lamentatio super sponsam deserti, dum peccant principes Ecclesiæ, et nihil in ea invenitur substantiæ Dei, nec auditur vox Christi Ecclesiam possidentis. » Et ad hoc respiciens idem Hieremias dixit [1] : « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? » Planxit David hujusmodi planctum super Saul et super Jonatha [2] : « Considera, Israel, pro iis qui mortui sunt supra excelsa vulnerati : inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. » Inclyti interficiuntur super montes, quando boni mutant mores, assumpti ad ecclesiasticas altitudines. Isti planctui contrarius est saltus, congaudere Ecclesiæ de sanctis et prosperis successibus. Ad quem saltum invitans Isaias dicit [3] : « Laudate, cœli, quoniam fecit Dominus : jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem saltus, et omne lignum ejus. » Saltus dicitur locus nemorosus, eo quod in ipso arbores in altum exiliant (*a*). Hoc idem figuratum est, ubi dicitur [4] : « Invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, in finibus Benjamin, in meridie salientes magnas foveas [5]; dicent : quia tibi inventæ sunt asinæ. » *Duo viri,* sunt qui Ecclesiam ex charitate diligunt; *Rachel* interpretatur ovis. *Juxta* igitur *sepulchrum* expectant, omnes qui considerant profectum et defectum animarum Christi sanguine redemptarum. *In meridie*, id est, in spirituali prosperitate; *magnas foveas saliunt,* qui lætitiam magnam, quam habent in corde, exterius ostendunt, *quia inventæ sunt asinæ,* id est, animæ Christi sanguine redemptæ. Ad hunc saltum invitat Isaias dicens [6] : « Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam. »

Ampliusque tertio fit hæc variatio, secundum variationem statuum Ecclesiæ principalium, viæ scilicet, et patriæ : quoniam in via generaliter est status plangendi, et in patria gaudendi. Unde Glossa : « Super hoc plangendum est nunc, ut in futuro saltemus. » Pro isto planctu vel lamentatione dicitur [7] : « Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ : » *lamentationes* justorum, *carmen* bonorum, *væ* damnatorum. [8] « Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et planctum, et ad calvitium et ad cingulum sacci : et ecce gaudium, et lætitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. » Hic planctus nunquam est deserendus, sed semper Christi mortificatio circumferenda, in cujus figura dicitur [9] : « Levaverunt David, et populus qui erat cum eo, voces suas, et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ. » *Deficient lacrymæ,* cum « absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, » ut dicitur [10]. Hunc planctum sequitur ille magnus saltus, de quo [11] : « Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Ibi enim implebitur, quod dicitur [12] : « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt : tunc saliet sicut cervus claudus. »

Deus igitur in Scriptura sacra utrumque istorum affectuum, planctum scilicet, et saltum, in nobis volens alternari, condidit cantica lætitiæ ad fovendam devotionem, et carmina mœstitiæ ad excitandum in nobis salutiferum dolorem. Inter cantica lætitiæ arcem tenet *Canticum Canticorum;* inter carmina mœstitiæ tractatus *Threnorum*, ut dici possit *Lamentatio Lamentationum*, quæ est ultima pars *Jeremiæ* : quamvis aliqui librum distinctum ipsam appellent, sicut *Cantica Canticorum*. Jeremias hic quidem juxta litteram deplorat temporalem adversitatem Synagogæ factam, sive per Romanos, sive

[1] *Jerem.*, IX, 1. — [2] II *Reg.*, I, 19. — [3] *Isa.*, XLIV, 23. — [4] I *Reg.*, X, 2. — [5] Septuaginta : ἀλλομένους μεγάλα, id est, *salientes granditer*, juxta eamdem interpr. De quibus in Vulgata nihil simile. — [6] *Isa.*, LXVI, 10. — [7] *Ezech.*, II, 9. — [8] *Isa.*, XXII, 12. — [9] I *Reg.*, XXX, 14. — [10] *Apoc.*, XXI, 4. — [11] *Joan.*, IV, 14. — [12] *Isa.*, XXXV, 5, 6. — (*a*) *Leg.* exiliunt.

per Chaldæos; sed et mortem piissimi regis Josiæ, unde [1] : « Universus Juda et Jerusalem luxerunt Josiam; Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationes replicant: » scilicet propter (*a*) Josiam, quem Josiam interfecit Pharao Nechao in campo Mageddo, de quo habetur in libro *Regum* [2]; de quo etiam Zacharias loquitur, dicens [3] : « In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. » Lamentatur etiam spiritualiter damna Ecclesiæ, et cujuslibet animæ singularis, et miseriam peregrinationis, sicut patet in persequendo lamentationem, et inserens de injuriis et morte Salvatoris. Et dicitur græce opus illud *Threni*, hebraice *Cinoth* : quod idem est ac *Lamentatio* latine : unde *threnetie*, id est luctuose, ut dicit Papias. Quod autem dicunt quidam, quod *Threni* dicuntur quasi terni, non est interpretatio, nec etymologia proprie; sed in hoc alluditur nomini, quia ternis versibus subnectuntur singulæ litteræ alphabeti. Et hoc mystice; quia tripliciter debemus plangere, corde, ore, opere.

Amplius in verbo plangendi etiam modus intelligitur procedendi : metrice enim dicit conquerendo, quod convenit lamentationi. Quoniam, sicut dicit Hieronymus *super Isaiam*, super illud verbum [4] : *Sume citharam*, etc., « natura musicæ est, ut quem invenit tristem, reddat tristiorem; et quem lætum, reddat lætiorem : » unde modus musicus, vel metricus, congruit lamentationi.

Circa quod intelligendum, quod liber iste triplici adornatur musica, et rhetorica venustate : primo, in eloquentia, quia scribitur metrice; sed differenter, quia, ut dicit Rabanus, duo prima alphabeta metro sapphico scripta sunt : et dicitur metrum sapphicum a muliere Sappho, quæ ipsum invenit : et est pentametrum constans ex trochæo et spondæo, et dactylo, et duobus trochæis. In hoc igitur metri genere tres tales versus præmittuntur, et concluduntur in commate versus heroici; verbi gratia : *Iste confessor Domini sacratus*, etc. Metrum heroicum dicitur, quo describuntur facta heroum : quod solos continet versus hexametros. Tertium vero alphabetum, quod tertio subditur capitulo, trimetrum est, quod secundum Latinos est constans versibus trium pedum, ut dicit Papias : qui tamen alibi dicit : « Quos nos senarios a numero pedum vocamus, hos Græci *Trimetros* dicunt, quod geminos faciunt. » Verius credo esse in hac parte, quod si sex pedes continent, non tamen modo versus heroici, quia materiæ non convenit versus heroicus. Quartum vero alphabetum sicut primum et secundum describitur, ut dicit idem Rabanus. Amplius secundo adornatur commatibus rhetoricis in sententiis, ut docet Glossa : Continet (*b*) enim multas compositiones, quæ sunt orationes auditorum misericordiam captantes fere per totum : sicut ibi præcipue patet in primo capite [5] : « O vos omnes qui transitis per viam; » et locis sive modis (*c*) compassionem excitandi, ut docet Tullius [6]. Continet etiam plures indignationes. Est autem indignatio, oratio per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur : cujusmodi orationibus frequenter utitur, sicut patet ibi [7] : « Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. » Eæ autem sunt duæ species orationis rhetoricæ, sicut patet in Tullio [8]. Sicut enim dialectica habet artem locorum suorum ad veritatem persuadendam, sic rhetorica habet locos suos ad affectionem excitandam, sicut super textum, in Glossa, illis ibi assignatur. Amplius tertio adornatur hoc carmen alphabeti litteris ordinatis, quæ singulis sententiis præponuntur, sicut in illo cantico Ecclesiæ [9] : *A solis ortus cardine*, primus versus [10] in-

[1] II *Par.*, XXXV, 24, 25. — [2] IV *Reg.*, XXIII, 29. — [3] *Zach.*, XII, 11. — [4] *Isa.*, XXIII, 16. — [5] *Thren.*, I, 12.— [6] Cic., *de inv.*, lib. I, in fine.— [7] *Thren.*, I, 9.— [8] Ibid. — [9] Hymn. *Nativ. Dom.*, in Laud. — [10] Vel potius strophe; nam secundus, *Ad usque terræ limitem*, incipit quoque ab A; sed secunda strophe, nempe : *Beatus auctor sæculi*, incipit a B, ut patet.

(*a*) *Cæt. edit.* per.— (*b*) *Item* continent. — (*c*) *Leg.* loci sive modi.

cipit ab A, secundus a B, et sic de aliis : ita est in Hebræis. Sed litteræ hebraicæ non solum faciunt ad ornatum facundiæ, imo ad doctrinam sapientiæ, et ad intellectum sententiæ subjunctæ. Primo, dico, ad doctrinam sapientiæ, ad docendum quod initium est et quasi elementum novæ vitæ, mala propria et aliena deplorare, juxta illud verbum *Joel* præmissum [1] : « Convertimini ad me in toto corde vestro, » etc. [2] « Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. » Secundo, dico, ad intellectum sententiæ subjunctæ : ideo enim iis sententiis præmonstrantur litteræ, quia interpretatio earum conducit sensibus illorum quæ scribuntur. Hoc autem advertendum, quod primum et quartum alphabetum semel tantum positis litteris præmonstrantur; tertium vero, quod continetur capite tertio, singulas continet litteras triplicatas.

Amplius advertendum, quod liber iste, seu tractatus, scribitur apud Hebræos tam sermone hebraico, quam litteris hebraicis : non, sicut quidam male opinantur, quod sit litteris (*a*) hebraicis, et sermone chaldaico, pro eo quod scriptum est, *Danielem* et *Esdram* et unam *Hieremiæ* pericopen, id est, partem hebraicis quidem litteris, sed chaldaico sermone conscriptos, etc., quam pericopen *Threnos* esse fabulantur, cum non sit ita; sed illa brevis particula est, quæ legitur *Hieremiæ* (*b*) [3] : « Sic ergo dicetis eis : Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terra et de iis quæ sub cœlo sunt. » Quod Hebræi usque hodie tam in chaldæo sermone quam litteris hebraicis sensibiliter ostendunt (*c*).

Cum hoc etiam sciendum, quod in hoc opere, sicut in *Canticis Canticorum*, more canticiad gaudendum, varie sibi respondentes introducuntur personæ.

Causa vero finalis intelligitur in saltu (*d*), ut dictum est, juxta quod dicitur [4] : « Plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » [5] « Signa Thau super frontem virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. » Et infra [6] : « Omnem autem, super quem videbitis Thau, ne occidatis. »

Amplius considerandum quod dicit Glossa, Lamentationes Hieremiæ membro orationis maxime distingui, vel dissoluto colorari : membra autem latine, græce dicuntur cola, vel commata, quia commata dicuntur distinctiones majores, quas Tullius proprie membra appellat. Verbi gratia [7] : « Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum, abalienati sunt retrorsum. » Membrorum vero unum ab alio excipi dicitur, quando per sequens, quod præcessit, explicatur, vel ampliatur. Qui ornatus, quamvis constare possit ex duobus membris, successive tamen constat ex tribus, ut dicit Tullius. Et sic est iste liber descriptus. Qui etiam Tullius *articulos* vocat [8], quod græci *cola*, quamvis *colon* membrum sit. Articulus autem est, quando singula verba singulis intervallis distinguuntur, ut hic : « Acrimonia, voce (*e*), vultu adversarios perterruisti. » Talibus igitur majoribus sententiis liber iste deducitur, nunc conjunctione connexis, nunc vero et quidem frequentius sine copula media sibi conjunctis. Quod intelligitur in colore dissolutionis : quia, ut dicit Tullius [9], « dissolutio est, quæ, conjunctionibus verborum e medio sublatis, separatis partibus efficitur (*f*). »

Huic autem operi hæc littera in quibusdam libris anteposita invenitur, quæ non est tamen de veritate textus : *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias*

[1] *Joel.*, II, 12.— [2] *Rom.*, VIII, 22.— [3] *Jerem.*, X, 11. — [4] *Joan.*, XVI, 20.— [5] *Ezech.*, IX, 4.— [6] Ibid., 6. — [7] *Isa.*, I, 4.— [8] Cic., *Rhet.*, lib. IV, n. 19.— [9] Ib., n. 30. —(*a*) *Edit. Ven.* libris.— (*b*) *Cæt. edit.* quæ dicitur Hieremias.— (*c*) *Hic legebatur in cæteris editionibus :* Adhuc sciendum, ut dicit Rabanus, eodem modo plures esse conscriptos, scilicet : *Noli æmulari, Psal.* XXXVI ; item *Beatus vir, qui timet, Psal.* CXI ; Item : *Beati immaculati, Psal.* CXVIII ; item : *Exaltabo te, Deus meus rex, Psal.* CXLIV : Quæ profecto ad librum Psalmorum potius referenda sunt. — (*d*) *Al.* Saltum.— (*e*) vitæ. — (*f*) effertur.

flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem, et dixit, etc. *Redactus est Israel*, quantum ad decem tribus; *et Jerusalem deserta est*, quantum ad duas tribus. *Sedit Jeremias flens* : in sessione, doloris vehementia et continuitas designatur, sicut Job [1] sedens in sterquilinio. *Et planxit lamentatione hac in Jerusalem, et ejulans dixit*, etc.

CAPUT PRIMUM.

Modus procedendi, et divisio hujus operis patet sic : Plangit enim in duobus primis alphabetis ad litteram dispendia Synagogæ et mysticæ Ecclesiæ in generali; secundo personarum majorum in speciali, in tertio et quarto capite. In primis autem duobus differenter procedit : sicut enim in peccato duo sunt, conversio scilicet ad bonum commutabile, et aversio a bono incommutabili; ita e contrario in pœna duo sunt iis correspondentia, scilicet flagellum sensibile, contra conversionem; et gratiæ subtractio, contra aversionem. Primum deplorat in primo alphabeto; secundum in capite secundo, ibi: *Quomodo obtexit caligine*, etc. Amplius, privilegiatæ personæ vel sunt insignes ratione sanctitatis, vel ratione dignitatis, seu auctoritatis : tribulationem virorum sanctorum lamentatur in tertio alphabeto; tribulationem majorum, utpote clericorum, in quarto, ibi : *Quomodo obscuratum est aurum*, etc. In primo alphabeto sunt quinque partes : primo enim deplorat Synagogæ et Ecclesiæ desolationem; secundo subdit desolationis rationem, ibi : *Peccatum peccavit Jerusalem*, etc.; tertio implorat pietatem supernam, ibi : *Vide, Domine, afflictionem meam*, etc.; quarto excitat compassionem supernam, ibi : *O vos omnes*, etc.; quinto, contra adversarios excitat Dei indignationem, ibi : *Vide, Domine, quoniam tribulor* (a), etc. In prima parte primo lamentatur civitatis depopulationem; secundo, Judæorum transmigrationem et captivationem : *Migravit Judas*, etc. In describendo depopulationem, vel desertationem, primo describit dispendium civitatis, et læsionem; deinde consequentem desolationem : *Plorans ploravit*, etc. Depopulatio autem ejus et disjectio patet ex tribus : ex perdita multitudine, pro qua dicit : *Quomodo sedet*, etc.; ex perdita fortitudine, pro qua dicit : *Facta est quasi*, etc.; item ex perdita altitudine, vel dignitate, pro qua dicit : *Princeps provinciarum*, etc.

Duo sunt in peccato. Pœna duo includit.

1. Dicit ergo : *Quomodo*, etc. Quod enim præmittitur in quibusdam libris : *Et factum est, postquam redactus est Israel*, etc., non est in glossatis libris, nec est de textu in antiquis, ut tactum est. Huic ergo versui præmittitur littera *Aleph*, quæ interpretatur *Doctrina* : quod dupliciter ad sequentia referri potest : primo, quia defectus doctrinæ causa fuit subversionis populi : propter quod præmittit Aleph, hortans homines attendere pericula sua multiplicata, ne fallantur; unde [2] : « Propterea captivus ductus est populus meus, eo quod non habuit scientiam. » Item quia errores ei persuasi sunt loco doctrinæ, juxta illud [3] : « A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. » [4] « Vocavi amicos, et ipsi deceperunt me. »

Sequitur : *Quomodo*, inquit admirative, *sedet!* Vel interrogative : *Quomodo?* Respondetur infra, capite eodem : *Peccatum peccavit Jerusalem*, mortem scilicet Salvatoris, et quia [5] non cognovit tempus visitationis suæ. In sessione dejectio intelligitur, quia stare per potentiam solita fuerat. *Quomodo*, inquit, id est, qua de causa; *sola civitas, plena populo*, olim scilicet plena, videlicet tempore David et Salomonis, modo *sola*, populo ejus in transmigrationem ducto. Unde, secundum Glossam, est hic primus conquestionis

[1] *Job*, II, 8. — [2] *Isa.*, V, 13. — [3] *Jerem.*, XXIII, 15. — [4] *Thren.*, I, 19. — [5] *Luc.*, XIX, 44.

(a) *Cæt. edit.* tribulatio.

locus, per quem in quibus bonus fuerit, ut aiunt, et in quibus malus fuerit, declaratur. Vel *plena* erat, quantum ad multitudinem; et *sola*, quia Dei adjutorium non habebat. E contra non est solus, cum quo est Deus, ut dicit Hugo; et in *Paradoxis* dicitur : « Nunquam minus (*a*) solus sum, quam cum solus sum. » Allegorice *civitas*, *plena populo, sedet sola*, quia multi sunt Christiani numero, pauci merito. In cujus figuram dicitur (*b*) optime [1] : « Ait Jesus : Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt : et dicis, quis me tetigit? Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis, nam et ego cognovi virtutem de me exiisse. » Christus premebatur, et ab una, quæ virtutem ejus suscepit, se tactum fatebatur. In primitiva autem Ecclesia sub dominio tyrannorum erant Christiani numero pauci, sed comparative sancti, et multi : nunc autem est e converso.

Moraliter anima *plena* est *populo* innumerabilium phantasmatum; et *sola* est, dum nihil cogitat Domini.

Sed deplorando perditam fortitudinem, subdit : *Facta est quasi vidua :* non viro vidua, sed vivente viro derelicta, ita quod adhuc in ea spes restat reconciliationis acquirendæ [2] : « Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus Deus, et ego sucipiam te. » *Domina gentium*, plurium quas sibi in circuitu subjugaverat [3] : « Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, et Hethæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, quos non potuerant (*c*) filii Israel exterminare (*d*), fecit Salomon tributarios usque ad diem hanc; » et [4] : « Factus est Moab David serviens sub tributo; » et infra [5] : « Facta est Syria serviens David sub tributo. »

Spiritualiter, per gentes intelliguntur multi prælatorum Ecclesiæ gentiliter viventes, quibus solebat Ecclesia dominari. In Ecclesia enim præfuerunt viri sancti : modo quasi vidua facta est, dicere possumus, in multis viris effœminatis qui alios mundare non sufficiunt, quia lutum in manu gerunt [6] : « Dabo pueros principes eorum, effœminati dominabuntur eis. » Deplorando vero deperditum honorem, dicit : *Princeps provinciarum*, Palæstina enim multis principari solebat; *facta est sub tributo* [7] : « Gens, et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, in gladio, et peste et fame, visitabo super gentem illam. » Fuerunt quidem sub tributo, primo Assyriorum, sicut patet [8]; deinde Persarum, secundum Isidorum, et postea Romanorum, sicut patet [9], ad litteram; sed allegorice Ecclesia servit tributis, dum cogitur providere hominibus vita indignis, qui stipendia accipiunt sine merito laboris. Vel allegorice, dum per diaboli membra clerici pervertuntur, Ecclesia diabolicis tributis subjicitur. Moraliter, gentes sunt affectiones vel peccata, quibus anima faciliter dominatur, quamdiu sponso, fide scilicet et dilectione, copulatur [10] : « Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius » : et quo amisso, propriis affectibus misere captivatur. *Provinciæ* vero sensus sunt corporis, quibus anima subversa tributum reddit, cum sensibilis illecebra ad se trahit altitudinem rationis. Et nota, quod dicit : *Domina gentium* et *princeps provinciarum*, quia affectus debent comprimi, et in plenam redigi servitutem; sensus autem dirigi habent, principante quadam rationali distinctione. Quia igitur hujus subversionis est initium defectus doctrinæ sanæ, et pernicies persuasionis erroneæ, recte *Aleph* præmittitur huic clausulæ. Hic etiam est primus locus conquestionis, ut dictum est.

Adverte de Glossis. In illa enim Glossa : « Quadruplici plangit, » etc., dicitur ita : « Materialis est hic numerus, » scilicet qua-

[1] *Luc.*, VIII, 45, 46. — [2] *Jerem.*, III, 1. — [3] III *Reg.*, IX, 20, 21. — [4] II *Reg.*, VIII, 2. — [5] Ibid., 6. — [6] *Isa.*, III, 4. — [7] *Jerem.*, XXVII, 8. — [8] IV *Reg.*, XVIII, 9. — [9] *Luc.*, II, 1. — [10] *Gen.*, IV, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* nimis. — (*b*) *Item* dicunt. — (*c*) *Item* poterant. — (*d*) *Item deest* exterminare.

ternarius. Quod pro hoc dicitur, quia materialia hominis designat principia, scilicet quatuor elementa. Etiam infra dicitur: « Hic numerus quasi quadratus et solidus, » etc. Quadratus vere, et non solidus proprie, secundum mathematicam quadraturam; sed solidus dicitur, quia eorum quadrata solidam stabilitatem habent. Infra : « Sed etiam cœlestia; » id est, spiritualia. Infra : « Virtutes egregiæ, » scilicet cardinales. Infra : « Interius, » etc., id est, per quatuor originales defectus, et contrarios quatuor virtutibus cardinalibus : quia ignorantia est contraria prudentiæ, malitia justitiæ, concupiscentia temperantiæ, infirmitas fortitudini.

Item in illa Glossa : « Lamentatio aut ex mœrore, » etc., dicitur : « Sicut genus extenditur ad speciem, » etc. Quod intelligendum est juxta quamdam regulam rhetorum, quando ad speciem transitur a genere, et e converso : ubi per genus et speciem, totum et pars intelliguntur.

2. *Beth* interpretatur *Domus*. Et recte hæc littera prænotatur, quia post communem civitatis desolationem, hic ad specialem desolationem consequentem, scilicet domus sacerdotalis et regiæ, sermo convertitur.

Plorans : hic describit, ut dictum est, ejus desolationem : primo tangens ploratus vehementiam; secundo, omnis solatii carentiam : *Non est qui*, etc. In prima parte tangit desolationis vehementiam quantum ad omnes; secundo, quantum ad majores, ibi : *Et lacrymæ*, etc. Dicit ergo : *Plorans*, dicta *civitas* metaphorice, ut intelligatur contentum per continens; *ploravit*, id est, ploratum continuavit; *in nocte*, ad litteram, quia de die ploratus signa ostendere non audebat. Tarde tamen pœnituit, cum scilicet se malis undique deprimi conspexit; et ideo ploratus ei minime profuit, quia ex amore non processit. Vel in nocte ploravit, id est, in secreto : quod est amicum flentibus, qui consolari nolunt, sed lacrymis suis pascuntur. *Et lacrymæ ejus in maxillis ejus*, id est, in majoribus qui eminent in corpore, sicut maxillæ in capite. Amplius, sicut per maxillas cibus masticatur corpori, sic minoribus per majores debet sapientia communicari. Vel *in maxillis*, ad litteram, quia non erant lacrymæ simulatæ, sed undosæ. Et est hic quartus locus conquestionis, per quem res turpes et humiles indigne patientibus proferuntur. Sed pro defectu omnis consolationis sequitur : *Non est qui*, etc. Consolatio autem dupliciter ei subtracta fuit : et ex morte ac dejectione charorum, et secundo ex ingratitudine aliorum ad inimicitias conversorum, ibi : *Omnes amici*. Pro primo dicit : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus*, id est, prophetis, qui solebant Dei misericordiam prædicere futuram; et principibus, qui solebant antea defendere patriam. Et est hic locus quintus indignationis, per quem tum cum indignatione (*a*) conquerimur, cum ab iis a quibus minime conveniat, male tractamur. Sequitur : *Omnes amici ejus*, qui esse solebant ejus amici, ut finitimæ nationes; *spreverunt eam*, auxilium non ferendo; *facti sunt inimici*, persequendo (*b*). Propter quod Dominus ei multipliciter comminatur, sicut patet in oneribus Isaiæ. Vel *amici* angeli, de quibus [1] : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant. » Hi *spreverunt eam*, ei (*c*) protectionem auferentes. Unde post passionem Christi audita perhibetur vox in aere alte dicentium : « Transeamus ab iis sedibus. » Qui et inimici facti sunt, Dominicæ severitatis executores. Et justo Dei judicio : qui enim propter vicinos a lege Dei declinaverunt ad idololatriam, inimici effici permittuntur, sicut dicitur [2] : « Ecce ego suscitabo omnes amatores contra te, quibus satiata est anima tua. » Et est sextus locus conquestionis.

Allegorice, vox est Ecclesiæ plangentis peccatores; maxillæ vero, prædicatores, qui verbum quasi cibum comminuunt, et toti

[1] *Cant.*, VIII, 13. — [2] *Ezech.*, XXIII, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* tum condignationem. — (*b*) *Item* prosequendo. — (*c*) *Item* eis.

corpori refundunt. Vel ploratio noctis deploratio est vitæ præsentis. *Non est autem qui consoletur*, quando nullus ex prædicatione compungitur. Amici sunt potentes sæculi, qui in prosperitate amicos se esse simulant ejus, quem in adversitate impugnant.

Moraliter habet anima diem, contemplationem æternitatis; habet noctem, considerationem propriæ iniquitatis : quæ consideratio lacrymas producit, quæ sunt in maxillis, cum extendit se contritio ad macerationem carnis. *Non est qui consoletur eam*, etc., cum desolatam in pœnitentia contemnunt amatores civitatis : *Omnes amici spreverunt.* Sciendum quod homo tripliciter a Deo derelinquitur : aliquando intus et non foris, ut cum David adulterium commisit, quod etsi Deus facere permisit, arguit tamen per Prophetam; aliquando foris et non intus, ut Job; aliquando foris et intus, ut filius prodigus luxuriose vivens, et fame tabescens. Ergo cum dicit : *Non est qui consoletur*, ostendit se esse exterius derelictam. Amici autem domestici sunt, qui conversis ad Christum inimici fiunt, juxta illud [1] : « Inimici hominis, domestici ejus. »

3. Ghimel interpretatur Plenitudo, significatque plenitudinem pœnæ et culpæ, sicut ubi dicitur Scribis et Pharisæis [2] : « Implete mensuram patrum vestrorum; » hoc est : Quod illi minus fecerunt peccando, vos consummate. [3] « Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, » etc., quia peccando existentes pertinaces, miseriæ et calamitatis complementum meruerunt, quam in captivitate experti sunt. Recte ergo hic per *Ghimel* litteram sequentibus propositum designatur. *Migravit Judas.* Hic agit de captivitate et transmigratione Judæorum, cujus captivitatis miseriam exaggerat : primo ex multiplicitate malorum præsentium; secundo ex rememoratione præteritorum, ibi : *Et recordata est;* tertio ex vilipensione bonorum suorum : *Viderunt eam hostes.* In prima parte describit miseriam quantum ad dejectionem; secundo, quantum ad exaltationem adversariorum, ibi : *Facti sunt hostes.* Miseriam autem captivitatis Judæorum ostendit primo quantum ad terminum ad quem; secundo quantum ad terminum a quo, ibi : *Viæ Sion lugent.* In prima parte describit captivitatem ut violenter expertam; deinde consequentem molestiam : *Habitavit inter gentes.* Dicit ergo : *Migravit Judas*, id est, gens regibus Judæ subjecta, scilicet tribus Benjamin, in qua erat Jerusalem, et tribus Juda. *Migravit*, inquam, de terra sua in Babylonem. Et cum fuerit Judæorum transmigratio proprie novem tribuum, quando ducti sunt a Salmanasar in Assyrios, sicut patet [4]; hic loquitur de captivitate facta per Nabuchonosor, sicut refertur [5]; et accipitur *migratio* pro *captivitate. Migravit* ergo *Judas propter afflictionem populi*, scilicet quam patiebatur, nec illi resistere poterat, invadentibus Chaldæis; *et multitudinem servitutis*, qua affligebatur a finitimis nationibus. Vel servitus peccatum significat. Hic est, ut dicit Glossa, septimus locus conquestionis.

Habitavit : ecce consequens molestia : primo, quantum ad carentiam desideratæ quietis; secundo, quantum ad confluentiam inundantis undique tribulationis, ibi : *Omnes persecutores. Habitavit inter gentes*, ad litteram in Babylone, *nec invenit requiem :* proprium est afflictorum, quod semper præsens periculum gravius judicant. Sicut ægroti in nocte diem expectant, sic populus iste in terra propria afflictus fugam petiit, nec sic requiem invenit : cujus causa subditur in eo, quod sequitur : *Omnes persecutores ejus*, undique coarctantes, finitimæ nationes insultantes, *apprehenderunt eam inter angustias*, quia fugiens Chaldæos, incidit in Ægyptios, sicut patet [6] : « Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem. »

Allegorice, Juda tribus regulos significat

[1] *Matth.*, x, 36. — [2] *Matth.*, xxiii, 32. — [3] *Gen.*, xv, 16. — [4] IV *Reg.*, xvii, 6. — [5] IV *Reg.*, xxv, 21. — [6] *Jerem.*, xv, 2.

illos, qui in Ecclesia sunt sublimius constituti; qui Christum se confiteri dicunt, sed quia in ejus amore firmi non sunt, pro ipsius nomine indigna pati erubescunt. Migrant ergo propter afflictionem et multitudinem servitutis, quia dum sanctorum passionibus communicare nolunt, a consortio justorum alieni fiunt : quibus habitare inter gentes, est mundanorum hominum imitari mores, et mundanis sollicitudinibus implicari : ad quod sequitur eos requiem minime reperire : et frequenter tales in graves labores et infructuosos incidunt, qui mediocres pro Christo subire noluerunt. Unde tales alloquitur Dominus per Isaiam [1] : « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis : tolle molam, mole farinam, » etc.; quod molere est circuitu hujusmodi laborioso implicari : a quo avocans Dominus dicit [2] : « Venite ad me omnes, qui laboratis, » etc. Vel habitare inter gentes, est carnalibus desideriis vel carnalem vitam agentibus morem gerere. *Nec invenit requiem :* unde Hugo : « Sic, erutis oculis, ad molam ponitur, cui (*a*) amisso lumine veritatis, animus per appetitum terrenorum desideriorum circumfertur. » *Omnes persecutores ejus*, id est spiritus maligni, et desideria carnis, qui militant adversus animam : quia quando multiplicatione peccatorum continuata (*b*) in desperationis angustias labitur, nullis (*c*) jam tentationibus reluctatur. Vel angustia hujus sæculi tristitiam significat, in quam necesse est incidere mundana solatia quærentes immoderate, ipsis subtractis : quæ quidem tristitia ad mala disponit universa; unde [3] : « Omnis plaga tristitia cordis est. » Vel intelligitur in morte, quando non potest transire ad dexteram, nec ad sinistram.

4. *Viæ Sion*, etc. Postquam actum est de miseria captivitatis quantum ad terminum ad quem; hic agit de eadem quantum ad terminum a quo, scilicet quantum ad desolationem civitatis : quam describit primo quantum ad devastationem ejus lugubrem; secundo subdit lugubritatis rationem, ibi : *Sacerdotes ejus gementes*. Devastationem autem civitatis ostendit quantum ad loca quæ sunt magis frequentata, quæ sunt viæ et portæ, quæ solent præ cæteris frequentari : quibus destructis et desolatis, sequitur ut desolata sit pars reliqua civitatis. Huic autem versui præmittitur littera *Daleth*, quod interpretatur *tabularum*, vel *tabulatum*, vel *tabula*. Ubi mystice significatur desolatio (*d*) civitatis propter prævaricationem legis contentæ in duabus tabulis. Unde Rabanus quatuor dicta elementa in unam sententiam redigens, dicit : « Prima connexio est, doctrina, domus, plenitudo, tabulatum : quia videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum. » Alii tamen dicunt, ibi domus Domini incendium deplorari, quæ (*e*) tabulis lignorum imputribilium erat cooperta, sicut patet [4]. Sequitur : *Viæ Sion*, id est, ducentes Sion ad luctum, *lugent*, id est, lugubres sunt, et ad luctum solo visu provocant. Cujus causam subdit, dicens : *Eo quod non sit, qui veniat ad solemnitatem*, sicut fuit ante captivitatem. Et hoc prædictum fuit [5] : « Quid facietis in die solenni, in die festivitatis Domini? Ecce enim profecti sunt a vastitate. » Et est hic octavus locus conquestionis secundum Glossam. *Omnes portæ ejus destructæ* : portæ tam civitatis, quam amicorum, quam etiam templi, et columnæ earum in Babylonem asportatæ sunt, sicut patet [6]. [7] « Quasi in silva lignorum securibus januas ejus exciderunt in idipsum. » [8] « Luxit Judæa, et portæ ejus corruerunt. »

Allegorice *viæ Sion* sunt sanctis dantes exempla vitæ; unde [9] : « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. » *Lugent* ergo *eæ viæ*, *eo quod non sit qui veniat*, etc., quia sancti lugent, dum cultum Dei contemni conside-

[1] *Isa.*, XLVII, 4. — [2] *Matth.*, XI, 28. — [3] *Eccli.*, XXV, 17. — [4] III *Reg.*, VI, 20. — [5] *Osee*, IX, 5, 6. — [6] IV *Reg.*, XXV, 13. — [7] *Psal.* LXXIII, 6. — [8] *Jerem.*, XIV, 2. — [9] Ibid., VI, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* continuati. — (*c*) *Item* nullius. — (*d*) *Item* desertatio. — (*e*) *Cæt. edit.* quia.

rant: Deum enim colere, et pœnitentiam agere, hoc est Deo solemnitatem facere. Unde Gregorius [1] super illud : *Agite diem solemnem*, dicit, recitans aliam litteram, ubi dicitur [2] : *Constituite diem solemnem*, inquit : « Solemnem namque Domino diem in confrequentationibus constituit, quisquis se in ejus desiderio assidue affligit. » *Portæ ejus destructæ :* portæ prælati sunt, per quas subditi habent intrare : ipsi enim debent viam subditis aperire salutis. [3] « Luxit Juda, et portæ ejus corruerunt, et obstructæ (*b*) sunt in terra. » Quasi dicat : Causa ruinæ subditorum est ruina prælatorum; sicut et contra reformatio subditorum est ex bona vita prælatorum. Unde istæ portæ gehennæ. Moraliter *viæ Sion* id est, notitiæ Scripturarum: *lugent,* id est, lugere faciunt; *eo quod non sit, qui veniat ad solemnitatem*, id est, propter interiorem deordinationem animæ quantum ad vires cognitivas et motivas ; quæ tunc veniunt ad solemnitatem, quando nullus motus sensibilis impedit internam animæ tranquillitatem. [4] « Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei, » etc. Bernardus dicit : « Venite, omnes cogitationes, affectiones et intentiones, » etc. Istæ igitur viæ vere sunt lugubres, cum in anima sunt motus innumerabiles cogitationum et affectionum, quibus tunc deficimus a salute. Vel *viæ Sion lugent,* quando animæ prius in arce contemplationis detentæ, Deum contemnentes, ad terrenas actiones incurvatæ, lugubres apparent : *Portæ* sunt *destructæ,* cum sensus quinque, a legibus disciplinæ non restricti, solis illecebris famulantur [5] : « Portæ scilicet fluviorum apertæ sunt. » [6] « Ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est in domos nostras. » *Sacerdotes ejus gementes :* ratio est ulterior luctuositatis. Desolatio enim solet major apparere ex tribus : vel quando est in personis reverendis, quibus debetur reverentia, cujusmodi sunt sacerdotes; vel in personis simplicibus, in quibus refulget innocentia, cujusmodi sunt virgines; vel in ipsa hominum multitudine, in quibus calamitas est magis miseranda. Pro primo dicit : *Sacerdotes ejus gementes,* ad litteram, qui solebant ad solemnitates homines invitare; quia, ad litteram, in captivitatem ducti, a cultu et cæremoniis templi exclusi [7] : « Luxerunt sacerdotes ministri Domini. » Pro secundo sequitur : *Virgines ejus squalidæ,* id est, deformes, et incultæ; cujus tamen contrarium solent virgines desiderare, quæ et solitæ erant vias illas sua frequentia ornare. Pro tertio sequitur : *Et ipsa Sion oppressa est amaritudine,* captivitatis et doloris, oppressa, id est, sic pressa, ut nec valeat ad gaudium se recipere.

Allegorice, *Sacerdotes ejus gementes,* etc., non jam pro peccatis; sed gemunt præ magnitudine curarum, et inquietatione divitiarum, quæ sunt spinæ pungentes, et gemitum provocantes [8] : « Gigantes gemunt sub aquis. » Petrus, non sic, sed [9] super aquas ambulavit. *In captivitatem ducti sunt,* qui a studio curæ cœlestis in carcerem mundanæ sollicitudinis ceciderunt, et hoc quantum ad statum prælatorum. Pro statu vero contemptorum séquitur : *Virgines ejus squalidæ :* virgines incorruptionem mentis in statu contemplationis sectantes; *squalidæ*, squalore vitiorum, vel sordidatæ (*b*) [10] : « Fatuæ autem, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, » id est, nitorem conscientiæ, vel puritatem in corde minime habuerunt. Sed pro statu multitudinis aliorum sequitur : *Et ipsa Sion,* scilicet Ecclesiæ multitudo; *oppressa amaritudine*, litium et discordiarum ; vel ipsa Ecclesia universalis in pace et prosperitate corporalium [11] : « Ecce in pace amaritudo mea amarissima. »

Moraliter, *sacerdotes* sunt synderesis contra multitudinem malorum remurmurans;

[1] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XV, al. XXVII, n. 43. — [2] *Psal.* CXVII, 27. — [3] *Jerem.*, XIV, 2. — [4] *Isa.*, II, 3. — [5] *Nahum.*, II, 6.— [6] *Jerem.*, IX, 21.— [7] *Joel.*, I, 9. — [8] *Job*, XXVI, 5. — [9] *Matth.*, XIV, 29. — [10] *Matth.*, XXV, 3. — [11] *Isa.*, XXXVIII, 17.

(*a*) *Vulg.* obscuratæ. — (*b*) *Cæt. edit.* sorditate.

virgo squalida est intentio in bono opere depravata : quæ duo accidunt, cum clerici multa mala aperte faciunt, et cum quædam bona faciunt intentione corrupta ; unde sequitur : *Ipsa oppressa*, anima misera, *amaritudine*, id est, sarcina peccatorum.

5. *He. Facti sunt hostes*, etc. Hic describit miseriam captivitatis, quantum ad conditiones adversariorum ; et habet quatuor partes : primo describit dominationem ; deinde rapacitatem : *Inimici ejus locupletati*, etc. ; tertio ferocitatem, quia nec parvulis pepercerunt, ibi : *Parvuli ejus*, etc. ; quarto tyrannicam potestatem, ibi : *Egressus est a filia*, etc. Huic autem clausulæ præmittitur littera *He*, quæ interpretatur *Ista*, quod est pronomen demonstrativum ad oculum ; quasi dicat : Ecce ad sensum impleta sunt, quæ a Domino prædicta fuerunt. [1] « Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras, » etc. Sequitur : *Facti sunt hostes ejus*, populi judaici, *in capite*, id est, habentes dominium [2] : « Ipsa erit in caput, et tu eris in caudam. » Pro quorum rapacitate subdit : *Inimici ejus locupletati sunt*, sicut dicitur [3] : « Nabuchodonosor accepit thesaurum Domini, et thesauros domus regiæ. » *Quia Dominus locutus est super eam :* hic est octavus locus conquestionis : non ex necessitate essendi, sed consequentiæ [4], sicut dicitur [5] : « Non poterant credere, quia dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, » etc. Unde Jeremias vult dicere hic : Non ideo hæc venerunt, quia a Domino prædicta sunt ; sed quia ventura erant, prædicta sunt. Dicit ergo : *Quia Dominus locutus est super eam*, scilicet ventura prædicendo super Judæam, *propter multitudinem iniquitatum ejus :* [6] « Tradet te Dominus corruentem ante hostes suos. » [7] « Effundam super te indignationem meam in igne furoris mei. » Sed hostium ostendens ferocitatem, subdit : *Parvuli ejus*, quibus propter ætatem esset parcendum, *ducti sunt in captivitatem*, Babyloniæ, *ante faciem tribulantis*, id est, populi Chaldæorum atrociter et severe ; non sicut dicit Jacob [8] : « Nosti, Domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves, ac boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. »

Allegorice, hostes fiunt in capite, cum indigni præficiuntur Ecclesiæ, maxime illi quæ est caput aliarum ; qui non quærunt, nisi quæ sua sunt : ideo sequitur : *Inimici ejus locupletati sunt*, quia nihil aliud quærunt [9] : « Abundant tabernacula prædonum, et audacter Deum provocant. » Prædones sunt, quicumque stipendia Ecclesiæ recipiunt, et communi utilitati non incumbunt. Vel *inimici*, id est, dæmones, *locupletati sunt*, dum multitudo hominum subjicitur diabolicæ servituti, paucis Christo adhærentibus [10] : « Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ : non est botrus ad comedendum. » *Quia Dominus locutus est super eam*, in pœnam ejus : propter enim demerita subditorum permittit Dominus præfici pastorem detestandum [11] : « Dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis. » Ex quo sequitur multiplex ulterius subversio subditorum [12] : « Facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, sed pascebant pastores semetipsos. » *Parvuli*, id est, simplices, in quibus solebat innocentia florere ; *ducti sunt in captivitatem*, peccati ; *ante faciem tribulantis*, id est diaboli. Illi ante faciem diaboli ducuntur, qui tentationem præveniunt, et sponte in crimina præcipitantur. Moraliter hostes sunt in capite, quando voluntas rationis inclinatur ad consensum malæ suggestionis, vel quando depravatur oculus intentionis. Vel fiunt in capite, quando in adolescentia quis incipit diabolo servire : aliquos enim capit in fine

[1] *Deut.*, XXVIII, 36. — [2] Ibid., 44. — [3] IV *Reg.*, XXV, 13 et seq., quoad sensum. — [4] *Cf.* quæ dicta sunt ab auctore in I *Sent.*, dist. XXXVIII, art. 2, q. II. — [5] *Joan.*, XII, 39. — [6] *Deut.*, XXVIII, 25. — [7] *Ezech.*, XXI, 31. — [8] *Gen.*, XXXIII, 13. — [9] *Job*, XII, 6. — [10] *Mich.*, VII, 1. — [11] *Isa.*, III, 4. — [12] *Ezech.*, XXXIV, 8.

vitæ [1] : « Ipse insidiabitur (*a*) calcaneo suo; » [2] « Ipsi calcaneum meum observabunt. » Sed quando fit hostis in capite, diabolo faciliter datur totum tempus vitæ, contra illud [3] : « Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli. » Quod non faciunt, nisi qui modicæ sunt virtutis : ideo per parvulos designantur [4] : « Aversio parvulorum interficiet eos. » [5] « Si quis (*b*) est parvulus, declinet ad me. »

6. *Et egressus est*, etc. Hic describit hostium formidabilem potestatem per effectum et triumphum : primo, respectu omnium insignium personarum; secundo, respectu principum et majorum, ibi : *Facti sunt principes ejus*, etc. Huic clausulæ præponitur littera *Vav*, quæ interpretatur *Dominium adversariorum*; quasi dicat : Prædictæ severitati hæc est adjungenda. Dicit ergo : *Et egressus est*, in captivitatem, *a filia Sion*, id est, a civitate Jerusalem, quæ dicitur filia Sion. Sicut enim mater videtur protegere filiam, sic arx Sion civitatem sibi subditam defendebat. *Omnis decor ejus*, id est, reges, principes, sacerdotes, et prophetæ, homines strenui ad arma, periti ad consilia, juxta illud [6] : « Ecce ego dominator Dominus exercituum auferam ab Jerusalem et ab Juda validum, et fortem, et virum bellatorem, et judicem, et prophetam, » etc. Sequitur pro deletione principum speciali : *Facti sunt principes ejus velut arietes, non invenientes pascua.* Cum enim sunt arietes debiles et vagi, faciliter in lupos insidiantes incidunt. In tempore obsidionis principes illi fame et inedia pressi, dissolutis viribus, pavido corde, non defensionem, sed fugam certe meditabantur; unde sequitur : *Et abierunt absque fortitudine*, fame quippe attenuati, et timore confracti; *ante faciem subsequentis*, populi scilicet Chaldæi.

Allegorice, ut dicit Rabanus, sententia arguuntur negligentes rectores Ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani. Vel filia Sion statum significat clericorum a quibus egressus est omnis decor, ut humilitas, castitas, cæteræque virtutes. Vel decor egreditur, quando homo non confitetur [7] : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. » *Facti sunt principes ejus sicut arietes*, qui esse solent duces gregis : aries cum vagatur, pascua non inveniens, gregem ad periculum ducit. Pascua non invenit, qui Scripturas non intelligit; qui spiritus suavitatem in corde non sentit, et ideo exteriores vanitates pro solatiis quærit. E contra de bono pastore dicitur [8] : « Per me si quis introierit, ingredietur » ad contemplationem; egredietur ad curam pastoralem, « et pascua inveniet. » E contra dicitur de istis : *Non invenientes pascua;* ideo sequitur : *Et abierunt absque fortitudine*, tentationibus faciliter succumbentes. [9] « Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos muros pro domo Israel. »

7. *Recordata est*, etc. Huic versui libri plures habent præmissum, *Et;* unde habent : *Et recordata est*, etc. Quod esse non potest, quoniam hæc clausula in hebræo incipit hic sic : Zacherah, etc., quod interpretatur Recordata : quod si *Et* præcederet, non inciperet versus iste a *Zain*, et deficeret ordo alphabeti. Hic ergo exaggerat captivitatis miseriam ex rememoratione præteritorum : primo flagellorum multiplicium propter peccata sua; deinde et consolationum, quas habuerat ex gratia divina : *Et omnium desiderabilium*, etc. Huic clausulæ præmittitur littera *Zain*, et interpretatur *Hæc* : et profecto hæc est ultio divina, ut ad calamitatis exaggerationem habeat præteritorum rememorationem. Vel, ut dicit Rabanus, hæc quatuor in una sunt connexione computanda, *He*, *Vav*, *Zain*, *Heth*, quod est dictu : Ista, et hæc vita justitiæ, (*c*) subdatur qui contra Domini beneplacitum tractat. Dicit ergo : *Recordata est*, etc. Constructio ibi est inci-

[1] *Gen.*, III, 15. — [2] *Psal.* LV, 6. — [3] *Prov.*, V, 9. — [4] *Prov.*, I, 32. — [5] *Prov.*, IX, 4. — [6] *Isa.*, III, 1. — [7] *Psal.* XCV, 6. — [8] *Joan.*, X, 9. — [9] *Ezech.*, XV, 5.

(*a*) *Leg.* insidiaberis. — (*b*) *Cæt. edit.* eos. Quis. — (*c*) *Suppl.* cui.

pienda : *Cum caderet populus ejus*, scilicet Judæorum, *in manu hostili*, scilicet Chaldæorum : *et non esset auxiliator*, propter peccata sua, Dei auxilio subtracto : tunc, dico, *recordata est Jerusalem*, continens pro contento, *dierum afflictionis suæ*, quibus Dominus eam multiplici flagello afflixit, ut vel sic converteretur, unde in *Psalmo* [1] : « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. » Et repete : *Recordata est prævaricationis suæ*, id est, transgressionis, propter quam meruit a Domino flagellari. Et repete : *Et recordata est omnium desiderabilium*, id est, bonorum, quæ Deus ei contulerat, *quæ habuerat a diebus antiquis*, in Ægypto, et in deserto, et in terra promissionis; vel tempore Salomonis, quando in prosperitate maxima Judæi floruerunt. Et hæc omnia calamitatem exaggerant per multiplicem mali illationem : quæ etiam exaggerant per boni vilipensationem, cultus scilicet divini, quo Deum solebat placare, et de hostibus triumphare. Unde : *Viderunt eam hostes*, Chaldæi; et *deriserunt sabbata*, quia vere risu digna : quia erant ad impetrandam gratiam invalida : quiescebant enim ab opere exteriori, non ab opere criminali, vix intenti divinæ legis meditationi. Unde [2] : « Sabbata ejus in opprobrium. »

Allegorice, Jerusalem, id est, Ecclesia vel anima contemplativa in tribulatione posita, *recordata est dierum afflictionis suæ*, quibus aliqua tentatione gravi probabatur [3] : « Afflictus sum, et humiliatus sum nimis; » [4] « In amaritudinibus moratur oculus meus. Vel *prævaricationis*, quæ flagelli exactione purgabatur; *desiderabilium suorum*, id est, æternorum bonorum [5] : « In die malorum ne immemor sis bonorum. » Hac quidem recordatione sunt assidue revocanda mala pœnalia, ut vita præsens contemptui habeatur [6] : « Hæc est infirmitas mea, portabo illam. » Hinc peccantes per gemitum assiduum experientur [7] : « Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam : et prima opera fac : » [8] « Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. » Item sunt assidue revocanda beneficia divina, sive præterita, sive futura, ut continue ametur : ideo dicit : *Omnium desiderabilium suorum* : [9] Memores uberum tuorum super vinum. » Sed quidam nimis tarde ista recogitant : pro quibus sequitur : *Cum caderet populus ejus*, id est, diversæ personæ Ecclesiæ, et cogitationes, et defensiones; nec omnes singulariter animæ : *in manu hostili*, id est, in potestate diaboli, *et non esset auxiliator*, Deo deserente, nec homine subvenire valente [10] : « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. » Et istud intelligitur secundum regulam Ciceronis, quando transitur de specie ad genus : quoniam cum mali laborant, bonorum præteritorum recordantur; sic [11] : « Cum occideret eos, quærebant eum. » *Viderunt eam*, scilicet Jerusalem, id est anima contemplativa; *hostes*, id est, dæmones. *Et deriserunt*, etc. : Rabanus : « Hostes videntes sabbata, derident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt : unaquæquæ enim anima, quo remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis cor tyrannidi illicita cogitando famulatur. Sancti enim viri, qui a mundi operibus non corpore, sed virtute sapiunt, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt. » Hæc Rabanus. Et similiter Gregorius, super illud *Job* [12] : *Quando solet sopor occupare homines*, de desidiosis dicit [13] : « Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium (*a*) congerant. »

8. *Peccatum peccavit*, etc. Hæc est secunda

[1] *Psal.* LXXXVIII, 33. — [2] I *Mach.*, I, 4. — [3] *Psal.* XXXVII, 9. — [4] *Job*, XVII, 2. — [5] *Eccle.*, XI, 27. — [6] *Jerem.*, X, 19. — [7] *Apoc.*, II, 5. — [8] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [9] *Cant.*, I, 3. — [10] *Eccle.*, VII, 14. — [11] *Psal.* LXXVII, 34. — [12] *Job*, V, 13. — [13] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXII, al. XXI, n, 55. — (*a*) *Cæt. edit. add.* omne.

pars principalis hujus capituli, ubi subdit prædictæ dissolutionis rationem, pœnam tamen adjungens culpæ. Primo tangit peccata communiter, scilicet multitudinis; secundo specialiter illorum qui erant in statu prælationis, in sequenti versu : *Sordes ejus*, etc. In prima parte, primo tangit pœnæ gravitatem; secundo pœnæ multiplicitatem, ibi : *Propterea instabilis*, etc. Huic versui præmittitur littera *Heth*, quod interpretatur *Vita* : cujus expositio, si prædictis copuletur, patet, quod omnium prædictorum flagellorum causa est vita perversa. Vel aliter, ac si dicat : Ad hoc recitantur ista (*a*), ut convertatur, et vivat. Dicit ergo : *Peccatum peccavit*, quasi dicat : Peccata multiplicans frequentavit [1] : « Quam vilis facta es, nimis iterans vias ! » Vel peccatum singulariter intelligitur peccatum idololatriæ, pro quo fuerunt captivati ; vel peccatum crucifixionis dominicæ, pro quo fuerunt finaliter dispersi [2] : « Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. » *Propterea instabilis*, etc. : ecce pœna triplex : prima captivitatis; secunda gravis vilipensationis : *Omnes qui*, etc.; tertia consequentis anxietatis : *Ipsa autem gemens*, etc. Dicit ergo pro primo : *Propterea instabilis facta est*, migrans de terra sua, imo per totum orbem dispersa; sed pro secundo sequitur : *Omnes qui glorificabant eam*, tempore prosperitatis, spreverunt eam in adversitate, quando fuit captivata. Unde sequitur : *Quia viderunt ignominiam ejus*, id est, confusionem captivitatis. Supra, eodem capitulo [3] : « Omnes amici ejus spreverunt, » etc. Sed pro tertio sequitur : *Ipsa autem gemens : ipsa* Jerusalem, et accipitur continens pro contento; *gemens* propter afflictionis vehementiam : *et conversa est retrorsum*, ut respiceret civitatem et terram de qua exibat, sicut peregrini recedentes de solo natali, sæpe retrorsum respiciunt. Glossa hoc in bonum interpretatur : et ideo conversam retrorsum hoc in loco in bonam partem accipio : idcirco enim Deus inducit afflictionem super quemlibet hominem, ut convertatur ab errore, et vivat. Vel melius, in quibusdam Synagoga conversa est retrorsum, ut sequeretur Dominum cum Petro; in quibusdam vero, fractis cervicibus, retro cecidit cum Heli [4].

Allegorice, Ecclesia peccavit; ideo instabilis fuit, et a principio Orientis, in finem Occidentis transivit; et in illis, a quibus recessit, solam infidelitatem reliquit. Vel moraliter, Jerusalem, id est, Ecclesia peccavit peccatum cupiditatis et avaritiæ : ideo non stetit in præterita puritate : nec delectantur, qui ejusmodi sunt, in claustrali tranquillitate. Unde *omnes qui glorificabant eam*, dantes ei magna prædia, *spreverunt eam*, modo omnia conantes ei auferre; *quia viderunt ignominiam ejus*, cupiditatis et carnalitatis : quæ ignominiosa sunt in clericis et religiosis personis. Vel hoc dicitur de ecclesiasticis doctoribus, recidivantes religiosos redarguentibus. Unde Rabanus : « Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet; qui corripit peccatores; qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem, nec prævenit sententiam judicis sui. » *Ipsa autem gemens*, religio scilicet, vel Ecclesia, quantum ad aliquos bonos, vel malos aliquos pœnitentes; *conversa est retrorsum*, ad statum primitivæ honestatis [5] : « Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis, quam nunc. » *Psalmus* [6] : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. »

9. *Sordes ejus*, etc. Hic agit de peccatis majorum; et habet tres particulas : primo, ut dictum est, tangit potentiam prælatorum; secundo, peccatum consequens subditorum, ibi : *Nec est recordata*, etc.; tertio vehementiam pœnarum, ibi : *Deposita est vehementer*, etc. Huic sententiæ præmittitur littera *Teth*, quod interpretatur *Bonum* : quod secundum expositionem Rabani, in mysterio continetur

[1] *Jerem.*, II, 36. — [2] *Joan.*, XV, 22. — [3] *Thren.*, I, 2. — [4] I *Reg.*, IV, 18. — [5] *Osee*, II, 7. — [6] *Psal.* LXXXII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* ita.

sequentis litteræ, scilicet *Iod*, quod interpretatur principium. *Psalmus*[1] : « Bonum mihi, quia humiliasti me : » quia humiliatio via est ad veritatis cognitionem, et imploratione majestatis : unde sequitur in fine sequentis sententiæ : *Vide, Domine*, etc. Dicit ergo pro primo : *Sordes*, id est, peccatum, causaliter fuerunt, *in pedibus ejus*, id est, prælatis, a quibus debuerant expurgari (*a*), quia ipsi fuerunt peccatis sordidati, et causa peccati subditorum : fuerunt enim plures, et idololatræ[2] : « Peccaverunt ei, non filii ejus in sordibus. » Et fuerunt causa excæcationis eorum; unde sequitur : *Nec est recordata finis*, captivitatis quam prophetæ prædixerant. Vel ad litteram, *sordes in pedibus*, quia multitudo peditum ducebatur in captivitatem, juxta quod dicitur de Tyro[3] : « Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. » Sic in signum doloris et miseriæ dicitur de Miphiboseth[4], quod venit ad David illotis pedibus, et veste sordida. Sed pro vehementia pœnarum subditur : *Deposita est vehementer*, etc.; ubi tangitur vehementia flagelli et defectus omnis solatii, ibi : *Non habens*, etc. *Deposita*, id est, dejecta, vel humiliata; *vehementer*, de solio regni et sacerdotii[5] : « Sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida. » *Non habens consolatorem* :[6] « Recedite a me, amare flebo : nolite incumbere, ut consolemini super vastitate populi mei. » Allegorice, pedes prælati Ecclesiæ :[7] « Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. » In aliquorum horum ædibus sunt sordes gulæ[8] : « Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordium. » In aliorum, sordes luxuriæ[9] : « Mundare te volui; sed non es mundata a sordibus. » In multorum, avaritiæ[10] : « Calumniam patiens est Ephraim : quia cœpit abire per sordes, » scilicet stercora et egestiones terrenæ conscientiæ.[11] « Generatio quæ sibi munda videtur, et non est lota a sordibus suis. » *Non est recordata finis sui* :[12] « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Vel *finis*, id est, judicii[13] : « Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie. » *Deposita est vehementer*, de peccato in peccatum; *non habens consolatorem*, quia a se exclusum Spiritum sanctum consolatorem.

Vide, Domine, etc. Hæc est tertia pars capituli, quæ prædictæ tamen sententiæ copulatur, quia ex ipsa infertur : ubi ad se principaliter inclinare nititur cœlestem miserationem. Et habet quinque particulas : primo enim ponit istam implorationem; deinde tanquam motivum ad hoc, subdit inimicorum exaltationem, ibi : *Quoniam erectus*; tertio subdit templi dehonestationem et spoliationem, ibi : *Manum suam misit*; quarto populi afflictionem, ibi : *Omnis populus ejus gemens*; et ultimo incidenter implorat divinam miserationem : *Vide, Domine, et considera*. Cum hactenus Propheta planxerit civitatem, hic, mutata persona, introducit ipsam civitatem, seipsam plangentem : sed in sequentis versus initio introducitur vox Prophetæ, et consequenter usque in finem alterius versus, ibi : *Vide, Domine, et considera*, ubi iterum ejusdem vox repetitur. Dicit ergo : *Vide, Domine, afflictionem meam*; *vide* compatiens, et in adversarios desæviens; *quoniam erectus est inimicus*, contra te superbiens, non tibi, sed viribus suis triumphum tribuens[14] : « Aperi, Domine, oculos tuos, et vide; audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. » Et si hæc imploratio ad inimicos referatur, est locus indignationis primus; sed ad ipsam Judæam, est locus conquestionis nonus. Allegorice, inimicus erigitur, cum malus in Ecclesia indigne præficitur, sicut filii Heli[15], Ecclesiam fœdantes per luxuriam; vel cum hæretici per schisma contra Ecclesiam elevantur, sicut[16] Core (*b*)

[1] *Psal.* CXVIII, 71. — [2] *Deut.*, XXXII, 5. — [3] *Isa.*, XXIII, 7. — [4] II *Reg.*, XIX, 24. — [5] *Isa.*, XXX, 14. — [6] *Isa.*, XXII, 4. — [7] *Nahum*, I, 15. — [8] *Isa.*, XXVIII, 8. — [9] *Ezech.*, XXIV, 13. — [10] *Ose.*, V, 11. — [11] *Prov.*, XXX, 12. — [12] *Eccli.*, VII, 40. — [13] *Eccli.*, XXXVIII, 23. — [14] *Isa.*, XXXVII, 17. — [15] I *Reg.*, II, 12. — [16] *Num.*, XVI, 5.

(*a*) *Item* debuerat supputari. — (*b*) *Cæt. edit.* Chore.

et complices sui. Moraliter, inimicus erigitur, quando quis ad diaboli suggestionem incurvatur, et quasi instrumentum diaboli efficitur, sicut dicitur in persona dæmonum[1] : « Incurvare, ut transeamus. »

10. *Manum suam,* etc. Patet sententia hujus versus, cui præmittitur littera *Iod,* quod interpretatur *Principium;* cujus sententia patet ex prædictis. Vel aliter, quod hoc fuit principium præcipuum dejectionis Jerusalem, quoniam gentes in sanctuarium intraverunt. Hæc autem littera dupliciter exponitur : uno (*a*) modo secundum Rabanum sic : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, id est, omnia templi ornamenta pretiosa diripuit exercitus Chaldæorum, et ipsum templum vastavit. Quod autem sequitur, expositio est sententiæ præcedentis; et *Quia* non notat causam, sed concomitantiam quandam : *Quia vidit*, scilicet Judaica gens, *gentes*, scilicet Chaldæos, *ingressas sanctuarium suum*, id est, sancta sanctorum, quod erat sanctuarium illius populi, *de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam*[2] : « Ammonites et Moabites, etiam post decimam generationem, non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum. » Et de similibus simile judicium. Hæc ergo fuit causa geminæ desolationis Judæorum, scilicet, et quia desiderabilia rapuerant, et quia loca sancta introierant. Et secundum hæc, est hic locus conquestionis, in quo nostras fortunas deploramus Deo omnipotenti. Aliter exponitur, ut *Quia* sit materia causæ, sic : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, regnum, sacerdotium, vasa templi, et alia, Domino rectissime permittente, *quia vidit*, scilicet Dominus, *gentes ingressas in sanctuarium suum*, etc. Tanta enim familiaritate erant gentibus finitimis fœderati, ut eos in templum adducerent, unde[3] : « Sufficiant vobis scelera vestra, domus Israel, eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde et carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam. » Simile loquitur de Ezechia[4] : « Non fuit res, quam non ostenderet eis in thesauris meis. Et dixit Isaias : Ecce dies veniunt, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui, usque in diem hanc, in Babylonem. »

Allegorice, desiderabilia Ecclesiæ sunt status privilegiati prælatorum, quos diabolus in multis detinet carceratos, *quia vidit gentes*, id est, prælatos gentiliter viventes, vel pejus quam gentes, juxta quod dicitur[5] : « Vidit Judas omnia mala, quæ fecit Alcimus, et qui cum eo erant, filiis Israel, plus multo quam gentes. » *Ingressas*, non introductas, unde[6] : « Fures sunt et latrones. » *In sanctuarium suum*, id est, principales status Ecclesiæ : [7] « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam, » id est, puerorum poma portantium. *De quibus præceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam :*[8] « Non intrabit eunuchus attritis et amputatis testiculis Ecclesiam Dei, » hoc est, qui non possunt filios spirituales Ecclesiæ parere : quia nec habent in se semen scientiæ, nec virtutem vitæ.

11. *Omnis populus ejus gemens*, etc. Hic explicat populi afflictionem ratione obsidionis; et gemitum, ratione famis gravissimæ. Huic clausulæ præmittitur littera *Caph,* quæ interpretatur *Manus;* quasi : Hæc est operatio Dei, retribuens illis secundum merita. Dicit ergo : *Omnis populus ejus gemens*, præ obsidionis angustia; *et quærens panem*, non jam delicias, sed necessarium quærens panem ad sustentationem. Cujus famis vehementia patet ex hoc, quod sequitur : *Dederunt pretiosa quæque,* aurum, argentum, et lapides pretiosos, quasi tanta ac tanta erat panis inopia; *ad refocillandam animam*, non sustentandam in suo robore ductam, sed ad miseriam succurrendam, quod refocillatio significat. Josephus

[1] *Isa.*, LI, 23. — [2] *Deut.*, XXIII, 3. — [3] *Ezech.*, XLIV, 7. — [4] *Isa.*, XXXIX, 2, 5, 6. — [5] I *Mac.*, VII, 23. — [6] *Joan.*, X, 8. — [7] *Psal.* LXXVIII, 1. — [8] *Deut.*, XXIII, 1.

(*a*) *Edit. Ven.* unde.

dicit [1], quod in obsidione Jerusalem tanta fuit fames, quod populus obsessus quæcumque pretiosa dabat pro cibo, non sustentante modicum, sed refocillante tantum; tanta erat penuria et defectus : sicut patet etiam in *Historia Hegesippi*, et in *Historia Ecclesiastica*. Sed subdens divinæ pietatis inclinationem, infert : *Vide, Domine :* quæ vox est miseræ pro se loquentis Synagogæ : *Factam sum vilis*, id est, viliter et ignominiose tractata. *Vide* calamitatem, et *considera* ejus multiplicitatem, *quoniam facta sum vilis*, id est, viliter et ignominiose tractata.

Allegorice, post peccata prælatorum subdit peccata et miserias subditorum; unde dicit : *Omnis populus*, subditorum; *gemens :* boni prælatis malis condolentes, quod sua indignis dari vident; mali eorum felicitati invidentes. *Et quærens panem* verbi Dei : [2] « Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt; lingua eorum siti aruit. » *Dederunt pretiosa quæque :* hæc est ratio doloris vera, quia dant sua carnalia, et non spiritualia. Vel aliter, populus gemens, divitias et delicias, quibus abundare videt clericos, concupiscens, *quærens panem*, id est abundantiam temporalem, vel voluptatem : [3] « In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, cepe, et alia : » quæ solent oculos intuentium, et comedentium ad lacrymas provocare. Talis est hujus mundi prosperitas. Unde Augustinus ad Licentium [4] : « Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. » Isti dant *pretiosa quæque*, etc. : primo, vitam æternam : [5] « Inventa una pretiosa, dedit omnia sua (*a*), et comparavit eam : » isti e contrario illam vitam pretiosissimam dant pro re vilissima. Item dant virtutes et sapientiam, de qua *Job* [6] : « Nescit homo pretium ejus. » Item animam propriam : [7] « Mulier autem viri pretiosam animam capit. » Item passionem dominicam : [8] « Non corruptibilibus auro, vel argento empti estis, etc., sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati. » Et [9] : « Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes. » Hæc dant ad refocillandam animam, quam talibus satiare non prævalent : [10] « Comedunt, et non sunt satiati (*b*); fornicati sunt, et non cessaverunt. » Quia dicitur [11] : « Pretium enim scorti vix est unius panis : » quia non satiat, sicut panis; sed magis accendit esurientis voluntatem. Pro quibus Ecclesia ingemiscens, exclamat dicens : *Vide, Domine*, etc. Istud enim verbum electorum multitudinis est, quod pro aliis dicitur, ut inquit Glossa.

12. *O vos omnes*, etc. Hæc est quarta pars capituli, in qua (*c*) alios excitat ad compassionis affectum; secundo subdit multiplex compassionis incitamentum, scilicet triplex : primo per comparationem ad divinam severitatem; deinde per comparationem ad hostium importunitatem, ibi : *Expandit Sion manus*; tertio per comparationem ad falsorum amicorum deceptionem : *Vocavi amicos*. Excitans igitur ad compassionis affectum, dicit : *O vos omnes*, etc. Cui sententiæ præmittitur littera *Lamed*, et debet finire in *D*, non in *Ch*, et interpretatur *disciplina* sive *contritio* : et hoc ideo, quia hic agitur de castigatione Judææ per flagella, unde [12] : « Omnis disciplina videtur esse in præsenti non gaudii, sed mœroris. » Rabanus conjungit *Caph Lamed*, quod interpretatur *Manus contritionis*, vel *disciplinæ :* et hæc est quarta, secundum ipsum, connexio : manus intelligitur in opere; contritio et disciplina in sensu. Et est hæc vox reliquiarum Jerusalem plangentium sanctuarium destructum, templum profanatum, et cætera talia, ut patebit.

[1] Joseph., *de Bell. Jud.*, lib. VI, c. XI; lib. VII; Hegesip., lib. V, c. XXXIX; Euseb., *Hist. Eccl.*, lib. III, c. VI. — [2] *Isa.*, XLI, 17. — [3] *Num.*, XI, 5. — [4] Aug., *ad Licentium*, epist. XXXIX, al. XXVI, n. 2. — [5] *Matth.*, XIII, 46. — [6] *Job*, XXVIII, 13. — [7] *Prov.*, VI, 26. — [8] I *Petr.*, I, 19. — [9] *Hebr.*, VI, 6. — [10] *Ose.*, IV, 10. — [11] *Prov.*, VI, 26. — [12] *Hebr.*, XII, 11.

(*a*) *Edit. Ven.* pretiosa. — (*b*) *Vulg.* comedent, et non saturabuntur. — (*c*) *Suppl.* primo.

Ergo dicit : *O vos omnes, qui transitis per viam,* ad litteram, qui multas videtis ruinas; vel per viam dicit transeuntes, qui præsentem vitam, quasi viam transeunt: qui enim eam quasi patriam diligunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt. *Attendite*, diligenter considerando; *et videte*, comparando et compatiendo, *si est dolor* tantus, *sicut dolor meus;* quasi dicat : Si nulla alia civitas fuit unquam ita horribiliter destructa. *Quoniam vindemiavit :* ecce multiplex incitamentum compassionis : primo, ut dictum est, per comparationem ad divinam severitatem : et habet sex particulas: quia primo exprimit miseriam depopulationis ; deinde angustiam, aut vehementiam tribulationis : *De excelso misit;* tertio angustiam captivitatis : *Expandit rete;* quarto miseriam devastationis finalis : *Vigilavit jugum;* quinto specialiter ablationem meliorum et majorum personarum, ibi : *Abstulit omnes magnificos;* sexto infert consequentem desolationem dictarum reliquiarum, ibi : *Idcirco ego plorans.* Dicit ergo plangens depopulationem, primo : *Quoniam vindemiavit me Dominus*, per Chaldæos et Romanos : quia sicut qui vindemiant, omnia bona abscindunt, et pauca grana immatura relinquunt in vinea; sic pauci relicti sunt in Judæa ignobiles, cæteris interfectis, aut in captivitatem ductis. *Ut locutus est*, continue per Prophetas. *Vindemiavit*, inquam, *in die iræ furoris sui* : ira namque est voluntas puniendi : furor autem est ejusdem voluntas severa et implacabilis, sicut moris est hominibus furibundis. [1] « Quid ergo faciam vineæ meæ? auferam sepem ejus, et erit in direptionem : diruam (*a*) maceriam ejus, et erit in conculcationem : et ponam eam desertam, » etc.

Allegorice exponitur, ut sit vox Christi in cruce pendentis, et dicentis: *O vos*, etc.; vel animarum existentium in purgatorio, ac dicentium : *O vos omnes, qui transitis*, etc., quasi : Qui estis adhuc viatores, *attendite*, etc: Vel est vox Ecclesiæ in tribulatione constitutæ, quæ ab alienis impugnatur, a filiis propriis non defenditur, sed potius a plurimis dehonestatur: ob hoc, ad devotos suos exclamans, ait: *O vos omnes qui transitis per viam*, ut peregrini. Et [2]: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » *Sicut dolor meus* : [3] « Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. » Cujusmodi dolor est matris jugiter parturientis, vel filios mortuos plangentis, vel sponsi absentiam præstolantis, sive cum suis filiis inter adversarios exultantis. *Quoniam vindemiavit me Dominus*, id est, vindemiari permisit, cujus vindemiatores sunt dæmones. Et [4] : « Si vindemiatores introissent ad te, mungendo saltem, racemos reliquissent. »

Moraliter, vox est animæ veraciter pœnitentis : quia nulla major desolatio, quam separatio a Deo : [5] « Scito et vide, quoniam malum et amarum (*b*) est reliquisse Dominum Deum tuum. »

13. *De excelso.* Hic exprimit vehementiam tribulationis : primo exprimens ejus anxietatem ; deinde ejus utilitatem (*c*) : *Et erudivit me.* Huic sententiæ præponitur littera *Mem*, quod interpretatur *Ex ipsis;* quasi dicat : Ex ipsis Judæorum meritis est angustia adversitatis. Vel pro allegoria loquitur, quia ex ipsis Judæis fuerunt apostoli igne Spiritus sancti illustrati : et hæc est expositio Hieronymi. Dicit ergo : *De excelso*, scilicet cœli palatio; quia ex Deo rectissime providente, sine cujus nutu, naturæ ratione, nec Chaldæi potuissent ei nocuisse : [6] « Omnis potestas a Domino Deo est. » *Misit ignem,* id est, atrocissimam tribulationem, *in ossibus meis,* id est, in (*d*) intima mea : *ossa,* castra et munitiones intelliguntur : vel *in ossibus,* regibus et principibus, qui erant robur meum. Vel in hoc, incendium intelligitur templi et civitatis. *Et erudivit me :* quantum

[1] *Isa.*, v, 5, 6. — [2] *Hebr.*, xiii, 14. — [3] *Jerem.*, viii, 18. — [4] *Jerem.*, xlix, 9. — [5] *Jerem.*, ii, 19. — [6] *Rom.*, xiii, 1.

(*a*) *Edit. Ven.* dirigam. — (*b*) *Cæt. edit.* justum. — (*c*) *Edit. Ven.* vilitatem. — (*d*) *Cæt. edit.deest* in.

fuit in se, docuit me per adversitatem, quod in prosperitatis tempore capere nolebam. [1] « Per omne flagellum et errorem erudieris (a), Jerusalem, » secundum aliam litteram. [2] « Sola vexatio intellectum dabit auditui. » Et hoc etiam pro tanto verum est de Judæis; quia dicitur, quod post Babylonicam captivitatem nunquam fuerunt Judæi idololatræ, etsi aliis modis gravissime peccaverint. *Expandit:* ecce angustia captivitatis; *expandit* Dominus *rete,* captivitatis vinculum, *pedibus meis*, ne libere valeam ambulare, aut fugere : quod dicit, quia subito et improvise capta fuit civitas : [3] « Expandam rete meum super illum, et capietur in sagena mea; et adducam eum in Babylonem. » *Convertit me retrorsum*, in caudam, quæ prius in capite; et *retrorsum*, iterum captivando per Romanos post captivitatem Chaldæorum. *Posuit me desolatam*, id est a terreno solatio; *tota die,* id est continue, *mœrore confectam* : et juste, ut pro (b) malis, quæ sine intermissione fecerant, incessabiliter deplorarent.

Allegorice exponitur de missione Spiritus sancti, quod dicitur: *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me:* ubi describitur missio Spiritus sancti missibilis quantum ad quatuor : ad principium originale missionis, *De excelso* : [4] « Ossa mea sicut cremium aruerunt : » cremium est ab omni pinguedine desiccatum. Quantum ad terminum missionis, quia significatur per ossa, id est, Ecclesiæ membra fortia : [5] « Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. » Quantum ad sensibile signum, *Ignem.* [6] « Apparuerunt illis linguæ dispertitæ tanquam ignis. » Quantum ad illustrationis effectum, *Et erudivit :* [7] « Beatus homo, quem tu erudieris, Domine. » [8] « Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, » etc. *Expandit rete,* etc. Istud potest esse theoria de regeneratione Pauli apostoli, ut sicut in priori sententia describitur consummatio apostolorum, qui fuerunt comites divinæ peregrinationis : sic hic describitur vocatio Pauli doctoris egregii : quia sicut in peccato duo sunt, aversio a bono incommutabili, et conversio ad bonum commutabile; sic e contra in regeneratione duo sunt, aversio scilicet a bono commutabili, pro quo dicit : *Expandit rete pedibus meis*, et conversio ad bonum incommutabile, pro quo dicit : *Convertit me retrorsum :* retro enim sibi Christus erat, quem contempserat. Vel aliter, ad justificationem peccatoris duo exiguntur, scilicet præparatio liberi arbitrii, et infusio Spiritus sancti : præparatio autem non est de facili sine castigatione gravi, sicut de Paulo [9] legitur : quod significatur in expansione retis. Infusio Spiritus sancti, vel rectificatio liberi arbitrii, intelligitur in hoc quod dicit : *Convertit me retrorsum :* æterna siquidem, quibus inhærendum est toto corde, retro sunt, nec tantum peccatori ratione culpæ, sed cuilibet homini misero, propter inclinationem animæ in sensus et sensibilia. Unde dicit in hujus designationem Joannes [10] : « Audivi post me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis. » Hoc etiam adimpletur, quotiescumque per tribulationem castigatur : unde Augustinus, in *Confessionibus* [11] : « Tu semper aderas misericorditer sæviens, et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas. » Et Gregorius in *Registro* [12] : « Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cœlestium quotidie impellunt : qui mihi in hoc solum vehementer placere in hoc mundo aliquid non permittunt. » *Posuit me desolatam,* propter multitudinem peccatorum, et defectum bonorum operum : [13] « Vox in excelso audita est lamentationis, fletus et luctus : Rachel plorans filios suos, et nolens consolari super eis, quia non sunt. » Item desolatam propter pericula, et impedimentum terrenorum so-

Duo sunt in peccato.

Quæ exiguntur ad justificationem peccatoris.

[1] *Jerem.*, VI, 7, 8. — [2] *Isa.*, XXVIII, 19. — [3] *Ezech.*, XVII, 20. — [4] *Psal.* CI, 4. — [5] *Eccli.*, I, 5. — [6] *Act.*, II, 3. — [7] *Psal.* CXIII, 12. — [8] *Joan.*, XIV, 26. — [9] I *Cor.*, IX, 27. — [10] *Apoc.*, I, 10. — [11] Aug., *Confess.*, lib. II, c. II, n. 4. — [12] Greg., lib. IV, c. LXXIX. — [13] *Jerem.*, XXXI, 15. — (a) *Vulg.* Semper infirmitas et plaga. Erudire. LXX : Πόνῳ καὶ μάστιγι παιδευθήσῃ, id est, dolore et flagello erudieris. — (b) *Cæt. edit. deest* pro.

latiorum:[1] «Renuit consolari anima mea,» etc. *Tota die mœrore confectam*, pro pœnitentiæ amaritudine : [2] « Postquam convertisti me, egi pœnitentiam ; et postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. »

14. *Vigilavit*, etc. Hic plangit, ut dictum est, finalem et irremediabilem Synagogæ desolationem. Quam pœnam primo describit, ut inflictam juste; secundo, effectum ipsius pœnæ : *Infirmata est virtus*, etc. In prima parte insinuat misericordiam divinæ dilectionis: secundo finalem recenset severitatem ultionis : *Convolutæ sunt et impositæ;* similiter et æquitatem flagellationis. Huic autem sententiæ præmittitur littera *Nun*, quod interpretatur *Sempiternum*, significans subversionis ultimæ miseriam, quando Judæi per Romanos finaliter in perpetuum sunt dispersi. Dicit ergo : *Vigilavit*, quod diu dormire videbatur; id est, evigilavit : unde Rabanus : « Vigilare jugum dicit, quia tempus diu dilatæ vindictæ tandem in eam advenit (*a*). [3] « Quid tu vides, Jeremia (*b*)? Virgam vigilantem. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. » *Jugum iniquitatis* est pœna deprimens et coercens peccatores. *In manu Domini*, in quo potentia ejus operativa intelligitur, *convolutæ sunt iniquitates*, quasi in acervum reductæ, quæ videbantur dispersæ et in oblivionem datæ. *Et impositæ collo meo*, quasi pondus ad portandum impositæ in pœnam; sicut fit, cum imponitur collo latronis : [4] « Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi estis, domus Israel. » Collum significat voluntatem rationalem, quia sola voluntate copulamur (*c*), id est, Christo adhæremus, sicut per collum medium corpus capiti copulatur. Sed pro effectu pœnæ sequitur, *Infirmata*, etc., et notat duplicem effectum : scilicet ablationem potestatis, et perpetuitatem captivitatis, ibi : *Dedit me Dominus*. Dicit ergo : *Infirmata est virtus mea*, propter pœnæ gravitatem : [5] « Infirmata est in paupertate virtus mea. » *Dedit me Dominus in manu*, Romanorum, *de qua non potero surgere*, usque ad finem mundi. [6] « Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat. » Quod si exponatur de captivitate facta per Chaldæos, quæ duravit per septuaginta annos ; tunc exponendum sic : *De qua non potero*, id est, vix et de difficili potero, vel per me non potero *surgere*.

Allegorice, jugum vigilat, cum propter peccata Ecclesiam flagellat; quod collo imponitur, quando prælati propter peccata subditorum puniuntur præcepto divino [7] : « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis : » quod factum est, quia fornicatus est populus cum filiis Moab. Sic virtus Ecclesiæ infirmatur, quæ secundum id quod sequitur : *Dedit me*, etc., in finali condemnatione completur. Amplius infirmatur virtus per peccatorum frequentiam, quia quilibet actus peccati aliquid adimit de fortitudine et habilitate ad bonum. Dat Dominus in manu, vel quando virginitas amittitur, vel quando peccatum mortale committitur, de quo nullus per se sine Dei operatione reducitur : est enim homo [8] « spiritus vadens et non rediens. »

15. *Abstulit Dominus*, etc. Hic lamentatur subtractionem insigniorum personarum; et habet tres particulas : in prima parte deplorat stragem personarum ; secundo ipsum temporum infortunium : *Vocavit adversum me*, etc.; tertio deplorat miseriam reliquiarum, ibi : *Idcirco*, etc. Huic sententiæ præmittitur littera *Samech*, et interpretatur *Adjutorium* : in quo innuitur dominici adjutorii ablati lamentatio. Rabanus conjungit hæc tria : *Men*, *Nun*, *Samech* : quæ simul juncta interpretatur : *Ex ipsis sempiternum adjutorium : ex ipsis*, scilicet Scripturis, secundum ipsum; et est quinta connexio. Dicit ergo : *Abstulit omnes magnificos meos*, id est magna facientes, *de medio mei*,

[1] *Ps.* LXXVI, 3. — [2] *Jer.*, XXXI, 19. — [3] *Jer.*, I, 11. — [4] *Jer.*, II, 26. — [5] *Ps.* XXX, 11, 12. — [6] *Amos.*, V, 1. — [7] *Num*, XXV, 4. — [8] *Ps.* LXXVII, 39. — (*a*) *Cæt. edit.* advertit. — (*b*) *Item* Hieremias. — (*c*) *Item* capimus.

ut reges, principes, sacerdotes, virtuosos. Magnificus enim est, qui in omni opere virtutis eligit quod perfectius est : unde magnificentia est decus et ornamentum divinarum humanarumque omnium virtutum. *Vocavit adversus me tempus*, quasi non sit istud casu factum, sed ad hoc tempus divinitus provisum [1] : « Adesse festinant tempora. » *Ut contereret electos meos*, honore aut gratia cæteris majores. Unde sequitur : *Torcular calcavit*, in quo vehementia oppressionis designatur. Et dicit, *Torcular*, etc., ut insinuet, ut dictum est, miseriam reliquiarum : quoniam sicut in torculari quidquid purum est, eliquatur, et quod impurum est, remanet in pressura ; sic in Judæorum obsidione nobiles fuerunt in captivitatem ducti, ignobiles autem et pauperes quasi aridi derelicti.

Magnificus quis.

Allegorice, *magnifici* intelliguntur prælati, qui tunc auferuntur, quando caduca et vilia, quæ exigua sunt, quærunt, magna et æterna derelinquunt [2] : Adducet magistratus quasi lutum, et quasi plastes conculcans humum. » Igitur auferuntur de medio, et mali non sunt in medio, sed in angulo. Debet enim prælatus esse in medio omnium per humilitatem : [3] « Rectorem te posuerunt, noli extolli : esto in illis, quasi unus ex eis ; » item per communitatem, ut nullius personam acceptet [4] : « Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. » [5] « In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens, » etc. Item per omnium diligentem consideratione : [6] « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, » et [7] : « In medio populi polluta labia habentis ego habito. » Item per pacis confirmationem, et conservationem [8] : « Stetit Jesus in medio » doctorum, vel discipulorum, « et dixit illis : Pax vobis. » *Vocavit adversum me*, etc. De toto tempore exigetur (*a*). Bernardus : « Sicut capillus capitis, sic momentum de tempore non peribit. » *Ut conterat electos meos*, actus condemnet, quos optimos reputabam : [9] « Est via, quæ videtur homini recta, et novissima hujus ducunt ad interitum. » In torculari angustia tribulationis, non pœnitentialis intelligitur : in torculari enim vinum eliquatur, quo reficiuntur homines : remanent fæces, quæ deprimuntur : sic per pœnitentiam electi probantur ad mensam Domini, et rapiuntur ; mali affliguntur, et murmurationis merito internis incendiis comburuntur. Unde pro bonis dicitur [10] : « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. » De malis [11] : « Ut lutum platearum delebo eos. » Vel torcular, secundum Glossam, est passio Christi [12] : « Torcular calcavi solus : » et propter hoc vinum premitur de torcularibus, id est salus de imitationibus dominicæ passionis. Et potest esse thema in passione : quia primo notatur passionis angustia in torculari ; secundo, patientis potentia in calcatione ejusdem ; tertio, efficacia notatur in virgine filia Judæ.

16. *Idcirco ego plorans*, etc. Ecce consequens prædicta flagella desolatio reliquiarum, ubi primo præmittit desolationem ; secundo desolationis intensionem : *Et oculus meus* ; tertio utriusque rationem : *Quia longe*. Huic sententiæ præmittitur littera *Ain*, quod interpretatur *Fons*, sive *oculus*, alludens sententiæ sequenti, in qua oculi, velut fontes, aquarum abundantia dicuntur irrigui. Dicit ergo : *Idcirco ego plorans*, id est, gens residua. Hieronymus tamen exponit hoc de propheta Jeremia. Inde intensio doloris subditur : *Et oculus meus deducens aquam*, id est, magnam lacrymarum inundantiam, et fontem lacrymarum. Supra, capitulo eodem [13] : « Plorans, ploravit, » etc. *Quia longe* : ecce ratio desolationis, subtractio divinæ consolationis, et execratio populi

[1] *Deut.*, XXXII, 35. — [2] *Isa.*, XLI, 25. — [3] *Eccli.*, XXXII, 1. — [4] *Psal.* LXVII, 24. — [5] *Prov.*, VIII, 2. — [6] *Prov.*, XXVII, 23. — [7] *Isa.*, VI, 5. — [8] *Luc.*, II 46 ; *Joan.*, XX, 19, 26. — [9] *Prov.*, XVI, 25. — [10] *Gen.*, XLIX, 11. — [11] *Psal.* XVII, 43. — [12] *Isa.*, LXIII, 3. — [13] *Thren.*, I, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* exigentiam.

delinquentis : *Facti sunt.* Dicit ergo, *quia longe factus est a me consolator,* Deus, propter peccatum [1] : « Longe enim a peccatoribus salus. » *Convertens animam meam,* ad bonum : nullus enim ad bonum convertitur, nisi prius in bono delectetur. Augustinus [2] : « Ut amori justitiæ non præponamus omnia, quæ delectant; ipse est primus gradus, ut inter omnia, quæ delectant, plus delectet ipsa justitia. » Pro secundo sequitur : *Facti sunt filii mei perditi*, ad litteram, unde [3] : « Adduxit mihi luctum magnum : vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, et filiarum mearum. » Sed causa causæ sequitur : *Quoniam invaluit inimicus*, id est, prævaluit.

Allegorice, vox est Ecclesiæ, vel animæ sanctæ, quæ sponsi sui deplorat absentiam. Sed deploratio efficax non est, nisi continuetur : unde ille a Domino consolari videtur, qui servat cor, scilicet continue lacrymosum, nullum admittens interruptivum solatium. Augustinus : « Consolari nolo vos, nisi primum venia reduxerit vos. » Et hoc est, oculum facere fontem aquæ. *Quia longe factus est,* etc., propter peccata mea. E contrario cum præsens sit consolator, non habent locum amaritudinis lacrymæ : [4] « Numquid possunt lugere filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus? » *Facti sunt filii mei perditi,* falsi Christiani. Vel de anima singulari intelligitur [5] : « Ephraim adducet filios suos ad interfectorem. » Ephraim interpretatur *frugifer* : quia filii Ecclesiæ prosperitate et affluentia præcipue corrumpuntur.

17. *Expandit Sion*, etc. Hic secundo, post declaratam a se divinam severitatem, subdit compassionis incentivum, hostium scilicet importunitatem, primo describens oppressionis miseriam; secundo ipsius pœnæ justitiam, ibi : *Audite, obsecro.* In prima parte, quia hostes tunc maxime sunt molesti, quando illi, quorum sunt hostes, sunt in angustia constituti; ideo primo describit contra Judæos adjutorii et solatii indigentiam; deinde subdit adversariorum impugnantiam, ibi : *Mandavit Dominus*; tertio consequentem Judæorum ignominiam, ibi : *Facta est Jerusalem.* Huic sententiæ præmittitur littera *Phe*, quæ interpretatur *os* ab *ore,* non ab *osse*; vel *oris* genitive, quasi dicat : Major est obsessio mei, quam lingua valeat enarrare : unde etiam manuum extensione prætenditur. Dicit ergo : *Expandit*, sicut periclitans, requirens adjutorem; vel in signum afflictionis maximæ (*a*), sicut solent afflicti gravi morbo facere, et mulieres parturientes. *Sion* : continens pro contento : *Non est qui consoletur eam,* dominico subtracto solatio, et divino flagellante judicio [6] : « Unde quæram consolatorem? » *Mandavit Dominus adversus Jacob,* id est, duas tribus Juda et Benjamin, de ejus genere et nomine gloriantes, mandavit quantum ad pœnæ justitiam, non quantum ad punientium malitiam. *In circuitu ejus hostes ejus*, unde [7] : « Nabuchodonosor, et omnis exercitus ejus, circumdederunt civitatem, et extruerunt in circuitu ejus munitiones. » Sed pro consequenti ignominia subdit : *Facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos : Jerusalem* (continens pro contento) facta est quasi polluta menstruis, id est, immunda reputata, et abominabilis : et hoc dicitur, secundum Rabanum, quia sanguinolenta opera, et carnalia desideria noluit vitare; unde subdit Rabanus : « Menstrua fœditas est, cum per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur. »

Allegorice, *Sion*, id est Ecclesia in prælatis sanctis, *expandit manus suas*, pro subditis orando, unde [8] : « Cum levaret Moyses manus, vincebat Israel. » *Non est qui consoletur eam*, bene faciendo [9] : « Omnes namque declinaverunt, simul inutiles facti sunt. »

[1] *Psal.* CXVIII, 155. — [2] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XVII, al. CLIX, n. 2. — [3] *Baruc.*, IV, 9. — [4] *Matth.*, IX, 15. — [5] *Ose.*, IX, 13. — [6] *Nahum*, III, 7. — [7] IV *Reg.*, XXV, 10. — [8] *Exod.*, XVII, 11. — [9] *Psal.* XIII, 3. — (*a*) *Edit. Ven.* maximum.

Mandavit Dominus, etc. : hoc specialiter impletur, cum tribulationes hæreticorum et aliorum contra Ecclesiam suscitantur; præcipue cum carnalitates et carni placentia prædicantur, tunc Jerusalem, quasi polluta menstruis, plangitur; pro quo *Isaias* [1] : « Facti sumus ut immundus omnes nos; quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. »

Moraliter, Sion animam significat, quæ fuit speculatrix Dei; sed in vitia relapsa, ad Dei consolationes frustra se erigit, quia potius gravibus vexatur (*a*) tentationibus; et medico indiget, non sponso.

18. *Justus est Dominus*, etc. Ecce hic secundo, post pœnæ exaggerationem, subdit pœnæ justitiam, recognoscens eam sibi juste fuisse illatam, dicens : *Justus est Dominus*. Cui sententiæ præmittitur littera *Sadi* (*b*), quod *justitiæ* interpretatur, et satis convenit proposito. Exinde Rabanus facit hic sextam connexionem trium præcedentium litterarum *Ain*, *Phe*, *Sadi*, quæ interpretantur simul *fons*, sive *oculus*, *oris justitiæ*. Dicit ergo : *Justus est Dominus*, me affligendo : *quia os ejus ad iracundiam provocavi; os ejus*, id est, ipsum mihi per Prophetas loquentem [2] : « Ephraim in amaritudinibus suis provocavit me. » Quod a sensu morali non discrepat, ubi docetur omnem pœnam æquanimiter esse ferendam; unde Gregorius [3] : « Si justa placere Domino scimus; pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus : justa sunt cuncta, quæ patimur; et valde injustum est, si de illa (*c*) passione murmuramus. » Glossa dicit super hoc : « Deprecatio est spes concessionis : » quæ est color rhetoricus, unde Tullius [4] : « Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. » *Audite, obsecro* : ecce iterat conclusivæ suæ desolationis querimoniam, ubi primo invitat omnes ad compassionem; deinde subdit compatiendi rationem : *Virgines meæ*, etc. Ubi datur intelligi : Quanto aliquis plus luget, tanto videt amplius esse lugendum. Dicit ergo : *Audite, obsecro, universi populi*. Supra invitaverat ad compatiendum aliquos; hic invitat universos : talis enim est usus humani affectus, ut dicit Rabanus, ut doloris sui, sive gaudii, alios quærat esse participes, quatenus illorum solatio illatum onus tristitiæ, sive lætitiæ, facilius portet. *Et videte dolorem meum : audite* verba querimoniæ; *videte* multiplicitatem miseriæ. *Virgines meæ*, ex quibus expectari posset successio posteritatis; *et juvenes mei*, ex quibus expectari potest auxilium defensionis; *abierunt in captivitatem* Babylonis. Vel juvenes pro parvulis accipiuntur, ut sit hic octavus locus indignationis, quia tales nec se nec alios possunt defendere.

Allegorice, *virgines* Ecclesiæ particulares [5] : « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. » Juvenes etiam abeunt in captivitatem, cum regenerati seducuntur hæretica pravitate, sicut patet in Ecclesia orientali : ibi statim regenerati multiplici imbuuntur errore. Vel in virginibus pudicitia, simplicitas, et mansuetudo; in juvenibus zelus, amor, fortitudo, magnanimitas : hæc vadunt in captivitatem per defectum prudentiæ : unde [6] Roboam, rejecto consilio seniorum, adhæsit consilio juvenum. Vel virgines vadunt in captivitatem in fatuis virginibus, quæ superbiunt de virginitate, et nullis aliis bonis operibus adornantur. Vel castæ intentiones et cogitationes significantur per virgines; sicut per juvenes, robustæ afflictiones : quæ ducuntur in captivitatem, cum peccatum mortale occupat mentem.

19. *Vocavi amicos*, etc. Ecce tertium incentivum compassionis, scilicet consideratio fraudum falsorum amicorum. Ubi præmittit ipsorum deceptionem; deinde consequentem ipsius desolationem : *Sacerdotes mei*, etc. Huic clausulæ præmittitur littera *Coph*, quæ

[1] *Isa.*, LXIV, 6. — [2] *Ose.*, XII, 14. — [3] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XII, al. XVIII, n. 31. — [4] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [5] II *Cor.*, XI, 2. — [6] III *Reg.*, XII, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* taxatur. — (*b*) Vulg. *Sade*, et sic deinceps. — (*c*) *Al.* justa.

interpretatur *Vocatio;* et congruit ei, quod sequitur : *Vocavi amicos*, ad litteram, Ægyptiacos, quos mihi tanquam fœderatos putabam amicos : et hæc fuit una præcipuarum causarum destructionis Jerusalem, quia scilicet innixi sunt auxilio Ægypti; unde [1] : « Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti, » id est, ignominia; unde sequitur : *Et ipsi deceperunt me :* [2] « Omnis amicus fraudulenter incedit : » quia, ut dicit Glossa, in tempore primæ et ultimæ captivitatis nullum eis auxilium præbuerunt. Unde Rabanus : « Patet, quod per antiphrasim ille amicus dicatur, qui deceptor est probatus; sunt enim qui dicuntur amici : sed magis ostenduntur esse inimici, quia egrediuntur ad inimicitiam. » *Sacerdotes mei,* quibus debetur amplior reverentia, pro auctoritate; *et senes mei*, quos ætas facit reverendos; *in urbe* Jerosolyma, *consumpti sunt* peste, gladio, vel famis inopia; *quia quæsierunt cibum sibi*, et non invenerunt, *ut refocillarent animam suam;* non dicit : Ut sustentarent. Quæ omnia, etsi pluries contigerint, maxime tamen in subversione facta per Romanos. Et est hic decimus quartus locus conquestionis, ubi res ipsæ quasi sensibiliter explicantur, ut judex ad misericordiam inflectatur.

Allegorice, *Amici,* id est, clerici illi, qui vocati ab Ecclesia, ipsam decipiunt, cum stipendia recipiunt, et communi utilitati non vivunt; vel decipiunt Ecclesiam, qui plures pingues recipiunt præbendas : ubi enim Ecclesia deberet et posset habere plures idoneos servientes, non habet nisi unum virum indignum (*a*). Nec est mediocris Ecclesiæ injuria, cum lucro servorum suorum per cupiditatem (*b*) aliquorum Ecclesia defraudatur. *Sacerdotes ejus consumpti sunt,* in peccatis viam infelicem terminantes.

Moraliter, homo habet tres amicos : primus est caro, de qua [3] : « Nemo unquam carnem suam odio habuit : » iste amicus decipit, ducens ad suspendium sibi consentientes [4] : « Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum : statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam. » Secundus amicus est mundus, qui parat funem, vel laqueum, unde Apostolus [5] : « Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum et in tentationem diaboli, » etc. Tertius est diabolus, qui suspendit sibi consentientem [6] : « Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis. » *Quæsierunt sacerdotes cibum*, et non salutem animarum [7] : « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. »

20. *Vide, Domine,* etc. Ecce vigesima pars capituli, ubi excitat in adversarios Dei indignationem. Et primo præmittit in summa calamitatem; deinde inimicorum iniquitatem : *Omnes amici mei*, etc.; tertio infert suam intentionem ultimo versu, ibi : *Ingrediatur omne malum.* Calamitatem suam describit quantum ad quatuor : primo quantum ad angustias corporales, quæ intelliguntur in turbatione ventris; secundo quantum ad angustias spirituales, quæ intelliguntur in subversione cordis; tertio quantum ad angustias universales, quæ intelliguntur per : *Foris est gladius*; quarto quantum ad angustias irremediabiles, in principio versus sequentis, ibi : *Audierunt*, etc. Huic versui præmittitur littera *Res*, quæ interpretatur *Capitis*, quia hic describitur tribulatio ad intima cordis perveniens. Dicit ergo : *Vide, Domine*, ut mihi compatiaris, et contra adversarios indigneris; *quoniam tribulor*, quam tribulationem explanans, subdit : *Venter meus conturbatus est*, quasi parturientis, cui est vehementissimus dolor ventris. Vel *venter* sacerdotes sunt mali : quia mali prælati omittunt vitalia sacramenta toti corpori, solis ipsi ventris sordibus servientes [8] : « Adhæsit (*c*) in terra venter noster. » Pro angustia cordis sequitur : *Subversum est*

[1] *Isa.*, XXX, 3. — [2] *Jerem.*, IX, 4. — [3] *Ephes.*, V, 30. — [4] *Prov.*, VII, 21. — [5] 1 *Tim.*, VI, 9. — [6] *Ose.*, IV, 19. — [7] *Ezech.*, XXXIV, 2. — [8] *Psal.* XLIII, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* condignum. — (*b*) *Item* captivitatem. — (*c*) *Vulg.* conglutinatus est.

cor meum in memetipsa, ubi tanta intelligitur desolationis vehementia, quæ rationis judicium offuscabat [1] : « Turbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. » Vel cor mystice intelliguntur prophetæ et consiliarii, quia in corde est sedes consilii [2] : « Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor. » Unde sequitur : *Quoniam amaritudine plena sum*, corde et corpore, undique cernens tribulationem amaricantem : [3] « Non vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. » Hujus autem plenæ amaritudinis subditur causa, tribulatio universalis; unde sequitur : *Foris interficit gladius* : *foris*, id est, extra civitatem; *gladius*, persecutoris; *et domi*, id est, in civitate, *mors similis est*. Quod autem dicit, *domi*, fame; quod vero dicit, *similis est*, referatur ad similem tribulationem, quoniam tempore obsidionis factæ per Romanos Judæi contra se pugnarunt; et qui erant superius in pinnaculo templi, pugnaverunt contra illos qui erant in parte templi inferiori, ut narrat Hegesippus [4].

Allegorice, per *ventrem* potest intelligi ecclesia cathedralis, quæ frequenter per discordias tumefacta conturbatur. *Cor subvertitur*, quando consilium pacis non invenitur; sæviunt Ecclesiæ adversarii, et periculis internis agitatur.

Moraliter, *cor subvertitur*, quando superius clauditur, et inferius aperitur, tametsi (*a*) contrario modo materialiter disponatur.

21. *Audierunt, quia*, etc. Hic quarto tangit augustias irremediabiles, nunquam remedium invenientes; et introducit, ut dictum est, adversarios exultantes, ibi : *Omnes inimici mei*. Huic sententiæ præmittitur littera *Scin*, quod interpretatur *Dentium* : quia, post dolorem parturientium, gravissimus videtur dolor dentium. Ex prædictis patuit primo morientium; ecce dolor residuorum viventium describitur. Dicit ergo : *Audierunt* gentes in circuitu constitutæ, vel alii quicumque, *quia ingemisco ego* : *ego*, dicit discretionis causa, et signantiæ, quia nullus alius sic gemens invenitur. *Et non est qui consoletur me*, supra, capitulo eodem : *Non est qui consoletur eam*, etc. Anxianti autem animæ hoc est doloris non modicum augmentum, quando ille, in quo spem habuit solatii, differt afferre solatium. *Omnes inimici* : post descriptam suam desolationem, hic subdit inimicorum sævientium improbitatem : primo describit eorum culpam; secundo prædicit futuram ipsorum pœnam, et consolationem e contrario Judaicam, ibi : *Adduxisti*. Dicit ergo : *Omnes inimici mei audierunt malum meum*, afflictionis et oppressionis; *lætati sunt* [5] : « Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero : » *Quoniam tu fecisti*, id est, me tribulationibus exposuisti. Sed pro sua consolatione futura, et inimicorum tribulatione, subdit : *Adduxisti*, id est, adduces in liberationem de captivitate [6] : « In fletu venient, et in misericordia reducam eos. » *Et fient*, adversarii mei, *similes mei*, sicut videlicet modo sum; et ego liberabor [7] : « Væ qui prædaris; nonne prædaberis? »

Allegorice, istud retorqueri potest contra malos religiosos, qui sunt dentes Ecclesiæ, qui latent, et ruminant, vorant pro toto corpore : audiunt, quia gemiscit Ecclesia in adversitate, et non est qui consoletur, id est, qui opponat se efficaciter pro Ecclesia. Vel Ecclesiæ ista est vox in pauperibus; quæ in eis ingemiscit, et rarum invenit adjutorem. Et ideo continget permutatio, quia veniet pauperibus bonis consolatio in futuro; divitibus autem malis tribulatio, sicut patuit de divite et Lazaro [8] : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. »

[1] *Psal.* XXX, 10. — [2] *Ose.*, VII, 11. — [3] *Ruth*, I, 20. — [4] Hegesip., *de Excid. urb. Hierosol.*, lib. V, c. 1. — [5] *Psal.* XII, 5. — [6] *Jerem.*, XXXI, 9. — [7] *Isa.*, XXXIII, 1. — [8] *Luc.*, XVI, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* tamen.

22. *Ingrediatur*, etc. Ecce hic tertio infert suam intentionem, ubi more rhetorico, ut dicit Glossa, postquam ad se judicis misericordiam inflexit, in adversarios Dei excitat severitatem. Et habet quatuor partes : quia primo excitat judicis affectum ad eorum peccata multimoda consideranda; secundo, ad flagella conferenda, ibi : *Et vindemia eos*; tertio excitat ad hoc per exemplum, ibi : *Sicut vindemiasti*; quarto, æquitatis judicium, ibi : *Propter omnes*. Huic sententiæ præmittitur littera *Thau*, quæ interpretatur *Signa*, quia secundum Rabanum interpretationis gratia copulandum est cum tribus litteris præcedentibus, *Coph, Res, Sin*, quod interpretatur *Vocatio, capitis, dentium*, *signa*. « Per dentes, inquit, articulata vox emittitur : et iis signis, ad caput omnium, qui est Christus, itur, per quem venitur ad regnum sempiternum. » Aliter Judæi habent vigintiduas litteras, et vigintiduos libros, scilicet secundum computationem : ultima autem litterarum est *Thau* : vicenarius autem primus numerus continet septenarium triplicatum, et significat Trinitatem; ultima autem littera superaddita, scilicet *Thau*, significat et signat essentiæ Trinitatis unitatem. Vel, sicut dicit Hieronymus [1], apud Samaritanos *Thau* littera habet figuram crucis, quanquam apud Hebræos corrupta sit : quod hoc significat, quod quidquid in Veteri Testamento ponitur, signum est Dominicæ passionis. Vel aliter intelligendum, quod nulli prodest lamentatio, nisi cujus ad mortem Christi intentio ordinatur : propter quod *Thau* ultimo ponitur in hoc quadruplici alphabeto. Dicit ergo : *Ingrediatur omne malum*, quod quasi ingredi non videtur, dum non punitur; *omne malum eorum coram te*, ad examen scilicet tuum; *et vindemia eos* : Rabanus : « Vindemiare est unumquemque fructum operum suorum metere. » Et notandum, ut dicit Rabanus, quod « quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiæ, sed spiritu prophetiæ hoc, quod eis præsciunt futurum, prædicunt. Vel etiam contra spirituales nequitias orant, et quos incorrigibiles esse sciunt, ut justam a Domino recipiant sententiam, et electi ab eorum infestatione liberentur. » Hæc Rabanus. Et si hoc orant pro dæmonibus, possunt eadem pro incorrigibilibus hominibus, supposita incorrigibilitate, mereri zelo justitiæ. Vel spiritualiter intelligitur, ut sit vindemiatio mali in eis destructio. Pro exemplo sequitur : *Sicut vindemiasti me*. Et pro regula justitiæ sequitur : *Propter omnes iniquitates meas*. Et in similibus simile judicium. Quam sententiam exponit, subdens qualiter vindemiaverit : *Multi enim gemitus mei*, quia modo est ratio gemendi, et hoc quantum ad signum exterius; *et cor meum mœrens*, quantum ad lamentum interius.

Allegorice, primo complebitur in judicio, quando illud Psalmi implebitur [2] : « Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est; » Et illud [3] : « Quare non judicas sanguinem nostrum? » In quo zelus quidam justitiæ intelligitur, supposita pertinacia delinquentium. Vel certe satis vindicat, cum inspirando peccatoribus pœnitentiæ spiritum, eos ad puniendum peccata sua inclinat.

CAPUT II.

Aleph. Quomodo obtexit, etc. (*a*) Postquam in præcedenti alphabeto deploravit Propheta temporalem illius populi tribulationem, secundum quod illata erat ab adversario tribulante; hic lamentatur eamdem, secundum quod illata erat a Domino reprobante. Et habet (*b*) quinque partes : primo, quantum ad hoc, describit infelicitatem Synagogæ; secundo desolationem introducit super hoc ipsius Prophetæ, ibi : *Defecerunt præ lacrymis*, etc.; tertio subdit hujus tri-

[1] Hieron., *in Ezech.*, lib. III, c. IX. — [2] *Psal.* LXXVIII, 10. — [3] *Apoc.*, VI, 10.

(*a*) Cæt. edit. deest *Aleph. Quomodo obtexit*, etc., et sic deinceps. — (*b*) *Cæt. edit.* habent.

bulationis mœrorem, ibi : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*, etc.; quarto docet exercere se ad gemitum et compunctionem propter talem admonitionem, ibi : *Clamavit cor eorum ad Dominum*, etc.; quinto volverunt (*a*) se ad implorandam supernam miserationem, ibi : *Vide, Domine, et considera*, etc. In prima describit iram Dei, et reprobationis effectum circa statum Judæorum in generali, quantum scilicet ad totam regionem; in secundo in speciali, quantum ad civitatem : *Et dissipavit quasi*, etc. In prima parte primo lamentatur illius populi excæcationem et detestationem; secundo, potestatis ablationem, ibi : *Præcipitavit Dominus*, etc.; tertio, populi stragem, ibi : *Tetendit arcum suum quasi inimicus*, etc.; quarto, generalem habitationum (*b*), et habitatorum dissipationem, ibi : *Factus est Dominus velut inimicus*, etc. In prima parte tria tangit reprobationem consequentia : primo, excæcationem : secundo, detestationem, ibi : *Projecit*, etc.; tertio, omnis gratiæ et clementiæ solitæ subtractionem, ibi : *Et non est recordatus*, etc. Huic litteræ præmittitur littera *Aleph*, quæ interpretatur *Doctrina*, et est exponendum ut supra, sicut patet ex illo versu, qui sequitur : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa.* Dicit ergo : *Quomodo*, admirative et interrogative. Cui quæstioni respondetur ita in prædicto versu : *Prophetæ tui viderunt*, etc. Quomodo obtexit caligine? Non aliquid præbendo, sed gratiam subtrahendo : unde Glossa : « Caligine erroris ignominiæ, vel tristitia tribulationis irremediabilis, quæ prius claruerat lumine prophetarum, *in furore suo*, id est, ira implacabili, hoc est voluntate puniendi inflexibili, sicut inflexibiles sunt homines furiosi, *Dominus filiam Sion*, id est, regionem totam, quæ sub arce Sion et civitate (*c*) Jerusalem protegi solebat, sicut mater a filia. Mos enim est Scripturarum, ut metropolitanæ civitates matres appellentur, et adjacentes regiones, oppidi et vici, filiæ. Pro secundo sequitur : *Projecit de cœlo*, cultu illo reprobato, et abjecto filio regni, et divino favore ablato (*d*), et angelico præsidio; *in terram*, videlicet altitudine subtracta : nec enim remansit in ea lapis super lapidem, ut prædictum est [1]; *inclytam*, scilicet civitatem *Israel*, quæ solum inclyta esse solebat [2] : « Quomodo capta est, et comprehensa inclyta universæ terræ? » Antiqui enim libri habent *terram*, scilicet, *de cœlo terram*, et sonat quasi *in terram*, ad litteram, id est, Jerusalem terram inclytam. Sed pro tertio sequitur : *Et non est recordatus*, ad miserendum; *scabelli pedum suorum*, id est populi, qui sibi humiliter erat subjectus; vel Jerusalem templi, ubi Dominus super propitiatorium apparere solebat Moysi, propter quod scabellum pedum ejus dicitur; *in die furoris sui*, id est vindictæ irrefragabilis. Allegorice exponitur in Glossa, et moraliter, quando quicumque solebant esse sapientissimi excæcantur, merito scilicet peccatorum, sicut Judas voluit recipere virgines Jabes [3], ne perderet tribum electam ex Israel; et sanctissimi prius, in sordibus versantur.

Beth. Præcipitavit Dominus, etc. Postquam lamentatus est excæcationem Synagogæ, hic lamentatur potestatis subtractionem. Et quia duplex est potestas magnorum, scilicet resistendi, et invadendi; primo deplorat ablationem primæ, deinde secundæ in versu sequenti, ibi : *Confregit*, etc. Potentia autem resistendi consistebat in munitionibus, et in personis illas regentibus : pro primo dicit : *Præcipitavit*, etc.; pro secundo : *Polluit regnum*, etc.

Potestas magnorum duplex.

Dicit ergo : *Præcipitavit*, quod est plus quam dejicere : præcipitare enim idem est, quod projiciendo confringere. Unde sequitur : *Nec pepercit*, quod etiam amplius est quam præcipitare : quod in ultima captivitate est completum, extinctis cæremoniis Judæorum, secundum Glossam, Domino providente, ut per ea, quæ evenerunt, ventura

[1] *Luc.*, XIX, 44. — [2] *Jerem.*, LI, 41. — [3] *Judic.*, XXVIII, 13.

(*a*) *Forte legend.* volvere. — (*b*) *Cæt. edit.* habitationem. — (*c*) *Item* civitatem. — (*d*) *Item* oblato.

videatur prophetare. E contra de justo dicitur in *Psalmo*[1]: « Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus ponit (*a*) manum suam. » *Omnia speciosa Jacob*, ædificia scilicet, quæ erant non solum in munimentum, sed in ornamentum, templum scilicet et alia civitatis ædificia, *destruxit in furore suo*, id est implacabili ira; *munitiones*, ad litteram, *virginis Juda*, civitatem ab omni fructu sterilem, non habentem ex se successionem[2]: « Totum murum Jerusalem per circuitum destruxit exercitus Chaldæorum. » Vel in speciosis intellige opulentiam, in munitionibus potentiam. *Dejecit in terram*, dictas scilicet munitiones. Sed pro desolatione personarum sequitur : *Polluit regnum*, id est, omni pollutioni et ignominiæ exposuit, quia hominibus subjecit incircumcisis, quorum consortio et moribus profanati sunt. *Et principes ejus*, scilicet polluit, id est, pollutos demonstravit. Sic ergo patet subtractio potentiæ resistendi.

Allegorice, deploratur hic lapsus humani generis quoad tria præcipue incommoda : primo excæcationis; deinde mortalitatis : *Projecit de cœlo*, etc.; tertio concupiscentiæ carnalis, ibi: *Omnia speciosa Jacob*, etc. Pro primo dicit : *Quomodo obtexit*, etc. Sion interpretatur *specula*, et significat statum animæ rationalis in innocentia, quæ creata scilicet ad æternitatis limina (*b*) contemplanda, quam posuit in specula, cum dixit[3]: « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, » etc. Quasi enim in specula constituitur, quando imminet mali periculum, quod (*c*) circumspectione cavere jubetur. Filia ergo Sion, anima hominis, speculationis filia; non tamen firmata in arce contemplationis. Sunt enim filiæ Jerusalem, id est, contemplatione clare videntes : sunt filiæ Sion, id est, speculative per specula cernentes : sunt filiæ Babylonis, id est, confusionis, quæ[4] « oculos suos statuerunt declinare in terram. » Hæc igitur filia Sion obtegitur caligine, quia lumen rationalis animæ obnubilatur, non penitus extinguitur. Sed pro mortalitate sequitur : *Projecit de cœlo terram inclytam Israel.* Per hanc terram inclytam corpus hominis accipimus, quod per immortalitatis gratiam quasi cœlo simile extitit; et de illo sublimi statu cecidit, postquam illicita acceptavit. *Non est recordatus*, ad miserandum, *scabellum pedum suorum*, id est, generis humani, a quo tam severam vindictam exegit. *Præcipitavit :* in quo subita intelligitur generis humani ruina de paradiso in mundum, de mundo in infernum, de immortalitate in mortem, de morte in damnationem. *Omnia speciosa :* ecce infelicitas concupiscibilis, cujus septem mala hic enumeres : primo hominis pulchritudinem fœdat : *Omnia speciosa Jacob destruxit*, nam speciosus homo erat in corpore et in corde; desideria et inventiones ad terrena incurvat : *Munitiones virginis Juda*, etc.; hominem totum deordinat :*Polluit regnum*, quod est in subjectione inferiorum virium contra potentias animæ cognitivas et affectivas; fortitudinem enervat : *Confregit in ira*, etc.; gratiam evacuat : *Abjecit retrorsum dexteram suam;* omnes sensus ad malum exagitat : *Et succendit in Jacob*; hominem in effeminatione bestiis assimilat, unde arcum oportebat eum atterere : *Tetendit arcum.*

Ghimel. Confregit, etc. Ecce de subtractione potentiæ ad invadendum, quæ per cornu intelligitur : quod a finitimis nationibus expertum consueverat formidari. Istam autem potentiam facere solebat robur principum, quod lamentatur confractum; divinumque patrocinium, quod dicit esse subtractum, ibi : *Avertit retrorsum*, etc.; multitudo incolarum habitantium per circuitum, contra quod dicit : *Et succendit*, etc.

Dicit ergo : *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel*, id est, principum fortitudinem adversariis formidabilem. *Avertit retrorsum dexteram suam*, id est, protraxit

[1] *Psal.* XXXVI, 24. — [2] *Jerem.*, XXXIX, 8. — [3] *Gen.*, III, 17. — [4] *Psal.* XVI, 11.

(*a*) *Vulg.* supponit.— (*b*) *Cæt. edit.* lumina.— (*c*) *Item* qui circumspectionem.

protractionem suam; *a facie*, id est, præsentia, *inimici*, ut libere posset in eos desævire. *Et succendit in Jacob*, id est, terra Judæorum, *quasi ignem flammæ devorantis*, id est, consumentis, *in gyro*, in circuitu Jerusalem; quasi: sicut ignis accensus late vagatur, et consumit omnia: sic fecerunt hostes Judæorum.

Allegorice, *confregit omne cornu Israel*, id est, cornutos suos Ecclesia confringi a cupiditatis amore lamentatur, scilicet prælatos; qui cum cornuti sunt ad invadendum hostes invisibiles, non visibiles corporaliter, non debent esse raptores, quia nullum animal habens cornua vivit de rapina: non enim habent dentes acutos. Item, ex quorum perversis exemplis sequitur spiritualiter in Ecclesia, quidquid accidit in Synagoga materialiter.

Moraliter, diabolus primum hominem in via Domini ambulantem sequebatur, ut eum removeret; sed non potuit ad hominem accedere, dextera Dei protegente et intercidente. At vero cum homo ad diaboli persuasionem se convertit, statim Deus dexteram suam a facie inimici retrorsum avertit.

Daleth. Tetendit arcum suum, etc. Hic versus exponit finem præcedentis: hic enim, ut dictum est, lamentatur populi stragem. Et primo tangit istius miseriæ antiquam factam comminationem; secundo justam divinæ severitatis diffinitionem, ibi: *Firmavit*, etc.; tertio stragem populi generalem, ibi: *Et occidit omne*, etc.

Ergo *tetendit arcum*: arcus, quia projicit in longinquum, significat comminationem factam prius, scilicet per verba prophetarum. *Tetendit, quasi inimicus*, quia amicus tendit aliquando ad terrorem, non projiciendo sagittam; sed Dominus emisit sagittam, pœnam debitam, per populum Chaldæorum: et quanto magis manus retraxit, tanto fortius percussit, et vehementius penetravit, in modum sagittarii. *Firmavit*, immobiliter decernendo, *dexteram*, scilicet ad percutiendum. Alibi significabat dextera prosperitatem; hic autem magis severitatem, quia fortior est motus dexteræ. Unde sequitur: *Quasi hostis*, ad percutiendum: qui enim prius dicitur avertisse dexteram propter subtractionem defensionis, hic dicitur firmasse dexteram, scilicet propter asperitatem flagellationis, quæ fortior est: in dextera namque potentia. *Et occidit*, id est, occidi permisit, *quod pulchrum erat visu*, id est pulchros homines, et pulchras mulieres, *in tabernaculo filiæ Sion*, id est, Judææ, vel Jerusalem: quasi in ipsis domibus suis necabuntur: ut hostis non solum grassaretur ad rapiendum, sed etiam ad interficiendum. *Effudit*, large et severe, *quasi ignem*, omnia consumentem (*a*), *indignationem suam*, id est pœnam, quæ signum erat suæ indignationis. Non dicit *quasi aquam*, sed *quasi ignem*: aquarum enim violentia solet dejicere et dissipare non ita cito, nec penitus consumere; ignis vero subito destruit, et funditus consumit.

Moraliter, in arcu severitas vel terribilitas extremi judicii designatur; tabernaculum animæ corpus est, tabernaculum etiam animæ conscientia est: omne ergo pulchrum occidit utrobique, in corpore per calamitatem, in conscientia per cogitationum fœditatem. Vel certe per *pulchrum* intelligere possumus disciplinam morum et honestatem, quæ Dominus dicitur occidere, non cogendo, vel dando malitiam, sed subtrahendo gratiam. *Effudit quasi ignem indignationem*, quia ignis nunquam deficit, quandiu adest materia combustibilis: sic nec hæc infelicitas; imo decursu humani generis usque ad resurrectionem generalem stabit labes peccati originalis. Vel *occidit omne pulchrum* Dominus, connotans pulchritudinem originalem, vel corporalem. *Effudit quasi ignem*, etc., omnia vitia scilicet consumentem.

He. Factus est Dominus, etc. Lamentatur generalem habitationum (*b*), et habitantium desolationem: primo plangens eorum repro-

(*a*) *Cæt. edit.* consummantem.—(*b*) *Item* habitatorum.

bationem; secundo ejus effectum multiplicem, scilicet Judææ afflictionem, ibi : *Præcipitavit Israel.* Dicit ergo : *Factus est Dominus velut inimicus*, qui prius diligere et fovere consuevit; *factus est velut inimicus*, quia non jam est ut pater ad correctionem percutiens, sed ut hostis ad consumptionem præcipitans. Et dicit : *Velut inimicus*, quasi non omnino inimicus, quia semper punit citra condignum [1] : « Parcis omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas. » Pro multiplici eorum afflictione sequitur : *Præcipitavit*, subito et fortiter dejecit, *Israel*, quantum ad populum; *præcipitavit omnia mœnia ejus*, id est muros civitatem munientes, vel alia ædificia civitatis. *Dissipavit omnes munitiones ejus :* mœnia in civitate [2] ad decorem fiunt, munitiones ad defensionem; quasi dicat : Sublimia dejecit, et fortia confregit. Simile supra dixit, plangendo dispendium regionis : « Omnia, inquit, speciosa præcipitavit, destruxit munitionem virginis Juda, dejecit in terram. » Idem hic intelligitur per mœnia, quod ibi per speciosa. Quantum vero ad universitatem hominum oppressorum, dicit : *Et replevit*, id est, multiplicavit, *in filia Juda*, id est, gente Judaica, *humiliatum et humiliatam*, id est, homines utriusque sexus in magna multitudine fecit humiliari, id est dejici per illam tribulationem. Vel per *humiliatum*, intelligo ordinem prælatorum; per *humiliatam*, plebem subjectam, sicut supra simile dixit in vastatione regionis [3] : « Polluit regnum, et principes ejus. »

Moraliter : *Factus est Dominus quasi inimicus*, quia non quod ipse fecerit in nobis, sed quod nos ipsi fecimus casum [4] : « Non enim ex corde suo humiliavit, et abjecit filios hominum. » Præcipitavit Israel, id est, hominem Deum videntem, quia præcipitavit permittendo eum cadere in lutum peccati. Præcipitatur enim homo, cadendo primo per superbiam [5] : « Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo; » item per adulationem [6] : « Erunt, qui beatificantur, præcipitati; » item per luxuriam, sicut figuratum est ubi dicitur de porcis, quod [7] « magno impetu præcipitati sunt in mare. » Sequitur : *Præcipitavit mœnia*, etc. : in quo intelliguntur gratiæ gratis datæ, ut est prophetia et genera linguarum; *munitiones* sunt virtutes, ut charitas, fides et spes. Prius ergo præcipitat *mœnia*; deinde dissipat *munitiones*, quia frequenter abusus talium gratiarum facit evacuationem virtutis, sicut de pulchritudine corporali patet [8] : « Fallax gratia, et vana pulchritudo, » etc. Vel per *mœnia* intelligitur custodia hominis exterioris; per *munitiones* virtutes hominis interioris. *Et replevit in filia Juda humiliatam et humiliatum*, id est spiritum et carnem subjecit ignominiæ. Vel istud ad populum Judaicum aliter referri potest : quando enim a populo Judæorum prophetiam, et doctrinam, et miraculorum signa abstulit, quasi *mœnia* ejus præcipitavit; quando per infidelitatem eos excæcari permisit, et a spe promissionis cum fecit alienos, quasi *munitiones* ejus dissipavit, sicut hoc exponit Gregorius [9].

Vau. Et dissipavit quasi hortum, etc. Postquam in communi lamentatus est dispendia regionis, hic accedit ad deplorandum detrimenta civitatis : primo quantum ad desolationem sacrarum ædium et officiorum; deinde quantum ad desolationem murorum : *Cogitavit Dominus dissipare*, etc.; tertio quantum ad calamitatem habitatorum : *Contrivit vectes ejus*, etc. In prima parte plangit primo templi destructionem; deinde cultus legalis reprobationem : *Oblivioni tradidit Dominus*, etc.; tertio templi profanationem factam a gentibus, ibi : *Tradidit in manu inimici*, etc.

Dicit ergo pro primo : *Et dissipavit*, id est dissipari permisit, *quasi hortum*, qui sine clausura a bestiis conculcatur, *tento-*

[1] *Sap.*, XI, 27.— [2] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. IX, al. XVI, n. 25.— [3] *Thren.*, II, 2.— [4] *Thren.*, III, 33.— [5] *Luc.*, X, 18.— [6] *Isa.*, IX, 16.— [7] *Marc.*, V, 13.— [8] *Prov.*, XXXI, 30. — [9] Greg., ut sup. proxime.

rium, id est, tabernaculum : tentorium appellat, quia vice illius antiquitus filii Israel primum in deserto, ac postmodum in Silo, ad cultum Dei tentorio pro tabernaculo fungebantur; vel tentorium ipsum appellat propter cœlestem ejus dispositionem. *Demolitus est,* id est, demoliri permisit, seu destrui, *tabernaculum suum,* id est, tentorium. In demolitione, quæ paulatim agitur, odium intelligitur, et lacerans (*a*) invidia Scribarum et Pharisæorum, flagrans ad mortem Domini Salvatoris, quæ fuit causa suæ destructionis. Vel differunt *tentorium,* et *tabernaculum,* quia tentorium dicitur, ubi torturæ (*b*) funibus ad palos (*c*) terræ affixos extenduntur, in quo temporalis honor intelligitur Synagogæ; tabernaculum autem quibusdam tabulatis construitur, ubi divina familiaritas, et communicatio secretorum designatur. Dicit ergo : *Tentorium,* quod appenditur, dissipavit; *tabernaculum* autem, quod terræ hæret suffossione (*d*), *demolitus est.* Quod prædixit *Isaias*[1] : « Derelinquetur filia Sion, quasi umbraculum in vinea, et quasi tugurium in cucumerario; » quasi dicat : Sicut ab horto et vinea, postquam collecti fuerint fructus, custodia hominum tollitur; sic a populo isto, quia fructu boni operis (*e*) sterilis est, custodia divina auferetur. Vel per *hortum* locum voluptatis et luxuriæ possumus intelligere, quoniam in hortis et lucis solebant lascivire, et dæmoniis sacrificare. Dicit ergo : *Dissipavit quasi hortum :* quia enim in locum sanctitatis impudicitia et voluptas introivit, ideo dissipatio et desolatio venit. Ad litteram, primum templum, quod ædificavit Salomon, dissipatum est a Chaldæis; secundum, quod Zorobabel ædificavit, dissipaverunt Romani; et illud tertium, quod adhuc stat, profanant usque hodie Saraceni. Sed quantum ad reprobationem cultus, sequitur : *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum.* Ad cultum veterem pertinebant dies solemnes, quos intelligit per festivitatem et sabbatum; pertinebant personæ offerentium, vel ministrantium, quas intelligit per sacerdotem et regem; pertinebat altare, pro quo dicit : *Repulit Dominus altare suum;* sacrificiorum ceremoniæ, pro quo subdit : *Maledixit sanctificationi suæ.* Dicit ergo : *Oblivioni tradidit,* quasi : Non solum repulit, sed oblivioni tradidit; quia ea amplius non requirit *in Sion,* ubi erat templum, *festivitatem quamcumque,* scilicet Pascha, et alias, de quibus legitur[2], et Sabbatum, quod erat solemnitatum complementum : quod maxime in ultima captivitate est completum[3] : « Solemnitates vestras odivit anima mea. » *Et,* supple *tradidit, in opprobrium,* alias *opprobrio,* quantum ad ignominiam (*f*); *et indignationem furoris sui,* quantum ad angustiam. Vel ignominiæ (*g*) in hoc vehementia intelligitur, quod nomen indignationis innuat (*h*). *Regem, et sacerdotem,* quibus duobus populus ille regebatur. Regi honor debetur, devotio in sacerdote intelligitur. At vero pro honore opprobrium regi, pro devotione indignatio redditur sacerdoti; ut omnis Judaici populi excellentia intelligatur destructa fuisse. Nota, quod voluntas puniendi significatur, primo, nomine opprobrii, in quo intelligitur voluntas dejiciendi, contra superbiam; secundo furoris, in quo effrænata voluntas exterminandi intelligitur, contra pertinaciam.

Zain. Repulit Dominus altare suum, cujus hostias et officia non acceptavit. Vel *repulit,* id est, repelli permisit, quando Achaz transtulit altare æneum de templo, et statuit pro eo altare Damasci, sicut legitur[4]. *Maledixit,* reprobando[5] : « Ne offeratis ultra sacrificium frustra. » *Sanctificationi suæ,* id est, illis in quibus sanctificatio legalis consistebat, scilicet sacrificiis, quæ modo offerre esset idololatrare. *Tradidit in manus inimici :* hic lamentatur profanationem templi factam a

Tentorium et Tabernaculum in quo differant

[1] *Isa.*, I, 8. — [2] *Levit.*, XXIII. — [3] *Isa.*, I, 14. — [4] III *Reg.*, XVI, 14. — [5] *Isa.*, I, 13.

(*a*) *Cœt. edit.* laceris. — (*b*) *Forte leg.* tenturæ. — (*c*) *Cœt. edit.* polos.— (*d*) *Item* sub fossione. — (*e*) *Item* temporis. — (*f*) *Item* ignorantiam.— (*g*) *Item* ignorantiæ. — (*h*) *Leg.* innuit.

gentibus, dicens : *Tradidit in manus inimici*, Chaldaici vel Romani exercitus, *muros turrium ejus*, id est, turres munitas, quasi : non solum turres civitatis exteriores, sed etiam turres interiores templi, scilicet munitiones. *Vocem dederunt*, adversarii, *in domo Domini*, gaudentes se eam obtinuisse, *sicut in die solemni* solebant facere Judæi.

Allegorice, ab illo loco : *Et dissipavit quasi hortum*, per *hortum* Ecclesia intelligitur, in qua sunt rosæ martyrum, lilia virginum, violæ confessorum [1] : « Hortus conclusus, soror mea. » Tentorium deforis, tabernaculum intus est : per *tentorium* populus, per *tabernaculum* intelligitur ordo prælatorum : quos dum temporali gloria sublimavit, quasi tentorium ad decorem expandit : et dum eos ad cognitionem secretorum suorum, et familiaritatem levavit, quasi tabernaculum eos extendit : hos dissipavit quasi hortum, quia subdidit potentiæ hominum impiorum. Moraliter, hortus est claustrum, vel vita clericorum quorumdam ; quia debet esse tentorium et tabernaculum peregrinantium, quod dissipatur quasi hortus, dum in rebus spiritualibus sola carnalia quæruntur : sicut in aliis (*a*) patet, qui nunquam veniunt ad ecclesiam, nisi quando distributiones dantur, sicut bubo non venit ad ecclesiam nisi propter oleum : ideo dissipatur per misericordiam (*b*), demolitur per insolentiam. Quod figuratum est, ubi dixit Achab [2] : « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. » Hortus mutatur, quando disciplina per carnalitatis studium enervatur, quando contemplationis claritas in terrestres occupationes et affectiones commutatur. *Oblivioni tradidit*, id est, permisit festivitatem, quæ est feriatio a malis : et est festum laicorum, et sabbatum, quod est vacatio ab implicationibus mundanis. Vel ad litteram, festivitates Ecclesiæ, quantum ad multos, oblivioni tradit, quia voces claustralium non exaudit [3] : « Cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam, quia manus vestræ plenæ sanguine sunt. » *Dedit in opprobrium*, etc., quia, ad litteram, *regale* [4] Ecclesiæ *sacerdotium* apud multos venit in contemptum [5] : « Irritum fecistis pactum meum : propter quod ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis. » Vel aliter, anima nostra rex est et sacerdos : rex, quia (*c*) debet regere carnem suam ; sacerdos, quia jugiter Deo offerre debet devotionem suam. Rex in opprobrium traditur, quando anima carni suæ substat, et turpibus desideriis famulatur ; sacerdos in indignationem traditur, quando a devotione cadens, in peccati consuetudinem (*d*) obduratur. *Repulit Dominus altare suum* : allegorice altare nostrum Christus est, cujus humanitatis sacrificio Deus nobis placatus redditur : super quod, quasi altare, omnia nostra spiritualia sacrificia offeruntur. Hoc altare Deus Pater repulit, quando usque ad crucis patibulum in Judæorum manibus eum dereliquit [6] : « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti ? » *Sanctificationi suæ maledixit*, quia illum, quem ad sanctificationem nostram misit, maledictioni acerbissimæ passionis exposuit. Unde Apostolus [7] : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. » *Muri turrium*, qui in civitatibus præeminentioribus (*e*) sunt, Apostolos significant, qui in Ecclesia sancta dignitate eminentiores, et constantia fortiores fuerunt. Isti quoque *in manibus inimici traditi* sunt, quia cum Christum mori cernerent, ipsi per infidelitatem corruerunt. *Vocem dederunt* Judæi, quia Christo pastore mortuo, et dispersis ovibus, omnino prævaluisse gloriati sunt. Vel Dominus *altare suum repellit*, quando homines indignos in Ecclesia præfici permittit. Vel *muri turrium* prælati sunt [8] : « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes » Dei. Quibus inimicorum vox auditur,

[1] *Cant.*, IV, 12. — [2] III *Reg.*, XXI, 2. — [3] *Isa.*, I, 15. — [4] I *Petr.*, II, 5. — [5] *Malac.*, II, 9. — [6] *Psal.* XXI, 2. — [7] *Gal.*, III, 13. — [8] *Isa.*, LXII, 6.

(*a*) *Leg.* illis. — (*b*) *Leg.* immisericordiam. — (*c*) *Cæt. edit. deest* quia. — (*d*) *Leg.* consuetudine. — (*e*) *Leg.* præeminentiores.

quando inique et perverse dignitatem gerunt.

Moraliter, *altare* nostrum fides nostra est, super quam sacrificium boni operis immolamus; quod altare tunc *repellitur*, quando fides nostra bonis operibus nudata, a Deo reprobatur; fides *sanctificatur*, quando ei per incrementum virtutis merita augentur. Sed *sanctificatio maledicitur*, quando fides ipsa, amissis virtutibus, pravis operibus violatur [1] : « Factus est Israel quasi vas immundum. » *Muri turrium in manus inimici dantur*, quando ingenium, et hujusmodi aliæ gratiæ gratis datæ, ad iniquitatis studium convertuntur : in quibus muris (*a*) inimici vox auditur quando diabolicæ suggestiones interius admittuntur, et exterius improbe proferuntur : de quo multum lætantur dæmones : et hoc signatur in *die solemni*.

Heth. Cogitavit Dominus, etc. Hic secundo deplorat dispendia civitatis quantum ad dejectionem murorum et propugnaculorum. Primo autem lamentatur muri dejectionem; secundo ipsius antemuralis destructionem : *Luxitque antemurale*; tertio portarum ipsarum evulsionem, ibi : *Defixæ sunt in terram*. Dicit ergo : *Cogitavit Dominus* : ergo consulto fuit, quasi : Non statim fecit, sed diu ejus conversionem expectavit, et quasi ex deliberatione hoc fecit. *Dissipare murum filiæ Sion*, id est, civitatis Jerusalem, ad litteram; quamvis per hoc omnis ejus regio possit intelligi. *Tetendit funiculum suum*, ad destruendum : qui tamen non solet tendi, nisi pro inimicorum ejectione. Per funiculum autem, justitiæ rectitudo intelligitur divinæ, secundum merita illi populo infelici retribuentis. Vel in funiculo pœna qua peccatores ligare designatur. *Non avertit manum suam a perditione*, quasi dicat : Usque ad consumptionem percussit; et quia nullum a culpa liberum invenit, nullum dimisit immunem a pœna. *Luxitque antemurale*, id est, lugendi dedit materiam ipsum destructum cernentibus. Et est antemurale defensio murorum, sicut vallum, fossa, vel aliquid consimile. *Et murus pariter dissipatus est*, cum antemurali. Per antemurale, custodia angelorum; per murum, custodia hominum notatur : quarum utraque illi populo subtracta, usque hodie Judæa lamentatur.

Spiritualiter, cogitatio Dei vel deliberatio, patientia est, qua peccata ad tempus dissimulat; et justitia, qua digna animadversione castigat. Hoc autem est funiculum tendere, modum scilicet et quantitatem debitam diligenter æstimare, et secundum hoc flagellare. Vel per cognitionem Dei, incarnationis dispensatio intelligitur : et quia in carne veniens Judæos repulit, ut gentes intrarent, prius murum filiæ Sion dissipavit, deinde funiculum hæreditatis suæ super populum gentium dilatavit. Quasi enim contractus erat funiculus, quando de populo Judæorum tantum dicebatur [2] : « Jacob funiculus hæreditatis ejus. » Quia igitur vocationem gentium præcessit irretitio (*b*) Judæorum, recte subditur : *Et non avertit manum suam a perditione*, a qua manum averteret, si gentes colligeret, Judæos non reprobaret. *Antemurale*, id est patres priores, *luxit*, quia patres priores de Judææ ejectione doluerunt. Murus dissipatus est quantum ad ingratitudinem Judæorum, ut ædificaretur in gentibus.

Funiculum tendere.

Moraliter, per murum filiæ Sion, virtutes animæ accipimus : cum igitur virtus accepta elevat, aut neglecta deprimit, et male securi gratiam acceptam custodire negligimus; quam horrendum sit, quod nobis invisibilis judex cogitet, ignoramus. Cogitat ergo et deliberat, priusquam feriat : cui funiculum tendere est, subtiliter peccati mensuram examinare. *Non avertit manum suam*, quia quanto plus patiendo sustinuit, tanto minus feriendo parcit. Per murum igitur virtutes animæ intelliguntur; per antemurale operationes intelliguntur : luget ergo antemurale, et murus dissolvitur, quia gratia recedente, virtus tollitur, et opera virtu-

[1] *Ose.*, VIII, 8. — [2] *Deut.*, XXXII, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* muri. — (*b*) *Leg.* ejectio.

tum infirmantur. Vel murus, prælati; antemurale, principes sæculares ecclesiam defendentes; et hoc et illud luget, cum per ingluviem lucrandi ministrantur sacramenta. Vel antemurale, custodia disciplinæ: quod luget, cum homo deserit disciplinam; quo facto, virtus pariter dissipatur, quæ per murum intelligitur. Unde [1] : « Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, » etc.

Teth. Defixæ sunt in terra (*a*), etc. Lamentatur, ad litteram, portarum evulsionem, dicens : *Defixæ sunt in terra* (*a*) *portæ ejus*, quasi : Sic corruerunt, ut non sint amplius erigendæ, et permanent sicut vestigia ruinæ. In terra (*a*) ergo fixæ sunt, ut pateant incursioni, vectibus et seris distractis; unde subdit : *Perdidit et contrivit vectes ejus*, id est, seræ vel obstacula ostii; quæ manu huc et illuc, claudendi aperiendique gratia, vehuntur. *Regem ejus*, etc. : tertio agit desolationem personarum civitatem habitantium. Lamentatur autem primo tribulationis augustiam in magis reverendis; deinde in magis miserandis : *Consperserunt cinere*, etc. Reverentia autem debetur regibus propter potentiam, doctoribus propter sapientiam, senioribus propter maturitatis gratiam; sed hæc omnia defecerunt principibus captivitatis, lege combusta, senibus ignominiose tractatis : propter quod dicit : *Regem ejus*. Novi libri habent *Reges*, suppple *perdidit et contrivit*. *Et principes ejus in gentibus* : et forte de portis et vectibus figuraliter locutus est, regem per portas, principes per vectes intelligens, sicut de Sedechia et filiis ejus patet [2]. Pro secundo sequitur : *Non est lex*, quia libri legum per Chaldæos conclusi sunt; vel non est lex in opere servata, et propterea supervenerunt flagella. *Et prophetæ ejus*, pseudoprophetæ (*b*), *non invenerunt visionem a Domino*, quam tamen se vidisse asserebant : et talibus Judæi credentes, a Domino destructi sunt propter peccata sua.

Reverentia quibus debeatur

Unde infra : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*.

Allegorice, ab illo loco : *Defixæ sunt in terra*, etc. Portæ et vectes civitatis prælati sunt, qui sunt *portæ* per verbum (*c*), et *vectes* per consilium. Et vere per exemplum *portæ* dicuntur, de quibus [3] : « Singulæ portæ erant ex singulis margaritis. » Item et *vectes* dicuntur : unde significantur per illos vectes [4], quibus arca vehebatur, qui erant de lignis Sethim, quæ erant imputribilia, in signum castitatis; erant odorifera, in figuram famæ bonæ; decorata, in figuram charitatis; erant in quatuor circulis aureis, in figuram meditationis legis divinæ, cujus summa continetur in quatuor Evangeliis. Portæ igitur sunt, quando extra positos per prædicationem introducunt; vectes, quando intus positos per salutare consilium custodiunt. Vel per portas Jerusalem, Scribæ et Pharisæi intelliguntur, terrenorum studio et amori intenti; qui Christum non solum non receperunt, sed etiam alios ab ejus receptione impedierunt. [5] « Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec intrantes sinitis introire. » Hi in terra defixi sunt, quia in sola Christi humanitate oculos habentes, in laqueum perfidiæ inciderunt; vel in terra defixi sunt, quia litterali vel terreno sensui legis adhæserunt. Sed vectes Dominus perdidit et contrivit, quia consilium eorum ad nihilum redegit. Perditum est consilium, quia Christum occidendo extinguere non potuerunt; contritum est etiam consilium, quia ob hoc terram perdiderunt, quod Christum occiderunt : propter quod subditur : *Regem ejus et principes ejus in gentibus*, supple, *contrivit*, quia gentes eis præfuerunt. Non est lex, inter eos scilicet qui libros habent, sed legis intelligentia carent. Sed quia adhuc sibi venturum Christum perhibent, contra hoc recte subjungitur : *Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino*, quasi di-

[1] *Psal.* II, 12. — [2] IV *Reg.*, XXV, 7. — [3] *Apoc.*, XXI, 21. — [4] *Exod.*, XXV, 26. — [5] *Matth.*, XXIII, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* terram. — (*b*) *Item* pseudo. — (*c*) *Leg.* exemplum.

cat : De adventu Messiæ, quod somniant, a se habent, non Domino revelante.

Iod. Sederunt, etc. Pro (*a*) tertio subdit : *Sederunt in terra,* in signum doloris et abjectionis; *conticuerunt senes,* non audentes monere; *senes,* inquam, *filiæ Sion*, id est, terræ Judæorum, vel civitatis Jerusalem.

Consperserunt : ecce desolatio personarum magis miserandarum, quarum desolationem describit per signa lugubris pœnitentiæ cordis, et cilicii, et corporis ad terram prostrati. Dicit ergo : *Consperserunt cinere capita sua* (*b*), *accincti sunt ciliciis :* dicit, *accincti,* masculine, ut in utroque sexu istam desolationem fuisse ostendat. Vel istud ad senes præhabitos est referendum. Aliqui habent suppletionem falsam : « *Accincti sunt ciliciis* seniores judices : » hæc enim est corruptio ex ignorantia procedens. [1] « Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere. » Quidam aliter putant, accipientes (*c*) sententiam inde : *Filiæ Sion,* id est mulieres, ad litteram, *consperserunt cinere*, etc. Sed in antiquis voluminibus reperi sic punctatim (*d*) : et hic est sensus hebraicæ veritatis, ut exponitur a quibusdam. Pro tertio subditur : *Abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem,* ad litteram, in signum dolorum.

Moraliter, *sederunt in terra :* sessio dejectionem, silentium stuporem designat. Et recte senes, in quibus consilii auctoritas esse debuit, siluisse dicuntur, quia calamitati, quæ fuit ibi, nullo consilio potuit subveniri. *Consperserunt cinere,* etc. : recte in tribulatione senes conticescunt, virgines cinere capita sua conspergunt, quia cum tribulatio vehementer ingruit, maturos sensu (*e*) in stuporem, et lascivos ad impatientiam vertit. Unde subditur : *Accincti sunt ciliciis,* hoc ad senes; *abjecerunt in terra capita sua,* hoc ad virgines; mortem accelerare volunt, qui ingruentibus malis spontaneas etiam afflictiones adjiciunt.

Allegorice, *sederunt,* etc. : cum in principio capituli planxerit Propheta lapsum generis humani, deinde etiam in immediate præcedentibus excæcationem populi Judaici, hic transire videtur ad deplorandum statum Ecclesiæ præsentis. Quid enim per filiam Sion, nisi præsens Ecclesia designatur? quæ de Sion, per fidem nata est; cujus senes sunt pastores, qui senes sunt profectu sapientiæ, et morum maturitate : bene senes, non parvuli, sicut in lege, ubi homines terrenis promissionibus, quasi lacte nutriebantur. Hi sedent in terra, cum diligunt (*f*) transitoria per avaritiam : [2] « Inveterasti in terra aliena. » Conticuerunt per ignorantiam, vel per verecundiam, quia ubi conscientiam remordet reatus, statim linguam a prædicatione ligat timor confusionis. Gregorius [3] : « Fit omnipotentis Dei mandato, ut nec in bono linguam habeat, qui habere bonam vitam renuit. » Et nota, quod senibus duo debentur : prima sedes [4] : « Si quando volebam ire ad eos, sedebam primus; » item primum verbum [5] : « Loquere, major natu : decet enim te primum verbum. » E contra senes sunt in terra, et pueri præficiuntur : senes conticere coguntur, et pueri ad doctrinæ principatum sublimantur : quod non est lamentabile, quia pueri sunt; sed quod sunt non minus moribus, quam ætate pueri. Sequitur : *Consperserunt* : virgines Jerusalem sunt boni subditi, qui fidei integritatem custodientes, ad supernam patriam et pacem tendunt. Per caput spiritualis actio designatur. Quod per cineres qui ab igne relinquuntur, nisi affectiones terrenæ signantur? quasi enim ab igne cinis nascitur, quoniam cogitationum carnalium reliquiæ a concupiscentia carnali generantur. Unde postquam senes sederunt, etc., virgines asperguntur, etc., quia simplices, cum prælatos vident incumbere terrenis, et ipsi incipiunt ad consimilia aspicere. Vel

[1] *Jerem.*, VI, 26. — [2] *Baruc.*, III, 11. — [3] Greg., *Moral.*, lib. IV. — [4] *Job*, XXIX, 25. — [5] *Eccli.*, XXXII, 4.

(*a*) *Al.* Sed pro. — (*b*) Edit. Ven. add. *virgines Jerusalem.* — (*c*) *Leg.* incipientes. — (*d*) *Leg.* punctatum. — (*e*) *Al.* sensus. — (*f*) *Cæt. edit.* desunt.

cinis conspersus est affectio et cogitatio turpis in capite, id est voluntate bonorum (*a*) : interdum pulverem levis cogitationis habent, non in capite, sed in pedibus; quem jubentur excutere : [1] « Quicumque non receperit vos, nec audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. » Vel cinis in capite, est vana gloria, in bona actione, principali intentione habita. *Accincti sunt ciliciis :* per cilicia punctiones terrenarum cogitationum designantur, quia conscientia assiduis pungitur cogitationum aculeis. Bene ergo qui in terra sedere dicuntur, terrenis delectationibus inhærentes, ciliciis induuntur, quia affectum delectationis sequitur sollicitudo desiderii satiandi (*b*). Hic est saccus, quem Dominus jussit de lumbis tollere [2] : « Solve saccum de lumbis tuis. » *Abjecerunt in terra capita sua virgines Juda :* hic est perditionis ordo, ut primo quisque bona, quæ agit, per intentionem humanæ laudis obnubilet; ac deinde ipsa bona opera in pravas actiones commutet (*c*). Ergo cinere caput aspergere, est delectationes terrenas quærere, vel in bonis actibus laudes humanas; caput abjicere, est manifeste malis indulgere.

Caph. Defecerunt præ lacrymis : hæc est secunda pars capituli, in qua, post descriptam desolationem Synagogæ, introducit lamentationem ipsius vocis (*d*) Prophetæ, primo ostendens doloris sui vehementiam; secundo subjungens doloris materiam, ibi : *Cum deficeret parvulus,* etc. Vehementiam doloris ostendit, tum ex signo exteriori, primo; tum ex dolore interiori, secundo, ibi : *Conturbata sunt viscera mea,* etc.; tum ex evacuatione omnis solatii, ibi : *Effusum est in terra,* etc.

Dicit ergo : *Defecerunt præ lacrymis,* id est, præ abundantia lacrymarum, *oculi mei.* Simile [3] : « Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt. » Viri enim sancti, in tribulatione vel contritione vehementi, non solent parcere oculis, aut pectori. Unde dicit ratio (*e*) Augustini [4] : « Sed jam cohibe te a lacrymis, et stringe animum : multum omnino flevisti : et hoc omnino morbus iste pectoris tui graviter accipit. » Et respondet Augustinus : « Modum vis habere (*f*) lacrymas meas, cum miseriæ meæ modum non videam ? aut valetudinem corporis considerare me jubes, cum ego ipse tabe confectus sim (*g*) ? »

Conturbata sunt viscera mea, dolore ad intima pertingente [5] : « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus. » *Effusum est in terra jecur,* vel hepar *meum,* in errore voluptatis et concupiscentiæ, ut dicit Hieronymus; quasi dicat : In tantum intravit desolatio, ut omne solatium sit elisum. *Super contritione,* id est, destructione, *filiæ populi mei,* id est, Judææ, vel civitatis Jerusalem. *Cum deficeret,* etc.: ecce afflictio desolationis duplex : primo desolatio magis lamentabilium personarum ; secundo derelictio et tribulatio universorum. Primo igitur describitur afflictio magis lugubrium et miserabilium personarum, scilicet parvulorum seu infantium : quorum primo describit indigentiam, deinde lugubrem querimoniam, ibi : *Matribus suis dixerunt,* etc.; tertio exinanitionem : *Cum deficerent,* etc.; et mortem lamentabilem : *Cum exhalarent,* etc.

Dicit ergo : *Cum deficeret* (*h*) *quasi,* etc. : ecce materia doloris, *cum deficeret* (*h*) præ fame et siti *parvulus et lactens.* Aliqui exponunt *lactantem* active, pro matribus, scilicet pueros lacte pascentibus, quibus maxime est compatiendum. *In plateis oppidi,* id est Jerusalem, quam vocat oppidum propter abjectionem et vilitatem [6] : « Ite in castellum, quod contra vos est. »

Lamed. Pro (*i*) lugubri querimonia sequitur : *Matribus suis dixerunt* : in quibuscumque terrenorum affectibus dixerunt præ famis angustia deficientes, cum essent in deliciis nutriti : *Ubi est triticum et vinum?*

[1] *Matth.*, x, 14.— [2] *Isa.*, xx, 2.— [3] *Job*, xvi, 16.— [4] Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. xiv, n. 26.— [5] *Psal.* xxx, 10. — [6] *Matth.*, xxi, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* bonitatem. — (*b*) *Item* sociando. — (*c*) *Item* committat.— (*d*) *Leg.* vox. — (*e*) *Leg.* oratio. — (*f*) *Cæt. edit. add.* contra.— (*g*) *Al.* sum. — (*h*) Cæt. edit. *deficerent.* — (*i*) *Item* Sed pro.

Ista petunt, quæ non petentes abundare eis solebant. Unde ex hoc patet doloris vehementia, *cum deficerent*, exinanitione totius corporis, *quasi vulnerati*, effusione sanguinis [1] : « Interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello. » *In plateis civitatis*, ubi solebant esse securi et foveri; *cum exhalarent*, præ famis angustia, *animas suas in sinu matrum suarum*, ad litteram, ubi patet doloris exacerbatio.

Allegorice, ab illo loco : *Defecerunt*, vox est in persona Ecclesiæ, membrorum suorum infirmorum dispendia deplorantis; qui prius planguntur a bonis, quam a semetipsis : proprium enim est clericorum, plangere aliena mala sicut propria. *Oculi* sunt prælati, quia provisores; *viscera*, misericordes; *jecur*, charitate ferventes, quia in jecore calor viget, digestionem stomachi promovens. Oculi igitur deficiunt, peccato vastante populum Dei, quia alienis miseriis compatiuntur cum Apostolo dicente [2] : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » Supra [3] : « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus, » etc. [4] « Oculi mei languerunt præ inopia. » Hugo : « Nullum certius veriusque indicium veræ charitatis, quam affectus fraternæ compassionis. » Viscera conturbantur, quia justæ pietatis affectus concutitur in prælatis, qui habent alios in visceribus gerere et parere [5] : « Quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. » Jecur in terram effunditur, quando ex compassione bonus prælatus vehementer animo dejicitur, et contra malum excitatur. *Super contritione filiæ populi mei* : in sexu fœmineo infirmitas subditæ plebis designatur; per *contritionem*, quasi irreparabilis ostenditur calamitas, quia quod contritione, id est, confractione comminutum est, non amplius reparatur. *Cum deficeret parvulus* in via, *et lactens*, solius simplicitatis doctrinæ capax [6] : « Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ : parvulus enim est. » Vel per parvulos, populi rudes; per lactentes, pravi doctores; per plateas oppidi, sæculi voluptates. Parvulus igitur et lactens in plateis talibus deficiunt, quando carnales stulti cum perversis doctoribus per latam viam voluptatum ad perditionem vadunt [7] : « Lata et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. » *Matribus suis*, id est prælatis, *dixerunt* : *Ubi est triticum*, etc. Vita subditorum tribus modis prælatos alloquitur : per miseriam, per desiderium, per obedientiam. Petunt enim, quando indigent; petunt, quando desiderant; petunt quando audire parati sunt. Per miseriam, inquam, petunt, quia afflictorum indigentia, dum pias mentes ad subveniendum provocat, etiamsi lingua sileat, vita clamat. Item per desiderium, quia quodam modo petere est, velle habere. Per obedientiam petunt, quia dum se paratos ad recipiendum offerunt, quasi ad implorandum prælatos desides adoriuntur. Petunt igitur, dicentes : *Ubi est triticum?* non hordeum : triticum enim Christus est [8] : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, » etc. Non petunt hordeum, quod tamen legitur in Evangelio [9] multiplicatum. *Et vinum* : non dicunt *aquam*, quæ tamen in Evangelio Joannis legitur [10] in vinum commutata. Triticum igitur Christus; lex hordeum, quia asperum est ad manducandum; aqua, carnalis intelligentia; vinum, sensus spiritualis intelligitur. Judæis igitur, quia carnaliter legem tenuere, aqua et hordeum sufficere potuerunt; filii autem triticum et vinum requirunt. Triticum quærimus, quando verbum vitæ audire, et Christum imitari desideramus; vinum bibimus, quando spiritualem intelligentiam de Christo tenemus. Sed quærunt, nec inveniunt; unde sequitur : *Cum deficerent quasi vulnerati in plateis*. Babylon habeat plateas, Jerusalem

[1] *Isa.*, XXII, 2. — [2] II *Cor.*, XI, 29. — [3] *Thren.*, I, 2. — [4] *Psal.* LXXXVII, 10. — [5] *Galat.*, IV, 19. — [6] *Hebr.*, V, 13. — [7] *Matth.*, VII, 13. — [8] *Joan.*, XII, 24. — [9] *Joan.*, VI, 13. — [10] *Joan.*, II, 9.

semitas : deficere igitur in plateis, est carnalibus illecebris implicari. Vel in Ecclesia sunt semitæ consolationum (*a*) spiritualium; sunt plateæ consolationum (*b*) terrenarum : in plateis deficiunt, quia non inveniunt spirituales consolationes, intenti negotiis terrenis. *Quasi vulnerati* : vulnera sunt peccata : quasi ergo vulnerati deficiunt, qui, etsi malo manifeste non consentiunt, sic tamen per negligentiam, sicut alii per culpam, ad interitum tendunt. Ergo per negligentiam prælatorum pereunt multi, qui criminibus et flagitiis vulnerati sunt. *Cum exhalarent animas in sinu matrum suarum :* sinus matrum, blanda adulatio prælatorum : spiritum igitur in eorum sinu exhalant, cum ignavi prælati non solum carnales ad meliora non excitant, verum etiam blande ferunt. Exhalant animas, vel moriuntur, quasi vulnerati, qui corrumpuntur prælatorum exemplis; in sinu moriuntur, qui deficiunt per eorum negligentiam. [1] « Mortuus est filius hujus mulieris nocte, dormiens quippe oppresserat. »

Vel moraliter, ab illo loco : *Defecerunt oculi,* per oculos claritas intelligitur contemplationis; et quid per viscera, nisi sensus internæ dulcedinis? et quid per jecur, nisi fervor divini amoris accipitur? Spiritualis enim quicumque, quanto magis amorem in tribulatione ad proximorum compassionem foras effundit, tanto magis interna solatia, quæ gustare consueverat, subtracta deplorat. *Effusum est*, etc. : effusio jecoris est mortificatio carnis; ne ergo fictæ lacrymæ credantur, carnis afflictio lacrymis jungatur, et tunc jecur in terram funditur. *Super contritionem filiæ populi mei :* non dicit, *pro patre*, vel *matre* ; *filiæ populi mei*, ne affectus carnis, et non charitatis, eum ad fletum exagitare credatur, etc., ut supra. Vel per filiam populi, carnalis anima; per parvulum, sensus carnis; per lactentem, virtus mentis accipitur : sensus enim carnis levia semper appetit, nisi quando (*c*) eum mentis constantia per disciplinam restringit. Per oppidum corpus, quod anima habitat, intelligitur ; per ejus plateas, luxus (*d*) intelligitur voluptas. Vel platea mentis est vagatio, per quam multi vulnerantur.

Mem. Cui comparabo te, etc. Ecce secunda ratio lacrymarum Prophetæ, desolatio universitatis, vel multitudinis. Cujus desolationis vehementiam dupliciter manifestat : quia scilicet inæstimabilis; secundo, quia est irremediabilis, ibi : *Magna est enim velut,* etc. Quod sit inæstimabilis, ostendit, quia nullus alius dolor isti comparabilis est, nec in acerbitate, nec in quantitate.

Dicit ergo : *Cui comparabo te?* secundum similitudinem, vel imaginem pœnæ; unde sequitur : *Vel cui assimilabo te, filia Jerusalem?* quasi dicat : Nulli. Supra [2] : « O vos omnes, » etc. *Filia Jerusalem*, plebs Judaica, mollis et effœminata. *Cui exæquabo te*, in doloris quantitate? quasi dicat : Tua mala sua magnitudine omnia alia transcendunt. *Et consolabor te*, quasi dicat : Nulla alia civitas, supple, est destructa : quod si esset, posset esse consolatio aliqua; sed hoc inveniri non potest. Unde sequitur : *Magna velut mare contritio tua,* quasi dicat : Sicut mare super omnes aquas mole et amaritudine præcellit, ita tuæ contritioni nulla calamitas adæquatur. *Quis medebitur tui?* quasi : Sicut non potest exhauriri tota aqua de mari, sic nec tua miseria relevari; vel, sicut omnia flumina intrant mare [3], ita omnia malorum genera illata sunt Judææ. Spiritualiter, illi qui, post agnitam veritatem, retro abeunt, pejores sunt illis, qui nunquam veritatem agnorunt : horum sicut omnibus erat gloria incomparabilis, cum starent, sic incomparabilis ex ignominia, cum ceciderunt : [4] « Deus meus, pone illos ut rotam. » Unde omnes apostatantes inveniuntur cæteris omnibus deteriores : [5] « Ascendunt usque ad cœlum, et descendunt usque ab abyssum. » *Magna velut*

[1] III *Reg.*, III, 19. — [2] *Thren.*, I, 12. — [3] *Eccle.*, I, 7. — [4] *Psal.* LXXXII, 14. — [5] *Psal.* CVI, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* accusationum. — (*b*) *Item.* — (*c*) *Cæt. edit.* quantum. — (*d*) *Item* fluxus.

mare contritio tua : contritio spiritualis, remurmuratio cordis, ad nullam stabilitatem virtutis reducibilis : [1] « Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » [2] « Quis medebitur incantatori a serpente percusso ? » quasi dicat : Nullus. Exponitur etiam in bonum, quia dolor contritionis debet amaritudine imaginativæ omnem alium dolorem excedere.

Nun. Prophetæ tui, etc. Ecce tertia pars capituli, ubi subdit prædictæ desolationis rationem, falsorum prophetarum deceptionem : primo ponens hanc causam; deinde explicans ulterius consequentem miseriam in versu sequenti : *Plauserunt super te*, etc. Prophetæ autem decipiebant tripliciter populum : primo falsas visiones mentiendo ; secundo decipiebant adulando : *Nec aperiebant iniquitatem*; item tertio fallaciter promovendo; pro quibus dicit : *Viderunt autem tibi*, etc.

Dicit ergo : *Prophetæ tui*, componendo, *viderunt tibi falsa,* prædicendo quæ secundum veritatem non erant ventura. Nec excusabilis es per ignorantiam; unde sequitur : *Et stulta*, sicut est illud, quod prædicunt de futuro Messia. [3] « Prophetæ ejus vacui (*a*), viri infideles. » Quia ergo *falsa* viderunt, decepta es; quia *stulta*, excusari (*b*) non potes. Similes sunt homines, qui promittunt peccatoribus impunitatem, vel qui pueris terras tradunt, prædicantes eorum ædificationem. Pro adulatione sequitur : *Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Isaias [4] : « Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam ingressuum tuorum dissipant. » [5] « Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento. » Pro tertio sequitur : *Viderunt autem tibi assumptiones falsas,* dicentes, quod Dominus Judæos ad protectionem suam assumet; *et ejectiones,* Chaldæorum a Domino (*c*) Judææ, sicut Hananias (*d*) pseudopropheta [6] : « Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa, quæ tulit Nabuchodonosor de loco isto. »

Allegorice, istud ad prædicatores falsos referri potest, qui ad litteram implent, quæ hic dicuntur : vident solam mundanam vanitatem commendantes; *viderunt stulta*, statum sæcularem religioni præferentes : [7] « Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. » *Viderunt tibi assumptiones falsas :* moraliter *assumi*, est per justitiam Ecclesiæ incorporari; *ejici* vero, est a culpa (*e*) separari : quia igitur prædicatores pseudo condemnant innocentes, qui non sunt condemnandi, quasi per ejectionem, et commendant adulando illos, qui sunt arguendi, quasi per assumptionem; recte dicitur : *Viderunt tibi assumptiones,* etc. De falsis prophetis dicitur [8] : « Violabant me ad populum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. » Aliter, omnes pseudoprædicatores, Scripturis abutendo ad suos errores confirmandos, vel abutuntur eis, nimia verborum affirmativorum ampliatione, sub eis falsa affirmando, sicut qui præceptum de honorandis parentibus extendit ad prohibendum religionis ingressum; vel nimia verborum negativorum restrictione (*f*), sicut patet, quando dicitur in præcepto hoc : *Non mœchaberis*, nec prohiberi simplicem fornicationem. Vel dicitur : *Viderunt tibi assumptiones*, quia semper falsa veris immiscent, majorem veram proponentes, et minorem falsam assumentes. Amplius, *ejectiones* falsas viderunt, veritatem textus Scripturæ sacræ pro libito corrumpentes, et excludentes quidquid suis dogmatibus adversatur.

Samech. Plauserunt super te, etc. Ecce,

[1] *Isa.*, LVII, 20. — [2] *Eccli.*, XII, 13. — [3] *Sophon.*, III, 4. — [4] *Isa.*, III, 12. — [5] *Ezech.*, XXII, 28. — [6] *Jerem.*, XXVIII, 3. — [7] *Prov.*, XVI, 29. — [8] *Ezech.*, XIII, 19.

(*a*) *Vulg.* vesani. — (*b*) *Cæt. edit.* excusare. — (*c*) *Forte legendum* dominio.— (*d*) *Cæt. edit.* Ananias, *et sic deinceps.*— (*e*) *Leg.* ab ea per culpam.— (*f*) *Cæt. edit.* reflectione.

posita miseriæ causa, subdit latius explicationem miseriæ, id est pœnæ culpam consequentis. Pœnam manifestat triplici comparatione : primo per compassionem extraneorum transeuntium; secundo per improbitatem adversariorum insultantium, ibi : *Aperuerunt super te os suum*; tertio per comparationem ad divinum judicium, vel ad ultionem divinarum comminationum, ibi : *Fecit Dominus quæ*, etc. Pro primo dicit : *Plauserunt super te* Synagogam, vel Ecclesiam, non lætantis, sed compatientis affectu, ut dicit Glossa. Non enim in hoc insultatio, sed sola manuum intelligitur collisio; quæ aliquando gaudium, aliquando admonitionem, aliquando compassionem indicat. Aliter, si de plausu miseriæ intelligitur, de inimicis intelligitur. *Omnes transeuntes per viam :* ex quo magis videtur compatiendo dici, quam minando. *Omnes transeuntes*, qui fuerunt extranei, quia per hoc quod transierunt, aliunde venisse, et alio tendere demonstrantur : aliunde venerunt sanguine diversi; alio tendunt intentione : et tamen tanta erit desolatio, quæ alienos ad compassionem inclinaret illam afflictionem videntes. *Sibilaverunt*, præ admiratione : sibilus enim diversas indicat affectiones : aliquando contemptum; aliquando fastidium; aliquando desperationem; aliquando blandimenta insinuat. *Et moverunt capita sua*, præ stupore, sicut prædixit [1] : « Ponam eos in stuporem et in sibilum. » Commotio capitis aliquando indignationem, aliquando insultationem, aliquando dolorem, aliquando desperationem exprimit. Ergo in plausu, compassio; in sibilo, admiratio; in motione capitis, desperatio intelligitur. Vel in plausu manuum, ablatio potentiæ; in sibilo, ablatio doctrinæ; in motione capitis, ablatio omnis honoris et gloriæ designatur. *Super filiam Jerusalem*, id est, plebem Judaicam, *dicentes : Hæccine est urbs perfecti decoris*, quæ olim scilicet esse solebat, *gaudium universæ terræ*, Judææ : Quod propter templum dicebatur, ad quod ter in anno ascendebant, scilicet in Pascha, et in Pentecoste, et Scenopegia (*a*).

Moraliter, per viam transeunt, qui in præsenti vita ad patriam quotidiano profectu tendunt. Ii super multitudinis miseriam manus plaudunt, quia exemplis operum suorum eos ad bona opera accendunt : [2] « Montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. » Per sibilum, qui scribi non potest, inexplicabilis consolatio, vel compassio intelligitur, etc. Et supra exposita sunt.

Phe. Aperuerunt super te, etc. Ecce secundo declaratio pœnæ per improbitatem adversariorum, quorum improbitas manifestatur primo ex signis (*b*), deinde ex verbis : *Et dixerunt : Devorabimus.* Signa quidem sunt cachinnus, sibilus, et deinde fremitus. Cachinnus intelligitur, cum *aperuerunt super te os suum omnes inimici tui. Aperuerunt* ergo, supple, ad animandum; *sibilaverunt*, provocando; *et fremuerunt dentibus*, detinendo. *Et dixerunt :* ecce indignatio ostensa in verbis : primo, crudelitatis; deinde impiæ jucunditatis, ibi : *En ista est dies quam expectabamus.* Dicit ergo : *Et dixerunt : Devorabimus eam*, id est, pœnis ad libitum destruemus : *En ista est dies, quam expectabamus*, desiderando; *invenimus*, quærendo; *vidimus*, exultando.

Spiritualiter, inimici Ecclesiæ, hæretici super Ecclesiam ora aperiunt, quando vel simplices invadunt, vel aucupant (*b*); vel lætantur, cum defectus vident ecclesiasticarum personarum. In sibilo blanda et callida intelligitur persuasio, qua simplices decipiunt. Fremunt dentibus, quia ex magna aviditate procedunt. Vel dicas : inimici aperiunt os per machinationem; sibilant per suggestionem : fremunt dentibus, pertrahendo ad subversionem et æternam damnationem.

Nota, quod hic mutatur ordo alphabeti; quia secundum Hieronymum et Rabanum hic ponitur *Phe* ante *Ain*, cum e contrario

[1] *Jerem.*, XIX, 8. — [2] *Isa.*, LV, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* Scenophegia.— (*b*) *Item* linguis. — (*c*) *Item* occupant.

sit in alphabeto præcedenti. Unde illi versui; *Aperuerunt*; etc., præponitur littera *Phe*; illi sequenti: *Fecit Dominus*, etc., præponitur littera *Ain*. Nihilominus, et illi versui: *Aperuerunt super te os suum*, etc., convenit (*a*) optime littera *Phe*, quæ interpretatur *oris:* quid enim melius præponitur (*a*) apertioni ore? Illi autem versui: *Fecit Dominus*, etc., recte præponitur littera *Ain*, quæ interpretatur *fons*, quia correctio vel dispositio Dei, fons est et causa totius ordinis. Vel *Ain* interpretatur *oculus*, quod congruit proposito, quia nihil aliud est cogitatio Dei, nisi vita et providentia oculi sui.

Ain. Fecit Dominus, etc. Hic tertio manifestat calamitatem per comparationem ad divinam comminationem, sive consummationem divinorum judiciorum. Et habet duas partes: quia primo tangit divinum judicium; secundo, divini judicii effectum: *Destruxit*, etc. Ejus judicium ostenditur per comparationem ad ejus dispositionem occultam primo; deinde per comparationem ad ejus comminationem in Scriptura expressam: *Complevit*, etc. Dicit ergo: *Fecit Dominus*, quasi: Si quæris: Unde tanta calamitas? certe justo Dei judicio, quia noluisti facere quod præcepit. *Fecit Dominus quæ cogitavit*, id est, sapienter disposuit contra Jerusalem et Judæam. Non ergo hostibus est hoc tribuendum, sed ad divinum referendum judicium. *Complevit sermonem suum*, sceleribus populi provocatus; *quem præceperat*, per Prophetas nuntiari, *a diebus antiquis*. Vel sermo præceptorum in comminationibus completur: præmissis enim præceptis subjunguntur benedictiones, quibus ad ipsorum observantiam attrahuntur; et deinde maledictiones et comminationes, quæ transgressoribus imprecantur, sicut patet in *Deuteronomio* [1]. Sic ergo complevit sermonem quem præceperat, faciendo quod transgressoribus comminatus fuerat. Sed pro effectu sequitur: *Destruxit*, civitatem cum pertinentibus; *et non pepercit*, in ultima captivitate, quando totum illum populum temporaliter dissipavit. *Destruxit*, auferendo delectationem; *non pepercit*, puniendo per tribulationem præteritam libidinem. *Destruxit* quidem, quia destrui permisit, unde sequitur: *Et lætificavit super te inimicum*, Chaldæum et Romanum, vel vicinas gentes, quæ libenter ei hostes fuerunt; *et exaltavit cornu*, id est, potestatem et gloriam, *hostium tuorum*.

Sade. Clamavit cor eorum, etc. Hæc est quarta pars capituli, in qua post descriptam, vel prædictam desolationem, ad desolationis remedium informat, scilicet ad gemitum et compunctionem. Primo autem tangit deprecationis hujus opportunitatem, propter elationem inimicorum; deinde hortatur se exercere ad compunctionem et gemitum, ibi: *Deducet*, etc. Dicit ergo pro primo: *Clamavit cor eorum*, id est, inimicorum; *ad Dominum*, id est, contra Dominum. Sicut simile dicitur [2]: « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est. » Clamavit ergo cor eorum contemnendo Deum, *super muros filiæ Sion*, id est propter murorum destructionem, ex hoc scilicet gloriantes. Ex hoc ergo erat opportunitas deprecandi Dominum, quamvis non agentibus meritis Judæorum, sed demeritis adversariorum, sicut dixit Ezechias [3]: « Inclina, Domine, aurem tuam, et audi; aperi, Domine, oculos tuos, et vide; et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. » *Deduc*: ecce hortatur ad gemitum et compunctionem; et hortatur ad tria: primo ad deploranda peccata propria; deinde ad laudandum divina judicia, ibi: *Consurge, lauda;* tertio ad implorandum divina præsidia, ibi: *Effunde sicut aquam*. In prima parte hortatur ad lacrymandi vehementiam; secundo, ad lacrymarum indefessam ferventiam: *Non des requiem tibi*; tertio ad lacrymandi perseverantiam: *Neque jaceat*. Dicit ergo: *Deduc*, o filia Sion, quasi spontaneæ

[1] *Deut.*, XXVIII, 15-68. — [2] *Gen.*, XVIII, 20. — [3] *Isa.*, XXXVIII, 17. — (*a*) *Leg.* præponitur *loco* convenit, *et vicissim*.

sint lacrymæ, non extortæ. Vel *deduc*, id est, deorsum duc ad mundationem conscientiæ per compunctionem; unde in *Psalmo*[1]: « Lavabo per singulas noctes lectum, » etc. Ut non ascendant per indevotionem lacrymæ, *lacrymas*, id est, abundanter, et ferventer, atque impetuose, sic enim currit torrens, et quanto currit impetuosius, tanto citius exsiccatur, quia quanto gemitus est fortior, tanto citius venia impetratur. Unde Hugo de Sancto Victore : « Recte compunctionis fervor torrenti comparatur; quia quanto major vis doloris in compunctione fuerit, tanto citius divina consolatione superveniente pertransit. » Torrens etiam, quia est aqua fluens, significat, quod lacrymæ sunt tantum præsentis temporis [2] : « Absterget Deus omnem lacrymam. » *Per diem et noctem*, id est continue : vel *per diem*, propter peccantes in prosperitate: *et noctem*, propter peccantes ex adversitate. Vel per diem et noctem, diversi status intelliguntur compunctionis : primo enim afficit mentem vehemens tædium detestationis peccati; deinde gaudium immissum remissionis. Sanctus Bernardus : « O bone Jesu, si tam dulce est flere de te, quam dulce est gaudere de te? » Per noctem lacrymas deducit, qui mœroris tædium lacrymando aggravat; per diem lacrymas deducit, qui post devotionem lætam animam in mœrore servat. Hoc idcirco dicitur, quia sunt nonnulli, qui post lacrymas per inanem lætitiam se dissolvunt; et quia cor suum in mœrore perseveranter tenere negligunt, quidquid compunctionis tempore ad eos pertinuisse poterat, perdunt. Idcirco valde necessarium est, ut postquam compunctionis gratia mentem a sorde erexerit, sollicite caveatur, ne postmodum hæc bonitas per immoderatam lætitiam dissolvatur, ac ne unquam eam præstiti mœroris custodia derelinquat. Sequitur : *Non des requiem tibi*, in fletu paulatim tepescendo ; *requiem*, inquit, mœroris enervativam, vel interruptivam : vel in hoc corporis afflictio innuitur. Sed pro tertio sequitur : *Et non taceat*, id est, nunquam cesset lacrymari, *pupilla oculi tui* : lacrymæ enim continuæ loquuntur in auribus Dei; unde in *Psalmo*[3] : « Auribus percipe lacrymas meas. » Quasi, etsi taceat lingua, non taceat pupilla, ex qua est impetrandi efficacia. Et hoc ad litteram intelligitur de magna effusione lacrymarum in pupilla, ut dum id quod tenerum est, affligitur, citius ad misericordiam pietas judicis inflectatur. Vel pupilla intima devotio mentis intelligitur. Vel allegorice, pupilla Ecclesiæ viri sancti et spirituales intelliguntur. Sed contra, videtur præcipere impossibile : nullus enim potest continue pupillam astringere. Respondeo : Illud intelligitur, sicut illud Apostoli[4] : « Sine intermissione orate ; » et illud Domini[5] : « Oportet semper orare, et non deficere. » Hoc enim est semper et sine intermissione, nulla hora orationem debitam prætermittere : et hoc similiter est continue plorare. Aliter responderi potest : quia super illud : *Non des requiem*, etc., Glossa : « Modum lacrymandi temperat : quia scilicet dicit : Non tam lacrymas impero, quam continuam devotionem impono. »

Caph. Consurge, etc. Hic secundo hortatur ad veneranda divina judicia. *Consurge* corde et opere ; *consurge*, simul cum aliis surge; *lauda*, divina judicia; *in nocte*, id est in adversitate, non solum sicut ille, de quo in *Psalmo*[6] : « Confitebitur tibi, cum benefeceris ei; » sed sicut dicitur[7] : « Ubi est Deus, qui fecit me; qui dedit carmina in nocte? *In principio vigiliarum* : Quatuor erant vigiliæ : prima dicitur conticinium : secunda, intempestum; tertia, galli cantus; quarta, antelucanum : quarum quælibet habet tres horas : in prima solebant vigilare pueri ; in secunda adolescentes ; in tertia juvenes; in quarta senes. In principio igitur harum vigiliarum consurgere, est in lacrymis per noctem ire. Moraliter, in principio vigilare est a pueritia virtutis studio inhærere : [8] « Qui

[1] *Psal.* VI, 7. — [2] *Apoc.*, XXI, 4. — [3] *Psal.* XXXVIII, 17. — [4] I *Thess.*, V, 17. — [5] *Luc.*, XVIII, 1. — [6] *Psal.* XLVIII, 19. — [7] *Job*, XXXV, 10. — [8] *Prov.*, VIII, 17.

mane vigilaverit ad me, inveniet me. » Vel spiritualiter, prima vigilia est contemptus mundi : [1] « Ego dormio, » ab implicationibus scilicet, etc. Secunda maceratio corporis proprii : [2] « Vigilia honestatis tabefaciet carnes. » Tertia, exercitium virtutum : [3] « Cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit in perfectionem (*a*). » Quarta, desiderium benedictionum divinarum : [4] « Qui vigilat ad eum, inveniet benedictionem illius. » [5] « Beatus vir, qui audit me, et qui vigilat, » etc. Vel prima vigilia, malum agnoscere; secunda, agnitum derelinquere; tertia, ad bonum se extendere; quarta, bonum continuare. Pro iis quatuor dicit quater [6] : « Revertere, » etc. Vel juxta litteram, in principio vigiliarum surgere, est in omnimodis vigiliis priorem esse; unde in *Psalmo* [7] : « Anticipaverunt vigilias oculi mei. » Sequitur : *Effunde*, etc.; hortatur ad impetranda divina præsidia. *Effunde*, inquit, *sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini :* aquam cor effundere, est ex intimo lacrymas producere. *Effunde sicut aquam* : non sicut oleum, quod effusum relinquit pinguedinem; non sicut mel, quod effusum relinquit dulcedinem; item non sicut vinum, quod relinquit odorem; non sicut lac, quod relinquit colorem : sed *sicut aquam*. Vel *effunde sicut aquam*, quæ fluit ad inferiorem locum, et per totum. Vel certe illud ad superiora referri potest : cor enim quasi aqua effunditur, quoniam omnis ab eo sensus proprius diminuitur, quando oratio divinis judiciis configuratur et substernitur : [8] « Paratum cor meum, Deus. » *Leva ad eum manus tuas*, ad litteram, ex affectus vehementia, ut ostendas te auxilio indigere; et non in tuis viribus, sed in Dei protectione confidere : [9] « Levantes puras manus. » Vel *consurge* per contritionem; *effunde* per confessionem; *leva* per sanctificationem. *Pro anima parvulorum tuorum :* hoc dicit, quia ipsi puniti sunt, et mortui propter peccata patrum et parentum suorum. *Qui defecerunt fame :* antiqui libri habent : *in fame;* libri novi habent : *qui fame pereunt*. Spiritualiter peccatorum, qui parvuli pereunt. *In capite omnium compitorum* : compitum est confluentium plurium viarum, dictum quasi a *componendo*. Ibi ergo erant mortui, ubi transeuntes plurimi eorum visui objicerentur : per quod spiritualiter intelligitur latitudo sæcularium voluptatum. Vel moriuntur parvuli in capite, quia multi sunt enerves, qui statim cadunt oriente tentatione.

Res. Vide, Domine, et considera, etc. Hæc est quarta pars capituli, in qua, postquam supra peccatores excitavit, ut eos ad pœnitentiam inflecteret, hic Propheta causam pœnitentium suscipiens, sermonem convertit ad Dominum, ut ipsum pro peccatoribus exoret. Primo ergo implorat cœlestem pietatem; secundo allegat urgentissimam utilitatem : *Ergone comedent*, etc.

Dicit ergo : *Vide, Domine*, oculo misericordiæ; *et considera*, populum multiplici subjectum miseriæ; *quem vindemiaveris ita*, populum tibi olim dilectum, quasi vineam *vindemiaveris*, fructum omnem abstuleris, vel auferri permiseris; *ita*, tam horribiliter, ut quasi vinea denudata botris propriis. Unde sequitur : *Ergone*, ubi, ut dictum est, allegat multiplicem necessitatem : quam primo ostendit per infelicitatem domesticorum; secundo per prosperitatem (*b*) adversariorum, versus finem : *Vocasti*. Infelicitatem autem domesticorum tangit primo quantum ad vivos, deinde quantum ad mortuos : *Si occiditur*, etc. Dicit : *Ergone comedent mulieres fructum suum*, id est, uteri sui? Quas mulieres vocat, non matres, quia mater non est dicenda, quæ est immemor pietatis. Quis sit fructus, ostendit, subdens : *Parvulos*, scilicet in quantitate, *ad mensuram palmæ*, id est, tenues (*c*), et vix unius palmæ mensuram habentes : palma

[1] *Cant.*, v, 2. — [2] *Eccli.*, xxxi, 1. — [3] *Eccli.*, xxxviii, 31. — [4] *Eccli.*, xxxii, 18. — [5] *Prov.*, viii, 34. — [6] *Cant.*, vi, 12. — [7] *Psal.* lxxvi, 5. — [8] *Psal.* lvi, 8. — [9] *I Tim.*, ii, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* vigilias armabit in profectionem. — (*b*) *Item* proprietatem. — (*c*) *Item* tenens.

hic dicitur pro expansione manus a capite pollicis usque ad summitatem medii digiti. *Si occiditur*, etc. : ecce miseria mortuorum : primo, quantum ad circumstantiam loci; secundo, quantum ad modum moriendi : *Virgines meæ*, etc.; tertio, quantum ad magnitudinem universalis flagelli : *Interfecisti*, etc. Loca tangit duo : intimum, scilicet sanctuarium; et extremum. Dicit ergo : *Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta;* quasi : Quamvis tantum peccaverint, sacerdotes numquid interfici meruerunt? Vel *si occiditur*, etc., sicut de satana legitur (*a*), numquid ideo mulieres comedent, etc.? Sed pro loco exteriori sequitur (*Sin*) : *Jacuerunt in terra foris*, interfecti (*b*) fugere volentes; *puer et senex*, ambo infirmæ ætatis : primum nec sacro loco parcebatur, nec fugæ præsidium opitulabantur (*c*). Sequitur : *Virgines meæ*, id est, infirmiores : *et juvenes mei*, id est, fortiores, *ceciderunt in gladio*, ad litteram, interfecti. Pro tertio subdit : *Interfecisti in die furoris tui*, illos qui gladio ceciderunt vindictæ irrefragabilis; *percussisti*, jacentes, permissive; *nec misertus es*. Libri novi habent : *nec misereberis* : exponatur interrogative.

Spiritualiter intelligendum, quod Deus terribiliter quosdam in Ecclesia *vindemiat*, cum illos, quos prius per prædicatores excoluit, postea steriles et inanes derelinquit [1] : « Plantabis vineam, et non comedes fructus ejus. » *Mulieres*, mali prælati, luxu morum emolliti, qui *fructum suum comedunt;* qui de labore ministerii, si quem faciunt, in præsenti vita remunerationem accipiunt. E contra dicitur bonis doctoribus [2] : « Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » Vel *fructum comedunt*, id est, consumunt parvulos ad mensuram palmæ; quia infirmos fide, quos baptismate vel aliter generant, exemplo ad terrena desideria inclinant; *comedunt*, quia rebus subditos spoliant, quos pascere debuerant. *Si occiditur*, etc. : per *sanctuarium* cultus Dei intelligitur : propheta et sacerdos occiduntur in sanctuario, quando vel doctor, qui per *prophetam* intelligitur, verba Scripturæ ad pravitatem intorquet, vel quando *sacerdos* indigne sacra mysteria dispensat. *Jacuerunt in terra foris puer et senex.* [3] «Sicut enim populus, sic et sacerdos.» In terra jacuerunt, quia in terrenis desideriis quieverunt. Non solum sederunt, ut supra dictum est, sed jacuerunt, dormientes, et seipsos nescientes : [4] « A minimo usque ad majorem omnes avaritiæ student. » *In terra foris*, locus exilii intelligitur. *Virgines meæ*, animæ contemplativæ, sed fatuæ, vel fideles, quia fidei integritatem non (*d*) servant, et *juvenes mei in gladio ceciderunt*, id est, persuasionibus hæreticorum subversi sunt : quia Apostolus [5] : « Corrumpunt bonos mores colloquia prava. » Juvenes sunt, qui in præliis fortes sunt, qui in adversitate diabolo non cedunt; et tamen gladio linguæ iniquæ plures subvertuntur. *Interfecisti* : interfecit eos, qui per infidelitatem corruunt : percutit eos, qui in lapsu pereuntium per compassionem carnalitatis vulnerati sunt : non miseretur, dum nec lapsos erigit, nec dolorem stantium consolatur.

Thau. Vocasti quasi ad diem, etc. A parte Judæorum hæc tria jungit : terrorem; dejectionem labiorum; consumptionem. Dicit ergo : *Vocasti*, quasi : Eorum fuit velle; sed tuum fuit concedere, et per consequens tuum est liberare. *Vocasti*, Chaldæos et Romanos, *quasi ad diem solemnem*, in quo prosperitas eorum designatur; *qui terrerent me de circuitu*, undique impetu videlicet obsidentes. Vel *quasi ad diem solemnem*, dicit, quia Judæi in tribus anni solemnitatibus concurrere soliti erant. Vel dic : *Quasi ad diem solemnem*, quia Romani ceperunt Jerusalem in die Paschæ. Pro secundo sequitur : *Et non fuit qui effugeret*, ad litteram,

[1] *Deut.*, XXIII, 30. — [2] *Joan.*, XV, 16. — [3] *Isa.*, XXIV, 2. — [4] *Jerem.*, VI, 13. — [5] I *Cor.*, XV, 33.

(*a*) Supple : *Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cælo* (Luc., X, 18.). — (*b*) *Cæt. edit.* interfectum. — (*c*) *Leg.* opitulabatur. — (*d*) *Cæt. edit. deest* non.

qui non esset captus, aut mortuus. *In die furoris Domini*, hoc est ultimæ captivitatis. *Et relinqueretur*, in Jerusalem. Hoc etiam quodam modo impletum est in obsidione Chaldæorum, quando nullus fuit relictus, qui non esset captivus, vel servus. Pro tertio subdit : *Quos educavi*, per disciplinam; *Et nutrivi*, quantum ad naturam; *inimicus meus consumpsit eos*, id est, totaliter delevit illos.

Moraliter, de hora mortis, quando solent dæmones ad morientem in circuitu lætanter convenire. Vel certe in die judicii peccator undique mala habebit accusantia, et ex nulla parte (*a*) defendentia.

CAPUT III.

1. *Aleph. Ego vir videns*, etc. (*b*) Postquam in duobus præcedentibus alphabetis lamentatus est desolationem Synagogæ in communi; hic lamentatur desolationem quarumdam personarum privilegiatarum in speciali. Et quia privilegiatæ dicuntur personæ dupliciter, vel pro vitæ meritis, vel pro statu honoris : primo ponit lamentationem primi generis personarum; secundo, aliarum in sequenti alphabeto, ibi : *Quomodo obscuratum est aurum?* In prima introducitur prophetica lamentatio in persona talium; sed verius Christi, et membrorum suorum, quorum hic manifeste miseria describitur : et impossibile est hic litteralem intellectum reperire sine extorsione (*c*). Hoc autem alphabetum habet duas partes : quia primo lamentatur simul capitis, et corporis tribulationem; secundo, invocat electos ad compassionem, ibi : *Recordare paupertatis*; tertio incidenter pertractat Synagogæ reprobationem occasione dominicæ passionis, ibi : *Operuisti in furore, et percussisti*. In prima parte primo in summa tangit gratiam dominicæ exinanitionis; secundo seriem describit dominicæ passionis, ibi : *Circumædificavit*, etc. In prima parte notificavit Filii Dei exinanitionem per comparationem ad Patris severitatem; secundo subdit hujus exinanitionis compendiosam demonstrationem in sequenti versu : *Vetustam fecit pellem*, etc. Exinanitio Christi patet ex assumptione status egestatis, quod intelligitur in primo membro; secundo intelligitur ex assumptione anxietatis, vel adversitatis, quod intelligitur in secundo membro, ibi : *Me minavit*, etc.; tertio, ex singulari et uniformi continuatione totius suæ peregrinationis, ibi : *Tantum in me*, etc. In primo intelligitur delectabilium carentia; in secundo tristabilium præsentia; in tertio, utriusque perseverantia. Amplius : trimetrum describitur hoc alphabetum, et litteris triplicatis, quia hoc alphabetum refertur ad tertiam Ecclesiæ tribulationem, quæ est prosperitatis, divitiarum, deliciarum et honorum. Amplius : hic expresse deploratur passio Salvatoris, cujus una consistens est persona in tribus substantiis : *Ego vir*. Quod quamvis dici possit in persona Prophetæ, vel electorum Synagogæ; melius tamen a sensu judaico receditur, et allegorice pro sensu historico adhæretur. Et quia in iis tribus clausulis summatim comprehenditur universitas agendorum et credendorum; ideo istis tribus membris *Aleph* præponitur triplicatum. Continere enim se in omnibus, quæ in mundo sunt, bonis; et sustinere, quæ in mundo sunt, mala, est virtutis universitas, ut dicit Augustinus : et hoc in duobus primis membris. Amplius autem, qualiter per Christum solum, et ejus angustias, liberatum sit genus humanum, amplectitur summa credendorum : et hoc continetur tertio membro. Dicit ergo : *Ego*, Christus purissima et trium persona substantiarum; *vir*, a virtute [1] : « Mulier circumdabit virum; » [2] « Gradiens in multitudine virtutis suæ. » *Videns paupertatem meam*, id est, veraciter cognoscens. Cum e contra dicatur de multis [3] : « Dicis, quia dives sum, et lo-

[1] *Jerem.*, XXXI, 22.— [2] *Is.*, LXIII, 1.— [3] *Apoc.*, III, 17.

(*a*) *Suppl.* bona.— (*b*) Cæt. edit. deest I. *Aleph. Ego vir videns*, etc. — (*c*) *Cæt. edit.* extersione.

cupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et nudus, et cæcus. » Nota quod *Christus* habuit paupertatem, et hoc tripliciter : Mortalitatis, vel assumptæ infirmitatis [1] : « Simul in unum dives et pauper. » Egestatis, mundum ingrediens [2] : « Pannis eum involvit et reclinavit in præsepio; » progrediens [3] : « Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet : » [4] « Circumpectis omnibus, cum jam (*a*) vespera esset hora, exiit in Bethaniam ; » egrediens [5] : « Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea sicut, » etc. Familiaritatis, unde in *Psalmo* [6] : « Singulariter sum ego, donec transeam. » [7] Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, et Salvator, ipse pauper, et ascendens super asinum. » *In virga indignationis ejus* : indignatio Dei, voluntas puniendi ; virga autem, ipsa pœna, quam tulit Christus ut salvaretur genus humanum [8] : « Propter scelus populi mei, percussi eum : vulneratus est propter iniquitates nostras. » Vel moraliter exponi potest de quocumque justo, qui per tribulationem divinitus immissam recognoscit infirmitatem, et virtutis suæ parvitatem [9] : « Infirmitas gravis sobriam facit animam. »

Sequitur (v. 2, *Aleph*) : *Me minavit, et adduxit me :* minare, hoc est ducere; *in tenebras*, adversitatis et abjectionis [10] : « Quasi absconditus est vultus ejus, et despectus : unde nec reputavimus eum. » *Minavit*, quia in humilitate mundum pertransiit; *et adduxit in tenebras,* quia tribulationum tolerantiam in cruce consummavit; *et non in lucem*, prosperitatis, vel affluentiæ temporalis [11] : « Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. » Glossa, ibi : « Noluit (*b*) Dominus habere quod perderet; pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret. » [12] « Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eum non comprehenderunt, » quia ad nullum peccatum eum inclinare potuerunt.

3. Item pro tertio sequitur *Aleph : Tantum in me,* id est Christum, pro mea redemptione : *vertit et convertit manum suam,* flagellando pro humani generis redemptione. Ideo dicit : *Tantum in me,* quia nulla ei comparata est creatura in redimendo [13] : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » *Vertit,* inquit, *et convertit :* vertit flagellando ; convertit aliis in hoc parcendo et subveniendo. *Tota die*, peregrinationis Christi in terris, sicut ibi accipitur dies [14] : « Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. » Illud etiam de Christo ratione membrorum exponi potest, in quos tantum vertit manum castigando, et convertit miserando : in quosdam malos reprobos vertit manum flagellando, sed non convertit, in morte potius aggravando. [15] « Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. » [16] « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, » etc.

4. *Beth. Vetustam*, etc. Postquam notificavit summarie Christi exinanitionem, hic subdit compendiosam quamdam ejus explicationem. Et primo manifestat suæ passionis necessitatem, quod pertinet ad tertium versum præmissum : *Tantum in me,* etc.; secundo notificat passionis suæ multiplicem acerbitatem : *Ædificavit in gyro*, etc.; tertio ejus consummationem : *In tenebrosis,* etc. Necessitas autem dominicæ passionis ex hoc fuit, quia [17] « omnes » alii « declinaverunt, simul inutiles facti sunt, » sicut ostendit in triplici differentia hominum : quantum ad statum laicorum, qui per pellem, quæ exterius est, intelligitur; quantum ad statum clericorum, qui interius sunt, et per carnem designantur; et quantum ad statum apostolorum et prædicatorum, qui per ossa figurantur. Dicit

[1] *Psal.* XLVIII, 3. — [2] *Luc.*, II, 7. — [3] *Luc.*, IX, 58. — [4] *Marc.*, XI, 11. — [5] *Psal.* XXX, 11. — [6] *Psal.* CXL, 10. — [7] *Zach.*, IX, 9. — [8] *Isa.*, LIII, 8, 5. — [9] *Eccli.*, XXXI, 2. — [10] *Isa.*, LIII, 3. — [11] *Joan.*, XIV, 30. — [12] *Joan.*, I, 5. — [13] *Isa.*, LXIII, 3. — [14] *Joan.*, IX, 4. — [15] *Amos*, III, 2. — [16] II *Tim.*, III, 12. — [17] *Psal.* XIII, 3.

(*a*) *Cæt. edit. add.* vel. — (*b*) *Cæt. edit.* Voluit.

ergo (*a*) : *Vetustam*, quasi : Non miremini, si tantum in me vertit, etc., quia *vetustam fecit*, id est, fieri permisit, *pellem meam*, id est, pellem meam vetustam, et plagis (*b*) peccatorum deformem; quæ vetustas deponenda est [1] : « Exuentes (*c*) veterem hominem cum actibus suis. » [2] « Detracta pelle hostiæ, artus in frusta convertent. » [3] « Cutis mea aruit, et contracta est. » Gregorius [4] : « In sanctæ Ecclesiæ corpore, qui solis exterioribus curis inserviunt, *cutis* congrue nominantur. » Solent etiam per pellem nobiliora membra Ecclesiæ designari, sicut martyres, qui significantur per pelles arietum rubricatas, quibus operiebatur tabernaculum, ut patet in *Exodo* [5] : « Facies operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis. » Item confessores significantur per pelles hyacinthinas, de quibus eodem capitulo : « Et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus. » Qui quia pœna extenuantur, dicitur [6] : « Nigra sum, sed formosa, etc., sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. » Item sanctæ mulieres Domino exteriora necessaria ministrantes [7] : « Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum : » ubi os Christus, et carnes discipuli, pelles sanctæ mulieres, exteriora necessaria ministrantes. Cum enim ad horam crucis ventum est, fugerunt discipuli, mulieres adhæserunt, sicut exponit Gregorius [8]. *Et carnem meam :* hic per carnem clerici intelliguntur [9] : « Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris; » *putredine* carnalitatis, et *pulvere* vanitatis. Hæc etiam pars versus, *Vetustam*, etc., ad litteram exponi posset de Christo, qui pro laboris vehementia longe videbatur senior quam erat; unde [10] : « Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? » *Contrivit*, id est, conteri permisit, *ossa mea*, id est, membra Ecclesiæ electa, scilicet apostolos, qui omnes tempore passionis,[11] « relicto eo, fugerunt : » nimirum dicitur [12] : « Spiritus tristis exsiccat ossa : » ipsi autem fuerunt multum tristati. Isti ergo sibi pro redemptione non sufficiunt, quia [13] « omnes declinaverunt usque ad unum, » id est, Christum.

5. Sequitur pro passionis acerbitate et multiplicitate, *Beth : Ædificavit in gyro meo*, id est, ædificare (*c*) permisit Judæos continue observantes, tandem cum laternis (*d*) comprehendentes [14] : « Circumdederunt me sicut apes, » [15] « filii matris meæ, » etc. Quod etiam Ecclesia convenit, quæ in gyro circumdatur, dum a tyrannis, hæreticis et hypocritis impugnatur. *Et circumdedit me felle*, id est, materia tristitiæ in multitudine malorum displicentium; *et labore* corporali, ad litteram, vexatione. Quod etiam convenit Ecclesiæ, et ita de Christo intelligitur.

6. Pro morte vero sequitur, *Beth : in tenebrosis*, id est, in sepulchro, *collocavit me, quasi mortuos sempiternos*, id est, quasi nunquam essem surrecturus a morte [16] : « Deputatus es cum descendentibus in infernum. » *Psalmus* [17] : « Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi. » Iis tribus sententiis præponitur *Beth*, quæ interpretatur *confusio*, vel *domus*; quoniam Synagoga, quæ domus erat Dei, tripliciter Christo injurata est : et viventem deserendo, quod intelligitur in primo; et morti eum tradendo, quod in secundo; et contra resurrectionem conando, quod in tertio designatur.

Synagoga tripliciter in Christum injuriosa.

7. *Ghimel. Circum ædificavit*, etc. Post Dominicæ passionis compendiosam prælibationem, hic subdit ejusdem passionis expletionem : primo quantum ad præcedentia crucifixionem; secundo quantum ad crucis passionem : *Semitas meas subvertit*; tertio, quantum ad discipulorum desperationem : *Et fregit ad numerum*. Antecedentia passionem tria tangit, scilicet Judæorum machinationem, Christi agonizantis orationem,

[1] *Col.*, III, 9. — [2] *Levit.*, I, 6. — [3] *Job*, VII, 5. — [4] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. VI, al. X, n. 24. — [5] *Exod.*, XXVI, 14. — [6] *Cant.*, I, 5. — [7] *Job*, XIX, 20. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XIV, n. 57. — [9] *Job*, VII, 5. — [10] *Joan.*, VIII, 57. — [11] *Matth.*, XXVI, 56. — [12] *Prov.*, XVII, 22. — [13] *Psal.* XIII, 3. — [14] *Psal.* CXVII, 12. — [15] *Cant.*, I, 5. — [16] *Baruc.*, III, 11. — [17] *Psal.* CXLII, 3. — (*a*) Al. præmitt. *Beth*. — (*b*) *Cæt. edit.* magis. — (*c*) *Vulg.* Expoliantes. — (*d*) *Al.* ædificari. — (*e*) *Al.* lacrymis.

Christi comprehensionem et vincula. Sic resolutorie tangit ultimum primo, secundum secundo, primum ultimo versu.

Dicit ergo pro primo *Ghimel*: *Circumædificavit adversum me*, intellige, permissive; *circumædificavit*, inquam, quantum ad falsos testes circumdantes, *ut non egrediar*, de manibus Pilati illæsus. « Multi enim surrexerunt falsi testes, quorum non erant convenientia testimonia, » ut dicitur [1]. Vel ad sepulchri custodiam hoc posset referri, quia fecerunt sepulchrum custodiri. *Aggravavit compedem meum* : compedes proprie sunt vincula pedum : hic accipitur pro vinculis, quibuscum ligatus est Jesus a comprehensoribus [2] : « Ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum; » unde in *Psalmo* [3] : « Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum etc. » Sed Pilatus vincula aggravavit, quia vinctum flagellavit [4] : « Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit, » etc.

Mystice, sunt compedes quadruplices : primi fugiendi, scilicet peccati impedimenta [5] : « Dominus enim solvit compeditos. » [6] « Vinxit compedibus, ut duceret (*a*) in Babylonem. » Secundi sustinendi, scilicet (*b*) pœnæ, unde in *Psalmo* [7] : « Ut audiret gemitus compeditorum, et solveret filios interemptorum. » Tertii (*c*) suscipiendi, præceptorum et consiliorum obligationes (*d*). *Psalmus* [8] : « Ad alligandos reges eorum in compedibus. » Quarti (*e*) desiderandi, dona gratiæ restringentis a malo [9] : « Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. »

8. Pro secundo sequitur (*Ghimel*) : *Sed et cum clamavero*, in horto, *et rogavero* [10] : « Mi pater, si possibile est, transeat a me calix iste. » *Exclusit orationem meam*, id est, non exaudivit : in hoc docens, quod non debemus admirari, si non exaudimur in omnibus, quæ a Domino postulamus : quia vel rem petimus irrationabilem, vel quia non bene petamus.

9. Pro tertio, scilicet Judæorum machinatione, sequitur *Ghimel* : *Conclusit*, etc. Quam machinationem triplicem ostendit : observaverunt enim primo Judæi vitam Christi; observaverunt doctrinam Christi; tertio machinati sunt ad mortem Christi. Primum significat, dicens : *Conclusit vias;* secundum (*f*) : *semitas meas;* tertium (*g*), *Ursus insidians*. Dicit ergo : *Conclusit vias meas*, id est, opera mea, *lapidibus quadris*, scribis scilicet et pharisæis, qui *lapides* erant, propter quamdam vitæ austeritatem, et *quadri* propter quamdam superstitionis dolaturam; vel *lapides* per cordis malignitatem, *quadri* per ad junctam potestatem; vel *quadri* propter interrogationum calliditatem, cum cornutis sophismatibus, quæ ex omni parte videbantur concludere, Christum capere nixi sunt in sermone. [11] « Mittunt ei discipulos suos, » scilicet pharisæi, « dicentes : Magister, scimus, quia verax es, » etc. *Semitas meas*, id est, doctrinam consiliorum meorum; *subvertit*, id est, subverti permisit, sicut in illis qui [12] « abierunt retrorsum (*h*). » Amplius, cum persuaderet contemptum mundi, subjungitur [13] : « Audiebant hæc omnia pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. » Vel si de corpore intelligitur, *lapides* sunt peccata homines impedientia : ponderant enim, deorsum trahentia [14] : « Iniquitas sedet super talentum plumbi. » Quadratura significat immobilitatem peccati : Lazarus enim [15] quatriduanus erat. *Semitas subvertit*, id est consilia, per hæreticos verba Evangelii extorquentes. Iis tribus præponitur littera *Ghimel*, quod interpretatur *plenitudo*, quod in iis tribus consistit legis perfectio : in sufferendo hominum malignitates, Dei dispositiones, et ex iis duobus consequentes tribulationes.

Scribis et Pharisæi lapides quadri.

[1] *Matth.*, XXVI, 66; *Marc.*, XIV, 56. — [2] *Joan.*, XVIII, 12. — [3] *Psal.* CIV, 7. — [4] *Joan.*, XIX, 1. — [5] *Psal.* CXLV, 8. — [6] *Jerem.*, XXXIX, 7. — [7] *Psal.* CI, 21. — [8] *Psal.* CXLIX, 8. — [9] *Eccli.*, VI, 25. — [10] *Matth.*, XXVI, 39. — [11] *Matth.*, XXII, 16. — [12] *Joan.*, VI, 67. — [13] *Luc.*, XVI, 14. — [14] *Zach.*, V, 7. — [15] *Joan.*, XI, 39. — (*a*) *Vulg.* duceretur. — (*b*) *Al.* Sustinendæ. — (*c*) *Al. omitt.* Tertii. — (*d*) obliviones. — (*e*) *Al. omitt.* Quarti. — (*f*) *Al.* secundum. — (*g*) *Al.* tertium. — (*h*) *Vulg.* retro.

10. *Daleth. Ursus*, etc. Hic describitur Judæorum inclinatio in mortem Christi. Dicit ergo (*Daleth*) : *Ursus insidians*, intellige semper permissive, *factus est mihi* ; *leo in absconditis*. In urso atrocitas, in leone animositas intelligitur Judæorum; unde in *Psalmo* [1] : « Salva me de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. » Alibi [2] : « Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. » Hoc factum est, cum dixerunt [3] : « Reus est mortis : crucifige, crucifige eum. »

11. *Daleth. Semitas*, etc. Hic describit ipsam crucifixionem ordine resolutorio : primo, ut vitæ interemptoriam; secundo, ut afflictivam. *Et confregit me :* Dicit ergo (*Daleth*) : *Semitas meas*, id est, dies (*a*) peregrinationis meæ rectos et arctos, ut semitas, *subvertit*, non merita evacuando, sed tempus meriti morte præscindendo. Vel illud refertur ad corpus. Amplius, eamdem ut afflictivam describit : primo, quantum ad corporis læsionem : *Et confregit*; secundo, quantum ad cordis desolationem : *Posuit me desolatam;* tertio, quantum ad corporis totius ignominiosam suspensionem : *Tetendit arcum ;* quarto, quantum ad omnimodam afflictionem : *Misit in renibus*; quinto, quantum ad ignominiosam visionem : *Factus sum in derisum*; sexto, quantum ad omnium sensuum turbationem, et præcipue aceti potationem : *Replevit me*. Dicit ergo : *Et confregit me*, per vulnera corporis mei, unde in *Psalmo* [4] : « Foderunt manus meas, et pedes meos. » *Posuit me desolatam*, cum dixit [5] : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Cum supra dixerit in principio versus : *Ego vir videns paupertatem meam*, in sexu masculino, nullo alio interposito subdit fœmininum, ut ostendat hoc accidisse Christo secundum infirmiorem sui naturam, quam ut sponsam sibi Dei Filius copulavit. Vel certe istud intelligendum est ad Ecclesiam (*b*) pertinere, secundum regulam Ciceronis, qua a capite transitur ad corpus : jam patebit.

12. Sed pro ipsa corporis dominici suspensione, subdit (*Daleth*) : *Tetendit arcum suum*, id est, complevit judicium suum, ubi passio humanitatis quasi rigorem, vel justitiæ, vel ultionis justæ, inflexit, et severitatem divinitatis. *Et posuit me quasi signum*, ad litteram, stipiti affixum; *ad sagittam*, quod et patuit quando [6] « unus militum lancea latus ejus aperuit. » Huic triplici clausulæ præponitur littera *Daleth*, quæ interpretatur *janua*, vel *tabulæ*, vel *paupertas* (*c*). Pauper vel advena Christus voluit insidiis deprehendi, ut doceret simplicitatem; voluit vulnerari, ut doceret asperitatem; voluit ludibrio suspensus exponi, ut doceret humilitatem : primum, contra curiositatem; secundum, contra carnalitatem; tertium contra elationem : et in iis tribus *tabularum* (*d*) legis consummatio; et in iis *paupertatis* perfectio; in iis etiam regni cœlestis *janua* et ingressus.

13. *He. Misit in renibus*, etc. Ecce generalis Christi afflictio : in renibus Christi, incarnatio ejus intelligitur [7] : « Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. » Et [8] : « A lumbis ejus usque ad deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, » etc. Ibi *arcus*, secundum Gregorium, dominica incarnatio intelligitur; *pharetra*, omnis amaritudinis contentiva, Synagoga intelligitur, cujus sagitta, seu filiæ, fuerunt sputa, colaphi, convicia, plagæ, et consimilia [9] : « Sagitta vulnerans linguæ eorum. »

14. Pro ignominia irrisionis, sequitur (*He*): *Et factus sum in derisum omni populo* [10] : « Factus sum in derisum quotidie : » in quo omnis irrisio et illusio intelligitur, qua Judæi Christo illudebant. Et nota quod irriserunt Christum triplici ratione : in miraculis,

[1] *Psal.* XXI, 22. — [2] Ibid., 14. — [3] *Matth.*, XXVI, 66; *Luc.*, XXIII, 21. — [4] *Psal.* XXI, 17. — [5] *Matth.*, XXVI, 38.— [6] *Joan.*, XIX, 34. — [7] *Ezech.*, IX, 2. — [8] Ibid., I, 27. — [9] *Jerem.*, IX, 8. — [10] *Jerem.*, XX, 8.— (*a*) *Cæt. edit. omitt.* dies. — (*b*) *Al.* essentia. — (*c*) Cæt. edit. interpretatur *tabulæ* vel *tabularum*.— (*d*) *Item add.* et.

quasi ignorantem [1] : « Non est mortua puella, sed dormit : et deridebant eum. » Deridebant eum, scientes quia mortua est. In consiliis, quasi imprudentem [2] : « Audiebant hoc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. » In passione, in cubile crucis, quasi impotentem [3] : « Et deridebant illum principes cum eis dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat. » *Canticum eorum*, id est lætitia et gaudium; *tota die*, crucifixionis [4] : « Nunc in eorum canticum versus sum : et factus sum eis in proverbium. »

15. Pro omnium sensuum afflictione subditur (*He*) : *Replevit me amaritudinibus :* in visu occurrebant inimici insultantes; in auditu, blasphemiæ et irritationes; in tactu, amaritudo vulnerum; in olfactu, fœtor loci interfectorum. Et ne quid deesset, *inebriavit me absinthio*, id est, inebriari seu potari permisit absinthio [5] : « Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. » [6] « Dederunt in escam meam fel, » etc. Iis tribus clausulis præponitur littera *He*, quæ interpretatur *vita*, aut *vivere*, vel *esse ;* quia ista tria, scilicet injuriæ Christo illatæ, ignominiæ et angustiæ, sunt nobis causa vitæ, et veri esse compositio.

Moraliter, ab illo loco : *Ursus insidians*, etc., vox est cujuslibet justi, considerantis mala : ubi quædam inferuntur per ejus fraudulentiam, et significatur per *ursi* insidias; quædam per violentiam, et intelliguntur per *leonem*. Amplius, per *ursum*, qui debilis est in capite, fortis in brachiis, fortior in lumbis, significatur diabolus, qui in principio debilis, in fine invincibilis [7] : « Fortitudo ejus in lumbis ejus. » De leone dicitur, quod parvulum et humiliatum non lædit : propter quod David vere humilis leonem et ursum interemit [8] : « Pascebat servus tuus gregem patris : et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, » etc. Vel in urso voracitas, in leone superbia, quæ multos implicant. *Semitas subvertit*, quia per ursum et leonem clericorum vitam dissipari permittit. *Confregit*, quia virtutem mentis enervari permisit [9] : « Posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus. » [10] « Dicit piger : Leo est in via, et leæna in itineribus : sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. » *Posuit me desolatam*, sine solatio prælatorum; supra [11] : « Non est qui consoletur eam. » *Tetendit arcum suum*, id est, severitatem judicii; *posuit me quasi signum*, etc., quia omnis creatura in judicio clamabit contra impios.

16. *Vau. Et fregit ad numerum*, etc. Hic primo (*a*) subdit discipulorum dispersionem factam in passione; secundo, latronis conversionem : *Cibavit me cinere ;* tertio, Judæorum ingratitudinem : *Et repulsa est*, etc.; quarto, ipsorum reprobationem : *Et dixi : Periit*, etc. *Vav. Et fregit*, id est, confringi permisit; *ad numerum*, id est, unum post alium; *dentes meos*, id est, apostolos, quibus quasi dentibus peccatores erant in corpus Ecclesiæ convertendi [12] : « Dentes tui, quasi grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. » Hi confracti sunt, quando Dominum reliquerunt ad propria revertentes : ubi tantum fuit Joannes ultimus in deserendo [13] : « Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, » etc. Et cito rediit [14] : « Stabant autem juxta crucem Jesu mater, » etc. Sed pro conversione latronis sequitur : *Cibavit me cinere*, id est, unico latrone converso in cruce. Cum enim peccatum sit quasi ignis devorans, cujus residuum est cinis, quid aliud peccator vitam in peccato agens, et in fine pœnitens, nisi cinis ab igne effugiens? Hic est corvus, qui in torrente pavit Eliam, id est Christum, sicut legitur [15]. Vel in cinere amaritudo passionis, quæ tamen Christo secundum charitatem

[1] *Luc.*, VIII, 52. — [2] *Luc.*, XVI, 14. — [3] *Luc.*, XXIII, 35. — [4] *Job*, XXX, 9. — [5] *Matth.*, XXVII, 34. — [6] *Psal.* LXVIII, 22. — [7] *Job*, XL, 11. — [8] I *Reg.*, XVII, 34. — [9] *Isa.*, LI, 23. — [10] *Prov.*, XXVI, 13, 14. — [11] *Thren.*, I, 2. — [12] *Cant.*, IV, 8. — [13] *Marc.*, XIV, 51. — [14] *Joan.*, XIX, 25. — [15] III *Reg.*, XVII, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* tertio.

fuit delectabilis, in quantum ad redemptionem humani generis ordinata.

Moraliter, dentes candidi, robusti, carnem non habentes, corio carentes, sunt religiosi nihil intra se patientes, acerbissime decernentes; clausi labiis, id est, invisibiles, nisi in risu; toti corpori masticantes, nullum sapientiæ inde semen.

17. *Vau. Et repulsa est a pace anima mea*, id est, Judæi, quos sicut animam diligebam; quia [1] « longe a peccatoribus salus. » *Oblitus sum bonorum*, quæ eis facere consueveram; supra [2] : « Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum.» Vel oblitus est bonorum, quantum ad reputationem hominum.

18. *Vav. Et dixi : Periit finis meus*, non simpliciter, sed quantum ad illos qui dixerunt [3] : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » Vel *periit finis meus*, quantum ad Judæorum reprobationem : finis, qui videbatur principaliter intentus, quantum affectus appetebat, de conversione Judæorum [4] : « Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » *Et spes mea*, quam conceperam in ipsis; *a Domino* [5] : « Salutare tuum expectabo, Domine. » Sicut justitia Dei dicitur, vel qua (*a*) ipse justus est, vel cujus causa est. Vel verba sunt Judææ in bonis multitudinis reprobationem iis verbis deplorantis. Huic triplici versiculo præponitur littera *Vav* triplex, quæ interpretatur *Non est ille*, quia nec est Christus, nec aliquid Christi, qui deserit Christum; et quia apostoli tunc corruerunt, Judæi crucifixerunt : propter quod merito reprobati sunt, et recte *Vav* iis tribus versibus præmittitur.

19. *Zain* (*b*). *Recordare*, etc. Hæc est secunda pars capituli, in qua post descriptam Christi passionem invitat electos ad compassionem. Et in hac parte dialogice procedit, sicut in *Canticis canticorum*, varias personas introducendo sibi colloquentes sine interceptione vocis Prophetæ. Hoc enim genus poematis dialogicum appellatur; sicut prosopologicum, quando solus poeta loquitur, sicut ibi : *Mulierem fortem*, etc.; tertium vero, quando sic et sic, sicut in *Job*. Primo ergo introducitur vox Christi ad compassionem invitantis; secundo, vox Ecclesiæ ei respondentis, ibi : *Memoria memor*, etc.; tertio, vox ejusdem membra sua alloquentis, et de pœnitentia admonentis, ibi : *Misericordiæ Domini*, etc.

Dicit ergo pro primo *Zain : Recordare* modo tu, quicumque redemptus es sanguine; *paupertatis meæ*, quantum ad contemptum omnium temporalium bonorum, quia Christus pauperrimus fuit in ingressu, in progressu, in egressu de mundo. *Et transgressionis*, quantum ad sufferentiam omnium malorum, ubi *transgressio* accipitur causaliter pro pœna tantum (*c*) transgressionis, quam Christus sustinuit; sicut dicitur *maledictum*, quasi malo pœnæ pro nobis addictus, sive maledicto [7] : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. » Sic etiam Christus dicitur *peccatum* [8] : « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.» Vel aliter *transgressio*, ejus infima humiliatio ad despectissima tormenta; quia una stilla sanguinis sui nos potuisset liberare [9] : « Erant Moyses et Elias visi in majestate : et dicebant *excessum* ejus, quem completurus erat in Jerusalem. » *Et absinthii*, quo nihil amarius in terræ nascentibus, *et fellis*, quo nihil amarius in animantibus. Hoc potest referri ad id quod dicitur [10] : « Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum. » Similiter [11] : « Dabant ei bibere myrrhatum vinum. » *Paupertas*, contra avaritiam; *transgressio*, contra superbiam; *absinthium*, contra luxuriam. Vel potest notari in *trans-*

[1] *Psal.* CXVIII, 155. — [2] *Thren.*, II, 6. — [3] *Luc.*, XXIII, 35. — [4] *Matth.*, XV, 24. — [5] *Gen.*, XLIX, 18. — [6] *Prov.*, XXXI, 1. — [7] *Gal.*, III, 13. — [8] II *Cor.*, V, 21. — [9] *Luc.*, IX, 31. — [10] *Matth.*, XXVII, 34. — [11] *Marc.*, XV, 23.

(*a*) *Item* quia. — (*b*) Cæt. edit. deest *Zain*. — (*c*) *Cæt. edit.* tamen.

gressione unio personæ; in *absinthio,* afflictio carnis teneræ; in *felle,* tristiti mentis de hominum ingratitudine.

20. *Zain. Memoria*, etc. Ecce responsio Ecclesiæ, vel viri sancti : *Memoria memor ero,* id est, assidue memor ero ; *Et tabescet,* præ confusione, *anima mea;* unde in *Psalmo* [1] : « Tabescere me fecit zelus meus.» Proprie tabescit, qui nimio languore ad maciem venit : tabescere ergo est vera sui cognitione sibi vilescere. Vel istud potest referri ad vitam animalem, quæ per animam solet significari : [2] « Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. » Tabescit ergo anima ex dominicæ passionis memoria, quando sensualitas affligitur labore et abstinentia. Istud autem nullo modo referri potest ad Synagogam. Unde hoc primum verbum, *Recordare,* etc., est (*a*) verbum Synagogæ Dei misericordiam implorantis; secundum vero, etiam ejusdem Synagogæ verbum ad beneficia Dei rememoranda sese convertentis: istud quam sit absonum, ultro patet.

21. *Zain. Hæc recolens* (non potest ibi esse *hoc* singulariter secundum ordinem alphabeti, quia in hebræo ibi ponitur *Zain*) (*b*), tormenta scilicet Christi, *in corde meo, in Deo sperabo* : corruptio; non est ibi : *in Deo,* sed *ideo*, contra hoc, quod paulo ante dixit [4]: « Periit finis meus, et spes mea. » [4] « Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? » Huic triplici clausulæ præmittitur *Zain* triplicata, quæ interpretatur *Duc te,* quia in iis cogitationibus reducitur christianus homo.

22. *Heth. Misericordiæ Domini*, etc. Hic tertio subditur vox Ecclesiæ excitantis membra sua, et ad pœnitentiam exhortantis. Propter quod introducitur primo divinæ pietatis commendatio; secundo ex hoc excluditur desperatio, ibi : *Quia non repellet in sempiternum,* etc.; tertio, pœnitentiæ suavis admonitio, ibi : *Scrutemur vias nostras,* etc. [5] Et quia, « justus in principio (*c*) accusator est sui; » primo introducitur in persona Ecclesiæ sui accusatio, et divinorum judiciorum veneratio; secundo, divinæ pietatis expectatio, ibi : *Pars mea Dominus*; tertio docet modum in expectando, ibi : *Bonus est Dominus sperantibus.* In prima parte ponitur vox Ecclesiæ superna judicia venerantis, et sibi et suis membris timentis; deinde Dei responsio Ecclesiam commendantis : *Novi diluculo.* Dicit ergo : *Misericordiæ Domini,* opus est, sed non meriti mei. Glossa: Antiqui habent : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti,* merito peccatorum in nullis reliquiis reservati, vel in nihilum redacti. Et si quæras, quare non sumus consumpti, ecce ostendit, dicens : *Quia non defecerunt miserationes ejus*; quia semper paratus est gratiam exhibere [6] : « Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. »

23. *Heth. Novi*, etc. (*d*) Sed subditur responsio Dei, hanc fidem Ecclesiæ novellæ approbantis, et dicentis: *Novi diluculo.* Hæc littera in antiquis habetur; et exponunt : « *Novi*, id est, Cognovi, » cum non sit hic verbum, sed nomen : unde in hebræis est *novelli*, quia juxta ordinem alphabeti stare non potest ut sit *novi* pro cognovi. Quod exponens Rabanus, dicit : « Et loquitur Propheta ad primitivam in Jerusalem Ecclesiam, quæ post diluculum rememorationis Christi veterem hominem exuens, novi hominis pulchritudinem ortu suo declaravit. » Hæc Rabanus [7]. *Multa est fides tua,* id est, multum devota, qua judiciorum æquitatem, et pietatem Dei recognoscis.

24. *Heth. Pars mea,* etc. Ecce primo divinorum judiciorum veneratio exigit (*e*) pietatis expectationem. Dicit ergo : *Pars mea Dominus*, omnibus aliis circumscriptis; et est verbum ecclesiasticorum, qui in recep-

[1] *Psal.* CXVIII, 139. — [2] *Matth.*, XVI, 25. — [3] *Thren.*, III, 18. — [4] *Rom.*, VIII, 32. — [5] *Prov.*, XVIII, 17. — [6] *Psal.* XXII, 6. — [7] Raban., ex Hieron. in hunc loc. — (*a*) *Leg.* esse.— (*b*) ista ratio non valet : nam זֶה, *Hoc,* et זֹאת, *Hæc,* perinde incipiunt a *Zain.*— (*c*) *Vulg.* prior.— (*d*) Cæt. edit. deest *Heth. Novi*, etc. — (*e*) *Cæt. edit. add.* ad.

tione ordinum dicunt[1] : « Dominus pars hæreditatis meæ. » *Propterea*, quia illi soli adhæreo, *expectabo eum*, consolatorem. *Psalmus*[2] : « Expectabo eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, » etc. Huic triplici sententiæ præmittitur littera *Heth*, quæ interpretatur *vita* vel *pavor*; quia in hoc consistit vitæ spiritualis initium, in recognoscendo propriam miseriam, et Dei misericordiam ; sic promerendo gratiam, ulterius ad gratiam aspicere.

25. *Teth.* Sequitur : *Bonus est Dominus*, etc. Hic docet modum hujus expectationis : quia non debet Dominus expectari cum ignavia, sed cum diligentia inquisitionis; secundo cum tranquillitate cordis, pro qua dicit : *Bonum est præstolari*, etc.; tertio cum profunditate humilitatis : *Ponet in pulvere*, etc.; quarto cum perfectione patientiæ et mansuetudinis, ibi : *Dabit percutienti*, etc.

Pro primo dicit : *Bonus est Dominus sperantibus in eum*; unde in *Psalmo*[3] : « Quam bonus Israel Deus ! » Bonus, inquam, consolando, et protegendo. *Psalmus*[4] : « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. » Sed quia cassa est expectatio, cui non adjungitur quærendi sollicitudo, sequitur : *Animæ quærenti illum.* Quæritur per pœnitentiam[5] : « Si quæritis, quærite : convertimini, et vivite. » Et similiter[6] : « Quærite Dominum, dum inveniri potest. » Item per contemplationis diligentiam[7] : « In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea. »

26. *Teth. Bonum est*, etc. Ecce secundum, ubi docet quærere Dominum cum (*a*) tranquillitate cordis : ubi primo commendat ipsam tranquillitatem; secundo docet obtinere tranquillitatis facilitatem, ibi : *Bonum est viro, cum portaverit*, etc.

Dicit ergo (*Teth*) : *Bonum est præstolari cum silentio*, id est tranquillitate animi, ubi silentium præcipue exigitur[8] : « Factum est silentium in cœlo, quasi media hora. » Bernardus : « Brevis mora, felix hora. » Ergo cum silentio, id est sine tumultu cogitationum, *salutare Domini*, id est Dominum salutem promittentem. Vel salutare Domini Christus est[9] : « Salutare expectabo Domini (*b*). » Istud autem, ut dicit Rabanus, nemo perfecte agere valet, nisi qui se a mundi concupiscentiis et sæculi negotiis sequestrat : ideo subdit (v. 27, *Teth*) : *Bonum est viro*, in virtute exercitato, *cum portaverit jugum*, disciplinæ, evangelizante Matthæo[10] : « Tollite jugum meum super vos, et discite, » etc. *Ab adolescentia sua* :[11] « Adolescens juxta viam suam gradiens, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. » Quasi : Tali facile est cum silentio Dominum expectare. Huic triplici sententiæ præponitur littera *Teth*, et interpretatur *bonum*; quia æterna quærere, ut docet primus versus; fugere mundi inquietudinem, ut docet secundus, et tertius, in iis se longanimiter exercere, est totum bonum hominis in hac vita.

28. Sequitur (*Iod*) : *Sedebit solitarius*, in solitudine eremi. Vel hic *solitarius* idem est, quod græce *monachus* : in sessione igitur amor abjectionis (*c*) ; in solitario, fuga implicationis. *Et tacebit*, a tumultu cogitationis[2] : « In silentio et spe erit fortitudo vestra. » *Quia levavit se*, id est supra desideria sua et studia, solis rebus æternis inhærendo, non carnalia meditando. Levavit ergo se supra se, non in essendo, sed in agendo.

29. *Iod. Ponet*, etc. Ecce tertium huic expectationi necessarium, scilicet profunditas humilitatis; unde dicit : *Ponet in pulvere os suum;* unde Rabanus : « Ille in pulvere os suum ponit, qui humiliter sentiens, fragilem se cognoscit : » vel terram, ad litteram, osculando[3] : « Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis ? » *Si forte sit spes* vitæ æternæ obtinendæ; vel si forte

[1] Sunt verba Pontificalis, ex *Psal.* XV, 5. — [2] *Psal.* LIV, 9. — [3] *Psal.* LXXII, 1. — [4] *Psal.* CVIII, 65. — [5] *Isa.*, XXI, 12. — [6] *Isa.*, LV, 6. — [7] *Cant.*, III, 1. — [8] *Apoc.*, VIII, 1. — [9] *Gen.*, XLIX, 18. — [10] *Matth.*, XI, 29. — [11] *Prov.*, XXII, 6. — [12] *Isa.*, XXX, 15. — [13] *Gen.*, XVIII, 27. — (*a*) *Cæt. edit. deest* cum. — (*b*) *Vulg.* tuum expectabo, Domine. — (*c*) *Al.* adjectionis.

obtineant quod sperant, unde in *Psalmo* [1]: « Speraverunt, et liberasti eos. »

30. *Iod. Dabit percutienti*, etc. Ecce quartum huic expectationi necessarium, scilicet perfectio patientiæ et mansuetudinis. *Dabit*, qui hujusmodi est Domini expectator, et miseriæ suæ cognitor; *percutienti se maxillam*, per patientiæ perfectionem, paratus talia sustinere pro Christo, juxta illud [2]: « Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. » Hoc Christus exemplum dedit, quia ante crucifixionem suam multas alapas et colaphos sustinuit. *Saturabitur opprobriis*, id est, delectabitur, quasi in saturitate, in multis opprobriis sustinendis, unde in *Psalmo* [3]: « Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Huic sententiæ præmittitur littera *Iod*, quæ interpretatur *principium*, vel *desolatio*, quia hæc triplex desolatio, taciturnitatis, contra loquacitatem; et humilitatis, contra gloriam inanem; et patientiæ et adversitatis contra carnalitatem, est principium divinæ cognitionis.

31. *Caph. Quia non repellet*, etc. Postquam ad spei elevationem commendavit Christi pietatem; hic ex hoc inferens, excludit desperationem : primo dicens, iram Dei esse placabilem; secundo hoc probat per Dei insitam benignitatem, ibi : *Non enim humiliavit*, etc.; tertio arguit incredulorum murmurationem, ibi : *Quis est iste qui dixit*, etc.

Pro primo dixit (*Caph*): *Quia non repellet*: id ad superiora refertur; quasi ita dictum est, quia bonum est præstolari, *quia non repellet*, plebem suam, *in sempiternum Dominus* : [4] « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. »

32. *Caph. Quia si abjecit*, propter peccata nostra nos repellendo, et tribulari permittendo; *et miserebitur*, sicut abjecit, *secundum multitudinem misericordiarum suarum* : [5] « Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie. »

33. *Caph. Non enim humiliavit*, etc. Ecce secundum, ubi manifestat Dei benignitatem, semper parati misericordiam exhibere; quod ostendit in triplici humano infortunio : quoniam nec ab ipso est solatii subtractio, quia paratus est omnes consolari; nec ab ipso flagelli multitudo, ut dicit ibi : *Ut contereret*, etc.; nec ab ipso est tertio justitiæ subversio : *Ut declinaret*, etc.

Dicit ergo pro primo : *Non enim*, etc. Continuetur litteræ immediate præcedenti, quasi dicat : Miserebitur : non enim humiliavit, auferendo gloriam et honorem, servituti diabolicæ vel humanæ subjiciendo, *ex corde suo*, id est, ex sua voluntate; sed nostris provocatus peccatis [6] : « Et cordis dolore tactus intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi. » *Et abjecit filios hominum*, eis patrocinium suum auferendo : imo contrarium ab ipso est [7] : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Huic triplici clausulæ præponitur littera *Caph*, quod interpretatur *manus*, vel *incurvatio*, quasi : Dicta incurvatio et abjectio Domini non est nisi ex merito manuum, id est, operum eorum (*a*).

34. *Lamed. Ut contereret*, etc. Ecce quod non est a Deo tribulatio exterminativa miserorum. Dicit ergo : *Ut contereret*, etc. Lege sic : *Dominus ignoravit*, quod est in fine ultimi versus, id est, ab ejus approbatione, vel voluntate, aut auctoritate non processit (*Lamed*) *ut contereret*, id est, ex toto deleret; *sub pedibus suis*, penitus dejiciendo, sicut fit de illis qui pedibus conteruntur. *Ut contereret*, inquam, *omnes vinctos terræ*, id est, ipsi terræ adhærentes, quasi ut mala malis usque ad exterminationem adderentur. [8] « Calamum (*b*) quassatum non conteret, et lumen fumigans non extinguet. » Vel aliter, *terræ*, genitive, ut *vincti terræ* intelligantur peccatores.

35. *Lamed. Ut declinaret judicium*. Repete, *Dominus ignoravit ut declinaret* a recto in obliquum genitivum, propter illos

[1] *Psal.* XXI, 5. — [2] *Matth.*, V, 39. — [3] *Psal.* LXVIII, 10. — [4] *Habac.*, III, 2. — [5] *Isa.*, XXV, 8. — [6] *Gen.*, VI, 6. — [7] *Prov.*, VIII, 31. — [8] *Isa.*, XLII, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* suorum. — (*b*) *Item.* Thalamum.

qui sunt de genere suo; et dativum, qui muneribus corrumpuntur; et accusativum, propter illos qui odio habentur; et vocativum, propter illos, quorum gratia vel favor desideratur; et ablativum, propter illos, quorum bona desiderantur: sicut Achab desideravit vineam Naboth. Ut ergo sic declinaret judicium, sicut multi faciunt hodie *viri* virtuosi *in conspectu vultus Altissimi*: hoc dicit, quia multi sunt coram hominibus justi, qui coram Deo sunt injusti et digni flagellis.

36. *Lamed. Ut perverteret*, id est, contra justitiam subverteret, *hominem in judicio suo* [1]: « Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. » Ipse enim pervertitur solum, vel aliquando, cum perverso, et sanctus est cum sancto, sicut dicit Psalmus [2].

Huic triplici sententiæ præponitur littera *Lamed*, quod interpretatur *disciplina*; quia quidquid istorum venit, conscriptio, seu justitiæ subversio, disciplina est peccatorum, quia electi purgantur, reprobi condemnantur.

37. *Mem. Quis est iste*, etc. Hic tertio arguit incredulorum murmurationem in flagellis. Et primo arguit providentiam Dei blasphemantes; secundo arguit murmurationem temerariam : *Quid murmuravit?* Blasphemantes autem arguit primo in generali; secundo in speciali : *Ex ore Altissimi*, etc.

Dicit ergo : *Quis est iste*, tam præsumptuosus, *qui dixit ut fieret*, aliquid in mundo isto, vel spiritualiter tribulatio, *Domino non jubente*, sicut aiunt ethnici, qui dicunt minime hæc inferiora divinæ providentiæ subjacere, sicut dicunt etiam Manichæi, mala non esse nisi a malo principio; cum e contra dicat *Isaias* [3] : « Ego Dominus, et non est alter; formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et causans malum. »

38. *Mem. Ex ore*, etc. (*a*). Repete : « Quis est iste, qui dixit (*Mem*) : *Ex ore Altissimi*, id est ex providentia Dei, *non egredientur bona*, præcipiendo, *nec mala* pœnæ, providendo et permittendo? quasi : Stulte dixit: et sic legitur interrogative. Alio modo legi potest depressive, ut hæc murmuratio hic arguatur, non solum in primo versu per comparationem ad Dei providentiam; verum etiam in secundo per comparationem ad Christi patientiam, ut sic dicatur : *Ex ore Altissimi*, Christi, *non egredientur*, etc., quia accusantibus nihil respondit. Psalmista [4] : « Ego autem tanquam surdus non audiebam. »

39. Sequitur (*Mem*) : *Quid murmuravit?* quasi : Ex quo sic fecit Altissimus, quid murmuravit *homo vivens*, id est, quicumque homo, *pro peccatis*, scilicet excusando ea per constellationes, vel hujus planetas? Vel *pro peccatis*, id est pro pœna peccatorum suorum [5]: « Neque murmuraveritis, sicut quidam ex eis murmuraverunt, et a serpentibus perierunt. » Huic triplici sententiæ præmittitur littera triplex *Mem*, quod interpretatur *ex ipsis*, ut supra patet, quia omne flagellum hominis ex ipsis procedit meritis humanis.

40. *Nun. Scrutemur*, etc. Postquam commendavit Dei miserationem, et exclusit desperationem, hic informat ad pœnitentiæ sollicitudinem : primo ad pœnitentiam interiorem; deinde ad exteriorem, ibi : *Cum manibus*, etc. Ad interiorem pertinet conscientiæ sollicita discussio, et pœnitentialis conversio, unde dicit : *Et revertamur*, etc.

Dicit ergo (*Nun*): *Scrutemur vias nostras*, postquam ipse scrutatur (*b*) : « Scrutabor Jerusalem in lucernis, » ut dicitur [6] : *Et quæramus*, quid fuimus, quid fecimus, quia scrutinium ordinatur ad inquirendum. Pro secundo sequitur : *Et revertamur ad Dominum*, unde in *Psalmo* [7] : « Cogitavi vias meas, et converti pedes meos, » etc. Vel :

[1] *Isa.*, XI, 4. — [2] *Psal.* XVII, 27. — [3] *Isa*, XLV, 7. [4] *Psal.* XXXVII, 14. — [5] I *Cor.*, X, 10. — [6] *Soph.*, I, 12. [7] *Psal.* CXVIII, 59.

(*a*) Cæt. edit. non habent *Mem. Ex ore*, etc. (*b*) *Forte leg.* scrutator.

Quæramus quid fuimus, quantum ad naturæ miseriam. Unde quidam :

Sperma prius, modo saccus olens, post vermibus [esca
In tumulo, quanam (*a*) dote superbit homo?

Et revertamur ad Dominum, contra aversionem, per amorem et obedientiam præceptorum.

41. *Nun. Levemus corda,* contra conversionem ad caduca; unde in *Psalmo*[1] : « Ad te, Domine, levavi animam meam. »[2] « Suspendium elegit anima mea. » Sequitur : *Cum manibus :* exterior pœnitentia convenit in operis satisfactione, pro qua dixit : *Cum manibus*, id est, operibus. Supra[3] : « Expandit Sion manus suas. » Item, in oris confessione ; ideo sequitur (v. 42, *Nun*): *Nos inique egimus*, peccata peccatis addendo ; *et ad iracundiam*, id est, puniendi voluntatem, *provocavimus*. Spiritualiter, hypocritæ iram Dei provocant[4] : « Simulatores et callidi provocant iram Dei. » *Idcirco tu inexorabilis es*, id est difficilis ad exaudiendum. Vel hoc dicitur quantum ad reprobos; hic enim a specie transit ad genus, ut cum electos informaverit, postea reproborum describat infortunium. Huic triplici clausulæ præponitur littera *Nun*, quæ interpretatur *Sempiternum*; quia hæc tria semper debemus facere, scilicet conscientiam discutere, corda manusque levare, nos ipsos etiam accusare. Huic sententiæ triplici præponitur littera *Nun*, quia ad litteram principium remedii et salutis est conversio triplex pœnitentialis, quæ hic commendatur.

43. Sequitur (*Samech*) : *Operuisti in furore,* etc. Hic ad litteram ex præmissa consideratione divinæ misericordiæ et justitiæ, infertur reprobatio Synagogæ : primo describit istam reprobationem ; secundo introducit Christi, vel prophetæ compassionem, ibi : *Divisiones aquarum,* etc.; tertio, reprobationis rationem, ibi : *Oculus meus deprædatus*, etc. Ipsam reprobationem primo describit per comparationem ad Deum flagellantem; secundo per comparationem ad adversarium tribulantem, ibi : *Eradicationem*, etc. In prima parte primo exaggerat flagellum; deinde ostendit remedium exclusum, ibi : *Opposuisti nubem*, etc.

Pro primo dicit (*Samech*) : *Operuisti,* me scilicet, calamitate et miseria, quæ excæcaverunt me, ne Christum agnoscerem ; *in furore,* id est severitate justitiæ ; *et percussisti nos,* violentia obsidionis; *occidisti,* destructione civitatis, et in civitate stragis (*b*) ; *nec pepercisti,* in ultimo, sicut post (*c*) aliquas Judææ (*d*) reliquias in Judæa relinquendo. Hæc de Christo exponuntur : *Percussisti,* majestatem abscondendo tempore passionis[5] : « Absconditus est vultus ejus; » *in furore tuo,* voluntate flagelli indeclinabili ; *percussisti*, flagellando ; *occidisti*, id est, occidi permisisti ; *nec perpercisti*, pœnam in aliquo mitigando.

44. *Samech. Opposuisti nubem*, sicut opponitur exceptio peremptoria injuste aliqnid petenti ; *nubem,* id est carnem Christi sub qua latuit verus sol mundi[6] : « Ecce ascendit Dominus super nubem levem, » etc. *Ne transeat oratio*, scilicet ad Deum[7] : « Iniquitates vestræ diviserunt inter nos, et Deum ; et peccata nostra absconderunt faciem ejus a nobis, ne exaudiret. »

45. *Samech. Eradicationem.* Hic describit reprobationem, vel ejus effectum, per comparationem ad adversarium tribulantem, tangens tam ipsorum calamitatem, quam adversariorum improbitatem, secundo, ibi : *Aperuerunt,* etc.; tertio, utriusque tangit rationem, ibi : *Formido*, etc.

Dicit ergo : *Eradicationem,* de terra propria, et de terra viventium; *et abjectionem,* confusionis et ignominiæ; *posuisti me*, Synagogam, *in medio populorum* omnium totius mundi. Vel de Christo exponitur, qui eradicatus est de terra viventium, secundum opinionem multorum[8] : « Abscissus est de

[1] *Psal.* XXIV, 1. — [2] *Job*, VII, 15. — [3] *Thren.*, I, 17. — [4] *Job*, XXXVI, 13. — [5] *Isa.*, LIII, 3. — [6] *Isa.*, XIX, 1. — [7] *Isa.*, LIX, 2. — [8] *Isa.*, LIII, 8. — (*a*) *Cæt. edit.* quaque.— (*b*) *Leg.* strage.— (*c*) *Leg.* posses.— (*d*) *Leg.* Judæorum.

terra viventium : propter scelus populi mei percussi eum, » etc. *Et abjectionem*, juxta illud [1] : « Ego autem vermis sum, et non homo. »

Huic triplici clausulæ præponitur *Samech* triplicata, quæ interpretatur *adjutorium :* hic enim lamentatur Synagoga esse sibi adjutorium subtractum.

46. Sequitur *Phe* (*a*) : *Apparuerunt*, etc. Hic subdit inimicorum improbitatem. *Phe.* (*a*) *Aperuerunt.* Nota, quod hic mutatur ordo alphabeti, quia *Phe* præponitur *Ain*, sicut in alphabeto præcedenti : quod quidem non advertentes alii, litteræ ordinem servantes, præposuerunt *Ain*, ubi debuerant ponere *Phe.* Alii autem litteram transposuerunt, ut litterarum ordinem tenerent, credentes quod sic essent istæ litteræ præposteratæ, sicut Latini in præposteratis sententiis solent præponere sequenti præposteræ A, et præcedenti præposteræ B. *Super nos os suum*, insufflando, et quasi devorare volendo, *omnes inimici*, vicini et remoti, propinqui et extranei.

47. *Phe. Formido*, etc. (*b*). Sequitur pro occasione, vel causa reprobationis, contemptus, scilicet remediorum salutis; *vaticinatio*, id est, spiritus divinus præstitus multis est causa perditionis; *facta est nobis formido*, id est causa formidinis : ut qui vix timemus Deum exhortantem, totius mundi timori subjiciamur; *et contritio*, qua Christum contrivimus [2] : « Attritus est propter scelera nostra; » *facta est nobis quasi laqueus*, id est, causa captivitatis.

48. *Phe.* (*c*) *Divisiones*, etc. Hoc subdit Propheta ad Christi compassionem : primo, quantum ad desolationis frequentiam; secundo, ad desolationis vehementiam et perseverantiam : *Oculus meus afflictus est*, etc.

Dicit ergo pro primo : *Divisiones aquarum*, id est multiplicationem aquarum, *deduxit oculus meus in contritione*, id est afflictione; *filiæ populi mei*, id est illius civitatis celebris Jerusalem [3] : « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, » etc.? Istud etiam verum est de Christo, qui flevit super Lazarum [4]; flevit (*d*) super impiam civitatem [5]; flevit in cruce [6] : « Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia; » flevit corde, cum aperto latere [7], exivit aqua cum sanguine, unde in *Psalmo* [8] : « Qui divisit Mare Rubrum in divisiones : » quod ad litteram divisum est in duodecim vias, juxta duodecim tribus filiorum Israel. Et hujus spiritualis maris duodecim fuerunt partitiones : quatuor prædictæ aquæ, et octo sanguinis; qui primo fusus in circumcisione, secundo in agonizatione et sanguineo sudore, tertio in flagellatione; quinque etiam vicibus in quinque vulnerum irrogatione.

Christus mare, cujus partitiones duodecim.

Moraliter debent dividi lacrymæ nostræ per lacrymas contritionis, compassionis, et devotionis.

Huic triplici sententiæ præponitur littera *Phe* triplex, quæ interpretatur *oris*, vel *os aperiri* (*e*), alludens ipsius versus principio, ubi dicitur : *Aperuerunt*, etc.

49. *Ain* (*f*). *Oculus meus afflictus est.* Ecce desolationis vehementia; unde dicit : *Oculus meus afflictus est*, ad litteram, multa lacrymarum inundantia; vel oculus interior, scilicet mens. Sed pro perseverantia sequitur : *Nec tacuit*, in vita ista; *eo quod non esset requies*, ab oppressione diaboli.

50. *Ain* (*f*). *Donec respiceret*, id est, oculum misericordiæ ad genus humanum converteret; *et videret*, id est, claritate splendoris mundi tenebras illustraret; *Dominus de cœlis :* unde in *Psalmo* [9] : « A summo cœlo egressio ejus. » [10] « Miserere mei (*g*), Deus omnium; respice me (*h*), et ostende nobis lucem miserationum tuarum. » Ubi etiam, ut dicit Rabanus, instantiam orationis et perseverantiam nos habere docuit Propheta.

[1] *Psal.* XXI, 7. — [2] *Isa.*, LIII, 5. — [3] *Jerem.*, IX, 1. — [4] *Joan.*, XI, 35. — [5] *Luc.*, XIX, 41. — [6] *Hebr.*, V, 7. — [7] *Joan.*, XIX, 34. — [8] *Psal.* CXXXV, 13. — [9] *Psal.* XVIII, 7. — [10] *Eccli.*, XXXVI, 1.

(*a*) Cæt. edit. deest *Phe.* — (*b*) Item deest *Phe. Formido*, etc. — (*c*) Item deest *Phe.* — (*d*) *Item deest* flevit. — (*e*) Leg. *os*, vel *oris apertio.* — (*f*) Item deest *Ain.* — (*g*) *Leg.* nostri. — (*h*) *Leg.* nos.

51. *Ain* (*a*). *Oculus meus deprædatus est :* Ecce hic principaliter prosequitur causam reprobationis Judæorum; et tangit duplicem causam; amorem immoderatum rei commutabilis, et persecutionem usque ad mortem ipsius Salvatoris; unde sequitur : *Venatione*, etc.

Pro primo dicit : *Oculus meus*, in quo sensu principali intelliguntur omnes alii sensus; *deprædatus est animam*, id est, fecit diabolo prædam [1] : « Docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam, » scilicet planctum, « quia ascendit mors per fenestras meas. » *In cunctis filiabus urbis meæ :* in quo etiam intelligitur omnis dilectio sensibilis; propter quod dixit Job [2] : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » In hoc dicit Rabanus verbum notabile : « Ne, inquit, quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quod intueri illud non debet, quod non licet concupisci. » Huic clausulæ præponitur triplex *Ain*, quod interpretatur *oculus;* expresse alludens ei, quod de oculo in singulis clausulis continetur. Aliter exponitur in bonum actum in voce Prophetæ secundum Glossam, ubi per oculum intelligitur simplicitas desiderii et rationis; quæ animam deprædatur extrahendo a carne in Deum in cunctis filiabus, id est, cogitationibus vitæ æternæ. Vel filiæ urbis peccata sunt, secundum quorum singula detestanda mens in Deum assurgit.

52. *Sade* (*b*). *Venatione ceperunt*, etc. Hic describit secundam causam reprobationis Judæorum, scilicet injurias Redemptoris, primo describens agonem passionis; secundo triumphum resurrectionis, ibi : *Invocavi nomen tuum, Domine;* tertio exaggerat Judæorum iniquitatem, ibi : *Vidisti, Domine, iniquitatem*, etc.; quarto infert justam condemnationem, ibi : *Reddes eis vicem, Domine.* Circa primum tangit primo comprehensionem; deinde mortem et sepulturam : *Lapsa est*, etc.; tertio, passionis universalem amaritudinem, ibi : *Inundaverunt aquæ,* etc.

Dicit ergo pro primo : *Venatione ceperunt me,* Judæi scilicet ponentes insidias [3], ut eum caperent in sermone. *Quasi avem :* [4] « Vocans ab oriente avem. » Christus comparatur avibus diversorum generum : aquilæ, propter claritatem contemplationis : [5] « Sicut aquila provocans ad volandum; » gallinæ, propter affectiones compassionis : [6] « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat, » etc.; vulturi, propter volatum incarnationis : [7] « Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis; » passeri, propter humilitatem conversationis, quoniam minima sunt volatilium, et quia carnes habent calidissimas [8] : « Offerat secundum se duos passeres vivos, » unde in *Psalmo* [9] : « Etenim passer invenit, » etc.; pellicano, propter spontaneam susceptionem passionis [10] : « Similis factus pellicano solitudinis; » nycticoraci, propter fugam mundanæ vanitatis [11] : « Nycticorax in domicilio; » herodio, propter rapinam factam a diabolo, unde in *Psalmo* [12] : « Herodii domus dux est eorum; » vel propter potentiam rapinæ spiritualis in expugnatione diabolicæ pravitatis. *Gratis,* sine culpa mea, vel sine obtentu alicujus utilitatis, *inimici mei,* Judæi.

53. *Sade* (*c*). Pro comprehensione sequitur : *Lapsa est in lacum* : [13] « Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua : » *Vita mea*, id est, anima mea; quod factum est statim, separata anima a corpore. Pro sepultura vero subjungit : *Et posuerunt super me lapidem :* « Advolutum ad ostium monumenti, » ut dicitur [14].

Moraliter lacus est locus culpæ et (*d*) mi-

[1] *Jerem.*, IX, 21. — [2] *Job*, XXXI, 1. — [3] *Matth.*, XXII, 13. — [4] *Isa.*, XLVI, 11. — [5] *Deut.*, XXXII, 11. — [6] *Matth.*, XXIII, 37. — [7] *Job*, XXVIII, 7. — [8] *Levit.*, XIV, 4. — [9] *Psal.* LXXXIII, 4. — [10] *Psal.* CI, 8. — [11] *Psal.* CI, 7. — [12] *Psal.* CIII, 17. — [13] *Zach.*, IX, 11. — [14] *Matth.*, XXVII, 60.

(*a*) Cæt. edit. deest *Ain.* — (*b*) Item deest *Sade.* — (*c*) Cæt. edit. *Sed.* — (*d*) *Cæt. edit. non habent* culpæ et.

seriæ : culpæ [1] : « Salvasti me a descendentibus in lacum ; » miseriæ, unde in *Psalmo* [2] : « Eduxisti me de lacu miseriæ, » id est, lymbi sinus Abrahæ. [3] « Tu autem in sanguine testamenti. »

54. *Sade* (*a*). Pro universali passionis amaritudine, sequitur : *Inundaverunt aquæ*, id est tribulationes ; unde in *Psalmo* [4] : « Omnes fluctus tuos induxisti super me. » [5] « Aquæ multæ, » etc. [6] « Pelagus operuit caput meum. » *Caput meum*, id est, me ipsum, qui sum caput hominum. *Et dixi*, in cruce : *Perii ;* [7] « Consummatum est. » [8] « Veni in altitudinem maris, et tempestas, » etc. Periit ergo Christus, quantum ad viam mortalitatis : [9] « Justus perit, et non est qui recogitet. » Et *dixi : Perii :* ad corpus pertinet, scilicet ad dispersionem discipulorum. Huic triplici clausulæ præponitur triplex *Sade*, quod interpretatur *justitia* vel *consolatio*, quia Christus comprehensus, crucifixus, mortuus et sepultus, est justificatio et consolatio nostra.

55. *Coph. Invocavi nomen tuum*, etc. Post descriptum agonem passionis, hic subdit de trophæo resurrectionis. Primo describit animæ Christi separatæ officium et desiderium ; secundo gratulatur suum fuisse desiderium exauditum, ibi : *Vocem meam*, etc.

Dicit ergo : *Invocavi nomen tuum, Domine*, vox Filii ad Patrem, *de lacu novissimo*, id est, lymbo inferiori. Rabanus : « Invocavit Redemptor nomen Domini de lacu novissimo, cum in virtute divinitatis descendebat ad inferos, et destructis claustris tartari, suos, quos ibi reperit, educens, victor ad superos (*b*) ascendit. » Quod ideo dicit, quia orationis effectum ibi secundum partem post mortem obtinuit. Vel forte oravit, sicut etiam adhuc secundum humanitatem orat pro nobis et interpellat, ut dicit Apostololus [10] : « Salvare in perpetuum potest accedentes (*c*) per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. » [11] « Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me ; ego autem sciebam, quoniam semper me audis. » Ad litteram exponitur de ipso Hieremia, quia fuit missus in lacum, sicut patet [12].

56. *Coph. Vocem meam*, etc. (*d*). Hic gratulatur se fuisse exauditum primo pro se ; secundo pro aliis petit exaudiri : *Ne avertas*, etc. ; tertio, gratulatur de (*e*) exauditione universali, ibi : *Judicasti*, etc.

Dicit igitur : *Vocem meam audisti ;* vocem, id est, desiderium, resuscitando me tertia die. *Ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus :* singultus vehementiam significat doloris alte intercedentis pro aliis [13] : « Cum clamore valido et lacrymis offerens, » etc.

57. *Coph. Appropinquasti*, etc. (*f*). Hæc est expositio versus præcedentis. *Appropinquasti*, etc. (*g*) ; Rabanus : « Appropinquavit divinitas Salvatoris humanitati ipsius, quoniam eam subita resurrectione juxta dominium suum de morte triumphare fecit : quæ appropinquatio intelligenda est propter (*h*) effectum tantum. » *Dixisti : Ne timeas :* hoc dixit per effectum, præbendo ei immortalitatem. [14] « Noli timere, serve mi Jacob et rectissime, quem elegi. » Huic triplici clausulæ præponitur triplex *Coph*, et interpretatur *conclusio*, vel *vocatio*, aut *respice :* hic agitur de Christi conclusione, vocatione, et super lignum contuitu.

58. *Resch* (*i*). *Judicasti, Domine*, etc. Hic gratulatur Dominus de exauditione universali ; unde dicit : *Judicasti, Domine*, Pater, *causam animæ meæ :* [15] « Quoniam fecisti judicium, et causam meam. » Tres veniunt in causam, homo, Deus, diabolus. Diabolus Deo injuriam fecisse probatur, quia servum ejus fraudulenter eduxit : et homo similiter, quia

[1] *Psal.* XXIX, 4. — [2] *Psal.* XXXIX, 3. — [3] *Zach.*, IX, 11. — [4] *Psal.* LXXXVII, 8. — [5] *Cant.*, VIII, 7. — [6] *Jon.*, II, 6. — [7] *Joan.*, XIX, 30. — [8] *Psal.* LXVIII, 3. — [9] *Isa.*, LVII, 1. — [10] *Hebr.*, VII, 25. — [11] *Joan.*, XI, 41, 42. — [12] *Jerem.*, XXXVII, 15 ; XXXVIII, 6. — [13] *Hebr.*, V, 7. — [14] *Isa.*, XLIV, 2. — [15] *Psal.* IX, 5.

(*a*) Cæt. edit. *Sed.* — (*b*) *Item* superbos. — (*c*) *Item* accedens. — (*d*) Cæt. edit. non habent *Coph. Vocem meam*, etc. — (*e*) *Cæt. edit.* gratulatio. — (*f*) Cæt. edit. deest *Coph. Appropinquasti*, etc. — (*g*) Cæt. edit. *Appropinquavi.* — (*h*) *Cæt. edit.* per. — (*i*) Cæt. edit. deest *Resch.*

Dei præcepta contempsit : diabolus homini fecit injuriam, quia eum decepit: venit Deus factus homo patronus, diabolum in causam compulit : sed prius Deus cum homine placatus fuit : et quod placaret Deum, ex misericordia homini concessit : deinde ad justitiam processit, hominem liberando a diaboli servitute, et diabolum adjudicando pœnæ æternæ. Pro hoc dicit : *Judicasti causam animæ meæ*, quæ immerito separata est a carne in die passionis. [1] « Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis. » *Redemptor*, vel *defensor vitæ meæ;* Christus enim redemptus est a mortalitate vitæ et pœnæ, non a reatu culpæ. Vel *judicasti*, Judæos reprobando, et me eripiendo. Vel hoc potest dici in persona humani generis per Christi sanguinem liberati.

59. *Resch* (*a*). *Vidisti*, etc., hic exaggerat Judæorum iniquitatem contra Christum : primo, quantum ad malignitatem cordis ; deinde quantum ad injuriam sermonis : *Labia insurgentium*, etc.; tertio, quantum ad facinus condemnationis, ibi : *Sessionem eorum*, etc.; quarto infert ex hoc sententiam reprobationis in ultima littera, ibi : *Reddes eis vicem, Domine*. In prima parte tangit eorum perversitatem in generali; deinde in speciali, ibi : *Vidisti omnem furorem*, etc.

Dicit ergo : *Vidisti, Domine*, vox Patris ad Filium, *iniquitatem illorum*, Judæorum, *adversum me*; *judica judicium meum*, de injusta exceptione Judæorum, quod dictum est permittendo, non operando. [2] « Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem ex eis. »

60. *Resch*(*b*). *Vidisti*, etc. Sequitur in speciali : *Vidisti omnem furorem*, quantum ad malignitatem voluntatis ; *universas cogitationes*, quantum ad malitiam cogitationis ; *adversum me*, ut caperent insidiando [3] : « Illi autem observabant eum. »

Huic triplici sententiæ præmittitur littera *Resch* (*b*) triplicata, quæ interpretatur *caput*, vel *primatus*; quia hic ostenditur qualiter Christo capiti datus sit primatus per totum judicium [4] : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. »

61. *Schin* (*c*). *Audisti*, etc. Ecce de injuria sermonis : primo, quantum ad injuriam contumeliarum ; secundo, quantum ad injuriam falsorum testimoniorum : *Labia insurgentium*, etc.

Audisti, *Domine*, *opprobria eorum*. [5] « Nonne bene dicimus nos, quoniam Samaritanus, » etc. [6] « Vah, qui destruis templum Dei, » etc. *Omnes cogitationes eorum adversum me :* cogitationes patebant in verbis : [7] « In signum, cui contradicetur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. »

62. *Schin* (*d*). *Labia insurgentium mihi*, dicendo falsum testimonium [8] : « Insurrexerunt in me testes iniqui. » *Et meditationes eorum*, verbis declaratas, *tota die*, crucifixionis, vel vitæ [9] : « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ? » [10] « Principes sacerdotum, et seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. » Vel *opprobria*, quantum ad contumelias ; *labia insurgentium*, quantum ad verba machinationum in mortem Christi, sicut in persona eorum dicit Salvator [11] : « Hic est hæres, venite, occidamus eum. »

63. *Schin. Sessionem*, etc. (*e*), pro condemnatione Christi : *Sessionem eorum*, repete, *vidisti;* ubi intelliguntur, qui sedentes in cathedris, Christum judicaverunt; unde in *Psalmo* [12] : « Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta. » *Et resurrectionem*, in prosequendo coram Pilato causam condemnationis coram (*f*) populo. *Ego sum psalmus eorum*, id est, psaltus (*g*), vel cantici materia, vel detractionis et murmurationis.

Huic triplici sententiæ præmittitur littera

[1] I *Joan.*, v, 8. — [2] *Jerem.*, xi, 20. — [3] *Luc.*, xiv, 1. — [4] *Matth.*, xxviii, 18. — [5] *Joan.*, viii, 48. — [6] *Matth.*, xxvii, 40. — [7] *Luc.*, ii, 35. — [8] *Psal* xxvi, 12. — [9] *Matth.*, ix, 4. — [10] *Matth.*, xxvi, 4. — [11] *Matth.*, xxi, 38. — [12] *Psal.* lxviii, 13.

(*a*) Cæt. edit. deest *Resch*. — (*b*) *Al. Res*, et sic deinceps. — (*c*) *Item Sin.* — (*d*) Cæt. edit. deest *Schin.* — (*e*) *Cæt. edit.* Sed. — (*f*) *Leg.* cum. — (*g*) *Al.* saltus.

Schin triplicata, et interpretatur *dentium*, vel *super vulnus dentium*. Hic describitur et detractio, quæ per dentes intelligitur[1] : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, » etc.; et vulneratio Christi, ad quam eum Judæi suis falsis testimoniis perduxerunt.

64. *Thau* (*a*). *Reddes*, etc. Hic ex prædictis infertur justa sententia reprobationis : primo in generali, quantum ad justam pœnæ retributionem; deinde, quantum ad cordis obdurationem : *Dabis eis*, etc.; tertio, quantum ad temporalem et æternam exterminationem : *Persequeris in furore*, etc.

Dicit ergo : *Reddes eis*, Judæis, *vicem*, *Domine*, pro malo culpæ, et pertinacia, pœnam damnationis æternæ :[2] « Ecce venit velociter, et reddes vicissitudinem in caput eorum. »

65. *Thau* (*a*). *Dabis eis*, non agendo, sed permittendo, *laborem tuum*, pœnalitatum et angustiarum, quas in cruce sustinuit; *scutum cordis*, ut merito injuriarum, quas Christo intulerunt, intrare in ipsos (*b*) non possint verba prædicationis[3] : « Corpus ejus, quasi scuta fusilia. » Istud est malum eis scutum, nobis autem clypeus salutis; de quo[4] : « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea inimici extinguere. »

66. *Thau*. *Persequeris*, etc. (*c*). Pro tertio sequitur : *Persequeris furore*, Judæos male tractandos in judicio, in futuro, et etiam in præsenti; unde sequitur : *Et contra eos sub cœlis*, id est, hic in terra, *Domine*, qui omnem habes potestatem. Vel *sub cœlis*, id est, sub viris cœlestibus[5] : « Calcabitis eos, cum fuerint cinis, sub planta pedum. »

Huic triplici sententiæ præponitur littera *Thau*, quod interpretatur *Signa;* quia istud Dei judicium de Judæis ita manifestum est, ut signati signo infami, pateant per totum orbem terrarum.

[1] *Psal.* LVI, 5. — [2] *Joel.*, III, 4. — [3] *Job*, XLI, 6. — [4] *Ephes.*, I, 16. — [5] *Malach.*, IV, 3. — [6] *Apoc.*, VI, 12. — [7] *Philip.*, II, 21. — [8] *Matth.*, VII, 13. — [9] *Isa.*, LVI, 11, 12.

CAPUT IV.

1. *Aleph*. *Quomodo*, etc. (*d*) Hic quarto lamentatur casum spiritualium personarum quoad statum prælationis, sicut erant (*e*) ministri templi; vel statum religionis, sicut erant nazaræi, facie insignes. Et habet tres partes, quia prius lamentatur hanc subversionem ; deinde subjungit ejus rationem in littera duodecima (*f*) *Lamed* : *Non crediderunt reges*, etc.; tertio hujus lamentationis infert conclusionem in littera penultima : *Gaude et lætare*, etc. In prima parte secundum allegoriam deplorat subversionem insignium personarum in generali; deinde in speciali, in versu sequenti : *Filii Sion* etc.

Dicit ergo : *Quomodo obscuratum est aurum ?* quod licet in templi aurati concremationem verti posset, tamen altiori sensu spiritualis templi dejectionem significat, unde dicit : *Quomodo obscuratum est aurum ?* In auro, secundum Rabanum, (quod metallum præeminet,) excellentia sanctitatis intelligitur, quæ est obscurata, et in tenebris carnalitatis commutata. Vel aurum optimum Christus, quod obscurabitur, quia nihil reputabitur tempore Antichristi.[6] « Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. » *Mutatus est color optimus*, quantum ad deformationem exterioris honestatis; *dispersi sunt lapides sanctuarii*, id est, viri eminentes in ecclesiasticis ordinibus constituti : dispersi, non per amorem boni communis congregati, sed per studium avaritiæ divisi : dum « omnes, quæ sua sunt, quærunt, et non quæ Jesu Christi, » ut dicit Apostolus.[7] *In capite omnium platearum*, in quo præsentis vitæ latitudo intelligitur : « lata enim est via, quæ ducit ad perditionem, » ut dicit[8] Christus Dominus. In capite sunt platearum, qui talis (*g*) dant carnalitatis exempla.[9] « Ipsi pastores ignoraverunt intelligen-

(*a*) Cæt. edit. deest *Thau*. — (*b*) *Cæt. edit.* ipsum. — (*c*) *Cæt. edit.* Sed. — (*d*) Cæt. edit. non habent *Aleph. Quomodo*, etc. — (*e*) *Cæt. edit.* etiam. — (*f*) *Edit. Ven.* littera IX. — (*g*) *Leg.* talia.

tiam; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate. » Igitur in auro obscurato subversio sanctitatis intelligitur; in colore mutato, subversio honestatis; in dispersione, studium cupiditatis, et consequentis dissensionis; in platearum capite, exemplum perversitatis. Ubi præmittitur *Aleph*, ad excitationem intelligentiæ spiritualis, ac si diceret illud [1] : « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. »

2. *Beth.* (*a*) *Filii Sion*, etc. Hic deplorat subversionem dictarum personarum in speciali : quod primo pertractat quantum ad infectos carnalitate; secundo, quantum ad excedentes in severitate, ibi : *Manus mulierum*, etc.; tertio ex hoc infert Dominum eos juste affligere, ibi : *Complevit Dominus furorem suum*, etc. In prima parte primo deplorat carnalitatem prælatorum, vel clericorum; secundo religiosorum, ibi : *Candidiores nazaræi*, etc.; tertio simul amborum, ibi : *Melius fuit occisis*, etc. In prima parte primo tangit carnalitatis, ut dictum est, infectionem; secundo consequentem Ecclesiæ multiplicem læsionem, ibi : *Sed et lamiæ*, etc.

Pro primo dicit : *Filii*, ubi primo ostendit qui erant, deinde quid sunt : *Quomodo reputati?* Dicit ergo : *Filii Sion*, id est, Ecclesiæ, *inclyti*, id est, gloriosi et gloria digni, *et amicti auro primo*, quantum ad vitæ perfectionem, *quomodo reputati sunt in vasa testea*? id est, lutea, et de carnalium solatiorum desiderio. *Vasa testea*, non aurea, vel argentea, sed lutea : vas enim testeum est luteum judicatum. [2] « Israel fatus est in nationibus quasi vas immundum. » Induratum est eis lutum, quia difficile corriguntur. [3] « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, et ungue adamantino. » [4] « Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. » *Opus manuum figuli*, id est, diaboli, qui tales fecit. Figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas. Sed tandem in fine fiet de eis, quod dicit *Psalmus* [5] : « Tanquam vas Figuli confringes eos. »

3. *Ghimel. Sed et lamiæ*, etc. Ecce damnum ex prædictis consequens multiplex Ecclesiæ : primum est diffusio doctrinæ perversæ; secundum est carentia doctrinæ sanæ : *Filia populi mei crudelis*, etc. Pro primo dicit : *Sed et lamiæ*. Lamia est monstrum habens caput virgineum, corpus porcinum, et equinos pedes, crudelissimum, dictum a *lamentatione*, quasi *lamens* (*b*). Juxta litteram, Jerusalem vult dicere in solitudinem redactam, et monstra ibi talia habitasse. Per lamias ergo intelliguntur hæretici, vel hypocritæ, in facie simplices, in ventre carnales, in pedibus equi, et instabiles. Tales lamiæ vulpina crudelitate feroces, *nudaverunt mammam*, id est, libere prædicant doctrinam, scilicet pestiferam; *lactaverunt catulos suos*, id est, simplices in hæresim seducentes [6] : « Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est : Aquæ furtivæ dulciores sunt. » Hoc autem totum est propter inertiam prælatorum [7] : « Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania. » [8] « Ibi invenit lamia requiem. » *Filia* : ecce e contra defectus doctrinæ sanæ, ubi primo arguit prælatos in doctrina negligentes; secundo explicat amplius læsiones Ecclesiæ inde provenientes, ibi : *Adhæsit lingua*. Dicit igitur : *Filia populi mei*, etc.: hoc dicitur de monte Sion, in quo erat templum, quod tanquam filia a populo amabatur. Hæc filia, quantum ad sacerdotes, id est, excubantes, *crudelis*, *quasi struthio in deserto*. Struthio ponit ova sua in tractu viarum, et non fovet, sed, ut dicitur [9], « derelinquit in terra ova sua, » et obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestiæ agri conterant. Quæ

[1] *Matth.*, XXIV, 15. — [2] *Ose.*, VIII, 8. — [3] *Jerem.*, XVII, 1. — [4] *Eccli.*, XXII, 7. — [5] *Psal.* II, 9. — [6] *Prov.*, IX, 16, 17. — [7] *Matth.*, XIII, 25. — [8] *Isa.*, XXXIV, 14. — [9] *Job*, XXXIX, 14.

(*a*) Cæt. edit. *nec versiculum, nec litteram indicant, et sic deinceps.* — (*b*) *Leg.* lamentans.

crudelitas magis explicatur in eo quod sequitur.

4. *Daleth. Adhæsit lingua,* primo in statu incipientium, qui intelligitur per lactentes; secundo proficientium, ibi : *Parvuli petierunt*, etc.; tertio in statu perfectorum, ibi : *Qui vescebantur*, etc.; quarto infert ex hoc peccatum negligentium prælatorum : *Et major effecta*, etc. Dicit ergo : *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti,* ubi per lactentes rudes et incipientes figurantur lacte simplicitatis doctrinæ imbuendi [1] : « Tanquam parvulis in Christo, lac dedi vobis potum, non escam. » Lingua adhæret palato, quando cogitatio cordis adhæret proprio desiderio. In siti appetitus doctrinæ; in palato, ubi sapor viget, carnalis affectio. Sed pro statu proficientium sequitur : *Parvuli petierunt,* etc. Parvuli lactentibus majores, sed nondum quantitate perfecti, petierunt panem doctrinæ solidioris, *et non erat, qui frangeret eis.* Panis frangendus, non curiose scindendus; quia nulla divisio est facienda, quæ non faciat ad elucidationem doctrinæ. [2] « Cognoverunt eum in fractione panis. » Dicitur, quod Christus sic frangebat, quod incisio videbatur : sic etiam certe debent continere fractio evidentis expositionis, et incisio elucidationis per dimensionem, quantum saluti famulatur.

5. *He. Qui vescebantur*, etc. Hic ostendit læsionem Ecclesiæ sequentem ex prædictis pro statu perfectorum, *qui vescebantur,* deliciis Scripturarum, *voluptuose*, sancta voluptate. [3] « Paratum de cœlo panem præstitisti eis omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem : » quod de Scripturis, vel deliciis devotionis, vel sacramento communionis intelligi potest. *Interierunt in viis* latis sæculi, quæ ducunt ad perditionem [4] : « Ambulavimus per vias difficiles. » Hoc autem exponit versus sequens. *Qui nutriebantur in croceis :* specialiter deliciæ contemplationis, vel meditatio dominicæ passionis. Crocus enim rubeum habet colorem, item et lætificat, et confirmat cor; unde Scripturas significat Christi sanguine rubricatas [5] : « Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum. » *Amplexati stercora,* id est, carnales delicias [6] : « Mulier fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. » Vel stercora bona temporalia, aurum et argentum sunt, et hujusmodi; quia generata in visceribus terræ. [7] « Omnia reputavi ut stercora. »

6. *Vau. Et major*, etc. (*a*) Ex hoc ostendens, quantum sit peccatum negligentium prælatorum, subdit : *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei*, prælatorum negligentium, de qua supra (*Filia populi mei crudelis*), *peccato Sodomorum*, quantum ad hoc, quia illi doctorem non habuerant, *quæ subversa est in momento*, id est subito : et tamen ista diu tolerantur, ut perenniter puniantur. Simile apud *Mattheum* [8] : « Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. » *Et non ceperunt in ea*, filia populi, id est, clericis (*b*) *manus*, pauperum : in quo arguitur eorum avaritia [9] : « Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, et ad dandum collecta. » [10] « Manus suas aperuit inopi. »

7. *Zain. Candidiores*, etc. Post deploratum lapsum clericorum, vel prælatorum, hic deplorat lapsum religiosorum, primo ostendens, quales aliquando fuerunt; secundo, quales recidivando facti sunt : *Denigrata est*, etc. Religiosi quidem intelliguntur per nazaræos; unde Rabanus : « Quid nazarænorum nomen, nisi vel abstinentium, vel continentium necessaria (*c*) significatur? quibus et nomen convenit, quia et Nazaræi *floridi* interpretantur. » Dicit ergo : *Candidiores nazaræi ejus nive*, per mortificationem carnis, et repressionem noxii caloris per spiritualem frigiditatem. Et bene nivi comparatur carnis munditia, quia faciliter

[1] I *Cor.*, III, 2. — [2] *Luc.*, XXIV, 35. — [3] *Sap.*, XVI, 20. — [4] *Sap.*, V, 7. — [5] *Cant.*, IV, 13. — [6] *Eccli.*, IX, 10. — [7] *Philip.*, III, 8. — [8] *Matth.*, XI, 24. — [9] *Eccli.*, IV, 36. — [10] *Prov.*, XXXI, 20. — (*a*) *Cæt. edit.* Sed. — (*b*) *Item* clerici. — (*c*) *Leg.* necessario.

solvitur, nisi frigus continuetur : flante enim austro, id est, prosperitate accidente faciliter extinguitur; unde in *Psalmo* [1] : « Lavabis me, et super nivem dealbabor. » Vere super nivem dealbatur, qui affluentia non corrumpitur. *Nitidiores lacte;* in quo munditia cordis, quia sicut nix extra, sic lac intra perducitur ad candorem per purificationem (*a*) sanguinis, id est, extinctionem (*b*) omnis immunditiæ, et immundæ affectionis et cogitationis. Vel in nitore lactis affectus pietatis et opera misericordiæ ad egenos. *Rubicundiores ebore antiquo*; in quo notatur refulgentia honestatis : ebur candet primo, tandem vergit in ruborem : quia plena maturitas per longam acquiritur exercitationem. Vel in hoc fervor intelligitur charitatis : rubor enim in facie, calorem significat, vel certe pudorem et verecundiam, ut pudeat turpia dicere, vel audire. Vel in ebore antiquo, antiquorum sanctorum sub lege perfectio; sed sunt nunc rubicundiores, quia major est in Evangelio perfectio. *Sapphiro pulchriores* : in quo gratia contemplationis designatur, et desiderium æternitatis. Hæc sunt ergo, quæ debent perfectis inesse religiosis (*c*). Ubi primus gradus est, ab omni corruptione immaculatum se custodire, quantum patitur humana fragilitas; secundus, curam non negligere proximi, quantum suppetit facultas; tertius, in rubore devotionis sanctæ et sancti pudoris, dura et indigna fortiter tolerare, quantum sinit humana infirmitas; quartus in omnibus ad Deum quoque (*d*) ad cœlum oculum erigere, quantum prævalet humana possibilitas. Magna est igitur hæc commendatio.

8. *Heth.* (*e*) Sequitur : *Denigrata est*, ubi candor nivis, lactis nitor, rubor eboris antiqui, pulchritudo sapphiri nigredine carbonis obducitur : qua de re dicit : *Denigrata est*. Ubi primo plangit eorum carnalitatem; secundo excæcationem, ibi : *Adhæsit*, etc.; tertio obdurationem, ibi : *Aruit*, etc.

Dicit ergo : *Denigrata est facies eorum*, cordis secretum, et conversationis evidentia; *super carbones*, in quibus lumine extincto, sola remanet terrestris nigredo. [2] « Facies combustæ vultus eorum. » Et quod propter sordes carnalitatis prædicto candori contrariantur, *Nahum* [3] : « Diripite (*f*) argentum; diripite (*f*) aurum : et non finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus : dissolutio geniculorum, et defectio cunctis renibus, et facies omnium sicut nigredo ollæ. » [4] « Omnes vultus redigentur in olla (*g*). » *Et non sunt cogniti in plateis* : non sunt cogniti pro talibus, quales esse solebant, quia in plateis, id est, in carnalitate, aliis conformes : frequentia quidem platearum decoloravit nazaræos, et peregrinam speciem induxit. Vel non sunt cogniti, quia creduntur boni, cum sint mali. [5] « A fructibus eorum cognoscetis eos. » *Adhæsit cutis eorum ossibus :* hic eorum excæcationem plangit, dicens : *Adhæsit cutis*. In cute, quæ tenera est, mollities conversationis; in ossibus fortitudo vitii. Adhæsit ergo cutis ossis, quia ab eis prave sentientibus infirmitas vitii, duritia vel difficultas virtutis existimatur. Unde multum putant esse semel, ubi deliciis ingurgitantes imbuant se; virtutem putant esse in ecclesia stare, ubi pactum faciunt (*h*) nisi lucrum quærere, vel ineptias cogitare, vel pœnam fugere (*i*). Sed pro eorum obduratione infert : *Aruit*, quia cognitione sui minime (*j*) virescit; *et facta est quasi lignum*, insensibilis ad peccatum.

9. *Teth. Melius fuit*, etc. Hic tertio deplorare videtur simul lapsum amborum, scilicet prælatorum et religiosorum, comparans statum præsentis Ecclesiæ respectu Ecclesiæ primitivæ : quasi minus nocuit Ecclesiæ tribulatio adversitatis tyrannorum, quam infestatio prosperitatis temporalium : et hoc in multis : quare postea pauci fuerunt sancti. Unde dicit : *Melius fuit*, etc. Raba-

[1] *Psal.* L, 9. — [2] *Isa.*, XIII, 8. — [3] *Nahum*, II, 9. — [4] *Joel.*, II, 6. — [5] *Matth.*, VII, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* putrefactionem. — (*b*) *Item* extinctionis. — (*c*) *Item* religionis. — (*d*) *Leg.* scilicet. — (*e*) *Cæt. edit.* Sed. — (*f*) *Item* Dirigite argentum ; dirigite. — (*g*) *Vulg.* ollam. — (*h*) *Suppl.* nihil. — (*i*) *Cæt. edit* pœna furere. — (*j*) *Item* minimi.

nus : « Melius fuit apostolis, et prædicatoribus Evangelii brevi pœna corporis pro Christi nomine ad tempus plecti, quam longa inedia verbi Dei tabefieri. » Unde dicit : *Quam interfectis fame* : dum enim corpus deliciis fovetur, absque dubio spiritus fame cruciatur : quod multis induxit prosperitas. Unde sequitur : *Quoniam isti*, fame scilicet mortui, *extabuerunt*, id est, ad spiritualem maciem pervenerunt, *consumpti a sterilitate terræ*, id est, ab amore terrenorum, quæ quia sterilia sunt, spirituales et steriles fiunt eorum amatores.[1] « Conteratur quasi lignum infructuosum; pavit enim sterilem, et quæ non parit, et viduæ bene non fecit. » Aliter exponitur illud in Glossa : *Melius fuit occisis gladio*, etc. : « Melius est verbo Dei, ad pœnitentiam mactari, quam fame verbi Dei ad carnalitatem declinare. »

10. *Iod. Manus mulierum*, etc. : postquam deploravit subversionem Ecclesiæ provenientem ex carnalitate et ignavia, hic plangit Ecclesiæ subversionem provenientem ex ingenti severitate et nimia justitia : unde dicit : *Manus*, id est, opera justitiæ nimiæ secundum Glossam. *Mulierum :* non dicit *matrum*, quia matres non sunt, quæ affectum ad filios perdiderunt.[2] « Brevis omnis malitia super malitiam mulierum. » *Misericordium*, in opinione (*a*) sua, quia dicunt se facere tyrannides suas ex misericordia. Tales ergo *coxerunt filios suos*; Glossa : « Id est, tyrannica potestate oppresserunt : coxerunt igne mali exempli, et actus (*b*).[3] « Ignis Dei descendit de cœlo, » id est de majoribus, « et tactas oves puerosque consumpsit. » *Facti sunt cibus earum*, dicentes illud, secundum quod dixerunt filii Heli[4] : « Nunc dabis, alioquin tollam vi. »[5] « Lac comedebatis, et lanis operiebamini : et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. » Et infra[6] : « Sed cum austeritate imperabitis eis, et cum potentia; et dispersæ sunt, » etc. *In contritione filiæ populi mei*, vel ad contritionem filiæ supradictæ : propter hoc enim super multis (*c*) eorum cecidit ira Dei.

11. *Coph. Complevit Dominus*, etc. Hic ex prædictis infert æquitatem pœnæ, ipsis a Domino pro prædictis illatæ, vel inferendæ; unde dicit : *Complevit*, id est, complebit; *furorem suum*, id est, de tantis sceleribus expetet vindictam : in quo magnitudo pœnæ intensive (*d*) intelligitur. *Effudit*, id est, effundet, in quo pœnæ significatur generalitas; *iram indignationis suæ, et succendit*, id est, succendet, *ignem in Sion*, id est, in clericis, ignem dico æternum, *et devoravit*, id est, devorabit, *fundamenta ejus*, primores acerbius. Vel in fundamentis pœna intelligitur cogitationum perversarum, quam exquiret a malis : in quo et pœnæ atrocitas intelligitur. Vel in ira sic effusa posset intelligi generalis quasi Ecclesiæ subversio per carnalitatem et cupiditatem.

12. *Lamed. Non crediderunt reges terræ*, etc. Post descriptam Ecclesiæ subversionem in communi, hic subdit evidentius dictæ subversionis rationem quadruplicem : primam exigit in peccatis prophetarum et sacerdotum; secundam in peccatis omnium, propter confidentiam, scilicet præsidio hominum mundanorum : *Cum adhuc subsisteremus*, etc.; tertiam tangit efficacem promptitudinem adversariorum : *Velociores fuerunt persecutores*, etc.; quartam vero omnium in communi Judæorum atrocitatem, scilicet eorum contra Christum : *Spiritus oris nostri*, etc. In prima parte tangit primo hanc causam, ut inopinatam; secundo pertractat eam, ibi : *Propter peccata*, etc. Dicit ergo pro primo : *Non crediderunt reges terræ*, id est, viri justi et sancti temporalium contemptores[7] : « Nunc autem dormiens, » etc. *Et universi habitatores orbis*, vel *urbis :* illud Glossa ad malos refert, qui nesciunt dicere[8] : « Advena ego sum apud te, et peregrinus. » *Quoniam in-*

[1] *Job*, XXIV, 20. — [2] *Eccli.*, XXV, 26. — [3] *Job*, I, 16. — [4] I *Reg.*, II, 16. — [5] *Ezech.*, XXIV, 3. — [6] Ibid., 4. — [7] *Job*, III, 13. — [8] *Psal.* XXXVIII, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* optione. — (*b*) *Item* tactus. — (*c*) *Leg.* multos. — (*d*) *Leg.* intensiva.

grederetur hostis, id est, diabolus [1] : « Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me, » id est, peccatum : *Per portas Jerusalem*, id est, per præfatos (*a*) in Ecclesiam : [2] « Singulæ portæ erant ex singulis margaritis. » Quasi illud inopinabile fuit; et tamen istud evenit. Alio etiam modo exponitur de quocumque justo, qui inopinanter cadit a perfectione in prævaricationem, vel apostasiam, per portas sensuum suorum, quasi portas Jerusalem.

13. *Mèm. Propter peccata*, etc. Ecce pertractat culpam, quæ causa est ipsius dissipationis vel devastationis Ecclesiæ : primo, quantum ad peccata majorum prælatorum; deinde quantum ad peccata minorum, in versu sequenti, ibi : *Erraverunt*, etc.

Dicit ergo : *Propter peccata*, repete : *Ingressus est hostis per portas Jerusalem*, *propter peccata prophetarum ejus*, populos adulatorie decipientium. Supra [3] : « Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta; nec aperiebant iniquitatem. » *Et iniquitates sacerdotum ejus* : nota, quod semper fuit distinctus ordo doctorum, et prælatorum; quamvis et ipsi auctoritate sint doctores. Quam iniquitatem aperit, subdens : *Qui effuderunt in medio ejus*, id est populi (*b*), *sanguinem justorum*, id est, remissionis, fortiter excitando alios ad interfectionem prophetarum, quos interfecerunt Judæi, sicut postea in mortem Christi. [4] « Apprehenderunt eum, » scilicet Jeremiam, « sacerdotes, pseudoprophetæ, et omnis populus, dicentes : Morte moriatur. » [5] « Egressa est iniquitas a senioribus populi, qui videbantur regere populum. » Effuderunt sanguinem spiritu terroris, aspere corripiendo [6] : « Qui vehementer emungit, elicit sanguinem; » vel aperte peccando, et scandalizando alios [7] : « Peccatum ut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt; » vel bona subditorum improbe extorquendo [8] : « In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum. » Istud etiam verum est præcipue de sanguine scribarum et pharisæorum, quem pontifices, scribæ et pharisæi fecerunt effundi.

14. *Nun. Erraverunt*, etc. Hic tangit peccata cunctorum clericorum : primo ea adstruens; secundo inferens pœnam, ibi : *Facies Domini*, etc. Culpam tangit multiplicem : primo ignorantiæ; unde dicit : *Erraverunt cæci*, juniores scilicet, exemplo majorum, secundum Rabanum, *in plateis*, id est, in lata via perditionis. Secundo subdit peccatum immunditiæ : *Polluti sunt sanguine*, in peccatis carnis et sanguinis [9] : « Infecta est terra sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum. » Alibi [10] : « Libera me de sanguinibus. » Tertio peccatum simoniæ et conspirationis. *Cumque non possent* (aliqui addunt, *intrare*, quod non est de textu); cum, inquit, non possent desiderium suum in Ecclesia implere, *tenuerunt lacinias suas*, oras suorum vestimentorum, sicut cæci, qui expectant alienum ducatum. Lacinias tenere, est ducem expectare.

Quarto sequitur peccatum præsumptionis, qua alios despiciebant; unde sequitur (v. 15, *Samech*) : *Recedite polluti clamaverunt*, etc., prædicti superbi, *eis*, peccatoribus scilicet : *Polluti*, *recedite*. Bis dicit, *Recedite*, quasi : Recedite a loco sacro, recedite a nostro consortio, *abite* ad consimiles vobis, *nolite tangere*. Tales sunt illi, de quibus dicitur [11] : « Comedunt carnes suillas, et jus profanum in vasis eorum; qui dicunt : Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. » *Jurgati quippe sunt* : hæc est vox Prophetæ; *jurgati* prædicti superbi, *et commoti* contra subditos, eos superbe despicientes; nec solum aperte peccatores despiciunt, sed etiam in absentia eis detrahunt. Unde sequitur : *Dixerunt inter gentes*, prædicti clerici peccatoribus detrahentes : *Non adjiciet ultra*, Dominus scilicet, *ut habitet in eis*, præ-

[1] *Job*, XVI, 10. — [2] *Apoc.*, XXI, 21. — [3] *Thren.*, II, 14. — [4] *Jerem.*, XXVI, 8. — [5] *Dan.*, XIII, 5. — [6] *Prov.*, XXX, 33. — [7] *Isa.*, III, 9. — [8] *Jerem.*, II, 34. — [9] *Psal.* CV, 39. — [10] *Psal.* L, 16. — [11] *Isa.*, LXV, 4.

(*a*) *Leg.* præfectos. — (*b*) *Cæt. edit.* populo.

dictis pollutis. Alias exponitur a prædicto loco, *Recedite*, ut sit vox hostium Judæorum, gentium scilicet in eos hæc verba exsufflantium, ac dicentium : *Recedite*; sicut etiam aliquando aliqui tyrrani contra clerum insurgentes dicere ausi sunt. Vel sunt verba prædicatorum, prædictos pollutos arguentium.

16. *Phe. Facies Domini*, etc. Hic subditur pœna dictæ culpæ, et additur nova spiritualis nequitia (*a*) : *Facies sacerdotum*, etc. Dicit igitur, ut sit vox Prophetæ, vel adversariorum Ecclesiæ, seu Judæorum : *Facies Domini*, id est, Christus Filius Dei, *divisit eos*, ad litteram, dispersit Judæos; *divisit*, id est dividet, peccatores a justis in die judicii [1] : « Separabit agnos ab hœdis. » *Non addet ut respiciat eos*, consolando [2] : « Clausa est janua. » Spiritualis autem culpa contra eos repellitur ; unde subdit : *Facies sacerdotum non erubuerunt*, scilicet in peccatis [3] : « Confusione confusi non sunt, et erubescere nescierunt, » eis reverentiam exhibendo; *neque senum miserti sunt*, eis compatiendo : sed magis contrarium fecerunt; contra illud [4] : « Ne spernas hominem in senectute sua : etenim ex nobis senescunt. »

17. *Ain. Cum adhuc subsisteremus*, etc., ecce secunda causa subversionis, confidentia scilicet nimia de humanis præsidiis. Primo tangens hujus vanitatem ; secundo manifestans per effectum, ibi : *Lubricaverunt*, etc.

Dicit ergo : *Cum adhuc subsisteremus*, nondum plene subversi, et tentationibus concussi; *defecerunt oculi nostri*, id est, intentiones nostræ frustratæ sunt. *Defecerunt*, inquam, *ad auxilium nostrum vanum*, id est ad temporalia, quibus confidebamus. [5] « Argentum eorum et aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini. » Quod magis explicans, subdit: *Cum respiceremus attenti ad gentem quæ salvare nos non poterat;* sicut Judæi confisi sunt de Ægyptiis, qui non sufficiebant defendere. Vel id dicitur in persona damnatorum, qui damnati dicunt : *Cum adhuc subsisteremus*, id est viveremus, etc., *ad gentem*, scilicet in parentibus confidentes (*b*).

18. *Sade. Lubricaverunt*, etc. Hic ostendit prædictæ confidentiæ vanitatem et intentionis evacuationem per effectum, dicens : *Lubricaverunt vestigia nostra;* qui prius subsistebamus, quam talibus inniteremur, *lubricaverunt*, quia in lubrico posita fuerunt, *vestigia nostra*, id est, affectus nostri cœperunt vacillare in temporalium amore, vel ad lubricitatem luxuriæ declinaverunt; unde subdit : *In itinere platearum nostrarum*, id est viarum, ut divitiarum, *appropinquavit finis noster*, non complens, sed consumens, et exterminans : hoc dicunt et cognoscunt mali, inquientes in morte : *Completi sunt dies nostri*, id est in morte consummati, *quia venit finis noster*, id est mors. Rabanus : « Pro iis omnibus quisquis, deserto uno vero Deo, adjutorium quærit a spirituali Ægypto, hoc est ab hoc mundo, et lubrica hujus sæculi peragit vestigia, vacua spe delusus, hostium crudelium fit præda. »

19. *Coph. Velociores*, etc. Ecce tertia causa efficiens secundum litteram. Allegorice *persecutores nostri*, id est dæmones [6] : « Dixit inimicus : Persequar, et comprehendam, dividam spolia. » Carnem dant vermibus, substantiam parentibus, animam sibi retinent. *Velociores fuerunt aquilis cœli*, id est, prædicatoribus cœlestium; unde magister prædicatorum Joannes *aquila* dicitur [7] : « Et quartum animal simile aquilæ volanti : » quia dæmones nunquam dormiunt. [8] « Non est potestas super terram, quæ ei comparetur. » *Super montes* dignitatum, *persecuti sunt nos:* [9] « Isti sunt montes, in quibus ceciderunt fortes Israel. » Et hoc quantum ad prælatos. *In deserto*, id est claustro, *insidiati sunt nobis*, quantum ad religiosos [10] : « Adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret. »

[1] *Matth.*, XXV, 32. — [2] Ibid., 10. — [3] *Jerem.*, VI, 15. — [4] *Eccli.*, VIII, 7. — [5] *Ezech.*, VII, 19. — [6] *Exod.*, XV, 9. — [7] *Apoc.*, IV, 7. — [8] *Job*, XLI, 24. — [9] II *Reg.*, II, 19. — [10] I *Petr.*, V, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* nequitiæ. — (*b*) *Item* concidentes.

20. *Resch. Spiritus oris,* etc. Ecce quarta causa omnium completiva, videlicet pro morte Salvatoris. *Spiritus oris nostri:* quod dicitur, quia verbum est et ratio, sine quo nullum verbum rectum esse potest. *Christus Dominus captus est* a Judæis impiis, *in peccatis nostris*, id est, propter peccata nostra [1]: « Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. » *Cui diximus: In umbra tua,* id est in protectione tua, *vivemus in gentibus,* sicut patres in filiis; *in gentibus*, conversis ad fidem [2]: « Fluent ad ipsum omnes gentes. » Vel totum illud potest exponi de conversis ex genere Judæorum, ut ipsi dicant: *In umbra tua,* id est propter umbram legis, *vivemus in gentibus*, quia Judæi propter hoc tantum sustinentur; alii hæretici destruuntur. Unde ex hoc verbo ultimo patet, quod illud non potest intelligi de nostra lege, sicuti exponunt Hebræi.

21. *Sinch. Gaude,* etc. Ecce finis lamentationis. Et ostensurus finem lamentationis hujus, primo ostendit insipientiam mundanæ consolationis; deinde in sequenti versu vilitatem hujus lamenti, ibi : *Completa,* etc. Dicit ergo primo: *Gaude et lætare*, quasi ita boni pro se et alienis malis consolantur, unde dicit: *Gaude,* interius, ironice; *lætare,* exterius, *filia Edom:* juxta litteram dicitur converti Idumæis, cum deberet converti Romanis, dicendo quod Romani fuerunt de Idumæis: quod non verum, quia fuerunt de Cethim (*a*) nepote Noe; Idumæi vero de Sem. Sed causa litteralis est, quia plus noverunt Idumæos, sic et Chaldæos, qui venientes templum succenderunt. *Quæ habitas in terra Hus.* Contra : Habitant in monte Seir (*b*): [3] « Hæ sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir. Item Hus fuit primogenitus Nachor, fratris Abrahæ; qui de Melcha uxore sua octo filios habuit, qui omnes fuerunt in Mesopotamia Syriæ. Solutio. De Hus filio Nachor non est hic sermo, sed de Hus terra, quæ dicitur esse in finibus Idumææ, et Arabiæ; quæ alio nomine dicitur in terra Ausitidis, vel Hussitidis. [4] « Et cunctis regibus terræ Ausitidis; » ibi Glossa dicit: « quæ hebraice dicitur Hus : » de qua dicitur [5]: « Homo, qui erat de terra Hus, » scilicet Job.

Moraliter, *filia Edom*, id est anima carnalis, quæ Edom, id est, Esau imitatur, qui suam primogenituram dedit pro minimo edulio, sicut faciunt carnales miseri [6]: « Dederunt pretiosa quæque pro cibo. » *Quæ habitas in terra Hus,* quæ interpretatur *consilium* vel *consiliator* [7]: « Stulti principes Taneos (*c*) dederunt consilium insipiens. »

Ideo dico: *Lætare;* nam *ad te quoque pertinet calix,* id est, pœna et tribulatio futura, quæ per calicem significatur. *Inebriaberis* amaritudine, *et nudaberis* temporali gloria et honore. [8] « Mundus gaudebit, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra vertetur id gaudium. »

Unde convertens sermonem ad electos, subdit (v. 22, *Thau*): *Filia Sion,* id est, Ecclesia electorum, *completa est iniquitas tua,* per præsentem lamentationem et tribulationem purgata; *non addet ultra,* Dominus scilicet, *ut transmigret te,* parcendo. Transmigrat Dominus, cum suos tribulationibus exponit [9] : « Ad punctum in modico dereliqui te. » Vel transmigrat consolando [10] : « Ecce iste venit saliens in montibus. » E contra de malis dicitur: *Visitavit iniquitatem tuam,* id est, visitabit in morte; *discooperuit peccata tua:* [11] « Ego discooperui Esau, et revelavi abscondita ejus, et celari non poterit. » Infirmorum enim Dominus abscondita revelabit.

[1] *Isa.*, LIII, 5. — [2] *Isa.*, II, 1. — [3] *Gen.*, XXXVI, 9. — [4] *Hier.*, XXV, 20. — [5] *Job*, I, 1. — [6] *Thren.*, I, 11. — [7] *Isa.*, XIX, 11. — [8] *Joan.*, XVI, 20. — [9] *Isa.*, LIV, 7. — [10] *Cant.*, II, 8. — [11] *Jerem.*, XLIX, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* Chitim.— (*b*) *Item* Seyr, *et sic deinceps.* — (*c*) *Cæt. edit.* Thaneos.

EXPOSITIO

IN CAPUT SEXTUM EVANGELII S. MATTHÆI

DE ORATIONE DOMINICA [1]

Pater noster, etc. Oratio hæc privilegiata est in tribus, nempe in dignitate, quia a Christo composita; in brevitate, ut citius sciatur, melius retineatur, et frequentius dicatur; in fœcunditate, quia omnes petitiones continet, et utriusque vitæ necessaria complectitur. *Pater noster* dividitur in exordium, cum dicitur : *Pater noster*; in tractatum, cum dicitur : *Sanctificetur nomen tuum*, etc.; ultimo in conclusionem, cum dicitur [2] : *Si enim dimiseritis*. Sed hæc conclusio non est de integritate orationis. In exordio datur petenti fiducia, cum dicitur : *Pater noster*, non *Domine*. Domino servitur timore; patri vero amore, teste Malachia, qui ait [3] : « Filius honorat patrem suum, et servus dominum suum timebit. Si ergo pater ego sum, ubi honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus? » In tractatu ponuntur omnia nobis necessaria, et in conclusione infertur necessaria ex præmissis consequentia. Deus dicitur pater noster generaliter omnium per creationem, juxta illud [4] : « Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te? » Fecit in corpore; creavit in anima, et possedit in utroque. Specialiter justorum per adoptionem, dicente Domino [5] : « Estote perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est; » et in *Luca* [6] : « Si ergo vos cum sitis mali, etc. Singulariter Christi, per æternam generationem, juxta illud [7] : « Non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum; » et in *Matthæo* [8] : « Neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Pater est primo modo per impressam imaginem; secundo modo per oppositam gratiæ similitudinem; et tertio modo per æternam originem. *Qui es in cœlis*, id est in angelis; vel *in cœlis*, id est in sanctis. Sancti enim dicuntur cœli quadrupliciter, scilicet : propter vitæ sublimitatem, dicente Paulo [9] : « Nostra conversatio in cœlis est; » propter bonorum operum claritatem, ipso Apostolo dicente [10] : « Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes; » et in *Matthæo* [11] : « Luceat lux vestra coram hominibus, » etc. Propter propositi firmitatem, dicente Psalmista [12] : « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Et denique propter Deum in eis quiescentem per gratiam, juxta illud [13] : « Cœlum mihi sedes est; » et in *Psalmo* [14] : « Dominus in cœlo paravit sedem suam. » Dicit ergo : *Pater noster qui es in cœlis*, id est, in spiritualibus, ut ad spiritualem mansuetudinem, in qua habitat, festinare discamus, et cœlestia ab eo quæramus.

Oratio Dominicæ visio.

Deus nomo-o pater oster.

Sancti dicuntur cœli.

Sanctificetur nomen tuum. Terminato exordio, sequitur tractatus, qui dividitur in duas partes : in prima oratur pro bonis adipiscendis, et in secunda pro malis amovendis, ibi : *Et dimitte nobis debita nostra*, etc. Primo petitur pro bonis adipiscendis : sunt enim bona æterna quæ petuntur in præmium : *Sanctificetur nomen tuum*; petimus

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1589, tom. II, pag. 1; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 69. — [2] *Matth.*, VI, 14. — [3] *Malach.*, I, 6. — [4] *Deut.*, XXXII, 6. — [5] *Matth.*, V, 48. — [6] *Luc.*, XI, 13. — [7] *Joan.*, V, 18. — [8] *Matth.*, XI, 27. — [9] *Philip.*, III, 20. — [10] Ibid., II, 15. — [11] *Matth.*, V, 16. — [12] *Psal.* XXXI, 6. — [13] *Isa.*, LXVI, 1. — [14] *Psal.* CII, 19.

quod ipsa gloria, sive perfecta notitia, confirmetur in nobis, et hoc erit in gloria (*a*) perseverando. Sunt bona spiritualia quæ petuntur in meritum, sive in bonum perseverantiæ : *Adveniat regnum tuum*, id est, Ecclesia, vel anima in qua per gratiam regnas. *Adveniat*, id est, in finem perveniat. Sunt bona itidem spiritualia quæ petuntur in bonum gratiæ : *Fiat voluntas tua*, id est, libertas nostri arbitrii societur per gratiam tuæ voluntati. Sunt denique bona temporalia, quæ petuntur in sustentationem, sive temporale subsidium : *Panem nostrum quotidianum da nobis*, etc. Secundo petitur pro amovendis malis, nempe præteritis, cum dicitur (*b*) : *Et dimitte nobis*; pro amovendis etiam præsentibus, cum dicitur (*b*) : *Sed libera nos a malo ;* demum pro amovendis malis futuris, cum dicitur (*b*) : *Et ne nos inducas in tentationem*. Præterita mala sunt dolenda, præsentia vitanda, et futura præcavenda. Septem sunt petitiones, scilicet : *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Panem nostrum quotidianum. Et dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas. Sed libera nos a malo*. Septem sunt dona, scilicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, et timor. Septem etiam sunt beatitudines, nempe regnum cœlorum, possessio terræ, consolatio, saturitas, misericordiæ consecutio, visio Dei, et filiatio Dei. Septem virtutes sunt contra septem vitia, videlicet paupertas spiritus, contra superbiam, sive inanem gloriam ; mansuetudo, contra iram ; luctus, contra invidiam; sitis justitiæ, contra acediam; misericordia, contra avaritiam; munditia cordis, contra gulam; denique pax, contra luxuriam. Homo ergo, ægrotus; Deus, medicus; vitia, languores; petitiones, planctus; dona, antidota; virtutes, sanitates; beatitudines, felicitates et gaudia. Petitionibus dona, donis virtutes, virtutibus beatitudines objiciuntur (*c*), et vitia excluduntur. *Sanctificetur nomen tuum*. Petitio, sanctificatio; donum, sapientia; virtus, pax; beatitudo, filiatio Dei; et vitium contra quod, luxuria. *Sanctificetur nomen tuum*. Nomen Dei invenimus in Scriptura tripliciter, scilicet : terribile, juxta illud *Deuteronomii* [1] : « Nisi timueris (*d*) nomen ejus gloriosum et terribile, » hoc est, Dominum Deum tuum, « augebit Dominus plagas tuas. » Admirabile, teste David, qui ait [2] : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, » etc. Laudabile, ipso etiam David alibi dicente [3] : « A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini, » etc. Est ergo nomen Dei terribile quantum ad potentiam, quæ attribuitur Patri ; est admirabile quantum ad sapientiam, quæ attribuitur Filio ; est denique laudabile quantum ad bonitatem, quæ attribuitur Spiritui sancto. *Sanctificetur* (*e*) ergo, id est, in nobis firmetur (*f*), *nomen tuum* terribile, in cognitione summæ potestatis; admirabile, in cognitione primæ veritatis; et laudabile, in cognitione summæ bonitatis. Dicit ergo : *Sanctificetur nomen tuum*, quasi diceret : Da nobis spiritum sapientiæ, id est, jucunditatem internam, ut gustemus quam suavis es; et hoc generet in nobis pacem : et hoc contra luxuriam, quia dicit Propheta [4] : « Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. »

Septem petuntur in oratione dominica.

Dona septem.

Beatitudines septem.

Virtutes septem.

De mer

Adveniat regnum tuum. Petitio, adventus regni; donum, intellectus; virtus, munditia cordis; beatitudo, visio Dei; et vitium contra quod, gula. *Adveniat regnum tuum*. Regnum Dei dicitur militans Ecclesia, ut habetur in *Matthæo* [5] : « Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala. » Dicitur etiam regnum Dei doctrina evangelica, dicente *Luca* [6] : « Lex et prophetæ usque ad Joannem : et ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. » Dicitur denique regnum Dei

Reg Dei.

[1] *Deut.*, XXVIII, 58. — [2] *Psal.* VIII, 2, 10. — [3] *Psal.* CXII, 3. — [4] *Psal.* XXXVII, 4. — [5] *Matth.*, XIII, 41. — [6] *Luc* XVI, 16.— (*a*) *Leg.* gratia.— (*b*) *Cæt. edit.* dicit. — (*c*) *Leg.* obtinentur. — (*d*) *Cæt. edit.* timueritis. — (*e*) Item *Sanctificatur*. — (*f*) *Item* firmatur.

beatitudo æterna, dicente, ubi supra, *Matthæo* [1] : « Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum. » De hoc præcipue accipitur quod hic dicitur, licet non incongrue de aliis accipi possit. Dicit ergo : *Adveniat regnum tuum*, quasi diceret : Da nobis spiritum intellectus, quo mundati corde, intelligamus te in præsenti regnare per fidem, ut in futuro videamus te regnare per speciem : et hoc est contra gulam, de qua dicitur [2] : « Vinum et ebrietas auferunt cor. »

Fiat voluntas tua. Petitio, voluntatem Dei fieri; donum, consilium; virtus, misericordia; beatitudo, misericordiæ consecutio; vitium contra quod, avaritia. Voluntas Dei est ad tria, nempe ad creationem, ut dicitur in *Psalmo* [3] : « Omnia quæcumque voluit, fecit; » ad gratificationem, dicente Paulo [4] : « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; » et ad glorificationem, teste Domino, qui ait [5] : « Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam. » Est ergo voluntas Dei creans, gratificans, de qua hic accipitur, et glorificans. Dicit ergo : *Fiat voluntas tua*, quasi dicat : Da nobis spiritum consilii, ut faciamus voluntatem tuam, maxime misericordiam, quæ perimit avaritiam, quatenus misericordiam consequamur, secundum illud [6] : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Sicut enim avaritia consistit in acquirendo et retinendo, ita misericordia in dando et dimittendo. Quid autem prodest sæpius dicere : *Fiat voluntas tua*, et nolle juvare? Vult Deus apud te esse pauperes, ut per eos salveris et corpore et anima : cum enim [7] defuerunt vasa, *stetit oleum*. Vos venitis voluntatem frangendo (*a*).

Panem nostrum quotidianum. Petitio, panem dari; donum, fortitudo; virtus, esuries justitiæ; beatitudo, saturitas; vitium contra quod, acedia. *Panem nostrum*, etc. Est panis tripliciter, scilicet, corporalis, ut dicitur in *Genesi* [8] : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. » Est etiam sacramentalis, ut dicit Apostolus [9] : « Quicumque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, » etc. Est quoque panis iste æternalis, juxta illud [10] : « Ego sum panis vivus : » et ille præcipue dicitur *supersubstantialis*. Et Hieronymus inquit [11] : « Supersubstantialis panis est, qui dicit : *Ego sum panis vivus*; qui videlicet universas superat creaturas. » Licet autem sint multi panes mystici, de his tamen tribus exponunt doctores, quod hic dicitur. Unde Augustinus [12] : « Panis quotidianus dictus, vel necessaria hujus vitæ, vel sacramentum corporis Christi. » Oportet ergo, ut conjuncte omnia ista tria accipiantur; ut scilicet panem quotidianum petamus, simul et necessaria corpori, et sacramentum visibile, et invisibile Verbi Dei : unde de his tribus potest accipi quod dicitur [13] : « Amice, commoda mihi tres panes. » Primus ergo panis est ad corporis sustentationem; secundus, in via ad animæ refectionem; et tertius, in patria ad æternam fruitionem. Dicit ergo : *Panem nostrum supersubstantialem*, etc., quasi dicat : Da nobis spiritum fortitudinis, quia multiplici pane roborat animam, ne deficiamus in præsenti esuriendo justitiam, per quam expellentes acediam, plena justitia saturabimur in futuro, secundum illud [14] : « Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. »

Dimitte nobis debita nostra. Petitio, dimitti debita; donum, scientia; virtus, luctus; beatitudo, consolatio; vitium contra quod, invidia. *Dimitte nobis debita nostra*; est debitum offensæ, Domino attestante, qui ait [15] : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, » etc. Est debitum bonæ vitæ, juxta illud [16] : « Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, feci-

[1] *Matth.*, XIII, 42. — [2] *Ose.*, IV, 11. — [3] *Psal.* CXIII, 3. — [4] I *Thess.*, IV, 3. — [5] *Joan.*, VI, 39. — [6] *Matth.*, V, 7. — [7] IV *Reg.*, IV, 6. — [8] *Gen.*, III, 19. — [9] I *Cor.*, XI, 27. — [10] *Joan.*, VI, 52. — [11] Hieron., *in Matth.*, c. VI. — [12] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. II, c. VII, n. 25, quoad sensum. — [13] *Luc.*, XI, 5. — [14] *Matth.*, V, 6. — [15] *Matth.*, XVIII, 32. — [16] *Luc.*, XVII, 10. — (*a*) *Locus corruptus.*

mus. » Est etiam debitum pecuniæ, nam ait Salomon [1] : « Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis. » Agitur autem hic de debito offensæ, non pecuniæ. Debitum primum, malum; secundum, bonum; et tertium, indifferens. Dicit ergo : *Dimitte nobis*, etc., quasi dicat : Da nobis donum scientiam, et virtutem luctum, quo tam nostra, quam aliena peccata cogitemus et defleamus, ut nobis debita nostra dimittas, et ita consolationem habeamus contra invidiam, quæ facit hominem de alieno bono tabescere, unde versus [2] :

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Et ne nos inducas in tentationem. Petitio, non induci in tentationem; donum, pietas; virtus, mansuetudo; beatitudo, possessio terræ; vitium contra quod, ira. *Et ne nos inducas :* est tentatio irritationis, sicut scriptum est [3] : « Vocavit Moyses nomen loci illius *Tentatio,* propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum dicentes : Estne Deus in nobis ? » Est tentatio probationis, nam dicit *Jacobus* [4] : « Beatus vir, qui suffert tentationem. » Et in *Tobia* [5] : « Hanc tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. » Et est tentatio malæ persuasionis, ut habetur in *Matthæo* [6] : « Accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, » etc. Et in Paulo [7] : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, » etc. De hac tertia intelligitur præcipue quod hic dicitur. Dicit ergo : *Et ne nos inducas*, etc., quasi dicat : Da nobis spiritum pietatis, et mansuetudinem spiritus, ut per spiritum pietatis vincamus tentationem, exercendo nos ad pietatem, et per mansuetudinem vincamus vitium iram, non reddendo malum pro malo : ut ita beati possideamus terram viventium, quam per spiritum pietatis et mansuetudinem obtineamus. Unde dicitur [8] : « Beati mites, quoniam,» etc.

Tentatio multiplex.

Sed libera nos a malo. Petitio, liberari a malo; donum, timor; virtus, paupertas spiritus; beatitudo, regnum cœlorum; vitium contra quod, inanis gloria. *Sed libera*, etc. est liberatio a malo culpæ, juxta illud Apostoli [9] : « Liberati a peccato, servi autem facti Deo. » A malo miseriæ, ipso Paulo attestante, qui ait [10] : « Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem, » etc. Est etiam liberatio a malo pœnæ æternæ, unde dicitur [11] : « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. » Dicit ergo : *Sed libera nos,* etc., quasi dicat : Da nobis spiritum timoris, ut per illum vincamus mala, et per virtutem paupertatis spiritus bona adipiscamur : quatenus exclusis vitiis, et contemptis terrenis, habeamus æterna, scilicet beatitudinem regni cœlorum, quam Lucifer et primi parentes per vitium inanis gloriæ amiserunt.

Amen. Hieronymus ait [12] : « Scire autem debemus, apud Hebræos, in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut *Amen* scribant, aut *Sela,* aut *Salom. Amen* significat vere, vel fideliter; *Salom* significat pacem; *Sela* significat semper. Nota, quod dici solet, quod *amen* quandoque tenetur nominaliter, ut in *Apocalypsi* [13] : « Hæc dicit Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. » Quandoque adverbialiter, ut ibi : *Amen, amen dico vobis.* Quandoque verbaliter, ut hic : *Amen*, id est, omnia prædicta fiunt nobis ex tua gratia.

[1] *Prov.*, XXII, 26. — [2] Horat., *Epist.*, lib. I, epist. II. — [3] *Exod.*, XVII, 7. — [4] *Jac.*, I, 12. — [5] *Tob.*, II, 12. — [6] *Matth.*, IV, 3. — [7] I *Cor.*, X, 13. — [8] *Matth.*, V, 4. — [9] *Rom.*, VI, 22. — [10] Ibid., VIII, 21. — [11] *Ose.*, XIII, 14. — [12] Hieron., Epist. CXXXVIII, *ad Marcellam.* — [13] *Apoc.*, III, 15.

EXPOSITIO

IN EVANGELIUM SANCTI LUCÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Sancti Bonaventuræ, eximii Ecclesiæ Doctoris eruditio singularis admirandaque doctrina, cum ex Scholasticis multis lucubrationibus, tum ex luculentis expositionibus perspici facile potest, quas plurimas in vetus, ac novum Testamentum docte egregieque scripsit. Quos autem veteris Testamenti sacros libros exposuerit, eos superiori [2] tomo demonstravimus : hoc autem altero [3] tomo complexi sumus expositiones in novum, nimirum in Evangelium sancti Lucæ, et sancti Joannis. Dicemus igitur jam de expositione in sanctum Lucam, quam ejus esse non solum Trithemius ostendit, sed plane demonstrat exemplar vetus Vaticanum, itemque exemplaria quatuor, in Belgio diligenter asservata : quorum unum est Gandavense, alterum Bruxellense, tertium Trajectinum, quartum Lovaniense : cum quibus omnibus olim a F. Matthia Dordracensi, Fratrum Minorum Germaniæ inferioris Ministro provinciali olim collata quam diligentissime hæc expositio, anno 1539 typis Antuerpiensibus concinne impressa, Paulo III. Pont. Max. prodiit in lucem. Ex Antuerpiensis editionis, apte recteque emendatæ, exemplari sumpsimus exemplum ad editionem Vaticanam hanc, quæ melior multis partibus reddita est exemplaribus quoque aliis. Editio præterea Veneta [4], etsi typographorum indiligentia erratorum quibusdam notis, et mendis aspersa est, usui etiam nobis fuit propter conferendi rationem ad hanc ipsam emendationem Vaticanam, in qua splendor elucet non minimus doctrinæ tanti doctoris : cui in primis lumen maximum omni ex parte afferre impensius curavit Sixtus Quintus, Pontifex sanctissimus, idemque eruditissimus. Huic porro expositioni, summi viri et sanctimoniæ et doctrinæ opinione præstantes tantum tribuerunt, ut cum aliquid de Evangelio sancti Lucæ dicturi essent, unum sanctam Bonaventuram cæteris illius Evangelii interpretibus anteponerent : nimirum cum ad ejus expositionem optimus Bonaventura interpres, omnes industriæ ingeniique sui nervos intenderit, sancta quadam æmulatione incensus. Nam Urbanus IV. Pontifex sancto Thomæ Aquinati maxime auctor fuit, ut ex omnibus Patrum tum Latinorum, tum Græcorum commentariis in quatuor sanctos Evangelistas catenam contexeret : cui etiam interpretem Græcum adjunxit, ut nihil ad perfectæ expositionis cumulum deesset, si græca desiderarentur. Id negotii sancto Thomæ a Pontifice datum,

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1589, tom. II, pag. 3 ; edit. Ven., an. 1754. tom. VI, part. I, pag. 73. — [2] Scilicet primo editionis Vaticanæ, nostræ autem nono, et decimi hujus 206 primis paginis. — [3] Scilicet secundo editionis Vaticanæ, nostræ autem his quæ supersunt tomi decimi paginis, et undecimo fere toto. — [4] Scilicet anni 1584.

cum hic noster accepisset, quo tempore Parisiis theologiæ interpretandæ publico munere fungebatur, sanctæ æmulationis zelo ductus, quidquid temporis eo interpretandi munere vacuum habuit, id omne ad Scholasticas expositiones Evangelii sancti Lucæ transmisit. Qua in expositione eam laudem tulit, quæ uni tantum huic scholastico theologo tributa est, alii præterea nemini, nimirum quod is Scripturam Scriptura exponat, sacrarumque sententiarum ubertate, si quem locum exponit, ita tractet (*a*), ut earum copiis nihil uberius, nihil doctrina eruditius, nihil vitæ institutis ad disciplinam accommodatius, ad expositionem vero nihil dilucidius dici possit, cum omnia etiam, quæ ad artium liberalium scientiam, cæterarumque rerum cognitionem (*b*) pertinent, ita apposite ad interpretationem adhibeat, ut cuncta sapere videatur : siquidem, cum usu venit, non modo philosophorum, tum Aristotelicæ, tum Platonicæ disciplinæ decreta, eaque difficillima, explicat; sed rhetorum etiam præcepta, oratorum sententias, atque adeo historiæ Romanæ annales tractat eo uberius, quo illustriores sensus afferre se posse videt ad sacrarum litterarum explicationem. Est in Evangelium sancti Lucæ catena Græcorum Patrum præclare contexta, Leontiusque item Græcus auctor, omnium judicio videtur ipsius sancti Evangelistæ interpres non indisertus. Titus autem Bostrorum episcopus, ad ejusdem Evangelistæ expositionem græcam quamplurima adjumenta attulit. Ac præterea sunt in Latinis alii non pauci, in quibus sanctus Bonaventura doctrinæ suæ exquisitissimæ opes ad ejusdem Evangelistæ declarationem tantas attulit, quantas quisque maximas legendo percipiet, benignitate sanctissimi Patris nostri Sixti Quinti, sapientissimi Pontificis : qui tanti Doctoris monumenta Ecclesiæ Dei in omnes partes utilia, cum antea situ et squalore jamdiu obsita, tenebricosis etiam locis laterent, impense curavit e tenebris in lucem emitti ad perpetuum eumque maximum reipublicæ christianæ splendorem, salutaresque omnium utilitates.

PROŒMIUM

Spiritus Domini super me [1], *eo quod unxerit me Dominus. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Considerantibus nobis verbum aliquod, quod nos introducat in Evangelium beati Lucæ, nullum magis occurrit idoneum, quam quod ipse beatus Lucas refert [2], Christum Dominum in suo prædicationis exordio assumpsisse verbum, scilicet propositum, quod scribitur a Luca, et sumptum est ex Isaia.

Hoc autem secundum generalem sui intellectum competere potest cuilibet doctori sacræ Scripturæ; secundum specialem vero, beato Lucæ Evangelistæ; secundum singularem, ipsi Christo, qui est fons veritatis et gratiæ. Secundum autem quod generaliter intelligitur, insinuat duplicem personam ad opus evangelicæ doctrinæ necessariam, scilicet doctoris, et auditoris. Secundum quod specialiter, duplicem causam extrinsecam, scilicet efficientem, et finalem. Secundum vero quod singulariter, duplicem causam intrinsecam, scilicet materialem et formalem. His autem sex præcognitis, aditus ad

[1] *Isa.*, LXI, 1. — [2] *Luc.*, IV, 18.

(*a*) *Edit. Vatic.* tractat. — (*b*) *Item* cogitationem.

sequentia non erit difficilis. Primum igitur propositum verbum, secundum intellectum sui generalem, indicat nobis quis et qualis debeat esse doctor hujus scripturæ evangelicæ, adjungens nihilominus qualem debeat habere et auditorem. Doctor autem scripturæ evangelicæ debet esse inunctus divina gratia, institutus mera obedientia, inflammatus benevolentia fraterna. Inunctus debet esse primo divina gratia, et hoc notatur, cum dicit : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. » In cujus rei figuram, in Veteri Testamento inungebantur prophetæ. Unde dixit Dominus Eliæ [1] : « Elisæum filium Saphat, qui est de Abelmahula, unges prophetam pro te. » Et de David dicitur, quod postquam inunctus est [2], « directus est Spiritus Domini in eum ab illa die in reliquum. » Ideo enim inungebantur, ut Spiritum Domini acciperent, per quem nobis divina secreta reserantur. Si ergo eodem spiritu exponendæ sunt scripturæ, quo conditæ sunt, et [3] « Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines : » ad hoc ut quis sit doctor idoneus eorum, quæ per Christum sunt gesta, et per Spiritum sanctum scripta, necesse est quod sit inunctus superna gratia.

Debet etiam institutus esse mera obedientia, et hoc notatur, cum dicit : *Ad annuntiandum mansuetis misit me :* exemplo Moysis, ad quem Dominus dixit [4] : « Veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto. » Dixit Moyses ad Deum : « Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ? » Moyses, qui fuit legislator et eductor filiorum Israel de Ægypto, signat doctorem legis divinæ, qui educit populum Domini de tenebris ignorantiæ culpæ. Ad quod quidem officium nemo debet accedere, nisi mittatur ; neque quis hoc sibi procurare debet, sed recusare magis, quia nullus ad hoc officium se debet idoneum reputare. Si enim cum Domino non est locutus, indignus est ; sin ei Dominus loquitur ad cor, sentit profecto se impeditioris esse et tardioris linguæ cum Moyse effectum. Et ideo si nescit eloqui divina mysteria, quæ aperuit illi Dominus, non debet præsumere ut ea doceat alios, nisi mera obedientia institutus.

Tertio debet inflammatus esse fraterna benevolentia ; quod notat, cum dicit : *Ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Et hoc, exemplo Pauli, qui de seipso ait [5] : « Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos : ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras. » Sicut enim proles carnalis non potest generari sine amore carnali, sic nec spiritualis sine benevolentia spirituali. Unde Gregorius : « Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium nequaquam suscipere debet. » Evangelium autem Dei exponere aut docere, est verbum divinum prædicare ; et ideo doctor debet inflammatus esse fraterna benevolentia. Cæterum, ut doctrina evangelici doctoris suum sortiatur effectum, debet habere auditorem mitem, humilem et fidelem.

Auditor namque doctrinæ evangelicæ debet esse mitis in affatu per accommodationem auditus ; quod notatur, dum dicitur (*a*) : *Ad annuntiandum*, scilicet, *mansuetis*, non dyscolis, *misit me*. Soli enim mansueti verba divina et evangelica recte intelligunt [6] : « Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas ; » et in *Psalmo* [7] : « Docebit mites vias suas. » Et propterea dicitur [8] : « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. » Doctrina etenim evangelica docet hominem esse discipulum Christi, qui dicit [9] : « Discite a me, quia mitis sum. » Litigium vero et altercatio non convenit discipulis evangelicis,

Auditor evangelici doctoris.

[1] III *Reg.*, XIX, 16. — [2] I *Reg.*, XVI, 13. — [3] II *Petr.*, I, 21. — [4] *Exod.*, III, 10, 11. — [5] I *Thess.*, II, 7, 8. — [6] *Eccli.*, V, 13. — [7] *Psal.* XXIV, 8. — [8] *Jac.*, I, 21. — [9] *Matth.*, XI, 29.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit.

sed aristotelicis. Unde [1] : « Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, » etc. Unde Augustinus [2] : « Opus est mitescere pietate, neque contradicere divinæ scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusque percipere possimus : sed cogitare potius et credere id esse melius et verius quod ibi scriptum est, si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possemus. »

Debet esse humilis in affectu per contritionem spiritus; propter quod dicit : *Ut mederer contritis corde :* « Mœror enim in corde viri humiliabit eum, » ut dicitur [3]. Et talis est idoneus ad discendum. Psalmista [4] : « Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » Et etiam in *Matthæo* (*a*) [5] : « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

Debet esse postremo fidelis in assensu per captivationem intellectus; quod notat, cum dicit : *Et prædicarem captivis indulgentiam.* [6] « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. » Et hoc quidem fit per veram fidem, sine qua impossibile est documenta scripturæ evangelicæ intelligere. Isaias, secundum aliam translationem [7] : « Nisi credideritis, non intelligetis (*b*). » Sane si in discibilibus (*c*) oportet discentem credere, ut docet Aristoteles, [8] quanto magis in divinis? Et hæc captivatio facit liberos a peccato [9] : « Fide purificans corda eorum. » Et *Joannes* [10] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus. » Et sic patet, quod verbum præmissum, generaliter expositum, indicat et describit duplicem personam, scilicet boni doctoris, et auditoris. Specialiter autem intellectum, secundum quod competit beato Lucæ, indicativum est duplicis causæ extrinsecæ, scilicet efficientis et finalis : efficientis in hoc, quod dicit : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus*; finalis vero, in hoc quod sequitur : *Ad annuntiandum mansuetis*, etc. Causa autem efficiens exprimitur satis perfecte, quoniam insinuatur triplex causa efficiens.

Suprema quidem in hoc, quod dicitur : *Spiritus Domini*; ipse enim est, de quo *Joannes* [11] : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. » Unde ipse est, qui loquebatur per evangelistas, et locutus est per beatum Lucam, secundum illud *Matthæi* [12] : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. »

Causa autem efficiens infima, in hoc, quod dicit : *Super me*, id est, super beatum Lucam, de quo dicit beatus Hieronymus, quod obiit plenus Spiritu sancto, et ideo idoneus fuit ad Evangelium conscribendum, secundum quod de ipso dicit Apostolus [13] : « Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias. » Unde sibi competit illud *Ecclesiastici* [14] : « In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, etc.

Causa efficiens intermedia, cum dicitur : *Eo quod unxerit me Dominus.* Unctio enim gratiæ disponit animam ad suscipiendum documenta veritatis a Doctore summo. Unde [15] : « Unctio ejus docet vos de omnibus. » Et verum est : Spiritus enim sanctus per gratiam docuit Evangelistam; et ille instructus docuit Ecclesiam, scribendo doctrinam evangelicam. Et ita in hoc opere triplex fuit causa efficiens, scilicet suprema, quæ quidem Spiritus sanctus est; infima, ipse Evangelista; et intermedia, Spiritus sancti gratia. Quas simul omnes complectitur auctoritas præscripta, secundum quod a beato Luca proferri intelligitur. Triplex etiam insinuatur in eo, quod in themate sequitur causa finalis ac satis perfecte, scilicet prima, media, et postrema. Prima est ma-

Tripl caus efficie hujı operis

Tripl causa nalis.

[1] II *Tim.*, II, 24. — [2] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII, n. 9. — [3] *Prov.*, XII, 25. — [4] *Psal.* CXVIII, 71. — [5] *Matth.*, XI, 25. — [6] II *Cor.*, X, 5. — [7] *Isa.*, VII, 9, juxta LXX. — [8] Arist., *Elench.*, lib. I, c. II. — [9] *Act.*, XV, 9. — [10] *Joan.*, I, 12. — [11] *Joan.*, XVI, 13. — [12] *Matth.*, X, 20. — [13] II *Cor.*, VIII, 18. — [14] *Eccli.*, XV, 5. — [15] I *Joan.*, II, 27.

(*a*) Item *Matthæus*. — (*b*) *Vulg.* non permanebitis. — (*c*) *Cæt. edit.* indiscibilibus, *una voce*.

nifestatio veritatis; media est curatio infirmitatis; tertia est reseratio æternitatis. Primum est gratiæ præparantis; secundum, gratiæ gratum facientis; tertium est gloriæ consummantis.

Principio igitur demonstratur causa finalis hujus doctrinæ prima, quæ est manifestatio veritatis, in hoc quod dicit : *Ad annuntiandum mansuetis misit me;* secundum illud *Psalmistæ* [1] : « Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. » Unde et ab hoc nomen sumpsit, ut *Evangelium* dicatur, id est bona anuntiatio [2] : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. » Et [3] : « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem! » Hoc primo fuit in sanctis evangelistis.

Secunda vero fuit medicatio nostræ infirmitatis, quam notat, dum ait : *Ut mederer contritis corde.* Sermo enim evangelicæ prædicationis effectum et fructum affert curationis, secundum illud *Sapientiæ* [4] : « Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. » Hunc autem fructum pulchre ac merito affert Evangelium Lucæ; de quo Hieronymus [5] : « Si novimus Lucam medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertimus pariter omnia verba illius, animæ languentis medicinam esse. » Et hoc est secundum intentum a beato Luca, ut scilicet per veritatis cognitionem veniremus ad infirmitatis medicamentum.

Tertia vero fuit reseratio æternitatis, quæ notatur, cum dicitur : *Ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Hoc autem fit in æternæ vitæ possessione, ad quam hortatur evangelica doctrina tanquam ad ultimum finem : [6] « Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. » Et in *Marco* (*a*) inquit [7] : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Hoc mandatum impleverunt præcipue evangelistæ, qui non solum Evangelium prædicaverunt verbo tunc quidem præsentibus, sed et scripto, tum præsentibus, tum futuris in omnes generationes, ut omnes facerent salvos. Sic ergo præmissum verbum specialiter intellectum sub persona Beati Lucæ, duplicem demonstrat causam extrinsecam, efficientem scilicet, et finalem. At intellectum singulariter, hoc est, de Domino Jesu, de quo proprie dictum est, duplicem explicat causam intrinsecam, scilicet materialem, et formalem : quod liquet hoc modo. Certum enim est, evangelicam historiam totam versari circa Christum, vel in quantum mediator est, vel prædicator, vel reparator, vel triumphator. Mediator respicit incarnationis mysterium; Prædicator, eruditionis magisterium; Reparator, passionis remedium; Triumphator, resurrectionis trophæum. Primum refertur ad Christi naturam; secundum ad doctrinam; tertium ad victimam : quartum ad victoriam. Hæc autem quatuor distincte et ordinate tanguntur in sermone præmisso, secundum quod competit Christo.

Evangelica historia de Christo quadrifariam loquitur.

Insinuat autem Jesus Christus se mediatorem esse, cum dicit : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus.* Ipse enim mediator, de quo dicitur [8] : « Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. » Unxit, inquam, non sicut alios sanctos, sed supra alios, secundum illud *Psalmi* [9] : « Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. » In qua unctione facta est consummatio prophetiæ illius, quæ scribitur a *Daniele* [10] : « Impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. »

Christus mediator.

[1] *Psal.* LXIII, 10. — [2] I *Joan.*, I, 1. — [3] *Isa.*, LII, 7. — [4] *Sap.*, XVI, 12. — [5] Hieron., *in Epist. ad Philem.* — [6] *Joan.*, XX, 31. — [7] *Marc.*, XVI, 15, 16. — [8] *Act.*, X, 38. — [9] *Psal.* XLIV, 6. — [10] *Dan.*, IX, 24.

(*a*) Cæt. edit. *Marcus.*

Christus prædicator.

Insinuat se prædicatorem in hoc, quod subjungit : *Ad annuntiandum mansuetis misit me* : secundum quod promiserat Dominus filiis Israel per Moysen [1] : « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui; et ponam verba mea in ore ejus; loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero ei. » Hic est Christus, omnium prophetarum Dominus, qui dicit [2] : « Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Et ad hoc missus est; unde in *Luca* (*a*) [3] : « Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. »

Christus reparator.

Insinuat et se reparatorem, in hoc quod subdit : *Ut mederer contritis corde :* « Ipse enim est, de quo dicitur [4] : « Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. » Unde de ipso dicitur in *Psalmo* [5] : « Qui sanat contritos corde, » etc. Hoc autem fecit per passionis remedium. *Isaias* [6] : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, » etc.

Christus triumphator.

Insinuat quarto se triumphatorem esse, in hoc quod dicit : *Ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Et hoc quidem fecit in suæ resurrectionis triumpho, secundum quod dicitur de Christo [7] : « Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. » Et deinde, sicut in *Psalmo* dicitur : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. » Quoniam ergo Christus sub hac quadruplici conditione est objectum fidei, et subjectum Evangelii; recte in verbo proposito causa materialis, seu subjectum designatur.

Jam, quoniam scientiæ secantur, ut res, et [9] inductio formæ est secundum dispositionem materiæ; cum subjectum Evangelii sit ille unus, videlicet Christus, sub quadruplici tamen conditione et intentione, ut diximus, consideratus, est necesse unum librum ad unam tantum illarum conditionum, seu intentionum, principaliter aspicere, ad alias ex consequenti; totam vero evangelicam scripturam de his quatuor summatim agere. Ideo necessum est quatuor esse Evangelia, et quolibet eorum quadripartitum. Ex quo colligitur, quod iste liber debet habere et habet quatuor partes. In prima agit de incarnationis mysterio, usque ad quartum capitulum; in secunda, de prædicationis magisterio, usque ad vigesimumsecundum; in tertia, de passionis medicamento, usque ad vigesimumquartum; in quarta, de resurrectionis trophæo, usque in finem totius libri. Licet autem has omnes conditiones exigat ad sui perfectionem historia evangelica, Lucas tamen principaliter respicit ad Christi sacerdotium et passionis medicamentum, et hoc medico debebatur. Colligitur ergo ex verbo proposito, secundum quod convenit Christo, causa materialis sive subjectum, et formalis, quæ est formatio et ordinatio partium et capitulorum, et agendi modus in prosecutione scriptorum. Hæc autem duo optime præfigurata sunt in illo animali, quod vidit Ezechiel, et quod dicit esse quadripartitum, et rursus quodlibet illorum quatuor facierum, unius tamen principaliter : quarum prima similis erat homini, per quam intelligimus Christi naturam; alia leonis, per quam intelligimus victoriam; alia bovis, per quam intelligimus victimam; alia aquilæ, per quam intelligimus doctrinam. Hæc autem animalia, secundum omnes sanctos, designant quatuor evangelia, quia figuraliter exprimunt eorum materiam et formam. Nam sicut unum animal est quadriforme, ita de uno Christo, sub quadruplici conditione, sunt quatuor evangelia : et rursum unumquodvis illorum est quatuor facierum, quia quodlibet est quadripartitum. Et iterum : Unum, scilicet, primum, simile

Quadripartita distinctio Evangelii.

[1] *Deut.*, XVIII, 18. — [2] *Joan.*, XV, 15. — [3] *Luc.*, IV, 43. — [4] *Act.*, X, 38. — [5] *Psal.* CXLVI, 3. — [6] *Isa.*, LIII, 4, 5. — [7] *Coloss.*, II, 15. — [8] *Ephes.*, IV, 8, ex *Psal.* LXVII, 19. — [9] Arist., *de Anim*, lib. III, text. 48.

(*a*) Cæt. edit. *Lucas.*

homini, licet habeat quatuor facies: quia primus, scilicet Matthæus, principaliter prosequitur incarnationis mysterium. Secundum, simile leoni, quia secundo scribens, scilicet Marcus, resurrectionis trophæum tractat, et ex eadem parte, quia plurimum concordant. Tertium, simile bovi, quia tertio scribens, scilicet beatus Lucas, prosequitur sacerdotium, et passionis remedium. Quartum vero, simile aquilæ, quæ habet oculos limpidos, quia quarto scribens, scilicet Joannes, prosequitur evangelicum Christi magisterium, ad quod alii non potuerunt attingere, et ideo describitur super omnes. Et sic patet, quomodo veritas respondet figuræ, patent et illa sex præambula ad doctrinam Evangelicam, scilicet qualis debeat esse doctor: qualis auditor: quæ causæ efficiens: quis finis: quæ materia: et quæ forma: et ex his quædam totius Libri generalis intelligentia.

IN PRÆFATIONEM EXPOSITIO

Auctoris intentio.

1. *Quoniam quidem multi*, etc. Hic est prologus Auctoris, scilicet beati Lucæ, quem suo præmittit Evangelio, in quo suam manifestat intentionem quantum ad quatuor, scilicet quantum ad motivum, promotivum, directivum, et consummativum: in quibus sufficienter manifestatur principale intentum.

Primo ergo manifestat intentionem suam quantum ad motivum, quod quidem fuit aliorum exemplum: et hoc notat, cum dicit: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.* Inter quos quidam fuerunt boni, sicut Matthæus et Marcus, qui ante beatum Lucam scripserunt; quidam vero mali, sicut dicit Glossa Bedæ, ut Basilides, et Appelles, qui sub nomine Thomæ et Matthiæ, et aliorum apostolorum, falsa scripserunt, quia, sicut dicitur [1]: « Hujusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. » Primi conati sunt, et perfecerunt; secundi conati sunt, et defecerunt. Primi moverunt beatum Lucam exemplo boni et veri; secundi moverunt odio mali. *Ordinare narrationem*, id est ad ordinandam narrationem. *Quæ in nobis completæ sunt rerum*, id est, inter nos et propter nos, sicut mysterium incarnationis, passionis, et resurrectionis. Unde Joannes [2]: « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, » etc.

Secundum, quantum ad promotivum, quod quidem fuit apostolorum documentum; et hoc notat, cum dicit (v. 2): *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt*, scilicet apostoli. Unde *Joannes* [3]: « Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, » etc. Et [4]: « Qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis. » Et quia viderant, ideo testificabantur. Unde et subdit: *Et ministri fuerunt sermonis.* « Oportet ergo [5] ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis, usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. » Et tales erant apostoli; unde [6]: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei: hic jam quæritur, » etc.

Tertio, quantum ad directivum, qui fuit ordinatus, sufficiens et diligens processus, quem notat, cum subdit (v. 3): *Visum est et mihi*, Spiritu sancto scilicet instigante, sicut dicit Hieronymus: « Sacro instigante Spiritu, hoc scripsit Evangelium. » *Assecuto*, id est, perfecte secuto, quia a principio usque in finem. Unde et subdit: *Omnia diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Ubi simul notantur sufficientia, ordo

[1] II *Cor.*, XI, 13. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] I *Joan.*, I, 1. — [4] *Joan.*, XIX, 35. — [5] *Act.*, I, 22. — [6] I *Cor.*, IV, 11.

et diligentia : et hæc quidem competunt historico narratori. Unde [1] : « Intellectum colligere et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque inquirere, historiæ competit auctori.»

Quarto, quantum ad consummativum, quod fuit veritatis intellectus, subdit (v. 4) : *Ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem,* cognoscas scilicet plenius. Et hoc fuit, in quo quievit intentio Evangelistæ scribentis. Unde [2] : « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.» Et hunc finem ponit Lucas respectu omnium, quos intelligit in persona Theophili, cui scribit. Theophilus interpretatur *amans Dominum,* vel *amatus a Domino,* et talibus manifestatur veritas. Unde [3] : « Qui autem diligit me, diligetur a patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Et [4] : « Vos autem dixi amicos : quia omnia, quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. » Et sic patet, quam plene et luculenter aperiat Evangelista suam intentionem.

Theophilus quid.

Cæterum quod Lucas Evangelista præmittit suo Evangelio prologum, quod nemo fecit aliorum evangelistarum, hoc facit ratione specialis personæ, cui scribit; cum omnes alii generaliter sine ratione specialis personæ scripserint. Suntque ad hoc tres causæ, quarum prima est, quod liber ipsius videretur alioqui fortassis cuipiam superfluus, cum jam duo evangelistæ scripserint, et [5] « in ore duorum testium stet omne verbum. » Unde, ut hoc removeat, primo assignat primam causam, declarans illum nequaquam esse superfluum, cum ad vana, falsa et superflua resecanda, quæ scripta jam fuerant per pseudoevangelistas, ordinetur. Secunda est, quia liber posset videri minus authenticus, utpote ejus qui non fuerit apostolus : et ideo ostendit se scripsisse secundum documentum apostolorum, et testimonium eorum qui viderunt. Tertia est, quia cum sit historicus et narrativus diversarum parabolarum, posset videri inordinatus, et velut casu quodam atque fortuito conscriptus; et ideo ad hoc removendum, ostendit processum in prologo esse sufficientem, diligentem et ordinatum. Unde patet non esse curiosum inquirere et perscrutari ordinem, distinctionem et sufficientiam in prosecutione eorum, quæ in hoc evangelio conscribuntur. Nam si in aliis ordo fidem commendat, et sapientiam, et bonitatem eorum quæ scribuntur; quanto amplius illi scripturæ debet competere, quæ procedit a fonte sapientiæ, et ducit ad finem bonitatis completæ? Hæc autem est scriptura evangelica : et ideo non est curiositatis, sed utilitatis, si describantur in sequentibus divisio, ordo et sufficientia, quia hoc intenditur ab Evangelista.

Cur Lucas prologo utitur.

IN CAPUT PRIMUM.

Generalis divisio totius operis.

5. *Fuit in diebus Herodis regis,* etc. Hoc evangelium Lucæ, sicut supra dictum est, habet quatuor partes principales, in quarum prima agitur de incarnationis mysterio, usque ad tertium capitulum; in secunda vero, de eruditionis magisterio, usque ad vigesimum secundum; in tertia, de passionis medicamento, sive remedio, usque ad vigesimum quartum; in quarta, de resurrectionis trophæo, usque in finem libri. Prima pars, quæ prosequitur incarnationis mysterium, habet tres partes : explicat enim Christi nativitatem temporalem, quæ fuit triplex, scilicet in utero, quantum ad conceptum; ex utero, quantum ad partum; extra uterum, quantum ab baptismum. Pri-

Triplex Christi nativitas temporalis.

[1] II *Mach.*, II, 31. — [2] *II Tim.*, III, 16. — [3] *Joan.*, XIV, 21. — [4] *Joan.*, XV, 15. — [5] *Matth.*, XVIII, 6.

mam explicat in primo capitulo; secundam in secundo, et tertiam in tertio.

Intendit igitur in primo capitulo agere de conceptione Salvatoris; sed quia conceptum virginis præcessit conceptus sterilis, et ante Regis conceptum præcessit Præcursoris exordium; et quia utrumque divinum est, et de utroque laudandus Deus : ideo præsens capitulum duas habet partes, in quarum prima agitur de sterilis et virginis fœcundatione, in secunda vero de gratiarum actione, ibi (v. 39) : *Exurgens Maria abiit in montana.* Prima pars habet duas, in quarum prima agitur de conceptu Præcursoris; in secunda de conceptu Salvatoris, ibi (v. 26) : *In mense autem sexto,* etc. Describens autem Evangelista Præcursoris conceptum, ut ostendat ipsum esse mirificum, primo declarat parentum conditionem, secundo explicat angelicam annunciationem, ibi : *Factum est cum, sacerdotio,* etc.; tertio denunciat promissionis confirmationem, ibi : *Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde hoc* (*a*) *sciam?* quarto mirabilem promissionis impletionem, ibi : *Et factum est, ut impleti sunt dies officii sui,* etc. Describens autem parentum ipsius conditionem, quatuor explicat : primo, dignitatis officium; secundo honestatis conjugium; tertio, sanctitatis meritum sive privilegium; quarto, sterilitatis opprobrium.

Primo igitur ostendit dignitatis officium, cum dicit : *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam, nomine Zacharias.* Sacerdotale explicat officium, adjungendo regale dominium, ut insinuet quod Joannes prænunciare debebat Christum, qui erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech, id est, simul rex et sacerdos. [1] « Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, » etc. Vel ideo explicat regnum, ut ostendat tempore legis regiam potestatem præire atque præstare sacerdotio; sed nunc est e contra [2] : « Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, » etc. Sic in *Exodo* dicitur [3] : « Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. » Vel ideo explicat regnum Herodis alienigenæ, qui primus allophylorum imperavit Judæis, ut ostendat advenisse tempus adventus Christi, et impletam esse illam prophetiam Jacob patriarchæ [4] : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux, » etc. Vel ideo nominat Herodem, ut ostendat ipsum in malitia fuisse insignem. Fuit enim triplex Herodes, scilicet pater, filius, et nepos : primus Ascalonita, qui interfecit pueros; secundus Antipas, qui Joannem decapitavit; tertius Agrippa, qui occidit Jacobum, claudens in carcere Petrum. Sed primus infamior, et inter omnes crudelior : ideo, quia [5] « contra malum, bonum est, » e contra nominatur sacerdos Zacharias, ut ostendat ipsum famigeratum fuisse in bono, et Dei amicum, secundum illud [6] : « Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. » Nec tantum ex nomine ipsum famatum ostendit sacerdotem, sed etiam ex genere. Unde dicitur : *De vice Abia,* id est, de genere sacerdotum, secundum quod exponit Beda in glossa, dicens : « Cum David cultum Dei ampliaret, sicut dicitur in *Paralipomenis* [7], ministeria sacerdotum in viginti quatuor sortes divisit : inter quas familiæ Abias, de qua fuit Zacharias, sors octava [8] contigit : ut præco novi testamenti in octavæ sortis vice nasceretur, quia per octo novum testamentum intelligitur, sicut per septem vetus. »

Secundo explicat honestatis conjugium in hoc quod dicit : *Et uxor illius de filiabus Aaron.* Et ita uterque erat de genere sacerdotali, et per hoc ad conjugium apti secundum mandatum Domini [9] : « Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua; et cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipiant (*b*). » Explicat autem uxoris nomen, quia de ea frequenter sermonem

[1] *Hebr.*, VII, 1. — [2] I *Petr.*, II, 9 — [3] *Exod.*, XIX, 6. — [4] *Gen.*, XLIX, 10. — *Eccli.*, XXXIII, 15. — [6] *Exod.*, XXXIII, 12. — [7] I *Paral.*, XXIV, 3 et seq. — [8] Ibid., 10. — [9] *Num.*, XXXVI, 7.

(*a*) Cæt. edit. *hæc.* — (*b*) *Vulg.* accipient.

erat facturus : *Et nomen ejus Elisabeth*, ut in conceptu, et salutatione, et partu. Explicat autem honestatis conjugium juxta dignitatis officium, ut ex utroque commendabilior fiat conceptus. « O quam pulchra est casta generatio cum claritate [1], » etc.

Tertio describit sanctitatis privilegium in hoc quod dicit (v. 6.) : *Erant autem ambo justi ante Deum*, id est, interius in oculis Dei. [2] « Justi in perpetuum vivent : » sequitur : « Cogitatio illorum apud Altissimum. » Non enim erant de genere illorum, de quibus dicitur infra [3] : « Vos estis, qui justificatis vos, » etc.; sed similes Noe, de quo [4] : « Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit ; » et Ezechiæ, de quo [5] : « Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto. » Secundum enim quod dicitur [6], « Dominus intuetur cor. » Erant et justi exterius in conspectu hominum : et propterea dicit : *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* [7] « Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ. » Et recte dicit : *In omnibus*, quia, secundum quod dicitur [8] : « Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. » Et ideo dicebat Propheta [9] : « Ad omnia mandata tua dirigebar. » Et ibidem [10] : « Dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. »

Quarto adjungit sterilitatis opprobrium in hoc quod dicit (v. 7) : *Et non erat illis filius.* Et id erat magni opprobrii ; unde dicebat Abraham [11] : « Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam sine liberis. » Et ratio hujus redditur defectus in matre, cum dicitur : *Eo quod esset Elisabeth sterilis;* quod erat opprobrium in Israel. Unde poterat ipsa dicere illud *Isaiæ* [12] : « Ego sterilis et non pariens. » Et ut magis ostendatur miraculum, subjungitur defectus in utroque parente : *Et ambo processissent in diebus suis;* quemadmodum de Abraham et Sara legitur [13] : « Postquam consenui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? » Quasi dicat : Hoc non est naturale, sed mirabile. Unde [14] : « Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni? » Hoc autem sterilitatis opprobrium non fuit in peccati pœnam, sed ad manifestandum Dei gloriam, secundum quod dicitur [15] de cæco nato.

8. *Factum est autem*, etc. Postquam descripta est parentum conditio, describitur hic secundo loco angelica denunciatio : primo, quantum ad circumstantias adjacentes denunciationi angelicæ : secundo quantum ad circumstantias adjacentes proli denuntiatæ, ibi (v. 15) : *Erit enim magnus coram Domino*, etc. Tria autem fuerunt adjacentia promissioni, scilicet executio sacerdotalis officii; apparitio cœlestis nuntii; denunciatio conceptus futuri. De primo, ibi : *Factum est autem, cum sacerdotio*, etc. De secundo, ibi (v. 11) : *Apparuit autem illi Angelus Domini.* De tertio ibi (v. 13) : *Ait autem ad illum Angelus.*

Primo ergo describitur executio sacerdotalis officii debito modo, quia secundum congruentiam ordinis, exigentiam consuetudinis, et assistentiam devotæ multitudinis. Insinuans ergo primo executionem debitam secundum congruentiam ordinis, dicit : *Factum est autem, cum sacerdotio*, etc. Unde sibi competit illud quod de Aaron dicitur [16] : « Factum est illi in testamentum æternum, et semini ejus, sicut dies cœli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificari populum suum in nomine suo, » etc. Et dicit : *In ordine*, quia illud debet maxime fieri ordinate [17] : « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis. » Tunc au-

[1] *Sap.*, IV, 1. — [2] Ibid., V, 1. — [3] *Luc.*, XVI, 15. — [4] *Gen.*, VI, 9. — [5] IV *Reg.*, XX, 3. — [6] I *Reg.*, XVI, 7. — [7] *Philip.*, II, 14. — [8] *Jac.*, II, 10. — [9] *Psal.* CXVIII, 128. — [10] Ibid., 5. — [11] *Gen.*, XV, 2. — [12] *Isa.*, XLIX, 21. — [13] *Gen.*, XVIII, 12. — [14] Ibid., XXI, 7. — [15] *Joan.*, IX, 3. — [16] *Eccli.*, XLV, 19. — [17] I *Cor.*, XIV, 40.

tem recte servatur ordo, quando mens sacerdotis digne assistit conspectui divino; et ideo dicit : *In ordine,* secundum quod de Christo dicitur [1], quod « introivit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. » Insinuat et eam debitam secundum exigentiam consuetudinis, cum dicit (v. 9) : *Secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit ut incensum poneret.* Hæc enim consuetudo, ut non usurpatione, sed sorte vel electione pontifex introiret, est recta, quia dicitur [2] : « Nec quisquam sumit sibi honorem, » etc. Contra quod quidem dicitur de Ozia, quod volens incensum ponere, percussus est lepra; et filii Chore consumpti sunt igne. Hic autem sorte exiit; unde [3] : « Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. » *Exiit,* inquam, *ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.* [4] « Assumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta : ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum quod est supra testimonium, et non moriamur. » Tertio insinuat eam debito modo esse factam propter assistentiam multitudinis, cum dicit (v. 10) : *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Omnes debebant offerenti assistere, et pariter orare, secundum quod dicitur [5] : « Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. » Et foris stabant propter reverentiam, ut ille publicanus [6] : « Publicanus a longe stans, nolebat, » etc. Et hoc *hora incensi,* quia illa erat hora apta [7] : « Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium. » In quo signatur, quod omnis nostra oratio debet offerri per Christum, qui [8] exauditur in omnibus « pro sua reverentia. »

11. *Apparuit autem illi angelus,* etc. Tangitur hic apparitio cœlestis nuntii, et hoc ut venerabilis, ut admirabilis, et ut terribilis. Ostenditur autem venerabilis in situ, propter quod dicit : *Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi :* qui scilicet erat locus magnæ reverentiæ. Unde in *Levitico* [9] interfecti sunt Nadab et Abiu propter loci irreverentiam; et statim subditur : « Sanctificabor in his, qui appropinquant. » *Et a dextris stabat :* ut significaretur quod de cœlestibus civibus erat [10] : « Longitudo dierum in dextera ejus. » Et in *Psalmo* [11] *:* « Dixit Dominus Domino meo, etc. *Et stabat,* non autem sedebat, ut ostendatur quod nuntius erat. Unde infra dicit [12] : « Ego sum Gabriel, qui sto (*a*) ante Deum. » Ostenditur admirabilis in aspectu, et propterea dicit (v. 12) : *Et Zacharias turbatus est videns,* scilicet ex admiratione. [13] « Vidi te, Domine mi, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. » Aspectus namque angelicus carnalibus admirabilis est, quia insolitus. Unde Angelus ad Manue [14] : « Cur quæris nomen meum, quod est admirabile? » Ostenditur terribilis ex occursu; et propterea dicit : *Et timor irruit super eum.* In quo signatur vehementia timoris; sicut Daniel [15] : « Vidi autem ego Daniel solus visionem. Porro viri, qui erant mecum, non viderunt : sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum : ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc : et non remansit in me fortitudo. » Ad hæc angeli terribiles apparebant, quia nondum erant nobis reconciliati. Unde superiores nobis erant, et ut superiores apparebant, et ideo timorem incutiebant. Ambrosius [16] : « Solemus turbari, et a sensu nostro alienari, quando præstringimur superioris potestatis occursu. »

[1] *Hebr.*, IX, 24. — [2] *Hebr.*, V, 2. — [3] *Sap.*, III, 14. — [4] *Levit.*, XVI, 12, 13. — [5] *Act.*, I, 14. — [6] *Luc.*, XVIII, 13. — [7] II *Mach.*, I, 23. — [8] *Hebr.*, V, 7. — [9] *Levit.*, X, 2, 3. — [10] *Prov.*, III, 16. — [11] *Psal.* CIX, 2. — [12] *Luc.*, I, 19. — [13] *Esth.*, XV, 16. — [14] *Judic.*, XIII, 18. — [15] *Dan.*, X, 7. — [16] Ambros., *in Luc.*, lib. I, n. 28.

(*a*) *Vulg.* asto.

13. *Ait autem ad illum Angelus.* Tangitur hic tertio denunciatio futuri conceptus, ut confortativa irascibilis, ut instructiva rationalis, et consolativa concupiscibilis. Ostenditur confortativa in hoc quod dicit : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Si Deus exaudit homines, tunc sperandum est in ipso, et ideo confidendum, non formidandum [1] : « Noli timere, Abraham : ego protector tuus sum. » Et quod omnino sit exaudita, signum est missio nuntii [2] : « In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei : et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, » etc. Simile dixit Angelus Danieli [3] : « Quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. » Describitur instructiva rationalis (*a*) ; unde prænuntiat (*b*) prolem, et prædicit nomen : *Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Pariet,* inquam, *tibi*, quia de te ad tuam consolationem. Juxta quod promissum est Abrahæ [4] : « Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. » Deinde subjungit : *Et vocabis nomen ejus Joannem,* secundum illud *Isaiæ,* quod dicitur sub persona ipsius Joannis [5] : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. » Describitur postremo ut consolativa in hoc quod dicitur (v. 14) : *Et erit gaudium tibi, et exultatio.* Exultat gaudio pater justi, id est, Zacharias pater Joannis. Et [6] : « Qui sapientem genuit, lætabitur in eo. » [7] « Filius sapiens lætificat patrem. » Nec erit illud gaudium singulare, sed commune. Et propterea dicit : *Et multi in nativitate ejus gaudebunt.* [8] « In multiplicatione justorum lætabitur vulgus. » Hieremias [9] : « Erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ. » Ambrosius [10] : « Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune bonum est. Justitia enim communis est virtus. » « Exultate ergo [11], justi, in Domino; rectos decet collaudatio. »

15. *Erit enim magnus coram Domino.* Supra notificata est denuntiatio angelica quantum ad circumstantias ex parte promissi : commendatur enim filius nasciturus in tribus, scilicet, in vita, gratia, et doctrina. Et primum respicit actum; secundum respicit officium; tertium respicit intellectum. Primum ibi : *Erit enim magnus coram Domino.* Secundum ibi : *Et Spiritu sancto replebitur.* Tertium ibi (v. 16) : *Et multos filiorum Israel,* etc. Nasciturum igitur filium, quem patris dixit esse gaudium, primum commendat in vita, quantum ad existentiam veritatis, et quantum ad evidentiam sanctitatis. Existentiam veritatis tangit, cum dicit : *Erit enim magnus coram Domino :* sicut Job [12] : « Erat vir ille magnus inter omnes orientales : » non inter peccatores, qui sunt magni in conspectu hominum; sed inter justos, ita ut in ejus ortu possit dici illud, quod inferius scribitur [13] : « Propheta magnus surrexit in nobis, » etc. Vere magnus propheta, quia, secundum laudem Salvatoris [14], ipse erat « propheta, et plusquam propheta, » et adeo magnus, ut dicat ibidem Salvator [15] : « Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista, » etc. Evidentiam sanctitatis tangit in hoc quod dicit : *Et vinum et siceram non bibet.* In quo designatur vitæ austeritas, quæ signum est sanctitatis interioris, secundum illud [16] : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, » etc. Per ista autem duo excludit omnem potum qui potest inebriare. Decet enim vas, cœlestis gratiæ mancipatum, a sæculi illecebris abstinere. Unde dicitur Aaron, et filiis ejus [17] : « Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis

Vitæ sterit inter ris sa titatis gnum

[1] *Gen.*, xv, 1. — [2] *Tob.*, iii, 24, 25. — [3] *Dan.*, x, 12. — [4] *Gen.*, xv, 4. — [5] *Isa.*, xlix, 1. — [6] *Prov.*, xxiii, 24. — [7] *Prov.*, x, 1. — [8] Ibid., xxix, 2. — [9] *Jerem.*, xxxiii, 9. — [10] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 30. — [11] *Psal.* xxxii, 1. — [12] *Job*, i, 3. — [13] *Luc.*, vii, 16. — [14] *Matth.*, xi, 9. — [15] Ibid., ii. — [16] *Gal.*, v, 24. — [17] *Levit.*, x, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* rationis. — (*b*) *Item* pronuntiat.

in tabernaculum testimonii, ne moriamini. » Hoc etiam prohibebatur nazaræis a tempore consecrationis sui. Magnum erat hoc in beato Joanne, ut, cum multa innocentia, esset tanta abstinentia. Secundo commendat eum in gratia quantum ad consummationem et accelerationem. Propter consummationem dicit : *Et Spiritu sancto replebitur*, ut de ipso possit dici illud [1] : « Et implebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, » etc. Solus enim Spiritus sanctus replet animæ capacitatem, secundum illud [2] : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum. » Et hoc est, quod orabat Apostolus [3] : « Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. » Propter accelerationem dicit : *Adhuc ex utero matris suæ.* In cujus rei testimonium dicitur infra : « Exultavit in gaudio infans in utero meo. » Unde Ambrosius [4] : « Nondum erat in eo spiritus vitæ, et jam erat spiritus gratiæ; » non, inquam, erat secundum apparentiam, erat tamen spiritus vitalis secundum existentiam. » Simile præcessit in Hieremia [5] : « Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te. » Tertio commendat eum in doctrina, quantum ad efficaciam utilitatis, et quantum ad eminentiam auctoritatis. Propter utilitatis efficaciam dicit : *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Et hoc maximæ utilitatis [6] : « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Hoc est, quod maxime Dominus petit, ut ad se convertantur [7] : « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; et ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. » Convertimini ad me, per pœnitentiam scilicet, et ego convertar ad vos per indulgentiam. [8] « Convertimini, filii revertentes; et sanabo aversiones vestras. » Propter excellentiam auctoritatis subdit (v. 17) : *Et præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Spiritus et virtus Eliæ describitur [9] : « Surrexit Elias propheta, quasi ignis; et verbum ipsius sicut facula ardebat. » De *Joanne* dicitur [10] : « Ille erat lucerna ardens et lucens. » Et ideo propter nimiam conformitatem dicitur Elias [11] : « Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est, » etc. Et subditur executio auctoritatis in hoc quod dicitur : *Ut convertat corda patrum in filios,* id est intelligentiam patriarcharum in imitatores ipsorum. Beda : « Corda patrum in filios convertit, dum spiritualem sanctorum intelligentiam populis prædicando infundit. » Hoc prædictum erat de Elia [12] : « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, et percutiam terram anathemate. » Et ut ostendatur per omnia conformis Eliæ, subdit : *Et incredulos ad prudentiam justorum*, id est, ad fidem, quæ est ipsorum prudentia, per quam credunt se justificari : « Arbitramur enim [13] justificari hominem per fidem sine operibus legis. » Unde [14] : « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. » Et quia hæc conversio præparabat ad Christi adventum suscipiendum, ideo addit : *Parare Domino plebem perfectam.* Si enim prædictum fuerat de ipso [15] : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; » quando autem semita recta est, tunc facit perfectum [16] : « Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem : » Joannes autem velut lucerna lucebat, et manu ducebat populum ad videndam lucem veram, et perfectam : auctoritas igitur Joannis et officium erat præcurrere et prænuntiare Christum. Unde de ipso intelligitur illud [17] : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » Unde

Solus spiritus sanctus replet animæ capacitatem.

[1] *Isa.*, IX, 2. — [2] *Sap.*, I, 7. — [3] *Ephes.*, III, 19. — [4] Ambros., *in Luc.*, lib. I, n. 33. — [5] *Jerem.*, I, 5. — [6] *Jac.*, V, 20. — [7] *Zach.*, I, 3. — [8] *Jerem.*, III, 14. — [9] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [10] *Joan.*, V, 35. — [11] *Matth.*, XI, 14. — [12] *Joel.*, II, 31. — [13] *Rom.*, III, 2. — [14] *Habac.*, II, 4. — [15] *Isa.*, XL, 3. — [16] *Prov.*, IV, 18. — [17] *Malac.*, III, 1.

prædicatio ejus præfigurata fuit in prædicatione Moysi [1] : « Estote parati in diem tertium; » ut accipiamus diem pro anno, quia tertio anno post prædicationem Joannis, Christus aperte prædicavit. Sic exorsus est Samuel [2] : « Præparate corda vestra Domino, » etc. Sic et omnis prædicator. Unde Beda : « Qui fidem et opera prædicat, quid aliud, quam venienti Domino ad corda audientium viam præparat? »

18. *Et dixit Zacharias*, etc. Descripsit Evangelista conceptionem Præcursoris quantum ad parentum conditionem et angelicam promissionem; hic describit quantum ad promissionis confirmationem, quam describit hoc ordine. Primo enim introducitur dubietas sacerdotis; secundo auctoritas nuntii, ibi (v. 19) : *Et respondens Angelus;* tertio signum auctoritatis, ibi (v. 20) : *Et ecce eris tacens*, quarto evidentiam signi, ibi (v. 21) : *Et erat plebs expectans.* Introducit ergo dubitationem sacerdotis, cum dicit : *Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde hoc sciam :* id est, quo signo certificabor? [3] « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. » Unde nota, quod quidam signa quærunt propter publicationem divini promissi, sicut Abraham [4] : « Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim terram? » Quidam recusant propter obstinationem delicti proprii, sicut Achaz [5] : « Pete tibi signum a Domino Dèo tuo, » etc. Quidam vero requirunt propter hæsitationem animi, sicut Zacharias; unde subjungit rationem dubitandi : *Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.* Et ita impotestas ex parte utriusque parentis, et jam non est tempus generandi, sed potius, secundum illud [6] : « Tempus est longe fieri ab amplexibus. » Et ideo dubitabat, et hæsitabat. At non sic Abraham, de quo [7] : « Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum annorum esset, et emortuam vulvam Saræ. In promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere. » Unde Abraham credidit, quia consideravit divinam potentiam; sed Zacharias hæsitavit, quia consideravit solum humanam potentiam. In quo instruimur, quod in miraculis aspiciendum est in causas superiores.

19. *Et respondens Angelus dixit ei*, etc. Hic notatur nuntii auctoritas quantum ad virtutem contemplativam et quantum ad administrativam. Quantum ad contemplativam, dicit : *Ego sum Gabriel, qui asto* (*a*) *ante Deum.* [8] « Decies millies centena millia assistebant ei; » et inter hos erat Gabriel. Et ideo dixit regina Saba in figura Salomoni [9] : « Beati viri tui, et beati servi tui hic, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. » Hoc vidit Michæas [10] : « Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et sinistris. » Notatur ergo dignitas in assistendo, et notatur in hoc auctoritas in denuntiando. Quantum ad ministerium missionis, dicit : *Et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.* Unde de numero illorum erat, de quibus scriptum est [11] : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, » etc.? Missus, inquam, et loqui, et evangelizare (*b*). In loquela enim est intelligenda expressio veritatis [12] : « Ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et locutus est mihi. » In evangelizatione vero intelligenda est denuntiatio bonitatis : evangelium enim est bona nuntiatio [13] : « Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. » Unde debebat ei dicere illud [14] : « Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. » Gabriel enim

[1] *Exod.*, XIX, 11. — [2] I *Reg.*, VII, 3. — [3] I *Cor.*, I, 22. — [4] *Gen.*, XV, 8. — [5] *Isa.*, VII, 11. — [6] *Eccle.*, III, 5. — [7] *Rom.*, IV, 19, 20. — [8] *Dan.*, VII, 10. — [9] III *Reg.*, X, 8. — [10] II *Paral.*, XVIII, 18. — [11] *Hebr.*, I, 14. — [12] *Dan.*, IX, 21. — [13] *Zach.*, I, 13. — [14] III *Reg.*, I, 42.

(*a*) Cæt. edit. *sto.* — (*b*) *Item* explicare.

itudo fortitudo Dei interpretatur, et ideo missus fuit confortare pavidum sacerdotem.

20. *Et eceeris tacens, et non poteris loqui.* Hic tangitur signum auctoritatis; et pro signo pœnam infligit propter vitium incredulitatis. Præmittit ergo taciturnitatis signum usque ad tempus statutum, videlicet : *Usque in diem, quo hæc fiant* : ut sic posset dicere illud [1] : « Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus, » etc. Nec mirum, si mutus factus est propter incredulitatem propriam, cum Ezechielem mutum fecerit incredulitas aliena [2] : « Eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. » Et ideo subdit rationem taciturnitatis, vitium scilicet incredulitatis : *Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* E contra dicitur infra de Maria : « Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. » Ante pœnam non credidit, sed post, quia, sicut dicitur [3] : « Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. » Non ergo contemnenda sunt verba nuntiorum Dei, quia Deus incredulos punit [4] : « Ecce ego mitto angelum meum. » Et sequitur : « Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris (*a*). » Si enim [5] « qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. » Et ideo non est locus incredulitatis.

21. *Et erat plebs*, etc. Hic tangitur quarta evidentia signi, per præsentiam multitudinis expectantis, et absentiam sermonis. Primam tangit dicens : *Et erat plebs expectans Zachariam, et mirabantur, quod tardaret in templo.* Ad populum enim pertinet expectare. Unde Moyses, cum ascenderet in montem, dixit senioribus [6] : « Expectate hic, donec revertamur ad vos. » Quia, secundum quod dicitur [7] : « Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. » Plebis est etiam admirari divina secreta, non perscrutari. Unde dicitur de justo, et potest exponi de Zacharia [8] : « Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit illum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput, et mirati sunt in illo multi. » Quantum ad absentiam sermonis, subdit (v. 22) : *Egressus autem non poterat loqui ad illos.* Hoc enim solet accidere his, qui elevantur in apicem contemplationis [9] : « Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. » Et Daniel [10] : « Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium : et quomodo poterit servus domini mei eloqui cum domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur. » Et ideo ex hoc, tanquam ex signo, venerunt in notitiam veritatis. Propter quod sequitur : *Et cognoverunt, quod visionem vidisset in templo ;* et ita, quod esset verus propheta, sicut Samuel, de quo [11] : « Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. » Ad perfectam autem signi evidentiam notatur loquendi impossibilitas et diuturnitas, in hoc quod addit : *Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.* Ambrosius [12] : « Sine voce actus corporales indicare moliens, nec exprimens voluntatem. » Permansit mutus, in signum quod in adventu Christi silentium debebat imponi sacerdotio legali [13] : « Omnes enim prophetæ, et lex usque ad Joannem prophetaverunt. » Ideo dicit Chrysostomus de Joanne, quod est apostolorum vox silentium prophetarum.

Contemplationis apex mutos facit.

[1] *Psal.* XXXVII, 14. — [2] *Ezech.*, III, 26. — [3] *Isa.*, XVIII, 19. — [4] *Exod.*, XXIII, 21. — [5] *Hebr.*, II, 2 et seq. — [6] *Exod.*, XXIV, 14. — [7] *Thren.*, III, 26. — *Eccli.*, XI, 13. — [9] *Exod.*, IV, 10. — [10] *Dan.*, X, 16 et seq. — [11] I *Reg.*, III, 20. — [12] Ambros., *in Luc.*, lib. I, n. 41 : « Quid est nutus, nisi quidam sine voce actus, » etc. — [13] *Matth.*, XI, 13.

(*a*) Item *peccaveritis*.

23. *Et factum est, ut impleti sunt*, etc. Superius descripsit Evangelista Præcursoris conceptionem quantum ad parentum conditionem, angelicam denunciationem, et denunciationis confirmationem. Hic postremo describit quantum ad denunciationis consummationem, sive impletionem. Circa quod quatuor nobis breviter explicantur, scilicet mutua cohabitatio, fœcunda conceptio, verecunda occultatio, et lætabunda exultatio. Primum respicit legem conjugii; secundum, virtutem miraculi; tertium, recordationem præcedentis opprobrii : quartum, recognitionem præcentis beneficii. Insinuatur ergo primo mutua cohabitatio, cum dicit : *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam*, scilicet, ad cohabitandum et reddendum debitum uxori. Unde Chrysostomus : « Quod eadem nocte filium genuit. » Hoc autem fecit conjugii lege [1] : « Nolite fraudare invicem, nisi forte ad tempus, ex consensu, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in id ipsum.» Et ideo quamdiu Zacharias dies officii implebat, ad uxorem non accedebat [2] : « Sacerdotes quoque et populus, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.» Et ex hac causa dicunt Hebræi Ozam percussum, quia nocte uxorem cognoverat, quando tetigit arcam. Non enim licebat ab amplexu Liæ ad Rachelem immediate transire, sicut dicitur ad Jacob [3] : « Imple hebdomadam dierum hujus copulæ. » Secundo insinuatur fœcunda conceptio, cum dicit (v. 24) : *Post hos autem dies concepit Elisabeth*; sicut dicitur [4] : « Post circulum dierum concepit Anna. » *Post hos autem dies*, videlicet officii; in quo ostenditur, quod carnalia postponenda sunt spiritualibus, et ideo infra [5] : « Maria optimam partem elegit. » Tertio describitur verecunda occultatio, cum dicitur : *Et occultabat se mensibus quinque*. Hoc enim erat signum humilitatis et pudicitiæ. Non sicut Agar ancilla, de qua dicitur [6] : « Quæ concepisse se videns, despexit dominam suam. » Ratio hujus bene redditur in Glossa Ambrosii [7]. Sed spiritualiter erudimur, quod sancti propositi conceptio est in principio occultanda, sicut dicitur [8] : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : » ubi Gregorius [9] : « Thesaurus inventus absconditur, ut servetur : quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humana laude non abscondit. »

Carnalia spiritualibus postponenda.

25. Quarto tangitur lætabunda exultatio in recognitione beneficii, ibi : *Quia sic mihi fecit Dominus*. Simile illud [10] : « Risum fecit mihi Deus : quicumque audierit, corridebit mihi. » *In diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines :* opprobrium scilicet sterilitatis. [11] Concepit Rachel, et peperit filium, dicens : « Abstulit Deus opprobrium meum. » Erat opprobrium inter homines propter illud [12] : « Non erit apud te sterilis utriusque sexus. » Unde dicitur, quod æmula Annæ [13] « affligebat eam, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam ejus. » Et propter hoc gaudebat, secundum illud [14] : « Qui habitare facit sterilem in domo, matrem, » etc.

26. *In mense autem sexto missus est angelus Gabriel*, etc. Egit Auctor supra de conceptione Præcursoris, quæ fuit per fœcundationem sterilis; in hac parte agit de conceptione Salvatoris, quæ fuit per fœcundationem virginis. Hæc autem fœcundatio facta est, Deo destinante, angelo nuntiante, et virgine consentiente, ut reparatio lapsui responderet, sicut dicit Bernardus [15] : « Placuit Deo eodem modo et ordine sibi reconciliare hominem, quo noverat cecidisse. » Ideo pars ista habet tres partes, et in prima insinuatur destinatio nuntii a Deo; in secunda, executio ministerii ab Angelo, ibi (v. 28) :

[1] I *Cor.*, VII, 5. — [2] *Exod.*, XIX, 22. — [3] *Gen.*, XXIX, 27. — [4] I *Reg.*, I, 20. — [5] *Luc.*, X, 42. — [6] *Gen.*, XVII, 4. — [7] Ambros., *in Luc.*, lib. I, n. 43. — [8] *Matth.*, XIII, 44. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XI, n. 1. — [10] *Gen.*, XXI, 6. — [11] Ibid., XXX, 23. — [12] *Deut.*, VII, 14. — [13] I *Reg.*, I, 6. — [14] *Psal.* CXII, 9. — [15] Bern., super *Missus est*, hom. II.

Et ingressus Angelus ad eam; in tertia assecutio propositi, mediante consensu virgineo, ibi (v. 38) : *Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla*, etc. Destinatio autem nuntii describitur debito modo facta, ex parte temporis, legati, loci, et personæ ad quam mittitur nuntius Dei. Congruentiam temporis insinuat, cum dicit : *In mense autem sexto*, scilicet a conceptione Joannis, qui fuit martius : in quo mense et homo, et mundus fuerat conditus, in quo etiam per Christi incarnationem erat reparandus, ut sic reparatio responderet primæ conditioni, ut impleri videatur illud [1] : « Sicut cœli novi et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, et (*a*) nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato : veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea. » Nec etiam senarius numerus vacat a mysterio : quia enim perfectus est, ideo homo, inter cætera opera Dei perfectus, sexto die est conditus. Ideo et Christus venit sexta ætate, et sexto numero annorum, et sexto mense conceptus : et sexta feria passus, et sexta hora in cruce suspensus : ut sic significaretur advenisse in plenitudine temporum, et perfectione, qui conceptus est sexto mense. Ait [2] : « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, » etc. Congruentiam legati notat, cum dicit : *Missus est angelus Gabriel a Deo*, ut sic respondeat reparatio lapsui : ut quemadmodum homo lapsus est per suggestionem angeli mali, sic resurgat per ministerium boni. [3] « Nuncius impii cadit in malum; legatus fidelis, sanitas. » Respondeat etiam impletio promissioni, ut sicut per Gabrielem mysterium illud prædictum fuit Danieli, sic apertum fuit Virgini [4] : « Ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me. » Sequitur : « Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur (*b*) prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. » Et nota, quod ab ipso Deo, teste Bernardo [5], mitti perhibetur, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto duntaxat archangelo Gabriele : et quia a Deo erat, denuntiationi divini mysterii congruebat. Congruentiam loci notat in hoc quod ait : *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*, juxta quod prædixerat Dominus per *Isaiam* [6] : « Aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. » In hoc ergo, quod in civitatem Galilææ missus est, quæ erat confinium Judæorum et gentium, signatur, quod illum venit annuntiare, qui promissus fuerat Abrahæ [7] : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Et Jacob [8] : « Ipse erit expectatio gentium. » In hoc quod civitas illa Nazareth vocatur, quæ *flos* interpretatur, signatur quod illum veniebat nuntiare, qui [9] *flos* est *campi*, *et lilium convallium*. [10] « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, » etc. Unde hic dicit Hieronymus [11], quod secundum hebraicam veritatem habetur : « Et Nazaræus de radice ejus crescet. » Igitur [12] « a Nazareth potest aliquid boni esse, » imo flos omnis boni. Congruebat in flore florem concipi, in flore nutriri, in florum tempore, id est, in vere et martio nuntiari. Unde Bernardus [13] : « Florigeram amat patriam flos de radice Jesse. » Et ideo poterat jam decantare [14] : « Flores apparuerunt in terra. » Congruentiam personæ innuit, cum dicit : *Ad virginem desponsatam*; cujus congruentia osten-

[1] *Isa.*, LXVI, 22 et seq. — [2] *Galat.*, IV, 4. — [3] *Prov.*, XIII, 17. — [4] *Dan.*, IX, 21. — [5] Bern., super *Missus est*, hom. I, non procul a princ. — [6] *Isa.*, IX, 1. — [7] *Gen.*, XXII, 18. — [8] *Gen.*, XLIX, 10. — [9] *Cant.*, II, 1. — [10] *Isa.*, XI, 1. — [11] Hieron., *ad Pammach.*, *Epist.* CI, post med. — [12] *Joan.*, I, 46. — [13] Bern., sup. *Missus est*, hom. I. — [14] *Cant.*, II, 12.

(*a*) *Cæt. edit. deest* et. — (*b*) *Cæt. edit.* consumeretur.

ditur pudica, cum dicit : *Virginem.* [1] « Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. » Bernardus [2] : « Missus est ad virginem : virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam. » Ostenditur et probata, cum dicit : *Desponsatam viro, cui nomen erat Joseph,* etc.; ut scilicet Joseph *vir justus,* secundum quod dicitur [3], esset testis castitatis ipsius, secundum illud [4] : « Vir ejus laudavit eam. « Bernardus [5] : « Virum nominat, non quia maritus ejus, sed quia homo virtutis et justus erat » : et ideo erat testis legitimus. Bernardus [6] : « Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis. » Alioquin quo modo pepercisset justus adulteræ? Quia [7] « zelus et furor viri non parcet in die vindictæ. » Ostenditur etiam promissa, in hoc quod dicit : *De domo David.* Quod refertur ad Virginem et ad Joseph : quia uterque fuit de semine David cui facta erat repromissio [8] : « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : De fructu ventris tui, » etc. Bernardus [9] : « Ambo erant de domo et familia David. Sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David; altero tantum teste, et conscio, scilicet ipso Joseph. » Ostenditur et prænominata, in hoc quod dicit : *Et nomen virginis Maria.* Maria enim *stella maris* interpretatur, et sic ostenditur impleta illa prophetia Balaam (*a*) [10] : « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. » Et alio loco [11] : « Quasi stella matutina in medio nebulæ. » In *Apocalypsi* [12] : « Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. » Ideo ergo nominat virginem, ut ostendatur ipsam præparatam fuisse, non casu inventam. Bernardus [13] : « Non est noviter aut fortuito inventa, sed a sæculo electa, ab Altissimo præcognita, sibi præparata, sibi servata, a patribus præsignata, a prophetis promissa; quod enim Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio; apertius Jeremias præcecinit de fœmina et viro; Isaias, de virgine et domo; Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem salutando.» Vel ideo nominat Virginem, ut nos doceat nomen ipsius in necessitatibus invocare. Unde Bernardus [14] : « Quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare quam super terram ambulare, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si aut ira, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, baratro desperationis incipias absorberi, respice ad Mariam. Ipsa tenente, non corruis : ipsa protegente, non metuis : ipsa duce, non fatigaris : ipsa propitia, pervenis. » Vel ideo nominat, ut insinuet nomen ejus mysterio plenum, secundum triplicem interpretationem per quam triplicem statum intelligimus salvandorum : activos, per mare amarum; contemplativos, per stellam; prælatos, per dominium.

Maria stella maris.

28. *Et ingressus Angelus,* etc. Postquam descripta est destinatio nuntii, hic describitur executio ministerii, quæ quidem fuit in denunciatione conceptus futuri : in qua procedit Angelus, tanquam bonus rhetor, valde ordinate, et Evangelista explicat perfecte. Præmittitur enim primo salutationis ingressus; secundo additur narrationis processus, ibi (v. 30) : *Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria.* Subjungitur tertio conclusionis termi-

[1] I *Cor.*, VII, 34. — [2] Bern., sup. *Missus est,* hom. II. — [3] *Matth.*, I, 19. — [4] *Prov.*, XXXI, 28. — [5] Bern., ubi supra proxime. — [6] Ibid., in fine. — [7] *Prov.*, VI, 34. — [8] *Psal.* CXXXI, 11. — [9] Bern., hom. proxime cit., post med. — [10] *Num.*, XXIV, 17. — [11] *Eccli.*, L, 6. — [12] *Apoc.*, XXII, 16. — [13] Bern., hom. proxime cit., non procul a princ. — [14] Ibid., circa fin.

(*a*) *Cæt. edit.* Balaham, *et sic deinceps.*

nus, ibi (v. 35) : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum.* Istæ enim sunt partes principales rhetoricæ, scilicet exordium, narratio et conclusio, secundum Tullium [1]. Primo ergo præmittitur salutationis ingressus; secundo additur narrationis processus, in quo introducitur primo angelus salutans, et deinde virgo auscultans, ibi : *Quæ cum audisset,* etc. Introducit ergo Evangelista angelum in suo ingressu a salutatione sumpsisse exordium : in qua salutatione captat ipsius benevolentiam, exigit confidentiam, et exhibet reverentiam. Ostendit enim eam commendabilem a bonitatis plenitudine, et ideo amabilem ; a dignitatis altitudine, et ideo venerabilem ; a laudis amplitudine, et ideo prædicabilem. Et propter hæc tria designata fuit per arcam fœderis, de qua dicitur [2], quod continebat tria, scilicet virgam Aaron, tabulas legis et manna ; ut sic ostenderetur, quod ipsa erat dulcis et amabilis per manna, venerabilis per virgam, prædicabilis et commendabilis per legem divinam. Et secundum hoc fuit in ipsa triplex excellentia, scilicet dignitatis, virtutis et charitatis [3] : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. » Ut ergo ostendat eam amabilem gratiositate, dicit : *Ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena.* Et ideo bene per Esther designata est, de qua dicitur [4], quod « erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, et amabilis » videbatur. Unde de ipsa potest dici illud [5] : « In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. » Nec mirum, quia illum erat conceptura, de quo dicitur [6] : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. » Et ideo post subditur : « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Ut autem ostendat venerabilem ex dignitate, addit : *Dominus tecum.* Discrete dictum est, quia excellenti et singulari modo, tanquam in proprio tabernaculo [7] : « Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. » Et in *Psalmo* [8] : « Dominus in templo sancto suo, » hoc est, in Virginis utero. Et rursus [9] : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio ejus, non commovebitur. » Bernardus [10] : « *Dominus tecum :* illius erat mater, cujus est Deus pater; filius paternæ charitatis erat corona tuæ castitatis. Ex quo super omnes sortiris inæstimabilem dignitatem. » Et propterea *regina* dicitur in *Psalmo* [11] : « Astitit regina a dextris tuis. » Ut ergo ostendat ipsam laudabilem ex benedictione, subjungit : *Benedicta tu in mulieribus*, propter universale remedium. Dixit David ab Abigail [12] : « Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. » *Benedicta,* inquam, *in mulieribus,* id est super omnes mulieres [13] : « Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. » Et iterum [14] : « Benedixerunt illam omnes una voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris; ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. » Vel *Benedicta a mulieribus* [15] : « Viderunt filiæ, et beatissimam prædicaverunt; reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. »

29. *Quæ cum audisset,* etc. Introduxit prius angelum salutantem ; introducit hic virginem auscultantem : in qua auscultatione ostendit virginem esse commendabilem tripliciter, in auditu scilicet, affectu, et cogitatu. In auditu commendatur modestia, cum dicit : *Quæ cum audisset*, id est, silentio et taciturnitate auscultasset, secundum illud [16] : « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. » Et sic prompta fuit ad audien-

[1] Cic., *de Invent.* — [2] *Hebr.*, IX, 4. — [3] *Eccli.*, XXIV, 24. — [4] *Esth.*, II, 15. — [5] *Eccli.*, XXIV, 25. — [6] *Joan.*, I, 14, 15. — [7] *Eccli.*, XXV, 12. — [8] *Psal.* X, 5. — [9] *Psal.* XLV, 5, 6. — [10] Bern., super *Missus est*, hom. III, ante med. — [11] *Psal.* XLIV, 10. — [12] I *Reg.*, XXV, 33. — [13] *Judith*, XIII, 31. — [14] Ibid., XV, 10, 11. — [15] *Cant.*, VI, 8. — [16] *Eccli.*, XXXII, 9.

ditur pudica, cum dicit : *Virginem.* [1] « Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. » Bernardus [2] : « Missus est ad virginem : virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam. » Ostenditur et probata, cum dicit : *Desponsatam viro, cui nomen erat Joseph,* etc.; ut scilicet Joseph *vir justus,* secundum quod dicitur [3], esset testis castitatis ipsius, secundum illud [4] : « Vir ejus laudavit eam. « Bernardus [5] : « Virum nominat, non quia maritus ejus, sed quia homo virtutis et justus erat » : et ideo erat testis legitimus. Bernardus [6] : « Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis. » Alioquin quo modo pepercisset justus adulteræ? Quia [7] « zelus et furor viri non parcet in die vindictæ. » Ostenditur etiam promissa, in hoc quod dicit : *De domo David.* Quod refertur ad Virginem et ad Joseph : quia uterque fuit de semine David cui facta erat repromissio [8] : « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : De fructu ventris tui, » etc. Bernardus [9] : « Ambo erant de domo et familia David. Sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David; altero tantum teste, et conscio, scilicet ipso Joseph. » Ostenditur et prænominata, in hoc quod dicit : *Et nomen virginis Maria.* Maria enim *stella maris* interpretatur, et sic ostenditur impleta illa prophetia Balaam (*a*) [10] : « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. » Et alio loco [11] : « Quasi stella matutina in medio nebulæ. » In *Apocalypsi* [12] : « Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. » Ideo ergo nominat virginem, ut ostendatur ipsam præparatam fuisse, non casu inventam. Bernardus [13] : « Non est noviter aut fortuito inventa, sed a sæculo electa, ab Altissimo præcognita, sibi præparata, sibi servata, a patribus præsignata, a prophetis promissa; quod enim Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio; apertius Jeremias præcecinit de fœmina et viro; Isaias, de virgine et domo; Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem salutando.» Vel ideo nominat Virginem, ut nos doceat nomen ipsius in necessitatibus invocare. Unde Bernardus [14] : « Quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare quam super terram ambulare, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si aut ira, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, baratro desperationis incipias absorberi, respice ad Mariam. Ipsa tenente, non corruis : ipsa protegente, non metuis : ipsa duce, non fatigaris : ipsa propitia, pervenis. » Vel ideo nominat, ut insinuet nomen ejus mysterio plenum, secundum triplicem interpretationem per quam triplicem statum intelligimus salvandorum : activos, per mare amarum; contemplativos, per stellam; prælatos, per dominium.

Maria stella maris.

28. *Et ingressus Angelus,* etc. Postquam descripta est destinatio nuntii, hic describitur executio ministerii, quæ quidem fuit in denunciatione conceptus futuri : in qua procedit Angelus, tanquam bonus rhetor, valde ordinate, et Evangelista explicat perfecte. Præmittitur enim primo salutationis ingressus; secundo additur narrationis processus, ibi (v. 30) : *Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria.* Subjungitur tertio conclusionis termi-

[1] I *Cor.*, VII, 34. — [2] Bern., sup. *Missus est,* hom. II. — [3] *Matth.*, I, 19. — [4] *Prov.*, XXXI, 28. — [5] Bern., ubi supra proxime. — [6] Ibid., in fine. — [7] *Prov.*, VI, 34. — [8] *Psal.* CXXXI, 11. — [9] Bern., hom. proxime cit., post med. — [10] *Num.*, XXIV, 17. — [11] *Eccli.*, L, 6. — [12] *Apoc.*, XXII, 16. — [13] Bern., hom. proxime cit., non procul a princ. — [14] Ibid., circa fin.

(*a*) *Cæt. edit.* Balaham, *et sic deinceps.*

nus, ibi (v. 35) : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum.* Istæ enim sunt partes principales rhetoricæ, scilicet exordium, narratio et conclusio, secundum Tullium [1]. Primo ergo præmittitur salutationis ingressus; secundo additur narrationis processus, in quo introducitur primo angelus salutans, et deinde virgo auscultans, ibi : *Quæ cum audisset,* etc. Introducit ergo Evangelista angelum in suo ingressu a salutatione sumpsisse exordium : in qua salutatione captat ipsius benevolentiam, exigit confidentiam, et exhibet reverentiam. Ostendit enim eam commendabilem a bonitatis plenitudine, et ideo amabilem ; a dignitatis altitudine, et ideo venerabilem ; a laudis amplitudine, et ideo prædicabilem. Et propter hæc tria designata fuit per arcam fœderis, de qua dicitur [2], quod continebat tria, scilicet virgam Aaron, tabulas legis et manna ; ut sic ostenderetur, quod ipsa erat dulcis et amabilis per manna, venerabilis per virgam, prædicabilis et commendabilis per legem divinam. Et secundum hoc fuit in ipsa triplex excellentia, scilicet dignitatis, virtutis et charitatis [3] : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. » Ut ergo ostendat eam amabilem gratiositate, dicit : *Ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena.* Et ideo bene per Esther designata est, de qua dicitur [4], quod « erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, et amabilis » videbatur. Unde de ipsa potest dici illud [5] : « In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. » Nec mirum, quia illum erat conceptura, de quo dicitur [6] : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. » Et ideo post subditur : « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Ut autem ostendat venerabilem ex dignitate, addit : *Dominus tecum.* Discrete dictum est, quia excellenti et singulari modo, tanquam in proprio tabernaculo [7] : « Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. » Et in *Psalmo* [8] : « Dominus in templo sancto suo, » hoc est, in Virginis utero. Et rursus [9] : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus ; Deus in medio ejus, non commovebitur. » Bernardus [10] : « *Dominus tecum :* illius erat mater, cujus est Deus pater ; filius paternæ charitatis erat corona tuæ castitatis. Ex quo super omnes sortiris inæstimabilem dignitatem. » Et propterea *regina* dicitur in *Psalmo* [11] : « Astitit regina a dextris tuis. » Ut ergo ostendat ipsam laudabilem ex benedictione, subjungit : *Benedicta tu in mulieribus*, propter universale remedium. Dixit David ab Abigail [12] : « Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. » *Benedicta,* inquam, *in mulieribus,* id est super omnes mulieres [13] : « Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. » Et iterum [14] : « Benedixerunt illam omnes una voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris ; ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. » Vel *Benedicta a mulieribus* [15] : « Viderunt filiæ, et beatissimam prædicaverunt ; reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. »

29. *Quæ cum audisset,* etc. Introduxit prius angelum salutantem ; introducit hic virginem auscultantem : in qua auscultatione ostendit virginem esse commendabilem tripliciter, in auditu scilicet, affectu, et cogitatu. In auditu commendatur modestia, cum dicit : *Quæ cum audisset*, id est, silentio et taciturnitate auscultasset, secundum illud [16] : « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. » Et sic prompta fuit ad audien-

[1] Cic., *de Invent.* — [2] *Hebr.*, IX, 4. — [3] *Eccli.*, XXIV, 24. — [4] *Esth.*, II, 15. — [5] *Eccli.*, XXIV, 25. — [6] *Joan.*, I, 14, 15. — [7] *Eccli.*, XXV, 12. — [8] *Psal.* X, 5. — [9] *Psal.* XLV, 5, 6. — [10] Bern., super *Missus est*, hom. III, ante med. — [11] *Psal.* XLIV, 10. — [12] I *Reg.*, XXV, 33. — [13] *Judith*, XIII, 31. — [14] Ibid., XV, 10, 11. — [15] *Cant.*, VI, 8. — [16] *Eccli.*, XXXII, 9.

non quærit modum sciendi, seu signum quod fidem faciat, sicut Zacharias, qui punitus fuit, ut supra, dicens : « Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. » Sed quærit modum faciendi, ut consentiat ,secundum illud [1] : « Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. » Rationem moventem tangit, cum dicit: *Quoniam virum non cognosco.* Id est, non cognoscituram me propono, et ita sum virgo, et mente, et carne, et proposito: ut sibi recte competat illud Rebeccæ, quod erat [2] « puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro. » Et secundum Apostolum [3], jam non cogitabat, quæ carnis erant, sed « quæ Domini sunt, ut sancta esset et corpore, et spiritu. » Et ideo non irrationabiliter quærebat, quomodo debebat prolem concipere, quæ non proponebat virum cognoscere, ut, si posset esse quod haberet simul virginitatem et fœcunditatem, tunc consensum præberet. Et quoniam dubitatio sua rationem habebat recte moventem, ideo meruit responsionem satisfacientem, quæ notatur ibi (v. 35) : *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: quasi dicat Angelus: Quæris, quomodo concipies? ad hoc respondeo, quod fœcundaberis sine corruptione, concipies sine libidine, paries sine dolore: quia non ex virili semine, sed ex Spiritus sancti virtute. Ita dictum est [4] : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est,* etc. Et recte dicit: *Spiritus sanctus superveniet in te*; id est, desursum veniet. Unde dicitur [5]: « Omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum. » Propter hoc dicitur [6] : « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. » Et ita non erit corruptio, quia de Spiritu sancto; nec etiam erit libido, quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi,* scilicet ne sentias æstum concupiscentiæ, secundum illud [7] : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Et nota trium præcedentium triplicem præcessisse figuram : quia sine virili semine, in virga Aaron fuit figurata, quæ floruit; et apud *Isaiam* [8] : « Flos de radice ejus ascendet, » etc. ; quia sine libidine, in rubo et igne, quia [9] « rubus ardebat, et non comburebatur; » quia partus sine dolore, designabatur in rore et vellere Gedeonis. Vellus enim, ut dicit Hieronymus, cum sit de corpore, nescit tamen corporis passionem : et ideo in *Psalmo* [10] : « Descendet sicut pluvia in vellus. »

Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, etc. Postquam descriptus est ingressus salutationis et processus narrationis, ponitur hic ultimo terminus conclusionis: et conclusio est, quod virgo Maria concipiat, et ex ea nascatur Filius Dei. In hac autem conclusione, primo præmittit Angelus conditionem, et deinde approbationem, et postremo utriusque subjungit rationem. Conditionem infert, cum dicit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quia enim fœcundaris virtute Spiritus sancti, non prolem viri generabis, sed prolem Dei; non peccatorem, sed sanctum [11] : « Impleatur visio et prophetia : et ungatur Sanctus sanctorum. » Si enim, quemadmodum dicitur [12], « quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est, » ergo quod nascitur de Spiritu sancto, necessario sequitur esse sanctum. Bernardus [13] : « Si diceret, *sancta caro,* vel *sanctus homo,* parum dixisse videretur : posuit ergo indefinite *sanctum,* quia quidquid fuit quod Virgo genuit, sanctum proculdubio ac singulariter sanctum fuit. » Et quia filii hominum nascuntur polluti [14] : « Omnes eramus natura filii iræ: » ideo jam non filius viri, sed filius Dei vocabitur [15] :

[1] *Prov.*, IV, 25. — [2] *Gen.*, XXIX, 17. — [3] *Cor.*, VII, 34. — [4] *Matth.*, I, 20. — [5] *Jac.*, I, 17. — [6] *Act.*, I, 8. — [7] *Cant.*, II, 3. — [8] *Isa.*, XI, 1. — [9] *Exod.*, III, 2. — [10] *Psal.* LXXI, 6. — [11] *Dan.*, IX, 24. — [12] *Joan.*, III, 6. — [13] Bern., super *Missus est* hom. IV, ante med. — [14] *Ephes.*, II, 3. — [15] *Isa.*, IX, 6.

« Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, » etc. Vocabitur ab ipso Deo [1] : « Hic est filius meus carissimus ; » et in *Matthæo* (*a*) [2] : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. » Vocabitur ab ipsis credentibus [3] : « Tu es Christus filius Dei vivi. » Et alibi [4] : « Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. » Vocabitur ab omnibus: sicut dixit Centurio [5] : « Vere filius Dei erat iste. » Approbationem autem sive confirmationem adjungit, cum dicit (v. 36) : *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Si ergo Deus dedit conceptum seni, dare potest et juveni, licet istud novum, illud jam factum. Unde in *Genesi* [6] : « Concepitque Sara, et peperit filium in senectute sua. » Et ut hoc melius constet Virgini, additur : *Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Et ita cum manifesta fuerit ejus sterilitas, jam est manifestata ejus fœcunditas. Jam ergo incipiunt signa et mirabilia fieri in terra, secundum illud [7] : « Innova signa, et immuta mirabilia. » Et ideo firmum et certum est, quod et tu Virgo jam concipies supra naturam. Et hoc est quod dicit Beda in glossa : « Ne Virgo se parere posse diffidat, accepit exemplum sterilis anus parituræ, ut discat omnia Deo esse possibilia, etiam quæ naturæ ordine videntur esse contraria. Et ideo Dominus tot sterilium conceptus præmisit, ut istum scilicet conceptum figurarent, et figurando prænuntiarent, et prænuntiando testimonium darent, et credibilem facerent. » Rationem autem hujus subjungit, cum dicit (v. 37) : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [8] « Omne quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est. » [9] « Apud Deum autem omnia possibilia sunt, » sicut dictum est Saræ [10] : « Numquid Deo quidquam est difficile ? » Bernardus [11] : « Apud Dominum idem est facere, quod loqui ; et loqui, quod velle. » Merito ergo noveris non esse impossibile omne verbum : et ideo, cum aliquid promittit Deus, sine dubitatione credendum est, quia cum omnia possit, et mentiri non possit, necesse est ut fiant illa, quæ et quo modo promittit. [12] « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit ? » Et sic ostendit Angelus conclusionem suam necessariam, ut Virgo jam nec dubitare possit, nec valeat dissentire.

38. *Dixit autem Maria*, etc. Hic ultimo ponitur assecutio propositi, quod fuit in consensu Virginis, per quem mox concepit Filium Dei. Hunc autem consensum describit debite et ordinate factum, quia ex humilitate prædisponente, et charitate perficiente, et credulitate pronuntiante. Introducit ergo primo pronuntiationem ex credulitate, cum dicit : *Dixit autem Maria.* Quia enim Angeli dictum credidit esse verum, ideo dat expresse responsum consentaneum. [13] « Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. » Et in *Psalmo* [14] : « Credidi, propter quod locutus sum. » Dicitur autem de verbo (*b*) fidei [15] : « Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus. » Quia ergo corde percepit verbum fidei, ventre concepit Filium Dei. Infra dicitur (*c*) : « Beata, quæ credidisti, » etc. Et alibi [16] : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. » Deinde sequitur præparatio ex humilitate, cum dicitur : *Ecce ancilla Domini.* Simile responsum dedit Abigail mulier prudens, cum David vellet eam in uxorem accipere [17] : « Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. » Et illa Ruth, quæ designat beatam Virginem [18] : « Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos? » Et post : « Locutus es ad cor ancillæ

[1] *Marc.*, IX, 6. — [2] *Matth.*, XVII, 5. — [3] *Matth.*, XVI, 16. — [4] *Rom.*, I, 4. — [5] *Matth.*, XXVII, 54. — [6] *Gen.*, XXI, 2. — [7] *Eccli.*, XXXVI, 6. — [8] *Eccle.*, VIII, 4. — [9] *Matth.*, XIX, 29. — [10] *Gen.*, XVIII, 14. — [11] Bern., super *Missus est*, hom. III, circa med. — [12] *Num.*, XXIII, 19. — [13] *Rom.*, X, 10. — [14] *Psal.* CXV, 10. — [15] *Rom.*, X, 8. — [16] *Luc.*, XI, 27. — [17] I *Reg.*, XXV, 41. — [18] *Ruth*, II, 10, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Cæt. edit.* Dixit autem verbo. — (*c*) *Item* dicit.

tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. » Et quia se virgo Maria humiliavit, se ad gratiam præparavit. Bernardus [1]: « Humilitas respondetur, ut sedes præparetur. » Et quia singularis humilitas, ideo et singularis fuit gratia. Unde Bernardus: « Non est magnum esse humilem in abjectione; magna prorsus et rara virtus humilitas honorata : hoc est *luminare* [2], *quod minuitur in consummatione.* » Postremo subditur consensus perfectus ex charitate, cum dicitur: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* « *Fiat,* ut dicit Bernardus [3], est desiderii signum, non dubitationis nota. » Etiam est signum assertionis, sicut in *Psalmo* dicitur [4]: « Dicet omnis populus: Fiat, fiat. » Est item affectionis, ut in *Psalmo* [5]: « Fiat manus tua, ut salvet me. » Idem enim est Verbum, et manus Patris. Et potest esse orationis verbum, ut sit desideratorium, quia ex charitate; oratorium, quia ex humilitate; assertorium, quia ex credulitate. Hæc est vox dulcissima hominibus, Angelis, et ipsi Sponso [6] : « Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. » Quod fecit, cum dixit Angelo : *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, secundum verbum tuum. Unde Bernardus [7]: « Fiat mihi, obsecro, verbum, non prolatum, ut transeat; sed conceptum, ut maneat. Fiat verbum non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris, ut verbo virtutis suæ me portet. » Porro [8] « multifariam multisque modis locutus est olim Deus patribus in prophetis. » Et aliis in corde, aliis in aure, aliis in visu, aliis in manu; mihi, oro, ut fiat juxta verbum tuum: nec volo, ut fiat mihi tantum declamatorie prædicatum, aut figuraliter signatum, aut imaginaliter somniatum: sed simpliciter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum, Verbum caro factum. Et si ita fiat, tunc potero dicere tibi, quæ dixit mulier Sareptana Eliæ [9]: « Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. » Et quoniam in tali consensu conceptus est Filius Dei, et propositum suum assecutus est Angelus, ideo sequitur: *Et discessit ab illa Angelus.* Sic enim ostendebat facto, quod Raphael Tobiæ dicebat verbo [10] : « Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit. » Et de Petro dicitur, quod ipso educto de carcere [11], «continuo discessit Angelus ab eo. » Ab ea ergo discessit Angelus, sed in ea remansit Dei Filius: discessit quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi quantum ad custodiam.[12] « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. » Isti sunt angeli beatissimi, qui custodiebant eam tanquam locum divinæ habitationis electissimum; unde etsi beneficium custodiæ sibi impenderent propter infirmitatem carnis, cultum (*a*) tamen reverentiæ exhibebant propter dignitatem matris, et sic quodam modo per ipsam ascendebant et descendebant. Unde designata fuit per illam scalam, cui Dominus erat innixus, et angeli per illam ascendebant et descendebant, quam vidit Jacob : et post sequitur [13]: « Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli, » quia nullus potest jam cœlum intrare, nisi per Mariam transeat, tanquam per portam. Sicut enim Deus ad nos venit per ipsam, ita per ipsam nos oportet redire ad Deum. Et ideo dicitur domus, porta, et scala: domus, propter Christi conceptionem; porta, propter Christi partum; et scala, propter ascensum ad Deum. Non ergo discedamus ab ea; sed ejus pedibus provoluti, semper eam salutemus : *Ave, gratia plena*, ut per eam quæ [14] « invenit gratiam et misericordiam super omnes mulieres » in conspectu illius magni Assueri, nos [15] « gratiam inveniamus

Deus multis modis locutus est.

[1] Bern., super *Missus est*, hom. IV, post med. — [2] *Eccli.*, XLIII, 7. — [3] Bern., hom. proxime cit., non procul a fine. — [4] *Psal.* CV, 48. — [5] *Psal.* CXVIII, 173. — [6] *Cant.*, II 14. — [7] Bern., ubi supra. — [8] *Hebr.* I, 1. — [9] III *Reg.*, XVII, 24. — [10] *Tob.*, XII, 20. — [11] *Act.*, XII, 10. — [12] *Cant.*, III, 7. — [13] *Gen.*, XXVIII, 12 17. — [14] *Esth.*, II, 9. — [15] *Hebr.*, IV, 16.

a) *Cæt. edit.* cultus.

et misericordiam consequamur in auxilio opportuno. »

Divisio. 39. *Exurgens autem Maria*, etc. Terminata parte illa, in qua egit de sterilis et virginis fœcundatione, hic sequitur pars secunda, in qua agit de gratiarum actione. Et juxta hunc duplicem modum, pars ista habet duas partes, in quarum prima fit gratiarum actio et laudis decantatio propter conceptum Salvatoris; in secunda, propter conceptum et partum Præcursoris, ibi (v. 57) : *Elisabeth autem impletum est tempus*, etc. Ad hoc autem, ut laudis decantatio fiat ex integro et perfecto affectu, exigitur certificatio veritatis in intellectu, et exhibitio charitatis in affectu : alterum, ut præcedens; alterum, ut consequens. Ideo prima pars habet tres, in quarum prima præmittitur testimonium prophetiæ; in secunda subditur canticum lætitiæ, ibi (v. 46) : *Et ait Maria : Magnificat anima mea*, etc.; in tertia, obsequium beneficentiæ, ibi (v. 56) : *Mansit autem Maria cum illa*, etc. Primum astruit fidem; secundum exigit spem; tertium ostendit charitatem. In descriptione autem testimonii prophetiæ procedit Evangelista hoc ordine : nam primo introducit opportunitatem testificandi; secundo testimonii veritatem, ibi (v. 43) : *Et unde hoc mihi*, etc. Ad opportunitatem autem testificandi tria concurrunt, scilicet Virginis salutantis occursus, virgineæ salutationis effectus, et Elisabeth resalutationis affectus. Primum, ibi (v. 39) : *Exurgens Maria*, etc. Secundum, ibi (v. 41) : *Et factum est, ut audivit*, etc. Tertium, ibi : *Et repleta est Spiritu sancto*, etc.

Primo igitur introducitur virginis salutantis occursus, ut festinus et familiaris. Propter festinationem ait : *Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda;* quasi dicat : Non tardavit, sed diluculo surrexit, secundum illud [1] : « Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni. » Unde sibi competit illud *Proverbiorum*, quod dicitur de muliere forti, quæ [2] « de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. » Surrexit enim, ut ministraret Elisabeth seni et debili : unde nec eam retardavit asperitas itineris, secundum quod dicitur in glossa, et littera designat, quia *abiit in montana*, et hoc *cum festinatione*, ad veritatem explorandam, sicut illi exploratores *Josue* [3] : « Ad montana conscendite. » Vel etiam cum ipso Sponso [4] : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. » Non etiam retardavit viæ prolixitas; quod notatur, cum dicitur : *In civitatem Juda*, id est, Jerusalem, ut jam possit ipsa clamare cum *Isaia* [5] : « Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. » Nec in itinere fecit moram, quia *cum festinatione*, sicut Rachel, quæ, viso Jacob [6], « festinans nuntiavit patri suo. » Spiritualiter autem datur ex hoc nobis intelligi, quod necessaria est ei festinatio, qui vult ad perfectionem attingere [7] : « Festinemus ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. » Et *ad Corinthios* [8] : « Sic currite, ut comprehendatis. » Diversum dicitur [9] de fatuis virginibus; et in *Ecclesiastico* [10] : « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. » Occursus Virginis fuit festivus et familiaris; propter quod dicitur (*a*), (v. 40) : *Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.* Intravit, inquam, ut familiariter cohabitaret.[11] « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, et gaudium. » Intrabat, non stabat foris, sicut illa mulier vaga [12], « quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. » Intravit etiam non ut litigaret, sed ut salutaret, secundum quod moris

Necessaria est festinatio volenti in requiem ingredi.

[1] *Cant.*, II, 10. — [2] *Prov.*, XXXI, 15. — [3] *Jos.*, XVIII, 15. — [4] *Cant.*, II, 8. — [5] *Isa.*, II, 3. — [6] *Gen.*, XXIX, 12. — [7] *Hebr.*, IV, 11. — [8] I *Cor.*, IX, 24. — [9] *Matth.*, XXV, 11. — [10] *Eccli.*, V, 8. — [11] *Sap.*, VIII 16, 17. — [12] *Prov.*, VII, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit.

est sanctis [1] : « Salutate invicem in osculo sancto. » Salutavit, inquam, non solum optando, sed etiam salutem in Jerusalem apportando, ut impleatur illud, quod dictum est [2] : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor, justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. » Et post : « Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. » Et nota, quod Virgo prius domum intravit, et postea salutavit : quia jam incipiebat Virgo mandatis evangelicis consentire. Nam infra dicitur [3] : « Neminem per viam salutaveritis. » Et postea subditur : « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. » Quod etiam fecit Virgo beata.

Secundo vero introducitur salutationis effectus, quæ fuit excitatio matris, et lætificatio prolis, propter matris excitationem. Unde dicitur [4] : *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth.* Salutationem namque Virginis Elisabeth audiverat, quia eam amabat. [5] « Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam. » Et in *Joanne* (*a*)[6] : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. » Item [7] : Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei. » Audivit utique verbum salutis ab ea, quæ conceperat Verbum incarnatum, in quo salus est, secundum illud [8] : « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. » Fuit ergo mater verbo Virginis excitata : fuit et proles lætificata. Unde dicitur : *Exultavit infans in utero ejus :* in quo ostenditur, quod Joannes erat amicus Sponsi præcipuus, secundum quod de ipso scribitur [9] : « Amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. » *Exultavit*, inquam, præ desiderio, sicut etiam patres [10] : « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. » *Exultavit* ad præsentiam Domini Salvatoris, quasi gestiens salutare; et assurgere jam incœpit Domino suo, cujus erat præcursor. Unde dicitur in Glossa Bedæ, quia lingua non poterat, ideo animo exultante salutat, et suæ præcursionis officium inchoat. Ecce apparet, quod Angelus dixerat [11] : « Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » Ex quo datur spiritualiter intelligi, quod propositum sanctum non potest latere, quin se manifestet, et amor interior prorumpat in opus. Unde Gregorius [12] : « Nunquam amor Dei est otiosus. »

Nec propositum, nec amor abscondi potest.

Tertio subjungitur Elisabeth salutantis affectus magnus et benignus. Propter magnitudinem dicitur : *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna.* Magnitudo namque vocis, signum est magnæ affectionis, quia voces [13] sunt notæ passionum. [14] « Adimplebit eum spiritu sapientiæ et intellectus. » Et iterum [15] : « Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino. » Ideo autem voce magna clamabat, quia illum continebat in utero, qui erat vox Verbi, secundum quod de ipso dicitur [16] : « Vox clamantis in deserto : parate viam Domini. » Cui etiam dicitur ibidem : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ : Ecce Deus vester : ecce Dominus Deus in fortitudine veniet. » Nec tam fuit vox ejus clamosa, quam devota. Unde ad exprimendam benignitatem affectus, subdit dicens (v. 42) : *Et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Benedicit Elisabeth Virgini simul et proli, ut compleat angelicam salutationem. Benedictionem sibi optat, et jam benedictam annuntiat ea benedictione, quam Dominus Abrahæ

Benedictio.

[1] *Rom.*, XVI, 16. — [2] *Isa.*, LXII, 1, 11. — [3] *Luc.*, X, 4, 5. — [4] *Luc.*, I, 41. — [5] *Cant.*, VIII, 13. — [6] *Joan.*, XIII, 47. — [7] I *Thess.*, II, 13. — [8] *Jac.*, I, 21. — [9] *Joan.*, III, 29. — [10] Ibid., VIII, 56. — [11] *Luc.*, I, 15. — [12] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIX. — [13] Arist., *de Interpret.*, lib. I, c. I. — [14] *Eccli.*, XV, 5. — [15] *Eccli.*, XXXIX, 9. — [16] *Isa.*, XL, 3, 9, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes.

promiserat [1] : « Benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. » Hanc benedictionem prædixit Isaac in figura agri [2] : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. » Hanc benedictionem confirmavit Jacob [3] : « Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ : benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum. » Hanc desiderabat, et hanc imprecabatur Moyses [4] : « Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ. » Et ideo cantemus cum David [5] : « Benedixisti, Domine, terram tuam. » Completum est etiam in Maria illud [6] : « In multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. » Benedicta fuit Jahel [7] : « Benedicta inter mulieres Jahel. » Benedicta fuit Ruth [8] : « Benedicta es a Domino, filia. » Benedicta Abigail [9] : « Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me. » Benedicta Judith [10] : « Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. » Inter has mulieres, et super has mulieres benedicta est virgo Maria, quia illarum benedictiones impletæ sunt in hac.

43. *Et unde hoc mihi, ut veniat*, etc. Præmissa opportunitate testificandi, subditur hic veritas testimonii; ad cujus explicationem tria introducit Evangelista : primum est præconium admirativum; secundum est signum approbativum; tertium vero, testimonium affirmativum. Primum tenet rationem propositionis; secundum, assumptionis; et tertium, conclusionis.

Introducit ergo præconium admirativum, cum dicit Elisabeth : *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Hoc enim est valde laudabile, et etiam admirabile, quod mulier sit mater Dei. Unde poterat dicere, sicut dixit Areuna regi David [11] : « Quid causæ est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum? » Ex quo enim facta est mater Dei, summa Domini omnium eluxit dignatio, ut qui suis pedibus alienum hospitium visitare non abhorruit. De quo quidem Virgo gloriatur, dicens [12] : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. » Quia propter dignitatem maternam est virgo Maria diligenda, veneranda, et cum omni fiducia adeunda, tanquam summæ misericordiæ mater.

Secundo subdit judicium approbationis, cum dicit (v. 44) : *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Et hoc est signum, quod [13] « diffusa est gratia in labiis tuis, » et propterea certum est, quod « benedixit te Deus in æternum. » Et ex quo infans sic supra naturam exultavit, certum est quod Dominus naturæ sibi occurrerit. Et ex quo infantulus respondet ex utero, certum est te concepisse illum, qui vocat ab utero, secundum illud [14] : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, » etc. Et rursus, ex quo puer exultavit tam mirabiliter, certum est jam consummatum esse veraciter, quod in *Isaia* dicitur [15] : « Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. » Et illud [16] : « Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus venit tibi justus et salvator. » Ex quo igitur mirabiliter exultavit Præcursor, jam certum habebat indicium (*a*), quod venerit Salvator; et quia certum habebat indicium (*a*), ideo veritati subditur testimonium, sive oraculum affirmativum, cum dicitur (v. 45) : *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ*

[1] *Gen.*, XII, 2, 3. — [2] *Gen.*, XXVII, 27. — [3] *Gen.*, XLIX, 25, 26. — [4] *Deut.*, XXVIII, 4. — [5] *Psal.* LXXXIV, 2. — [6] *Eccli.*, XXIV, 4. — [7] *Judic.*, V, 24. — [8] *Ruth*, III, 10. — [9] I *Reg.*, XXV, 33. — [10] *Judith*, XIII, 31. — [11] II *Reg.*, XXIV, 21. — [12] *Eccli.*, XXIV, 24. — [13] *Psal.* XLIV, 3. — [14] *Isa.*, XLIX, 1. — [15] *Isa.*, XII, 6. — [16] *Zach.*, IX, 9.

(*a*) *Cœt. edit.* judicium.

dicta sunt tibi a Domino. Fides enim beatam fecit. [1] « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est. » Et in *Joanne* (*a*) [2] : « Beati, qui non viderunt, et crediderunt. » Facit etiam fides bonos, quia inchoando meritum, disponit ad præmii consummationem [3] : « Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, usque in diem Jesu Christi perficiet. » Et hoc merito : et sic factum est Mariæ. Nota, quod beatificantur in Scriptura non solum credentes, sed etiam sperantes [4] : « Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus. » Item diligentes [5] : « Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt. » Item timentes [6] : « Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. » Et rursus in *Psalmo* [7] : « Beatus vir, qui timet Dominum. » Item operantes [8] : « Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. » Et infra [9] : « Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Item sustinentes [10] : « Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. » Et in *Matthæo* (*b*) [11] : « Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. » Item contemplantes [12] : « Beati viri tui, et beati servi tui hi, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. » Ex his causis fuit virgo Maria beata; ex causa etiam singulari fuit beatissima, quia concepit Filium Dei, infra [13] : « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. » Et propterea ipsamet dicit hic infra [14] : « Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » *Beata ergo quæ credidisti,* quia credendo concepisti, et concipiendo, beatitudinem omnibus quantum ad sufficientiam protulisti. Hujus figura habetur in *Genesi*, ubi dixit Lia [15] : « Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent omnes mulieres. »

49. *Et ait Maria*, etc. Post testimonium prophetiæ, sequitur cantus lætitiæ, in quo beatissima virgo Maria laudat divinam clementiam, propter excellentissimam gratiam sibi collatam. In hoc autem cantico tria notantur : primum est laudantis affectio, quam notat ibi : *Magnificat anima mea,* etc. Secundum est laudandi ratio, quam notat, cum subdit (v. 48) : *Quia respexit*, etc. Tertium, divinæ laudis ampliatio, quam notat ibi (v. 50) : *Et misericordia ejus a progenie.* Non enim est perfecta laus, nisi adsit debitus affectus, debita causa, et debitus modus.

Insinuatur ergo primo laudantis affectio ut grata, magnificando divinam virtutem, cum dicit : *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum*, id est, divinam virtutem. « Magnus enim [16] Dominus noster, et magna virtus ejus » : et ideo magno affectu debet collaudari, quia magna operatur.[17] « Ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem cœli, quia omnia opera ejus vera. » Et ad hoc invitat animam devotam [18] : « Magnificate Dominum meum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. » Tunc anima nostra vere Dominum magnificat, quando sub ipso seipsam captivat et humiliat [19] : « Quoniam magna potentia Dei solius, et a solis humilibus honoratur. » Unde virgo Maria, quia præ cæteris seipsam humiliavit, ideo cæteris altius Dominum magnificavit. Et ideo a magnificatione incepit, quia hoc competebat humilitati Virginis decantantis. Competebat etiam dignitati Dei, cujus summa humilitas non cognoscitur, nisi dignitas præcognoscatur. Unde [20] : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. » Competebat etiam intentioni (*c*) cantantis, quæ est, ut Dominus perfecte laudetur [21] : « Glorificantes Dominum, quantumcumque potue-

[1] *Matth.*, XVI, 17. — [2] *Joan.*, XX, 29. — [3] *Philip.*, I, 6. — [4] *Psal.* XXXIX, 5. — [5] *Eccli.*, XLVIII, 11. — [6] Ibid., XXV, 25. — [7] *Psal.* CXI, 1. — [8] *Joan.*, XIII, 17. — [9] *Luc.*, XI, 28. — [10] I *Petr.*, III, 14. — [11] *Matth.*, V, 11. — [12] III *Reg.*, X, 8. — [13] *Luc.*, XI, 29. — [14] Ibid., I, 48. — [15] *Gen.*, XXX, 13. — [16] *Psal.* CXLVI, 5. — [17] *Dan.*, IV, 34. — [18] *Psal.* XXXIII, 4. — [19] *Eccli.*, III, 21. — [20] *Philip.*, II, 7. — [21] *Eccli.*, XLIII, 32.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannis. — (*b*) *Item* Matthæus. — (*c*) *Item* intentione.

ritis; supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. » Competebat etiam Mariæ cantanti, quia de magnis, imo de maximis beneficiis erat. Unde [1] : « Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta prædicent. » Et infra [2] : « Quia fecit mihi magna, » etc. Competebat et ordinato progressui, qui est a timore inchoando. Unde [3] : « Initium sapientiæ timor Domini. » Timor autem reverentiæ Dominum magnificat.

Insinuatur etiam laudantis affectio ut jucunda, exultando in divina salute, cum subditur (v. 47) : *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, id est in Deo Salvatore, ut possit dicere illud [4] : « Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo. » Et rursum [5] : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Vere jam dicere poterat illud [6] : « Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. » Jam verificatum est in Maria, quod optabat [7] : « Exultent et lætentur in te omnes quærentes te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. » Quoniam ergo virgo Maria Dominum quæsivit, et salutare dilexit; ideo anima ejus Dominum magnificat, et spiritus ejus in salutari Dei exultavit. Unde sibi illud Annæ competit [8] : « Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cor meum in Deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo. » Et nota, quod *spiritus* accipitur pro substantia animæ [9] : « Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. » Et [10] : « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » Alibique [11] : « Nam si orem lingua, spiritus meus orat, » etc. Hic autem accipitur pro anima secundum suum supremum, et anima accipitur in comparatione ad corpus, sicut [12] : « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi conservetur. » Quia enim spiritus interius exultaverat, ideo anima in voce magnificabat; et ideo exultationem de præterito, et magnificationem de præsenti ponit, quia exultatio est natura prior.

48. *Quia respexit humilitatem*, etc. Postquam descripta est laudantis affectio, sive devotio, subditur laudandi ratio, quæ sumitur ex duplici causa : prima est beneficium gratiæ, quæ fecit ipsam amabilem Deo; secunda est, quod fecit ipsam laudabilem hominibus, quia amabilem Deo. Dicit ergo : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Præcessit hujus figura in Lia, quæ in conceptu prolis dixit [13] : « Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. » Et humilitas fuit dispositio ad respectum gratiæ [14] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » Quia, sicut dicitur in *Psalmo* [15], « excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. » Unde de viro justo [16] : « Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius. » Et ideo orabat Propheta in *Psalmo* [17] : « Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. »

Fecit et laudabilem hominibus illud gratiæ beneficium ; et propterea addit : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, tam viri, quam mulieres [18] : « Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, et laudavit eam. » Fuit autem virgo Maria beata propter meritum castitatis [19] : « Beati immaculati in via. » Et [20] : « Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. » Et [21] : Felix est sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in de-

[1] *Prov.*, VIII, 6. — [2] *Luc.*, I, 49. — [3] *Psal.* CX, 10. — [4] *Psal.* XXXIV, 9. — [5] *Psal.* LXXXIII, 3. — [6] *Cant.*, I, 3. — [7] *Psal.* XXXIX, 17. — [8] I *Reg.*, II, 1. — [9] *Malach.*, II, 15. — [10] *Rom.*, VIII, 16. — [11] I *Cor.*, XIV, 14. — [12] I *Thess.*, V, 23. — [13] *Gen.*, XXIX, 32. — [14] *Isa.*, LXVI, 2. — [15] *Psal.* CXXXVII, 6. — [16] *Eccli.*, XI, 13. — [17] *Psal.* XXIV, 16. — [18] *Prov.*, XXXI, 28. — [19] *Psal.* CXVIII, 1. — [20] *Apoc.*, XVI, 15. — [21] *Sap.*, III, 3.

licto. » Fuit etiam beatior propter consilium virginitatis[1] : « Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. » Fuit et beatissima propter privilegium fœcunditatis, ob quod cæteræ mulieres beatissimam eam prædicant [2] : « Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt. »

Secunda ratio laudandi, est miraculum potentiæ, quod fuit magnum et pium. Fuit magnum ; propterea dicit (v. 49) : *Quia fecit mihi magna quia potens est.* Hoc refertur ad incarnationis mysterium, sicut dicit Beda in Glossa. Et de hoc dicitur [3] : « Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. » Incarnationis mysterium est magnum et imperscrutabile, et ideo admirabile, et hoc fecit *qui potens est*; quia in rebus mirabilibus, ut dicit Augustinus [4], « tota ratio facti est potentia facientis. » [5] « Omne, quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est; nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis ? »

Fuit etiam pium, et propterea dicit : *Et sanctum nomen ejus.* Unde sancta et pia facit, ut sanctificatio nominis ipsius ostendatur [6] : « Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum. » Et *Psalmus* [7] : « Sanctum et terribile nomen ejus. » Et ratio hujus præponitur : « Redemptionem misit populo suo. » Et quia nomen ejus decet sanctitudo, ideo oramus [8] : « Sanctificetur nomen tuum. » Et rursus [9] : « Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem (*a*) dierum. » De his duobus, scilicet magnitudine et pietate, [10] « manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. » Magnum quippe, ratione divinitatis ; sanctum, ratione assumptæ humanitatis, supra, eodem capite : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et ideo Virgo in conceptione fuit magnificata et sanctificata [11] : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » Et hæc duo respondent duobus præmissis : quia magnificata et sanctificata, ideo magnificavit et exultavit : ideo optime rationem reddit.

50. *Et misericordia ejus,* etc. Postquam descripta est laudantis affectio et laudandi ratio, subditur hic tertio divinæ laudis ampliatio ; et hoc consistit in commendatione divinæ misericordiæ, quantum ad opus redemptionis humanæ jam in conceptione Virginis inchoatæ. Opus autem redemptionis nostræ est declarativum misericordiæ et potentiæ, quia est manifestativum largitatis et veritatis : misericordiæ, in reparatione hominis lapsi ; potentiæ, in prostratione diaboli ; largitatis, in missione Spiritus sancti ; veritatis, in adimpletione promissi.

Primo igitur laudat Dominum suum in opere redemptionis, secundum quod est manifestativum misericordiæ. Unde dicit : Et *misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* [12] « Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos (*b*) Christo. » Et in *Psalmo* [13] : « Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum. » Hoc enim fit super omnes quantum ad beneficium conservationis, secundum illud [14] : « Miseratio hominis circa proximum suum ; misericordia autem Dei super omnem carnem. » Misericordia tamen liberans et salvans ad solos timentes se extendit, sicut scriptum est [15] : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » Ideo [16] : « Qui timetis Dominum, sperate in illum. »

Secundo laudat eum in hoc opere, secundum quod est manifestativum potentiæ, in dejectione dæmonum superborum, et divitum iniquorum. Propter primum dicit (v. 51) :

[1] I *Cor.*, VII, 40. — [2] *Cant.*, VI, 8. — [3] *Job*, V, 9. — [4] Aug., *ad Volus.*, epist. III, al. CXXXVII, c. II, n. 8. — [5] *Eccle.*, VIII, 4. — [6] *Dan.*, III, 52. — [7] *Psal.* CX, 9. — [8] *Matth.*, VI, 9. — [9] *Psal.* XCII, 8. — [10] I *Tim.*, III, 16. — [11] *Psal.* XLV, 5. — [12] *Ephes.*, II, 4. — [13] *Psal.* CII, 17. — [14] *Eccli.*, XVIII, 12. — [15] *Psal.* XXX, 20. — [16] *Eccli.*, II, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* longitudine. — (*b*) *Vulg. add.* in.

Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis suis. In hoc est laus Dei specialis [1] : « Disperge superbos furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. » Et sic impletur illud [2] : « Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. » Et dicitur hæc fecisse *in brachio,* id est in Filio [3] : « Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. » *Superbos* autem *mente cordis* vocat illos, qui superbiunt in intellectu per præsumptionem, et in affectu per ambitionem, sicut Lucifer et ejus sequaces [4] : « Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ. » Et sic est sensus : *Dispersit* eos, qui superbiunt *mente cordis*; vel aliter : *Dispersit superbos mente cordis sui*, secundum quod dicit, quia superbi justo Dei judicio habent cor dispersum [5] : « Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt. » Vel *dispersit superbos mente cordis sui*, id est, diffinitione consilii sui [6] : « Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia : respice cunctos superbos, et confunde eos. » Dæmones superbientes diffinitive projecit, sed non sic homines. Unde [7] : « Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum. » Laudatur ergo potentia in dejectione superborum dæmonum, et etiam tyrannorum potentium, cum subdit (v. 52) : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Dicitur de Nabuchodonosor [8] : « Quos volebat, interficiebat : et quos volebat, percutiebat : et quos volebat, exaltabat : et quos volebat, humiliabat. Quando autem elevatum est cor ejus, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est. » Et [9] : « Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. » Et ratio hujus redditur [10] : « Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » Et in hoc est laus divinæ potentiæ.[11] « Dominus pauperem facit, et ditat : humiliat, et sublevat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. » Exemplum de Saul et David, Vasthi et Esther.

Tertio laudat Dominum in prædicto opere secundum quod est manifestativum largitatis, cum dicit (v. 53) : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Quia vera largitas est, dare pauperibus, non divitibus. [12] « Justus comedit, et replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. » Et rursus [13] : « Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. » Et in *Isaia* (*a*) [14] : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini. » Quia, sicut dicitur [15] : « Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Et [16] : « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. »

Quarto, laudat Deum in prædicto opere, secundum quod est manifestativum veritatis promissi, cum dicit (v. 54) : *Suscepit Israel puerum suum, recordatus* (*b*) *misericordiæ suæ.* Ubi primo præmittitur promissionis impletio, quam promissionem fecit divina benignitas, et implevit divina veritas; unde [17] :

[1] *Job*, XL, 6. — [2] *Eccli.*, X, 17. — [3] *Isa.*, XL, 10. — [4] *Job*, XLI, 25. — [5] *Sap.*, XVII, 3. — [6] *Job*, XL, 4, 6, 7. — [7] *Thren.*, III, 33. — [8] *Dan.*, V, 19, 20. — [9] *Eccli.*, X, 18. — [10] *Luc.*, XVIII, 14. — [11] I *Reg.*, II, 7, 8. — [12] *Prov.*, XIII, 25. — [13] *Psal.* XXXIII, 11. — [14] *Isa.*, LXV, 13. — [15] I *Cor.*, I, 26-29. — [16] *Psal.* XXXII, 16. — [17] *Psal.* LXXXIV, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* Et Isaias. — (*b*) Item *memorari.*

« Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt. » Et hoc factum est, quando carnem nostram suscepit. [1] « Nusquam enim angelos apprehendit : sed semen Abrahæ apprehendit. » In *Isaia* (*a*) [2] : « Ecce servus meus (*b*), suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. » Et in *Osea* (*c*) [3] : « Quia puer Israel, et dilexi eum : et ex Ægypto vocavi filium meum. » Et hoc, *recordatus misericordiæ suæ*, cujus non potest oblivisci [4] : « Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? » Et [5] : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. » Deinde subditur vera promissio, cum dicitur (v.55) : *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in sæcula.* Et debet ista littera construi sic : *Sicut locutus est ad patres nostros,* locutus, inquam, ipsi *Abrahæ*, scilicet specialiter, *et semini ejus* : ubi tangit statum naturæ, et legis scriptæ. Vel aliter, ut construatur cum præcedenti : *Suscepit Israel, recordatus misericordiæ*, et hoc dico, *Abrahæ et semini ejus, sicut locutus est ad patres.* Simile habetur in *Psalmo* [6] : « Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel. » Inter patres specialiter nominat Abraham, quia ei primo facta est repromissio [7] : « Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. » Et iterum [8] : « Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. » [9] « Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. » Semen ejus sunt credentes [10] : « Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. » Unde infra [11] : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. » *In sæcula,* id est, in æternum [12] : « A sæculo, et usque in sæculum, tu es Deus. » Unde Virgo beata canticum incipit a magnitudine summi principii, canticum finit in æternitate finis : laudat enim eum, qui est [13] A et Ω, principium et finis. Et quidem satis recte, quia in hoc cantico ostendit consummationem esse factam omnium beneficiorum promissorum, et ideo consummativum est omnium laudum, et canticorum, et scripturarum.

56. *Mansit autem Maria*, etc. Post testimonium prophetiæ, et canticum lætitiæ, subditur obsequium benevolentiæ, quod exhibuit virgo Maria Elizabeth cognatæ suæ; in quo commendatur a tribus, scilicet a sedulitate obsequii, a longanimitate propositi, ab honestate contubernii.

Propter sedulitatem obsequii, dicit : *Mansit autem Maria cum illa*, scilicet cum cognata prægnante. Non statim abscessit; sed fecit secundum quod Dominus discipulis suis præcepit [14] : « In eadem autem domo manete, donec exeatis. » Manebat autem Maria in domo, et non egrediebatur sicut Dina, de qua [15] : « Egressa est, ut videret mulieres regionis illius; » et sequitur postea quod oppressa fuit. Manebat autem sicut sedula obsecutrix; non circumibat, sicut curiosa investigatrix. De viduis adolescentibus [16] : « Otiosæ discunt circuire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. » Contra quod ait Seneca : « Indicium mentis bene constitutæ est, secum posse morari, et secum posse consistere. »

Propter longanimitatem propositi, subdit : *Quasi mensibus tribus,* id est, usque ad tempus partus, secundum quod dicit

[1] *Hebr.*, II, 16. — [2] *Isa.*, XLII, 1. — [3] *Ose.*, XI, 1. — [4] *Psal.* LXXVI, 10. — [5] *Isa.*, XLIX, 15. — [6] *Psal.* XCVII, 3. — [7] *Gen.*, XII, 6. — [8] *Gen.*, XXII, 17, 18. — [9] *Galat.*, III, 16. — [10] *Rom.*, IX, 7. — [11] *Luc.*, III, 8. — [12] *Psal.* LXXXIX, 2. — [13] *Apoc.*, I, 8. — [14] *Luc.*, X, 7. — [15] *Gen.*, XXXIV, 1. — [16] I *Tim.*, V, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* Isaias. — (*b*) *Item* tuus. — (*c*) *Item* Et Oseas.

Beda in glossa [1] : « Tamdiu mansit Maria, donec Elizabeth partus tempore completo, præcursoris Domini sui, propter quam maxime venerat, nativitatem videret. Et hoc signatum est libro *Regum*, ubi dicitur, quod [2] « arca Domini mansit (*a*) in domo Obededon Gethæi tribus mensibus : et benedixit Dominus Obededon, et omnem domum ejus. » Mystice vero tribus mensibus designatur profectus trium virtutum, secundum quod in glossa dicitur : « Anima casta, quæ spiritualis verbi desiderium concipit, necesse est, ut alta cœlestis exercitus juga subeat, et quasi trium mensium dies ibidem demoretur : quousque fidei, spei, et charitatis luce radiet, perseverare non desistat. »

Propter honestatem contubernii, subditur : *Et reversa est in domum suam*, ut habitaret cum sponso, virginitatis suæ custode. Unde dicere poterat illud [3] : « Benedixit tibi Deus ad introitum meum : justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ. » *Reversa est in domum suam*, quia sponsus et familia sua reditum ejus desiderabant, secundum illud [4] : « Revertere, revertere, Sunamitis (*b*), revertere, revertere, ut intueamur te. » Si ergo virgo Maria dat exemplum omnibus imitandum, sicut dicit Ambrosius, discite, inquam, a Maria religiositatem, longanimitatem et honestatem.

57. *Elizabeth autem impletum est tempus*, etc. Post gratiarum actionem de conceptu Salvatoris, sequitur hic gratiarum actio pro ortu Præcursoris. Agitur autem laus de Præcursoris ortu magis, quam de conceptu, quia conceptus fuit in peccato, sed natus fuit plenus Spiritu sancto. Christus autem tam in conceptu, quam in ortu fuit sanctissimus : ideo ante ortum, et post ortum, ipsius laudes decantantur. Habet autem hæc pars tres partes, in quarum prima describitur Præcursoris origo ; in secunda vero, pro ipso subditur laus et gratiarum actio, ibi (v. 67) : *Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto*, ubi ponitur canticum Zachariæ ; tertio, ad materiam majoris laudis subditur Præcursoris educatio, ibi (v. 80) : *Puer autem crescebat*, etc. Ad describendum autem ortum Præcursoris tria concurrunt, quæ ab Angelo prænuntiata fuerunt. Primum est partus sterilis ; secundum est circumcisio infantis, quæ describitur ibi (v. 59) : *Et factum est in die octavo ;* tertium est apertio oris sacerdotalis, ibi (v. 64) : *Apertum est autem illico os ejus.* Partus autem ostenditur fuisse opportunus in matre, perfectus in prole, jucundus in vicinitate.

Opportunus itaque ostenditur partus in matre ratione temporis ; propter quod dicit : *Elizabeth autem impletum est tempus pariendi*, etc. Opportunum erat, ut pareret Præcursorem, quia *Ecclesiastes* dicit [5] : « Omnia tempus habent, et suis spatius transeunt universa sub cœlo. » Impletum est, inquam, secundum comminationem verbi angelici, ut dictum est supra [6] : « Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant ; pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. » Vel impletum est, quia jam venerat plenitudo temporis, in quo debebat venire Christus [7] : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, » etc.

Perfectus etiam fuit in prole, ratione sexus virilis ; propter quod dicitur (*c*) : *Et peperit filium*, non filiam. Talem prolem petebat Anna [8] : « Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. » Peperit etiam virtute perfecta, nullo sibi obstante (*d*) impedimento. Cujus oppositum dicitur [9] : « Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens. » Peperit

[1] Bed., *in Luc.*, lib. I, c. I. — [2] II *Reg.*, VI, 11. — [3] *Gen.*, XXX, 30. — [4] *Cant.*, VI, 12. — [5] *Eccle.*, III, 1. — [6] *Luc.*, I, 20. — [7] *Galat.*, IV, 4. — [8] I *Reg.*, I, 11. — [9] IV *Reg.*, XIX, 3.

(*a*) *Vulg.* habitavit. — (*b*) *Vulg.* Sulamitis. — (*c*) *Cæt. edit.* dicit. — (*d*) *Item* præstante.

etiam filium perfectum superna gratia, ita ut conveniat ei illud [1] : « Consummatus in brevi, complevit tempora multa. » Jucundus etiam fuit in vicinitate, ratione famæ celebris et communis. Propter quod dicit (v. 58) : *Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.* Et sic impletum est illud, quod prædixerat Angelus [2] : « Et in nativitate ejus multi gaudebunt, » scilicet vicini et cognati, quia talium maxime est congratulari ; infra [3] : « Mulier quæ invenit drachmam perditam, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. » *Et congratulabantur :* nam et ipsa pariter gaudebat, secundum illud [4] : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus ; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum : » et ideo congratulantur, *quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa,* id est, misericordiam magnam præstitit ei Dominus. Unde poterat dicere illud [5] : « Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum ; quia misericordia tua magna est super me. » Magnificavit autem Dominus eos, quos diligit [6] : « In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti in omni tempore, et in omni loco assistens eis. » *Et factum est in die octavo,* etc. Post partum senis, sequitur circumcisio infantis, in qua juxta consuetudinem facta est impositio nominis : primo, secundum appellationem humanam, a consanguinitate ; secundo vero, secundum revelationem propheticam, a matre ; tertio, secundum affirmationem authenticam, ab ipso patre.

Introducitur ergo circumcisio cum appellatione humana, cum dicitur : *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum*, ut scilicet implerent legis præceptum [7] : « Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris. » Et postea : « Masculus, cujus præputii caro non circumcisa fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. » *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam,* secundum consuetum modum, quia filii consueverunt appellari nomine suorum patrum [8] : « Tobias genuit filium, nomen suum imponens ei, » ut in hoc signaret patrem in tam nobili filio vivere, secundum illud [9] : « Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, et lætatus in illo. »

Sed quoniam in Joanne non habebat locum denominatio secundum appellationem humanam, ideo sequitur denominatio secundum revelationem propheticam per Elizabeth, cum dicitur (v. 60) : *Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes.* Et hoc quidem dicebat edocta a Spiritu sancto. Unde Ambrosius [10] : « Spiritu prophetiæ didicit, quod non didicerat a marito. » Quia enim non virtute naturæ conceptus fuerat, sed virtute gratiæ ; non debebat vocari Zacharias a patre, sed Joannes a dono gratiæ, ut novo modo natus, novo nomine nuncupetur. [11] « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. » Et quia cognati carnaliter sapiebant, nomen gratiæ non acceptabant ; ideo subditur (v. 61) : *Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Sed eorum instantia nulla erat, quia, sicut dicit Ambrosius [12], « hoc nomen non est generis, sed vatis. » [13] « Habent enim hoc merita sanctorum, ut a Deo nomen accipiant, sicut Jacob Israel dicitur, quia Deum vidit. » Sic de Salomone [14] : « Vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. »

[1] *Sap.*, IV, 13. — [2] *Luc.*, I, 14. — [3] *Luc.*, XV, 9. — [4] *Joan.*, XVI, 21. — [5] *Psal.* LXXXV, 12, 13. — [6] *Sap.*, XIX, 20. — [7] *Gen.*, XVII, 12, 14. — [8] *Tob.*, I, 9. — [9] *Eccli.*, XXX, 34. — [10] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 31. — [11] *Isa.*, LXII, 2. — [12] Ambros., ubi supra, n. 32. — [13] Ibid., n. 31. — [14] II *Reg.*, XII, 25.

Et quoniam contentio erat hic inter gratiam et naturam, inter appellationem humanam, et revelationem propheticam; ideo requirebant sententiam paternam, ut ipse assertionem authenticam proferret : propterea sequitur (v. 62) : *Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.* Innuebant, inquam, surdo et muto, quia, sicut dicit Ambrosius, [1] « Incredulitas affatum ei surripuerat, et auditum. » Et tamen requirebant, quia penes ipsum residebat auctoritas nominandi, tum quia pater, tum quia sacerdos, tum quia ortum suum divina revelatione præsciverat. Et quia non poterat voce respondere, manu et litteris est locutus. Et ideo subditur (v. 63): *Et postulans pugillarem, scripsit dicens : Joannes est nomen ejus.* Quasi dicat : Nomen non impono, sed impositum declaro. Supra, eodem capite [2] : « Vocabis nomen ejus Joannem; » secundum illud [3] : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. » Et recte dicitur scriptum, propter firmitatem (*a*) indelebilem, ut ostendatur nomen ejus scriptum in libro vitæ, sicut discipulorum Christi [4] : « Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. » De hac scriptura dicitur [5] : « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. » Et rursus [6] : « Dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. » Et quia causam hujus nominis nescierunt, ratio sequitur : *Et mirati sunt universi*, propter consonantiam patris et matris, ut jam in ore duorum testium staret illud verbum; vel etiam mirati sunt in puero tantam prærogativam. Dicitur de viro justo [7] : « Oculus Dei respexit illum in bono; et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput, et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. » Unde ipse poterat dicere illud [8] : « In conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me. » In quo docemur, quod divinorum privilegiorum prærogativæ magis sunt humiliter et sobrie annuntiandæ, quam procaciter perscrutandæ. Spiritualiter, nota quod per Zachariam intelligitur vetus sacerdotium, et per Joannem novum : et quia vetus et novum differunt, sicut memoriale muneris et ipsum munus; ideo ille recte denominatur a memoriali, iste vero a munere gratiæ : et hoc quidem satis recte, quia memoria Dei generat in nobis effectus virtutis et gratiæ. Nam qui vult esse Joannes per gratiam, oportet quod sit Zacharias prius per divinam memoriam. Zacharias enim *memor Dei* interpretatur [9] : « Memoriam fecit mirabilium suorum, » etc.[10] « Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei; veniam ad te, et benedicam tibi. » Debet autem quilibet esse memor sacramentorum Dei, ad credendum, et confitendum. In *Exodo* dicitur de agno paschali [11] : « Erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum (*b*) ante oculos tuos. » Sequitur : *Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies.* Beneficiorum, ad regratiandum [12] : « Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. » Judiciorum, ad formidandum [13] : « Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei, » etc.[14] « Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine. » Promissorum, ad expectandum [15] : « In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malo-

Expositio mystica.

[1] Ambros., ubi supra, n. 32. — [2] *Luc.*, I, 13. — [3] *Isa.*, XLIX, 1. — [4] *Luc.*, X, 20. — [5] *Apoc.*, III, 12. — [6] Ibid., II, 17. — [7] *Eccli.*, XI, 13. — [8] *Sap.*, VIII, 13. — [9] *Psal.* CX, 4. — [10] *Exod.*, XXVI, 24. — [11] *Exod.*, XIII, 9, 10. — [12] *Deut.*, XVI, 3. — [13] *Eccli.*, XVIII, 24. — [14] *Psal.* CXVIII, 52. — [15] *Eccli.*, XI, 27.

(*a*) *Edit. Ven.* infirmitatem. — (*b*) *Vulg.* monimentum.

rum non immemor sis bonorum.» Mandatorum, ad faciendum [1] : « Justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus, et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. » Exemplorum, ad imitandum [2] : « Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. » Suppliciorum, ad compatiendum [3] : « Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. » Solatiorum, ad congaudendum [4] : « Exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.» Operum, ad laudandum [5] : « Memor fui operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor. Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia. » Item [6] : « Mementote mirabilium ejus, quæ fecit ; prodigia ejus, et judicia oris ejus.» Charismatum, ad postulandum [7] : « In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte. » Et *Isaias* [8] : « Qui reminiscemini (*a*) Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra. »

64. *Apertum est autem illico os ejus*, etc. Post partum sterilis, et circumcisionem infantis, sequitur apertio oris sacerdotalis, secundum dictum nuntii cœlestis. Hoc autem miraculum erat ostensivum prærogativæ et excellentis magnificentiæ in Joanne, ut merito ostenderetur ipsum vocari hoc nomine. In hujus autem miraculi descriptione insinuantur tria, scilicet miraculi evidentia, ipsius reverentia, et ejusdem intelligentia. Nam apparitio miraculi parit admirationem, admiratio cognitionem, sive inquisitionem.

Præmittitur ergo primo miraculi evidentia, cum dicit : *Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.* Apertum est autem non virtute naturæ, sed supernæ potentiæ [9] : « Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas. » Ille, inquam, fecit, de quo admirabantur turbæ, dicentes [10] : « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui, » scilicet Christi Dei virtus et sapientia. Et ut ostenderetur miraculum verum, dicitur : *Illico*; ut enim dicit Ambrosius [11] : « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Et ut ostenderetur plenum et perfectum, subditur : *Et loquebatur benedicens Deum,* recognoscens beneficium, sicut Tobias [12] : « Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum. » In quo instruimur, quod debemus os apertum habere ad divinam laudem, cum oramus [13] : « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam ; » et maxime post beneficium nostræ redemptionis [14] : « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Sed contra dicitur de malis [15] : « Aperuerunt super me ora sua exprobrantes, percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis » : quia, secundum quod dicitur in *Psalmo* [16] : « Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. »

Secundo subdit miraculi reverentiam, cum dicit (v. 65) : *Et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* [17] « Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis. » Unde poterant decantare illud [18] : « Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate? » Et quia reverentiam miraculi sequitur magnificentia præconii,

[1] *Psal.* CII, 18. — [2] *Joan.*, XV, 20. — [3] *Thren.*, III, 19, 20. — [4] *Cant.*, I, 3. — [5] *Psal.* LXXVI, 12-15. — [6] *Psal.* CIV, 5. — [7] *Isa.*, XXVI, 8, 9. — [8] *Isa.*, LXII, 6. — [9] *Sap.*, X, 21. — [10] *Marc.*, VII, 37. — [11] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 19. — [12] *Tob.*, XIII, 1. — [13] *Psal.* L, 17. — [14] *Isa.*, XXXV, 6. — [15] *Job*, XVI, 10. — [16] *Psal.* V, 11. — [17] *Psal.* LXIV, 9. — [18] *Exod.*, XV, 11.

(*a*) *Vulg.* reminiscimini.

ideo dicit: *Super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc*, etc. Et recte, quia [1] « sacramentum regis abscondere bonum est, opera Dei revelare et confiteri honorificum est. » Et ideo [2] : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: » et post : « Narrate omnia mirabilia ejus. »

Tertio subjungit miraculi intelligentiam, cum dicit (v. 66) : *Et posuerunt omnes qui audierunt, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit?* [3] « Beatus, qui in istis versatur bonis : qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. » Et *Proverbiorum* [4] : « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, operuerunt superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. » *Posuerunt*, scilicet per attentionem intellectivam et memorativam, et per magnitudinem miraculi cognoscebant magnitudinem pueri ; unde dicebant : *Quis, putas, puer iste erit?* Quasi dicerent : magnus erit ; secundum illud angeli [5] : « Erit enim magnus coram Domino. » Sic dicebant de Christo [6] : « Quis, putas, est iste ? » Recte de Christo dicebant : *Est iste*, tanquam de Creatore, cujus est manere. De Joanne vero dicebant : *Erit*, tanquam de Præcursore, cujus erat pertransire. Et reddunt rationem : *Etenim manus Domini erat cum illo.* [7] « Manus enim Domini erat mecum confortans me. » Sic et cum Joanne erat manus Domini dextra, conservans et confortans eum. [8] « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi. » Et sic intelligebant illum esse, de quo scribitur [9] : « Posuit os meum quasi gladium acutum ; in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam. »

67. *Et Zacharias pater ejus*, etc. Postquam descripta est Joannis origo, subjungitur hic gratiarum actio pro redemptionis beneficio jam inchoato in ortu Præcursoris, et consummando in ortu Salvatoris. Hanc igitur gratiarum actionem dupliciter Evangelista describit : primo, ex parte motivi ; secundo, ex parte modi, ibi (v. 68) : *Benedictus Dominus*, etc. Circa motivum nota, quod illud, quod movit Zachariam ad laudandum, fuit spiritus divinus, non suus. Propter quod præmittit eum Spiritu sancto fuisse afflatum et impletum. Et tangit hic quis impleatur, nempe Zacharias, qui fuit vir justus, de quo supra etiam dicitur [10], quod « erat incedens in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. » Et hoc innuitur, quod memoria Dei impletur divino spiritu [11] : « Quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis. » Quare impleatur ostendit : quia *pater ejus*, scilicet Joannis : unde sicut mater spiritum prophetiæ habuit propter filium, sic et pater. [12] « Exultat gaudio pater justi, et qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, et mater tua : et exultet, quæ genuit te. » In quo intelligitur allegorice, quod lex vetus et sacerdotium non habebat Spiritum sanctum, nisi ratione novi testamenti, quod præfigurabat. Quomodo impleatur, declarat ; propter quod dicit : *Repletus est Spiritus sancto.* [13] « Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? » Et in *Ecclesiastico* [14] : « Exaltavit illum apud proximos suos, et in medio ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus. » In quo instruimur, quo debemus impleri [15] : « Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et (*a*) canticis spiritualibus. » Ad quid impletur demonstrat : *Et prophetavit dicens* : laudando et prædicando. [16] « Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. »

[1] *Tob.*, XII, 7. — [2] *Psal.* CIV, 1, 2. — [3] *Eccli.*, L, 30. — [4] *Prov.*, XXIV, 31, 32. — [5] *Luc.*, I, 15. — [6] *Marc.*, IV, 40. — [7] *Ezech.*, III, 14. — [8] *Psal.* LXXIX, 16. — [9] *Isa.*, XLIX, 2. — [10] *Luc.*, I, 6. — [11] *Tob.*, I, 13. — [12] *Prov.*, XXIII, 24, 25. — [13] *Gen.*, XLI, 38. — [14] *Eccli.*, XV, 5. — [15] *Ephes.*, V, 18. — [16] *Act.*, II, 4.

(*a*) *Cæt. edit. deest* et.

Et Amos[1] : « Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » Et Petrus[2] : « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. »

Benedictus Dominus Deus Israel, etc. Hic describitur gratiarum actio quantum ad modum in hoc cantico, cujus sunt quatuor partes: in quarum prima fit gratiarum actio et laudis decantatio pro beneficio nostræ redemptionis, secundum quod consummanda erat per Christum dispensatio remediativa; secundo, in quantum erat promissa per prophetas sanctos vaticinio, ibi (v. 70) : *Sicut locutus est per os sanctorum;* tertio, in quantum promissa patriarchis veritatis juramento, ibi (v. 72) : *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,* etc.; quarto, secundum quod jam est inchoata in Præcursore, prophetali præconio, ibi (v. 76) : *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis.* Agens autem gratias pro beneficio redemptionis consummando in Christo, ponit præteritum pro futuro, more prophetico : in quo tangitur mysterium incarnationis, pretium redemptionis, trophæum resurrectionis, in quibus est remedium nostræ salutis. Introducit ergo primo Zachariam in gratiarum actione, per Spiritum sanctum prophetantem, quia gratias agit de futuro beneficio, cum dicit: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Similiter dicitur[3] : « Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia non contigit nobis, quemadmodum putabamus: fecisti enim nobiscum misericordiam tuam. » Et primo *Paralipomenon*[4] : « Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, ab æterno in æternum. » Et nota, quod *Dominus* nominat majestatem benedicendam cum timore[5] : « Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Et ideo dicitur[6] : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit, nisi ut timeas Dominum Deum tuum? » Psalmista[7] : « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra? » *Deus Israel* nominat benignitatem benedicendam cum amore[8] : « Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel, propter servum meum Jacob, et Israel electum meum. » In *Exodo*[9] : « Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generatione et generationem. » Ideo autem hic Israel potius nominatur, quam Jacob, quia nomen electionis est et gratiæ. Porro hujus benedictionis primum motivum est incarnationis mysterium, quod notat, cum dicit : *Quia visitavit,* scilicet per incarnationem.[10] « Visitans visitavi vos, et vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto; et dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti, » etc. Hoc petebat Propheta[11] : « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo. » Hoc autem fuit, quando carnem sumpsit ex Virgine[12] : « Visitasti terram, et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam. »

Domi-nus.

Secundum motivum est redemptionis pretium, quod tangit, cum dicit : *Et fecit redemptionem plebis suæ:* ut impleatur illud[13] : « Redemptionem misit Dominus populo suo. » Et vere[14] : « Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. » Et prima *Petri*[15] : « Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati CHRISTI et incontaminati. » Et hoc est, quod dicitur[16] : « Gratis venundati estis, et sine argento redimemini. » Et *Psalmus*[17] : « Redemisti in brachio tuo populum tuum. »

Tertium motivum est resurrectionis trophæum, quod tangit, cum dicit (v. 69) : *Et erexit cornu salutis nobis in domo David*

[1] *Amos,* III, 8. — [2] II *Petr.*, I, 21. — [3] *Tob.*, VIII, 17, 18. — [4] I *Paral.*, XXIX, 10. — [5] *Malac.*, I, 6. — [6] *Deut.*, X, 12. — [7] *Psal.* VIII, 2, 10. — [8] *Isa*, XLV, 3, 4. — [9] *Exod.*, III, 13, 15. — [10] Ibid., 19. — [11] *Psal.* CV, 4. — [12] *Psal.* LXIV, 10. — [13] *Psal.* CX, 9. — [14] *Psal.* CXXIX, 7. — [15] I *Petr.*, I, 18. — [16] *Isa.*, LII, 3. — [17] *Psal.* LXXVI, 16.

pueri sui. In quo intelligitur potestas Christi resurgentis [1] : « Dominum formidabunt adversarii ejus, super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. » Et hoc fuit in resurrectione [2] : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Et quia potestas illa erat durabilis, et ideo per cornu significatur, et in hujus rei figuram vas, quo inunctus fuit Salomon, cornu fuit. Vas autem, quo inunctus fuit Saul, fuit lenticula, hoc est, vas figuli, proin et fragile. Et dicitur *cornu salutis*, quia per illud [3] « Israel salvatus est in Domino salute æterna. » Et addit : *In domo David pueri sui*, secundum illud [4] : « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. » Et alibi [5] : « Dominus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, et cornu salutis meæ. Elevator meus et refugium (*a*) meum, salvator meus, de iniquitate liberabis me. » Hoc autem dicitur propter incarnationem, siquidem infra dicitur [6], quod Maria et Joseph erant « de familia David. »

70. *Sicut locutus est per os sanctorum*. Hic agit gratias, et laudes decantat pro nostra redemptione, secundum quod fuit per prophetas promissa Spiritus sancti vaticinio. Et primo præmittit vaticinium propheticum; secundo vero subjungit vaticinatum beneficium; et tertio beneficii complementum. Hæc enim tria excitant ad benedicendum.

Primo igitur præmittit vaticinium in hoc, quod dicit : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus*. Et debet iterari : « Benedictus Dominus Deus, qui erexit, » etc. *Sicut locutus est*. [7] « Nunc, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo, et super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es, permaneatque, et magnificetur nomen tuum usque ad sempiternum, et dicatur : Dominus exercituum, domus Israel, et domus David servi ejus permanens coram eo. » Hoc optabant sancti præcedentes Christi adventum [8] : « Suscita prædicationes (*b*), quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur. » Quod etiam factum est [9] : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. » [10] « Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. » Secundo, subjungit beneficium quod prophetæ promiserunt, cum dicit (v. 71) : *Salutem ex inimicis nostris*. Et debet repeti hoc verbum *Fecit*, vel *Erexit*. De hac enim locuti sunt prophetæ [11] : « De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt. » Hæc autem salus est in liberatione ab inimicis; id est, a dæmonibus [12] : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. » Et [13] : « Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum. » Et subdit tertio beneficii complementum, cum dicit : *Et de manu omnium, qui oderunt nos*, id est, de manu sive potestate omnium persequentium, sive dæmonum, sive hominum. [14] « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. » *Job* [15] : « Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. » Et de tanto beneficio laudandus est Dominus Deus [16] : « De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. » Et *Psalmus* [17] : « Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me. » Et *Psalmus* [18] : « Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. »

[1] I *Reg.*, II, 10. — [2] *Matth.*, XXVIII, 18. — [3] *Isa.*, XV, 17. — [4] *Psal.* CXXXI, 17. — [5] II *Reg.*, XXII, 3, 4. — [6] *Luc.*, II, 4. — [7] I *Paral.*, XVII, 23, 24. — [8] *Eccli.*, XXXVI, 17, 18. — [9] *Luc.*, XVIII, 31. — [10] *Amos*, III, 7. — [11] I *Petr.*, I, 10. — [12] *Psal.* LVIII, 2. — [13] *Coloss.*, I, 13. — [14] *Isa.*, XIX, 20. — [15] *Job*, V, 12. — [16] II *Mach.*, I, 11. — [17] *Psal.* XVII, 18. — [18] *Psal.* CXIV, 8.

(*a*) *Cœl. edit.* refrigerium. — (*b*) *Item* precationes.

72. *Ad faciendam misericordiam*, etc. Hæc est tertia pars principalis cantici, in qua gratias agit pro nostra reparatione, secundum quod patribus promissa est sub jurejurando. Et in hac parte primo præmittit principium ad promittendum movens; secundo, juramentum stabiliens; et tertio, remedium subsequens.

Principium autem movens ad promittendum, fuit divina misericordia, ex qua ortum habuit testimonium patrum; et hoc tangit, cum dicit: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Et debet iterari verbum prius positum, scilicet benedictionis et erectionis : « Benedictus Deus, qui erexit cornu salutis, ut faceret misericordiam. » [1] « Faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. » Et *Tobias* [2] : « Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum : qui cum iratus fueris, misericordiam facis (*a*), et in tempore tribulationis, peccata dimittis his, qui te invocant. » Et libro *Regum* [3] : « Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus in sempiternum. » Et fecit misericordiam promittendo, quod fecit debitum per pactum; ideo subdit : *Et memorari testamenti sui sancti.* [4] « Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac. » Et nota, quod vetus testamentum fuit sanctum per figurationem, novum vero per continentiam et impletionem; unde sanctum testamentum vocat testamentum novum, quod sanctificavit sanguine suo [5] : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. » Et *ad Hebræos* [6] : « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. » Et hoc est, quod ante promiserat, sicut dicitur [7] : « Consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum. »

Secundo subdit juramentum stabiliens, cum ait (v. 73) : *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum.* Et debet semper iterari verbum præmissum. [8] « Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Quod introducens Apostolus, inquit [9] : « Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. » Et sequitur : « In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. » Abrahæ, promisit scilicet, *daturum se nobis*, filiis ejus, videlicet per promissionem, unigenitum suum [10] : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Et *ad Romanos* [11] : « Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » Hu-

[1] *Exod.*, XX, 6. — [2] *Tob.*, III, 13. — [3] II *Reg.*, XXII, 51. — [4] *Psal.* CIV, 8, 9. — [5] *Zach.*, IX, 11. — [6] *Hebr.*, IX, 13-15. — [7] *Hebr.*, VIII, 8. — [8] *Gen.*, XXII 16-18. — [9] *Hebr.*, VI, 13, 14, 17, 18. — [10] *Joan.*, III, 16. — [11] *Rom.*, VII, 32.

(*a*) *Vulg.* facies.

jus habetur figura [1] : « Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. » Deinde subjungit beneficium, sive remedium subsequens, cum dicit (v. 74) : *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Illud enim est remedium, quod assecuti sumus per Christum nobis donatum. [2] « Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. [3] « Qui conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem. In hoc autem ostendisti inimicis tuis, quia tu es, qui liberas ad omni malo : » illos scilicet, qui te audiunt, credendo et obediendo. [4] « Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. » Et isti sunt, qui serviunt Domino. [5] « Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. »

Et quia non omnis modus serviendi Deo est ipsi Deo acceptus, ideo subdit modum, scilicet sancte, quoad seipsum; juste, quoad proximum; simpliciter, quoad Deum; perseveranter, quoad omnia prædicta. Propter sanctitatem dicit (v. 75) : *In sanctitate,* scilicet serviamus, quia, secundum quod dicitur [6] : « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. » Et ideo in *Exodo* [7] : « Sanctificabis Aaron et filios ejus, ut sacerdotio fungantur mihi ; » et post : « Ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. » Et *Petrus* [8] : « Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte (*a*) sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam : » et deinde : « Sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est [9] : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. »

Propter justitiam, quoad proximum : dicit *Et justitia.* [10] « Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. » Ut sic possitis dicere illud [11] : « Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo. »

Propter simplicitatem, dicit : *Coram ipso,* scilicet Deo : quod fit per simplicem intentionem, sicut Ezechias [12] : « Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. » Sic puer Samuel ministrabat Domino coram Heli ; et [13] : « Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas. » Et *Sapientia* [14] : « Et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum. » Propter perseverantiam subdit : *Omnibus diebus nostris*, sicut Apostolus [15] : « Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum. » Et [16] : « Adhæreatis Deo, et serviatis ei in omni corde, et in omni anima vestra. »

76. *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis*, etc. Hæc est quarta pars cantici, in qua recolit beneficium nostræ redemptionis, secundum quod jam inchoatum erat in Præcursore; et hoc prophetali præconio, quod commendat tripliciter; ab auctoritate prophetiæ, ab utilitate doctrinæ, et a proximitate divinæ præsentiæ.

Commendat igitur Joannes præconium, nostræ redemptionis inchoativum, ab auctoritate prophetiæ, convertens sermonem ad puerum : *Et tu, puer, propheta Altissimi.* Tu puer, et ætate, et puritate. [17] « Fratres, nolite pueri effici sensibus ; sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. » *Vocaberis propheta :* [18] « Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. » Et *propheta Altissimi*, id est, Christi, ratione divinitatis.

[1] *Gen.*, XV, 18. — [2] *Rom.*, VI, 22. — [3] *Sap.*, XVI, 7, 8. — [4] *Prov.*, I, 33. — [5] I *Reg.*, VII, 3. — [6] *Psal.* C, 16. — [7] *Exod.*, XXVIII, 41-43. — [8] I *Petr.*, I, 13, 15, 16. — [9] *Levit.*, XI, 44. — [10] *Rom.*, VI, 19. — [11] *Psal.* XVI, 15. — [12] IV *Reg.*, XX, 2. — [13] I *Paral.*, XXIX, 17. — [14] *Sap.*, I, 1. — [15] *Act.*, XX, 19. — [16] *Jos.*, XXII, 5. — [17] I *Cor.*, XIV, 20. — [18] *Matth.*, XI, 9. — (*a*) *Cæl. edit.* perfecti.

[1] « Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea? et ipse fundavit eam Altissimus. » *Præibis enim ante faciem Domini :* ratione humanitatis : [2] « Ostende faciem tuam, et salvi erimus. » Et in *Malachia* [3] : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » *Parare vias ejus.* Pluraliter dicit *vias*, id est, viam cognitionis in fide, et affectionis in charitate. De prima *Job* [4] *:* « Caligavit ab indignatione oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur, et tenebit justus viam suam, et mundus manibus addet fortitudinem. » [5] « Justus autem ex fide vivit. » De via charitatis [6] : « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, » etc. Viam fidei præparavit Joannes, secundum quod vox [7] : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini. » Viam charitatis, secundum quod lucerna [8] : « Ille erat lucerna ardens et lucens. »

Commendat etiam secundo ab utilitate doctrinæ, cum dicit (v. 77) : *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus:* dandam scilicet gratis [9] : « Gratis accepistis, gratis date. » [10] « Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. » *Dandam*, inquam, *scientiam,* non quamcumque, sed *salutis*, quia sine scientia non est salus [11] : « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. » Hanc debet habere omnis rector populi [12] : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. » [13] « Divitiæ salutis, sapientia et scientia. » *Salutis*, inquam, non cujuscumque, sed spiritualis. Propter quod subdit : *In remissionem peccatorum eorum.* Beda [14] : « Ne temporalem carnalemque promitti salutem putares : *In remissionem*, inquit, *peccatorum eorum.* » Et ideo de Salvatore dicitur [15] : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Et [16] : « Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. »

Commendat etiam Joannis præconium a proximitate divinæ præsentiæ, cum dicit (v. 78) : *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Et hanc describit tripliciter : primo, ut visitantem ad consolandum affectum ; secundo, ut illuminantem ad docendum intellectum, ibi : *Illuminare his*, etc. ; tertio, ut dirigentem ad rectificandum effectum, ibi : *Ad dirigendos pedes*, etc. Describit ergo primo divinam præsentiam conjunctam prophetiæ Præcursoris, cum dicit : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Et debet continuari ad præcedens, sic : « Præibis ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum : » quæ quidem fuit « per viscera misericordiæ Dei, » quæ acceleravit divinam præsentiam in carne, in qua *nos visitavit. Viscera misericordiæ* sunt nimia dilectio et nimia compassio [17] : « Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia salvati estis. » Et *Isaias* [18] *:* « Ubi zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum ? super me continuerunt se. » Ac postquam Filius Dei incarnatus est, verificatum est illud Joseph [19] : « Commota sunt viscera ejus super fratre suo. » Ad cujus exemplum [20] : « Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. » Per hæc viscera misericordiæ, *visitavit nos oriens ex alto.* [21] « Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Et *Zacharias* [22] *:* « Ecce vir, Oriens nomen ejus : et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino. » *Ex alto ;* secundum illud [23] : « Qui de cœlo venit, super omnes est. » In quo

[1] *Psal.* LXXXVI, 5. — [2] *Psal.* LXXIX, 4. — [3] *Malac.*, III, 1. — [4] *Job*, XVII, 7-9. — [5] *Rom.*, I, 17. — [6] I *Cor.*, XII, 31. — [7] *Luc.*, III, 4. — [8] *Joan.*, V, 35. — [9] *Matth.*, X, 8. — [10] *Prov.*, II, 6. — [11] *Isa.*, V, 13. — [12] *Ose.*, IV, 6. — [13] *Isa.*, XXXIII, 6. — [14] Bed., *in Luc.*, lib. I, c. 1. — [15] *Matth.*, I, 21. — [16] *Marc.*, I, 4. — [17] *Ephes.*, II, 4, 5. — [18] *Isa.*, LXIII, 15. — [19] *Gen.*, XLIII, 30. — [20] *Coloss.*, III, 12. — [21] *Malach.*, IV, 2. — [22] *Zach.*, VI, 12. — [23] *Joan.*, III, 31.

mira fuit dignatio [1] : « Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? » Hæc enim visitatio superni solis, fuit non solum causa consolationis, verum et illuminationis : et propterea subdit (v. 79) : *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Et debet construi : Visitavit illuminare, id est, ad illuminandum his, qui in tenebris sedent, id est, gentibus errantibus. [2] « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » Et rursus [3] : « Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. » Et ideo in *Joanne* (*a*) : [4] « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant : et qui vident, cæci fiant. » Et quia per illuminationem ducimur ad dilectionem, ideo sequitur : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* [5] « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. » Et [6] : « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. » Et in *Psalmo* [7] : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, » ubi est regnum pacis sine labore [8] : « Justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. » De quo regno dicitur in *Psalmo* [9] : « Lauda, Jerusalem, Dominum, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Quoniam posuit fines tuos pacem. » Jerusalem enim interpretatur visio pacis : ad quam ducimur per ducatum Christi, et per viam mandatorum, quæ ducit ad pacem [10] : « Pax multa diligentibus legem tuam. » Et in *Isaia* (*b*) [11] : « Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset, sicut flumen, pax tua. »

Nota, quod Dominus visitat, 1. ad corrigendum delinquentes, ut legatus provinciam [12] : « Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus ad eum in prælium. » *Psalmus* [13] : « Visitabo in virga iniquitates eorum. » 2. Ad justificandum pœnitentes, ut medicus ægrotum [14] : « Non necesse habent sani medico; sed qui male habent. » 3. Ad docendum ignorantes, ut magister discipulum, sicut hic : *Visitavit nos, illuminare*, etc.; et *Psalmus* [15] : « Visitasti terram, et inebriasti eam. » Sequitur : « Flumen Dei repletum est aquis. » 4. Ad excitandum negligentes, ut principes populum [16] : « Fratres tuos visitabis, si recte agant, et cum quibus ordinati sunt, disce. » Et in *Actibus* [17] : « Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. » 5. Ad promovendum operantes, sicut vinitor vineam suam. *Psalmus* [18] : « Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam. » *Isaias* [19] : « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est. » 6. Ad conservandum obedientes, sicut pastor gregem. *Ezechiel* [20] : « Visitabo oves meas, sicut visitat pastor gregem suum : » et post : « Quod pingue et forte custodiam, » etc. 7. Ad fœcundandum contemplantes, ut sponsus sponsam [21] : « Visitavit Dominus Saram, et concepit. » Et *Judith* [22] : « Joachim summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith. Quæ cum exiisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem. » Et post : « Eo quod castitatem amaveris. » 8. Ad adjuvandum pugnantes, ut rex exercitum [23] : « Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, et Jacob. » Et in *Luca* (*c*) [24] : « Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » 9. Ad consolan-

[1] *Psal.* VIII, 5. — [2] *Isa.*, IX, 2. — [3] Ibid., XLII, 6. — [4] *Joan.*, IX, 39. — [5] *Prov.*, XVI, 9. — [6] Ibid., III, 5, 6. — [7] *Psal.* CXLII, 10. — [8] *Sap.*, X, 10. — [9] *Psal.* CXLVII, 12, 13, 14. — [10] *Psal.* CXVIII, 165. — [11] *Isa.*, XLVIII, 18. — [12] *Abd.*, I. — [13] *Psal.* LXXXVIII, 33. — [14] *Marc.*, II, 17. — [15] *Psal.* LXIV, 10. — [16] I *Reg.*, XVII, 18. — [17] *Act.*, XV, 36. — [18] *Psal.* LXXIX, 15. — [19] *Isa.*, V, 7. — [20] *Ezech.*, XXXIV, 12, 16. — [21] *Gen.*, XXI, 1. — [22] *Judith*, XV, 9-11. — [23] *Gen.*, L, 24. — [24] *Luc.*, XXIV, 49.

(*a*) *Cæt. edit.* ideo Joannes. — (*b*) *Item* Et Isaias. — (*c*) *Item* Et Lucas.

dum patientes, ut sanus infirmum. *Job* [1]: « Visitatio tua custodivit spiritum meum. » Et [2] : « Condixerant enim, ut pariter venientes, visitarent eum, et consolarentur. » Et *Jacobus* [3]: « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: visitare pupillos et viduas in tribulationibus eorum. » Et in *Ecclesiastico* [4]: « Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. » 10. Ad remunerandum operarios, sicut perseverantes paterfamilias [5] : « Voca operarios, et redde illis mercedem. » Et in *Isaia* (*a*) [6] : « Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. »

80. *Puer autem crescebat*, etc. Postquam descripta est Præcursoris origo, et pro origine gratiarum actio, hic tertio subditur ejus educatio, in qua est divinæ laudis ampliatio. Describitur autem educatio quantum ad profectum ætatis in carne, et virtutis in mente, et religiositatis in conversatione. Quantum ad profectum ætatis, dicit : *Puer autem crescebat*, scilicet corpore, secundum quod dicitur de Samuele [7] : « Puer autem proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Deo, quam hominibus. » Invenerat enim benedictionem, sicut dicitur de Joseph [8] : « Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu. » Sed contrarium dicitur de Ruben [9] : « Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. » Unde sibi competit illud Isaac [10] : « Isaac proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. »

Quantum, ad profectum virtutis in mente, dicit : *Et confortabatur spiritu*, scilicet divinæ virtutis, de quo *Ezechiel* [11] : « Spiritus levavit me, et assumpsit me, et abii amarus in indignatione spiritus mei. Manus enim Domini erat mecum confortans me. » Unde poterat dicere illud Apostoli [12] : « Omnia possum in eo, qui me confortat. » Hic autem est Spiritus sanctus qui dat virtutem cæteris sanctis. *Psalmus* [13] : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Quantum ad profectum religiositatis in conversatione, subdit : *Et erat in desertis*, scilicet, ut ibi religiosam duceret vitam, secundum quod de ipso cantatur in hymno ecclesiastico [14] :

> Antra deserti, teneris sub annis,
> Civium turmas fugiens petisti,
> Ne levi saltem maculare vitam
> Famine posses, etc.

Unde Jacobus [15] : « Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. » Et ideo faciebat illud propheticum in *Psalmo* [16] : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate. Præcipita, Domine, et divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. »

Qui autem vult perfecte vivere, debet, relictis urbibus, petere deserta [17] : « Descenderunt multi cum Mathathia, quærentes judicium et justitiam in desertum : et sederunt ibi ipsi, et filii ejus, et mulieres eorum, et pecora eorum, quoniam inundaverunt super eos mala. » Et quia religiositas non est laudabilis, nisi sit perseverans, ideo subdit : *Usque in diem ostensionis suæ ad Israel*, cum scilicet ostendit se in prædicatione virtuosa, juxta quod dicit Apostolus [18] : « Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Unde prius vixit sibi occulte per longum tempus, ut postmodum per suam ostensionem viveret ad salutem aliorum, secundum illud [19] : « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. » In hoc erudiuntur omnes prædicatores, ut prius vacent

Prædicator prius de

[1] *Job*, x, 12. — [2] *Job*, ii, 11. — [3] *Jac.*, i, 27. — [4] *Eccli.*, vii, 39. — [5] *Matth.*, xx, 8. — [6] *Isa.*, lx, 17. — [7] I *Reg.*, ii, 26. — [8] *Gen.*, xlix, 22. — [9] Ibid., 4. — [10] Ibid., xxvi, 13. — [11] *Ezech.*, iii, 14. — [12] *Philip.*, iv, 13. — [13] *Psal.* xxxii, 6. — [14] Hymnus in festo S. J. Bapt. *ad Matut.* — [15] *Jac.* i, 26. — [16] *Psal.* liv, 8-10. — [17] I *Mach.*, ii, 29. — [18] I *Cor.*, ii, 4. — [19] *Jac.*, iii, 13. — *Cæt. edit.* Isaias.

perfectioni propriæ, et deinde ædificationi alienæ, quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Hujus figura præcessit in Elia, qui prius abiit in desertum, et pervenit ad montem Dei in Oreb, ubi edoctus est: et post sequitur, quod unxit reges, et prophetas ad regimen populi Dei.

CAPUT II.

1. *Factum est autem in diebus illis*, etc. Terminata parte illa, in qua agitur de conceptu Salvatoris in utero, sequitur pars secunda, in qua agitur de ortu Salvatoris ex utero; et hoc facit in præsenti capitulo. Habet autem hæc pars duas partes, in quarum prima determinatur nativitatis Christi veritas; in secunda determinatur nascentis humilitas. Quia enim Christus in nativitate sua factus est ex muliere, et factus est sub lege per humilitatem; ideo utrumque pertinet ad Evangelistam determinare. Et incipit secunda pars ibi (v. 21): *Et postquam consummati sunt dies octo*, etc. Prima pars habet tres partes, in quarum prima ostenditur, qualiter Christi nativitas fuit consummata; in secunda, qualiter ab angelis annuntiata, ibi (v. 8): *Et pastores erant in regione*, etc.; in tertia, qualiter per pastores manifestata et divulgata, ibi (v. 15): *Et factum est, ut discesserunt*, etc. Prima pars habet tres partes, quoniam ad nativitatem Salvatoris exprimendam, oportet assignare tempus et locum, et pariendi modum. Describit ergo Evangelista in prima parte tempus debitum; in secunda, locum idoneum, ibi (v. 4): *Ascendit autem et Joseph a Galilæa*, etc.; in tertia vero Virginis partum, ibi (v. 6): *Factum est autem, cum essent*, etc. Tempus autem idoneum nativitatis Christi fuit tempus universalis imperii describendi, quia, ut dicit Gregorius [1], « ille veniebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate. »

In hac autem descriptione universalis imperii, triplex notatur excellentia, scilicet potentiæ in præcipiendo, sapientiæ in discernendo, et justitiæ in prosequendo: quia hæc tria futura erant in Christo, secundum illud *Jeremiæ* [2]: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit rex: » ecce potentia. « Et sapiens erit: » ecce sapientia. « Et faciet judicium et justitiam in terra: » ecce justitia, ut sit in eo omnimoda perfectio. Quantum ad excellentiam in præcipiendo, dicit: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Cæsar iste Augustus proprio nomine fuit Octavianus; sed a Julio Cæsare, qui antea imperaverat, Cæsar est cognominatus, a quo omnes imperatores romani postea Cæsares dicti sunt.

Imperatores Romani omnes cur Cæsares dicti.

Iste etiam dictus est Augustus, quia Rempublicam auxit; et ab isto omnes alii dicuntur Augusti. Et iste protulit universale edictum, quia universale habebat dominium, non in omnes et singulas, sed in principales universi partes. Unde imperium suum fuit magnum, secundum illud *Danielis* [3]: « Et regnum quartum erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. » Hoc fuit Romanorum imperium, quod designatum fuit per imperium Nabuchodonosor, de quo in *Jeremia* (*a*) [4]: « Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis servi mei, et servient ei omnes gentes. Gens autem, et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor, visitabo super gentem illam, dicit Dominus. » In his diebus, scilicet hujus regni, erat tempus adventus Christi, quia dicitur [5]: « In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur: et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. » Istius solius plena est orbis (*b*) descriptio, secundum illud *Psalmi* [6]: « Do-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. VIII. — [2] *Jerem.*, XXIII, 5. — [3] *Dan.*, II, 40. — [4] *Jerem.*, XXVII, 7, 8. — [5] *Dan.*, II, 44. — [6] *Psal.* XXIII, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* de quo Jeremias. — (*b*) *Item* oris.

mini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo. » Et ideo dicitur, quod habet in vestimento et in femore suo scriptum [1] : « Rex regum, et Dominus dominantium. » Quia, sicut dicit *Ecclesiastes,* [2] « excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti. » Quantum ad excellentiam sapientiæ in discernendo, subdit (v. 2) : *Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino* ; quia hæc fuit, ut dicit Ambrosius [3], prima descriptio generalis, quæ incohata est a Cyrino. Vel primo facta, id est, primo inchoata, secundum Bedam, ab illo, qui præsidebat in Syria, quæ est umbilicus terræ habitabilis. Et sic fiebat dicta descriptio distincte et ordinate. Et sunt hæc duo indicia sapientiæ in principe, secundum quod dicitur de Salomone [4] : « Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum. » Hæc autem descriptio facta est, non propter vanitatem, sicut illa David, propter quam percussus est populus ; sed propter imperii utilitatem, ut sciretur quantitas tributi, et hoc est discretionis, non elationis [5] : « Ubi manus multæ sunt, claude ; et quodcumque trades, numera et appende : datum vero et acceptum omne describe. » Sed non est cujuscumque singulorum regum tributa describere, sed nascentis Christi. Unde *Psalmus* [6] : « Et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis. » Quantum ad excellentiam justitiæ in prosequendo, subditur (v. 3) : *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Faciebant ergo regis imperium, et nullus occupabat alienum : et ita subjectionem habebant ad regem in professione, et pacem ad invicem in quiete, et justitiam in cohabitatione, secundum illud [7] : « Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem : nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Ut profiterentur,* scilicet se subjectos esse Romano imperio, et hoc, reddendo censum. Et illud erat justum secundum illud [8] : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. » Et quia jam Judæa facta erat tributaria, signatur quod tempus advenerat nativitatis Christi, secundum illud in *Genesi* [9] : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. » *Ibant*, etiam nullo obstante (*a*) impedimento : quo ostenditur, quod istud imperium erat pacatissimum. Et ideo tempus erat ut veniret Christus, pacis annuntiator, de quo [10] : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. » Et ita jam completum erat illud [11] : « Concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui : nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum, et ultra. » Et hoc est, quod dicit Beda : « Pacatissimo tempore voluit nasci Christus, quia pacem magnopere quæsivit et amavit, et amatores pacis semper invisit. »

4. *Ascendit autem et Joseph*, etc. Postquam descripsit tempus debitum, describit hic locum idoneum ; et hoc, quia locus ille conveniens erat prophetali vaticinio, conveniens erat divino promisso, et conveniens erat etiam imperiali edicto. Ostenditur ergo conveniens prophetali vaticinio, in hoc, quod dicit : *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth*, quia secundum unam prophetiam Nazareth competebat con-

[1] *Apoc.*, XIX, 16. — [2] *Eccle.*, V, 7. — [3] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 39. — [4] III *Reg.*, X, 4. — [5] *Eccli.*, XLII, 7. — [6] *Psal.* CXXXVIII, 16. — [7] *Rom.*, XIII, 7, 8. — [8] *Matth.*, XXII, 21. — [9] *Gen.*, XLIX, 10. — [10] *Ephes.*, II, 14. — [11] *Mich.*, IV, 3-5.

(*a*) *Cæt. edit.* præstante.

ceptioni, secundum aliam litteram [1] : « Nazaræus de radice ejus ascendet, » etc. Secundum aliam vero, Bethlehem nativitati ; ideo subdit : *In Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem* [2] : « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in milibus Juda : ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel : et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Unde dicitur, quod Herodi quærenti, ubi Christus nasceretur, responderunt Scribæ [3] : « In Bethlehem Judæ, sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. » Et hæc fuit civitas David, quia inde sumpsit originem [4] : « Dixit Dominus ad Samuelem : Veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem : providi enim in filiis ejus mihi regem. » Et nota, quod alibi natus est Christus, alibi conceptus, et alibi educatus, ut Herodem et alios impios lateret et incarnationis mysterium. Unde *Joannes* [5] : « Numquid a Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? » Ostenditur etiam locus ille conveniens divino promisso, cum subditur : *Eo quod esset de domo et familia David*, ipse scilicet, et sponsa sua virgo Maria. Unde dicit Bernardus [6], quod « in altera completa est promissio facta David, altero tantum teste et conscio. » Hæc promissio facta est David, per Nathan [7] : « Hæc dicit Dominus : Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis : prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. » Et rursus [8] : « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum (*a*) : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. » Ostenditur postremo conveniens imperiali edicto, cum subditur (v. 5) : *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Hoc enim processerat ex imperiali edicto. Et licet ante jam concepisset Virgo Regem cœli et terræ, tamen imperiali edicto etiam prægnans voluit obedire, ut posset cum filio dicere illud [9] : « Sic enim decet nos implere omnem justitiam, » et per hoc exemplum dare nobis obtemperandi omni potestati superiori, secundum illud [10] : « Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Dominum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. » In hoc autem apparet, quomodo humanum imperium famulatur divino : præcipiente enim Cæsare, ut omnes in civitatem suam irent, et obedientibus ejus imperio Maria et Joseph, factum est quod neuter intendebat, scilicet quod Christus nasceretur in Bethlehem, secundum quod erat æternaliter dispositum, et temporaliter promissum, et vaticinatum, et prophetatum. Et ideo non est contemnendum mandatum præpositorum aliquo modo.

Cur Christus in natus, alibi conceptus, alibi educatus

Mandatum præpositi nullo modo contemnendum

6. *Factum est autem, cum essent ibi*, etc. Descripsit prius Christi nativitatem quantum ad tempus debitum, et locum idoneum; hic tertio describit quantum ad partum, quem describit quantum ad tria, scilicet quantum ad opportunitatem pariendi, novitatem partus, et paupertatem parientis; ex quibus ostenditur Christi partus admirabilis, inauditus, et commendabilis. Primo igitur ostendit opportunitatem pariendi, cum dicit : *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret.* Juxta quod dictum est supra, proximo capitulo [11] : « Elisabeth impletum

[1] *Isa.*, XI, 1. Pro voce *flos*, habetur in hebræo *netser*, sed mediante tsade, נצר, dum e contra vox *nezer*, a qua *Nazaræus*, scribitur initiali *Zain*, נזר. — [2] *Mich.*, V, 2. — [3] *Matth.*, II, 6. — [4] I *Reg.*, XVI, 1. — [5] *Joan.*, VII, 42. — [6] Bern., sup. *Missus est*, hom. II, n. 16, in fine. — [7] II *Reg.*, VII, 11 et seq. — [8] *Psal.* CXXXI, 11. — [9] *Matth.*, III, 15. — [10] I *Petr.*, II, 13. — [11] *Luc.*, I, 57.

(*a*) *Vulg.* eam.

est tempus pariendi. » Vere impletum, quia in plenitudine temporis, sicut Christus conceptus et natus [1] : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. » [2] « Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis. »

Insinuat etiam novitatem partus, cum dicit (v. 7) : *Et peperit filium suum primogenitum.* Hoc vero dicit per privationem prioris : quia enim virgo ipsum conceperat, ideo hic primogenitus ejus erat [3] : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, » etc. Et ideo partus novus fuit, sicut et conceptus : quia sicut conceptus sine pudore, sic et partus sine dolore [4] : « Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? » Et postea : « Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus? » Talis partus decebat Christum, de quo Apostolus [5] : « In quo habemus redemptionem, et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. » Unde, sicut est primogenitus Patris, ita etiam primogenitus matris; sicut etiam unigenitus Patris, ita unigenitus matris [6] : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. » Unde non dicit hic *primogenitus* ordinem respectu posterioris, sicut dicebat Elvidius (*a*) hæreticus; sed privationem respectu prioris, quia nullum habuit ante illum, ut ostendatur quod ipse Domino totaliter erat dedicandus. Primogenita enim omnia erant Deo offerenda [7] : « Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis : mea sunt enim omnia. » Insinuat autem tertio paupertatem parientis, quia egens operimenti, lecti et hospitii erat. Propter defectum operimenti, dicit : *Et pannis eum involvit,* non una veste, sed multis, ut pannosus pauper posset dici; et exemplo monstraret illud Apostoli [8] : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. » Et hoc correspondet illi prophetiæ, ubi dicitur [9] : « Et Jesus erat indutus vestibus sordidis. » Bernardus [10] : « Agnoscas Jesum sacerdotem magnum, sordidis indutum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. At ubi exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, mutavit vestem, [11] *decorem induit, amictus lumine, sicut vestimento.* Utilior siquidem est in conflictu lorica ferrea, quam stola linea, licet illa sit oneri, ista honori. » Et in hoc reprehenditur cultus vestium pretiosarum; propter quod dicit [12] : « Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. » Et [13] : « In vestitu ne glorieris unquam. » Propter defectum lectuli, subdit : *Et reclinavit eum in præsepio*, non in cubili, ita ut verificaretur illud [14] : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. » In præsepio ponitur Christus, ut ostendatur illud [15] : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » Et ut verificaretur illud [16] : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Et illud [17] : « Consideravi opera tua, et obstupui : in medio duorum animalium cognosceris. » In hoc autem, secundum mysticum intellectum, quod natus est in Bethlehem, intelligitur quod est panis vivus [18] : « Bethlehem domus panis interpretatur. » In hoc quod in præsepio positus, notatur quod est cibus simplicium et humilium, ratione carnis assumptæ [19] : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. » In hoc, quod in medio duorum animalium, signatur quod in hoc pastu et pastore uniri debebant pecora duplicis ovilis [20] : « Alias oves habeo, quæ non sunt

Sensu mystico

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] *Psal.* LXXII, 12. — [3] *Isa.*, VII, 14. — [4] *Isa.*, LXVI, 7-9. — [5] *Coloss.*, I, 15. — [6] *Joan.*, I, 14. — [7] *Exod.*, XIII, 2. — [8] I *Tim.*, VI, 8. — [9] *Zach.*, III, 3. — [10] Bern., *de Nativ. Dom.*, serm. IV, n. 1. — [11] *Psal.* XCII, 1. — [12] *Matth.*, XI, 8. — [13] *Eccli.*, XI, 4. — [14] *Luc.*, IX, 58. — [15] *Joan.*, VI, 41. — [16] *Isa.*, I, 3. — [17] *Habac.*, III, 2. — [18] Greg., *in Evang.*, hom. VIII, n. 1. — [19] *Isa.*, XL, 6. — [20] *Joan.*, X, 16.

(*a*) *Al.* Helvidius.

ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. » Moraliter et ad litteram, in hoc damnavit Christus lectos delicatos, contra quos [1] : « Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. » Propter defectum habitaculi, subdit: *Quia non erat eis locus in diversorio.* Diversorium namque, secundum Isidorum [2], dicitur eo quod *diversi* ibi conveniant, et sic est locus patens; secundum Bedam vero, eo quod *diversa* habeat orificia: nam est platea vacua inter duos vicos, habens introitum et exitum ad utrumque, et propter intemperiem aeris superius cooperta, et ubi cives ad colloquendum venire possunt. Hic peperit virgo Maria, quia non habebant domum, in qua possent hospitari, sive quia pauperes erant, sive quia tarde venerant. Et quia arctus erat locus, vel etiam aliis repletus, non habebant locum nisi arctissimum, inter bruta animalia. Unde poterat Christus dicere illud [3] : « Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi; ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. » Et verificatum est illud Hieremiæ [4] : « Expectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non potest salvare? Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, » etc. Et in hoc damnatur ædificiorum amplitudo, secundum illud Isaiæ [5] : « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. » Augustinus : « Non erat illi, nisi angustia in terris, ut tu ei locum cordis tui sibi proprium dilatares. Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet, et tu ampla palatia et ingentes porticus metiris. » Sic ergo Christum paupercula mater pauperem peperit : ut nos ad paupertatem invitaret, et sua inopia ditaret, secundum illud [6] : « Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » Et secundum hanc omnimodam indigentiam, damnavit avaram opulentiam. Unde Bernardus [7] : « Elegit Filius Dei pauperem matrem, quæ vix pannos habebat ad involvendum, et præsepe ad reclinandum, locum ad reponendum : non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat : sed divinam falli est impossibile sapientiam : elegit ergo, qui non fallitur, quod carni molestius est : id ergo melius, id utilius, id magis eligendum. » Simus ergo cum Christo, sicut dicitur [8] : « Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Ex hoc insinuatur nobis, quod iste erat vere Salvator mundi, qui in sui ortus primordio exemplum virtutis præbuit, et viam salutis ostendit; habendo enim lectulum vilem, et humilem, et pauperem, jam incipiebat ostendere, quod mundus iste contemnendus est, secundum tria in eo contenta. Jam incipiebat statum perfectionis exemplo monstrare, qui consistit in humilitate, austeritate et paupertate. Ostendit etiam in hoc Dominus summæ dignationis affectum, quia non tantum parvulus, sed pauperculus et despectus pro nobis est factus; ita vero posset dicere illud [9] : « Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. »

8. *Et pastores erant,* etc. Descripsit superius Evangelista, qualiter Christi nativitas fuit consummata; hic secundo describit, qualiter fuit denuntiata. Ad denuntiationem autem nativitatis Christi perfecte faciendam tria concurrunt : primum est dispositio præparans ad audiendum; secundum, annuntiatio invitans ad exultandum, quod describit ibi : *Et dixit illis Angelus,* etc.; tertium, confirmatio certificans ad credendum, et hoc describit ibi : *Et hoc vobis signum,* etc. Quantum ad primum, notandum quod dispositio præ-

[1] *Amos,* VI, 4. — [2] Isid., *Etymol.*, lib. XV, c. III. — [3] *Psal.* LXXII, 22, 23. — [4] *Jerem.*, XIV, 8 et seq. — [5] *Isa.*, V, 8. — [6] II *Cor.*, VIII, 9. — [7] Bern., *de Nativ. Dom.*, serm. III, n. 1. — [8] II *Cor.*, VI, 10. — [9] *Psal.* LXXXVII, 16.

parans ad audiendum fuit pastorum attentio, quæ ortum habuit a duplici causa, scilicet ex propriæ sollicitudinis vigilantia, et ex angelici luminis circumfulgentia. Quantum ad vigilantiam propriæ sollicitudinis, dicitur: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes.* Hoc igitur spectat ad pastorale officium. Unde Jacob pastor ovium Laban dicebat [1] : « Die noctuque æstu urgebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. » Et ad majoris attentionis insinuationem, subdit: *Et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Nocte enim potissimum vigilandum est, propter hostilem incursum repellendum, luporum scilicet et latronum. Per hoc autem insinuatur spiritualis vigilantia, quæ debet esse in prælatis. Unde [2] : « Tu vero vigila : in omnibus labora; opus fac evangelistæ : ministerium tuum imple : sobrius esto. » Et ideo [3] : « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Quia [4] : « Qui præest, in sollicitudine. » Vigilare etiam debet quilibet contra hostem spiritualem, secundum illud [5] : « Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini : leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum. » Vigilare etiam debet in contemplatione. In *Psalmo* [6] : « Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me; et nox illuminatio mea in deliciis meis. » Et Isaias [7] : « Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Et hoc est, quia talis hora competit divinæ inspirationi. Talis etiam hora conveniebat divinæ nativitati, secundum illud [8] : « Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo, et a regalibus sedibus venit. » Et signanter dicit : *Super gregem suum*, secundum illud [9] : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. » Contra quod dicitur [10] : « O pastor et idolum, derelinquens gregem. » Et Hieremias [11] : « Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitaverit te ? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum. »

Quantum ad circumfulgentiam angelici luminis, subditur (v. 9) : *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos*, etc. In hoc, quod juxta stetit, ostendit familiaritatem et humilitatem ministerii, quo angelus condescendit homini, et astat illi modo ut adjutor, secundum illud [12] : « Consurgit Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui; » modo ut eruditor et illuminator, secundum illud [13] : « Apparuit ei Gabriel, stans a dextris altaris incensi. » Simili modo et hic; unde Ambrosius [14] : « Angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores edocet. » In cujus rei signum subditur : *Et claritas Dei circumfulsit illos*, id est fulsit circa illos. Simile dicitur de angelo qui apparuit Petro [15] : « Ecce angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo, » scilicet carceris. Ideo autem angelus hic lumen attulit, quia filius lucis fuit; et quia eum annuntiare venerat, qui est [16] « lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Et ideo nocte lumen attulit, ut significetur impleri illud *Isaiæ* [17] : « Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. » Ex hac autem claritate pastores sollicitos reddidit; propter quod subditur : *Et timuerunt timore magno*, sicut et Zacharias in conspectu angeli [18] : « Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. » Et nota, quod angelus magis apparuit pastoribus, quam alii generi hominum : tum quia pauperes, propter quos veniebat Christus [19] :

[1] *Gen.*, XXXI, 40. — [2] II *Tim.*, IV, 5. — [3] *Hebr.*, XIII, 17. — [4] *Rom.*, XII, 8. — [5] *Thren.*, II, 19. — [6] *Psal.* CXXXVIII, 11. — [7] *Isa.*, XXVI, 9. — [8] *Sap.*, XVIII, 14. — [9] *Prov.*, XXVII, 23. — [10] *Zach.*, XI, 17. — [11] *Jerem.*, XII, 20 et seq. — [12] *Dan.*, XII, 1. — [13] *Luc.*, I, 11. — [14] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 51. — [15] *Act.*, XII, 7. — [16] *Joan.*, I, 9. — [17] *Isa.*, IX, 2. — [18] *Luc.*, I, 12. — [19] *Psal.* XI, 6.

« Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. » Bernardus [1] : « Quam multa hodie auro et gemmis fulgent altaria ! Putas, ad hæc divertent angeli et pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur magis pastoribus ovium apparuerunt, quam regibus terræ, quam sacerdotibus templi ? » Tum etiam, quia simplices [2] : « Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. » Et in *Matthæo* (*a*) [3] : « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Tum etiam, quia vigiles [4] : « Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. » *Sapientia* [5] : Sapientia « præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. » Et sequitur : « Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. » Sive propter mysterium, ut insinuetur, quod doctrina veritatis debet a prælatis pervenire ad subditos. Unde glossa : « Illi præ cæteris sublimia videre merentur, qui fidelibus sollicite præsunt. »

10. *Et dixit angelus*, etc. Hic secundo describitur annuntiatio invitans ad exultandum; in qua præmittitur exhortatio ad fiduciam et ad lætitiam, et subditur annuntiatio exprimens lætitiæ causam. Exhortans igitur angelus ad fiduciam, dixit illis : *Nolite timere.* Non enim venerat angelus nuntiare rem terribilem, sed potius desiderabilem, sicut et ille qui resurrectionem annuntiavit mulieribus [6] : « Nolite expavescere : » in quo tribuit sperandi fiduciam. In hoc agnoscitur differentia inter angelum lucis, et tenebrarum, quia bonus angelus assecurat, sed malus finaliter terret. Et quod plus est, invitat ad lætitiam, propter quod addit : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum.* Hoc optabat Raphael, cum dicit [7] : « Gaudium semper sit tibi. » Propter hoc gavisi sunt Magi [8] : « Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. » Et dicitur *magnum*, ad differentiam gaudii hypocritarum, quod est momentaneum ; *Job* [9] : « Gaudium hypocritæ ad instár puncti. » Et [10] : « Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » Magnum est etiam, quia amplum; quod notat, cum subdit : *Quod erit omni populo*; et hoc ad differentiam gaudii mundanorum, quod non est universale [11] : « Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. » Contra quod dicitur infra [12] : « Et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. » Et quia nemo gaudet perfecte, nisi ex causa et ratione, ideo subditur denuntiatio exprimens lætitiæ causam, cum dicitur (v. 11) : *Quia natus est vobis hodie Salvator* : *Vobis,* id est ad utilitatem vestram, scilicet hominum; *Isaias* [13] : « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis. » Et vere ad utilitatem, quia Salvator [14] : « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator. » Et [15] : « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. » Et vere salvator, secundum illud [16] : « Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » In hoc autem insinuatur causa gaudendi pro nativitate [17] : « Et orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ. » Nec tantum gaudendum ratione utilitatis, verum etiam dignitatis; et ideo subinfertur : *Qui est Christus Dominus in civitate David.* Et sic reparabit regnum israeliticum, secundum illud [18] : « Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum. » Et ideo recte additur : *Dominus,* quia ipse est [19] « Rex regum, et Dominus dominantium. » Et *Apocalypsis* [20] : « Habet in vesti-

[1] Bern., *de Nativ. Dom.*, serm. IV. — [2] *Prov.*, III, 32. — [3] *Matth.*, XI, 23. — [4] *Prov.*, VIII, 17. — [5] *Sap.*, VI, 14, 16. — [6] *Marc.*, XVI, 6. — [7] *Tob*, V, 11. — [8] *Matth.*, II, 10. — [9] *Job*, XX, 5. — [10] *Job*, XXI, 12. — [11] *Joan.*, XVI, 20. — [12] *Luc.*, XIII, 17. — [13] *Isa.*, IX, 6. — [14] *Isa.*, XLV, 15. — [15] *Isa.*, XIX, 20. — [16] *Act.*, IV, 12. — [17] *Malac.*, IV, 2. — [18] *Isa.*, IX, 7. — [19] I *Tim.*, VI, 15. — [20] *Apoc.*, XIX, 16.— (*a*) *Cæt. edit.* Et Matthæus.

mento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. » Et ideo *in civitate David*, id est, in Bethlehem, unde ortus fuit David.

12. *Et hoc vobis signum.* Post dispositionem præparantem ad audiendam denuntiationem invitantem ad exultandum, subditur hic tertia confirmatio certificans ad credendum. Et quoniam [1] « in ore duorum testium stare debet omne verbum; » ideo dupliciter confirmantur pastores per visum et auditum : isti enim duo sensus potissime nobis deserviunt ad cognoscendum. Primo ergo certificantur per signum probabile; deinde per testimonium credibile. Quantum ergo ad signi probabilis persuasionem, dicitur [2] : *Et hoc vobis signum.* Nam, secundum quod dicitur, « Judæi signa petunt. » Et hoc maxime petebat propheta David [3] : « Fac mecum, inquit, signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur; quoniam tu, Domine, adjuvisti me. » Hoc signum petendum erat [4] : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo. » Hoc etiam promittebat [5] : « In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. » *Et hoc vobis signum*; *vobis*, inquam, pauperibus, quod venerit paùperes liberare, secundum illud [6] : « Liberabit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adjutor. » *Quia invenietis infantem pannis involutum*, et pauperem, et mendicum [7] : « Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam. » Bernardus [8] : « In signum positi sunt panni tui, Domine Jesu; sed in signum, cui hodie a multis contradicitur. » [9] « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi; » et ideo nec signati. Erit etiam vobis humilibus signum, quod venerit liberare humiles, secundum illud [10] : « Populum humilem salvum facies, » in hoc, quod subditur : *Et positum in præsepio;* ecce mira humilitas, quod Dominus cœlorum inclinavit se usque ad præsepe animalium brutorum. [11] « Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum, » etc. Unde in *Psalmo* [12] : « Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Et nota, quod pastores erant pauperes, simplices, et contemptibiles. Ideo, ne timerent accedere, datum est eis in Christo infantiæ signum, paupertatis, et humilitatis. Et in hoc significatur, qualiter, et a quibus invenitur Christus. Unde [13] : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, » etc. Et ideo infra [14] : « Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur : » et hoc, quia per ista signa non fuit cognitus a carnalibus et superbis. Unde [15] : « Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra. Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius. » Et iterum : « Posuerunt signa sua, signa : et non cognoverunt sicut in exitu super summum. » Quantum vero ad testimonii credibilis persuasionem, subditur (v. 13) : *Et subito facta est cum angelo multitudo. Facta est,* scilicet ad confirmandum pariter dictum angelicum, et ad venerandum parvulum natum, secundum illud [16] : « Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. » Et signanter dicitur : *Multitudo*, secundum illud [17] : « Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam. » *Militiæ cœlestis*, secundum illud *Job* [18] : « Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius? » Et ideo [19] : « Nolite timere,

[1] *Matth.*, XVIII, 16. — [2] I *Cor.*, I, 22. — [3] *Psal.* LXXXV, 17. — [4] *Isa.*, VII, 11. — [5] *Isa.*, XI, 10. — [6] *Psal.* LXXI, 12. — [7] *Zach.*, IX, 9. — [8] Bern., *de Nativ. Dom.*, serm. IV. — [9] *Matth.*, XX, 16. — [10] *Psal.* XVII, 28. — [11] *Isa.*, LIII, 2. — [12] *Psal.* XXI, 7. — [13] I *Cor.*, 26. — [14] *Luc.*, II, 34. — [15] *Psal.* LXXIII, 8, 9, 4. — [16] *Hebr.*, I, 6. — [17] *Hebr.*, XII, 22. — [18] *Job*, XXV, 3. — [19] IV *Reg.*, VI, 16.

dicit Elisæus, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis; » et hoc apparet in ortu ejus, secundum illud in *Apocalypsi* [1] : « Ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax. » Et postea [2] : « Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. » Et hæc tota multitudo, ad confirmationem verbi angelici, prorumpit in decantationem cantici; propter quod dicitur : *Laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* [3] « Job, ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ? »

14. *Gloria in excelsis Deo*, etc. Nota quod glorificandus est Deus in incarnatione, quia, ut dicit Daniel [4], in hoc opere demonstratur sublimis bonitas, sapientia, potentia, et justitia Dei. *Gloria* ergo *in excelsis Deo :* pro bonitate, qua non despexit proprii plasmatis infirmitatem [5] : « Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Pro sapientia, quia invenit difficillimi solutionem decentissimam [6] : « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei ! » Et sequitur : « Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Pro potentia, quid enim potentius, quam Deum fieri hominem ? [7] « Abraham confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. » Et item [8] : « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. » Pro justitia, quia simile simili resalvavit [9] : « Sedenti in throno et agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. » Et ideo cantatur [10] : « Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine. » Et nota, quod gloriam Deo attribuunt, quia Dominus sibi illam reservavit [11] : « Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo. » Pacem vero optant nobis in terris, quia ait Dominus [12] : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Et recte dicit : *Bonæ voluntatis*, quia secundum illud [13] : « Non est pax impiis, dicit Dominus Deus. » Et præmittit gloriam Dei paci nostræ, quia nullus pacem habere potest, qui nititur gloriam Dei usurpare. Bernardus [14] : « Displicet hominibus angelica partitio, qua Deo gloria, et pax hominibus nuntiatur. » O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam : certe qui gloriam appetit, Deo resistit. Sed dicitur [15] : « Quis restitit ei, et pacem habuit ? » [16] « Acquiesce igitur ei, et habeto pacem : et per hæc habebis fructus optimos, » sicut dicitur in *Job*, pacem scilicet pectoris, de qua dicitur [17] : « Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu, » etc. Et pacem æternitatis, de qua in *Isaia* (*a*) [18] : « Declinabo super eam quasi fluvium pacis. » *Psalmus* [19] : « Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. » Nota etiam, quod pax optatur hominibus et denuntiatur, quia per Christum pacificatur homo cum Deo [20] : « Faciet mihi pacem, pacem faciet mihi. » Pacificatur cum angelis [21] : « Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. » Pacificatur cum homine [22] : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. » Pacificatur in se [23] : « Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum. » In horum figura dicitur [24] : « Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes. » Hanc Apostolus semper optat, et Christus præcipit [25] : « In-

[1] *Apoc.*, VI, 2. — [2] *Apoc.*, XIX, 14. — [3] *Job*, XXXVIII, 7. — [4] Quis et qualis sit iste Daniel, definire difficile est. — [5] *Gal.*, I, 4. — [6] *Rom.*, XI, 33, 36. — [7] *Rom.*, IV, 20. — [8] *Ephes.*, III, 21. — [9] *Apoc.*, V, 13. — [10] Doxologia vetus in fine hymnorum in honorem B. Virginis. — [11] *Isa.*, XLII, 8. — [12] *Joan.*, XIV, 27. — [13] *Isa.*, LVII, 21. — [14] Bern., *de Nativ. Dom.*, serm. IV, n. 2. — [15] *Job*, IX, 4. — [16] *Job*, XXII, 21. — [17] *Philip.*, IV, 7. — [18] *Isa.*, LXVI, 12. — [19] *Psal.* CXLVII, 14. — [20] *Isa.*, XXVII, 5. — [21] *Coloss.*, I, 20. — [22] *Ephes.*, II, 14. — [23] *Job*, V, 24. — [24] *Jos.*, XXI, 41. — [25] *Matth.*, X, 13. — (*a*) *Cæt. edit.* de qua Isaias.

trantes autem in domum, salutate eam dicentes : Pax huic domui. »

15. *Et factum est, ut discesserunt angeli*, etc. Postquam descripsit Evangelista, qualiter Christi nativitas fuit consummata, et qualiter per angelos denuntiata ; hic jam tertio describit, qualiter per pastores fuit divulgata : quod quidem factum est diligentia pastorali. Et hæc pastorum diligentia ab Evangelista ostenditur commendabilis in tribus : primo scilicet a sollicitudine inquisitionis; secundo, a certitudine inventionis, ibi (v. 16) : *Et invenerunt Mariam*, etc.; tertio vero, a gratitudine devotionis, ibi : *Et reversi sunt*. Sollicitudo autem inquisitionis in pastoribus commendatur a tribus, scilicet a vicissitudine exhortationis, a rectitudine intentionis,et a promptitudine executionis. Quantum ad vicissitudinem mutuæ exhortationis, dicitur : *Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem*, scilicet se mutuo cohortando, secundum illud [1] : « Videte, fratres, nequando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, » etc. Et hoc recte, quia [2] « ferrum ferro acuitur (*a*), et homo exacuit faciem amici sui. »

Quantum vero ad rectitudinem intentionis, subdit secundo : *Transeamus usque in Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est*. Ideo volebant transire, ut viderent, sicut Moyses [3] : « Vadam, et videbo visionem hanc magnam. » *Et videamus hoc verbum quod factum est*, id est, rem dignam Verbo, vel certe Verbum carnem factum, secundum illud [4] : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus. » *Factum*, inquam, non ab homine, sed a Deo. Unde addit : *Quod fecit Dominus*, id est, tota Trinitas. [5] « Cum feceris mirabilia, non sustinebimus; descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. » Nec tantum fecit, sed et *ostendit nobis*. Hoc orabat David dicens [6] : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, » etc. Et Dominus promittit [7] : « Ostendam illi salutare meum. »

Quantum autem ad promptitudinem executionis, subjungitur (v. 16) : *Et venerunt festinantes*. Et hoc est, quod dicitur [8] : « Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere. » Festinantia signum erat promptitudinis interioris qua divino conspectui volebant præsentari [9] : « Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit. » Unde dicebant intra se illud [10] : « Festinemus ergo ingredi in illam requiem, » etc. Nota, quod volenti spiritualiter Christum invenire, hæc tria sunt necessaria, scilicet : 1. Colloqui per meditationem Scripturarum [11] : « Cum sapientibus et prudentibus tracta, et omnis enarratio tua sit in præceptis Altissimi. » 2. Transire per contemplationem creaturarum [12] : « Surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea. » Sequitur : « Paululum cum pertransissem (*b*) eos, inveni quem diligit anima mea. » [13] « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, a generationibus meis adimplemini. » 3. Festinare per gratiarum actionem [14] : « Surge, amica mea, speciosa mea. » Et post : « Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Et [15] : « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, » etc. Et ideo supra [16] de Maria dicitur, quod « abiit in montana cum festinatione. » *Et invenerunt Mariam*, etc. Hic secundo commendatur pastorum diligentia a certitudine inventionis, cujus laus ex tribus colligitur, scilicet quia fuit certi-

Vole Chris tum venir tria su necess ria.

[1] *Hebr.*, III, 12. — [2] *Prov.*, XXVII, 17. — [3] *Exod.*, III, 3. — [4] *Joan.*, I, 14. — [5] *Isa.*, LXIV, 3 et seq. — [6] *Psal.* LXXXIV, 8. — [7] *Psal.* XC, 16. — [8] *Prov.*, IX, 9. — [9] Ibid., XXII, 29. — [10] *Hebr.*, IV, 11. — [11] *Eccli.*, IX, 21. — [12] *Cant.*, III, 2, 4. — [13] *Eccli.*, XXIV, 26. — [14] *Cant.*, II, 13, 4. — [15] *Cant.*, V, 6. — [16] *Luc.*, I, 39.

(*a*) *Vulg.* exacuitur. — (*b*) *Cæt. edit.* pertransisset.

tudinaliter comprobata, celeriter divulgata, et memoriter conservata. Primo quidem fuit certitudinaliter comprobata, quia per probabilia signa et evidentia; propter quod dicitur : *Et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* Ideo invenerunt, quia sollicite quæsiverunt, et absque fictione. Unde dicitur [1] : « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum. » Et nota, quod invenitur cum Maria Virgine et Joseph viro justo, et in præsepio, quia eum, qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam cordis, respectu sui; justitiam, respectu proximi; humilitatem et reverentiam, respectu Dei. Et ista sunt tria munera, quæ offerunt reges Christo infanti ; et ideo ab eis voluit inveniri [2] : « Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. » In hoc etiam instruimur, si volumus Christum invenire, prius ad Mariam debemus accedere, de ipsa enim dicitur supra [3] : « Invenisti gratiam apud Deum. » Ipsa ergo « invenit gratiam et misericordiam coram Assuero super omnes mulieres, » sicut dicitur [4]. Et ideo [5] « accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Et quia hoc signum datum est ab angelo, ideo subditur (v. 17) : *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc,* scilicet quod esset verum. Unde jam poterant dicere illud Samaritanorum ipsi angelo [6] : « Jam non propter loquelam tuam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi. » Vere cognoverunt, quia de ovibus erant illius pastoris qui dicit [7] : « Cognosco meas, et cognoscunt me meæ. » Hoc desiderabat Job [8] : « Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus? » Non solum fuit certitudinaliter comprobata, sed et celeriter divulgata; propterea subditur (v. 18) : *Et omnes, qui audierant, mirati sunt,* scilicet de parvulo nato. *Et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos,* quæ scilicet audierant ab Angelo. Unde de viro justo dicitur [9] : « Et mirati sunt in illo multi, et honorificaverunt Deum. » Videbantur enim verba pastorum non contemnenda, sed admiranda. Ambrosius [10] : « Nec contemnenda putes quasi vilia verba prophetarum : a pastoribus etiam Maria fidem colligit. A pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur; plebem enim Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita et fucare nesciret. » Hæc ille. Mirati sunt etiam, quia parvulus non videbatur eis contemptibilis, sed admirabilis. Unde *Isaias* [11] : « Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus admirabile (*a*), » etc. Ubique enim admirabilis Christus apparet, non solum nascens, sicut hic, sed et proficiens, infra, eodem [12] : « Et stupebant super prudentia et responsis ejus. » Admirabilis etiam docens, infra [13] : « Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. » Admirabilis tacens [14] : « Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. » Admirabilis in actione [15] : « Quis, putas, hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei? » Admirabilis in passione [16] : « Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset, » etc. Admirabilis in resurrectione [17] : « Petrus videns linteamina sola posita, abiit, secum mirans quod factum fuerat. » Admirabilis in ascensione [18] : « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnifi-

Quæ hæ-re det-at qui velit Christum invenire.

Christus in omnibus admirandus atque stupendus.

[1] *Sap.*, I, 1. — [2] *Matth.*, II, 11. — [3] *Luc.*, I, 30. — [4] *Esth.*, II, 9. — [5] *Hebr.*, IV, 16. — [6] *Joan.*, IV, 42. — [7] *Joan.*, X, 14. — [8] *Job*, XXIII, 3. — [9] *Eccli.*, XI, 13. — [10] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 53. — [11] *Isa.*, IX, 6. — [12] *Luc.*, II, 47. — [13] Ibid., IV, 32. — [14] *Marc.*, XV, 5. — [15] *Luc.*, VIII, 25. — [16] *Marc.*, XV, 44. — [17] *Luc.*, XXIV, 12. — [18] *Psal.* VIII, 2, 3, 10.

(*a*) *Vulg.* Adruirabilis.

centia tua super cœlos. » Admirabilis in extremo examine [1] : « Acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero. »

Fuit tertio memoriter conservata, unde subditur (v. 19) : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo :* tanquam prudens et discreta, secundum illud [2] : « Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui. » Et in *Ecclesiastico* [3] : « Qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. » Unde dicitur de fatuo [4] : « Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. » Unde Virgo fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana; et ideo per arcam Moysi designatur, de qua dicitur [5], quod continebat tabulas legis divinæ. Et quia non solum conservabat, sed etiam intelligebat, ideo additur : *Conferens ea in corde suo,* ita ut posset dicere illud [6] : « In corde meo abscondi eloquia tua. »

20. *Et reversi sunt pastores*, etc. Hic commendatur diligentia pastorum a gratitudine devotionis. Ad hoc autem, quod devotio Deo sit accepta, necesse est quod similiter resonent et concordent manus, mens et lingua : manus, operando; lingua, laudando; mens, rectificando. Laudabilis ergo erat pastorum devotio propter debitam operationem, propter quod dicitur : *Et reversi sunt pastores,* scilicet ad custodiam gregis commissi. In quo erudiuntur devoti, ut post contemplationem Salvatoris revertantur ad exercitium actionis [7] : « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Et infra [8] : « Redi in domum tuam, et narra, quanta fecit tibi Deus. » Hujus figura habetur in *Josue* [9] : « Reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte, et transmisso Jordane, venerunt ad Josue. » In quo signatur, quod tempore tentationis revertendum est ad orationem, et postmodum redeundum est ad actionem. Laudabilis etiam fuit propter debitam gratiarum actionem, ratione cujus subditur : *Glorificantes, et laudantes Deum.* [10] « Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, major enim est omni laude. » Contrarium dicitur de sapientibus mundanis [11] : « Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, » etc. Et ideo qui non vult excæcari, necesse habet Deo de beneficiis suis regratiari. Ideo dicitur [12] : « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo. » Fuit etiam laudabilis propter debitam recognitionem, ratione cujus subjungitur : *In omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.* Unde poterant dicere illud *Psalmi* [13] : « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri. » Tunc verificatum est illud *Psalmi* [14] : « Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. » Et nota, quod dicitur : *In omnibus quæ audierant et viderant;* in quo ostenditur plenitudo gratitudinis [15] : « Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri. » Et nota ordinem, quod dicit : *In omnibus, quæ audierant*, etc., quia, secundum aliam litteram [16] : « Nisi credideritis, non intelligetis (*a*). » Sed [17] « fides ex auditu; » (*b*) intelligentia autem ex visu [18] : « Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. » Job [19] : « Auditu

Devotio Deo accepta.

[1] *Sap.*, VIII, 11. — [2] *Prov.*, III, 3, 4. — [3] *Eccli.*, L, 30. — [4] *Eccli.*, XXI, 7. — [5] *Hebr.*, IX, 4. — [6] *Psal.* CXVIII, 11. — [7] *Ezech.*, I, 14. — [8] *Luc.*, VIII, 39. — [9] *Jos.*, II, 13. — [10] *Eccli.*, XLIII, 32, 33. — [11] *Rom.*, I, 21. — [12] *Coloss.*, III, 17. — [13] *Psal.* XLVII, 9. — [14] *Psal.* CXXXI, 6. — [15] *Ephes.*, V, 18 et seq. — [16] *Isa.*, VII, 9. — [17] *Rom.*, X, 17. — [18] *Luc.*, X, 23. — [19] *Job*, XLII, 5.

(*a*) *Vulg.* non permanebitis.— (*b*) *Cet. edit. add.* in.

auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. »

21. *Et postquam consummati*, etc. Supra descripsit Evangelista veritatem nativitatis Christi, per quam ostenditur, qualiter Christus factus est de muliere; hic secundo describitur humilitas Christi nascentis, per quam declaratur, qualiter factus est sub lege. Quoniam autem legis præcepta sunt in triplici differentia, quædam sunt sacramentalia, quædam cæremonialia, et quædam moralia; ideo hæc pars habet tres, in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege sacramentali in circumcisione; in secunda vero, qualiter factus est sub lege cærimoniali in sui oblatione, ibi (v. 22) : *Et postquam impleti sunt*, etc.; in tertia, qualiter factus est sub lege morali in Dei honoratione, ibi : *Puer autem crescebat*, etc. Quantum ad primum, notandum, quod [1] « omnis qui se humiliat, exaltabitur : » ideo præmittitur humiliatio secundum legis præceptum, cum dicitur : *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, etc. Ita enim erat præceptum [2] : « Infans octo dierum circumcidetur in vobis. » Et recte dicuntur dies isti consummati, propter perfectionem humilitatis, et inchoationem nostræ salutis [3] : « Cum consummaverit homo, » scilicet octo dies, « tunc incipiet, » nos scilicet liberare : jam enim octava die incipiebat pro nobis sanguinem suum fundere. Bernardus [4] : « Audivimus congruam lectionem de Verbo abbreviato. Abbreviatum est in carne; amplius abbreviabitur carnis suscepta circumcisione. » Et post : « Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium sustinet humile pariter, et austerum. » Voluit autem Dominus circumcidi, tum propter legis approbationem et impletionem, de qua dicit [5] : « Non veni legem solvere, sed adimplere; » tum etiam propter humanitatis ac humilitatis ostensionem [6] : « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras; » alia littera : « vias latronis. » Bernardus [7] : « Qui sine peccato est, non dedignatur peccator reputari; imo latronis cauterio est signatus. » Tum etiam propter spiritualis circumcisionis introductionem [8] : « Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda. » Tum etiam propter conformitatis et concordiæ commendationem [9] : « Debuit per omnia fratribus similari. » Bernardus : « Amator communitatis et commendator Jesus, quomodo illam desereret? »

Deinde additur clarificatio propter nomen impositum, cum subditur : *Vocatum est nomen ejus Jesus*, id est Salvator, ut scilicet ipso nomine scias, quod non accepit circumcisionem propter necessitatem sui curationis, sed propter dispensationem nostræ salutis [10] : « Ipse erit Salvator meus. » Hoc autem est nomen dignum omni veneratione [11] : « Humiliavit semetipsum, etc. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur. » Hoc autem nomen competit ipsi Christo vere et proprie : vere, secundum illud [12] : « Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum; » proprie, secundum illud [13] : « Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. »

Postremo subditur impositi nominis approbatio per præconium angelicum, cum subditur : *Quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* [14] « Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. » Et *Ecclesiastes* [15] : « Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus, et scitur quod homo sit. » Et hoc quidem factum est

[1] *Luc.*, XIV, 11. — [2] *Gen.*, XVII, 12. — [3] *Eccli.*, XVIII, 6. — [4] Bern., *de circumc. Dom.*, serm. 1, a princ. — [5] *Matth.*, V, 17. — [6] *Psal.* XVI, 4. — [7] Bern., ubi supra proxime, et serm. III, n. 3.— [8] *Jerem.*, IV, 4.— [9] *Hebr.*, II, 17. — [10] *Job*, XIII, 16. — [11] *Philip.*, II, 7-9. — [12] *Matth.*, I, 21. — [13] *Act.*, IV, 12. — [14] *Isa.*, LXII, 2. — [15] *Eccle.*, VI, 10.

nunc [1] : « Vocabis nomen ejus Jesum. » Hoc vero nomen divinum et angelicum, quod desiderat Sponsa in *Canticis* [2] : « Oleum effusum nomen tuum. » [3] « Aridus est omnis cibus animæ, si non isto oleo infundatur. Insipidus est, si non hoc sale condiatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. » Et ideo dicitur [4] : « Nomen tuum et memoriale tuum, in desiderio animæ. »

Interpretatio spiritualis.

Spiritualiter nota, quod per octo dies intelliguntur octo ætates, quarum sex sunt in decursu mundi, secundum sex distinctiones notabiles; septima in quiete aliarum; quæ currit simul cum sexta, et non habet vesperam; octava in resurrectione, in qua fit circumcisio ab omni culpa et miseria; et ideo circumcisio in octavo die, ad illius circumcisionis designationem. Secundum tropologiam autem et allegoriam simul, intelligitur per septem dies, virtus Spiritus septiformis, et octavus est perseverantia finalis, quæ nunquam deficit. Prima ergo pertinet ad lucem fidei, quia prima die facta est lux [5] : « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Secunda vero, ad firmitatem spei, in qua factum fuit firmamentum [6] : « Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, » etc. Tertia ad viriditatem charitatis, quando terra germinat [7] : « Justi, quasi virens folium, germinabunt. » Gregorius [8] : « Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis. » Quarta, ad luminosam discretionem prudentiæ, quæ viget in virili ætate [9] : « Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent. » [10] « Lucetis sicut luminaria in mundo. » Quinta, ad fortitudinem potentiæ, quæ probatur in aquis tribulationis [11] : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » [12] « Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis. » Sexta, ad rectitudinem justitiæ, propter severitatem respectu bestialium motuum, et pietatem respectu hominum [13] : « Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis. » Septima, ad sanctificationem temperantiæ; *Exodo* [14] : « Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras : laventque vestimenta sua. » Et in [15] : « Memento, ut diem sabbati sanctifices. » Octava, ad consummationem finalis perseverantiæ [16] : « Erunt feriæ tabernaculorum septem diebus. Octavus dies erit celeberrimus, atque sanctissimus, » quia erit de transitu hujus vitæ ad gloriam supernam. Unde etiam (*a*) *Domine, ne in furore tuo arguas me*, intitulatur *Psalmus pro octava.*

Tropologia, et allegoria.

22. *Et postquam impleti sunt*, etc. Hic ostendit Evangelista, qualiter Christus factus sit sub lege cæremoniali; et habet hæc pars tres partes : in prima præmittitur Christi humiliatio secundum legis præceptum; in secunda vero subditur Christi clarificatio per veritatis testimonium, ibi (v. 25) : *Et ecce homo erat in Jerusalem*, etc.; in tertia, consummatio prædictorum, ibi (v. 39) : *Et cum perfecissent* (*b*) *omnia*, etc. Circa primum, scilicet Christi humiliationem, quatuor sunt consideranda, quæ tangit Evangelista : describit enim Christi oblationem quantum ad tempus statutum, quantum ad locum designatum, quantum ad mandatum scriptum, et quantum ad pretium oblatum.

Primo igitur, quantum ad tempus statu-

[1] *Luc.*, I, 31. — [2] *Cant.*, I, 1. — [3] Bern., *sup. Cant.*, serm. XV, n. 6. — [4] *Isa.*, XXVI, 8. — [5] *Prov.*, IV, 18. — [6] *Hebr.*, VI, 18. — [7] *Prov.*, XI, 28. — Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, n. 1. — [9] *Eccle.*, XII, 1. — [10] *Philip.*, II, 15. — [11] *Psal.* LXVIII, 2. — [12] *Psal.* XVII, 17. — [13] *Job*, V, 24. — [14] *Exod.*, XIX, 10. — [15] *Exod.*, XX, 8. — [16] *Levit.*, XXIII, 34, 36.

(*a*) *Suppl.* psalmus. — (*b*) Vulg. *ut perficerunt.*

tum dicitur : *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi*, id est quadraginta dierum [1] : « Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, etc. Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. » In hoc autem, quod dicit : « Si suscepto semine peperit, » ostenditur, quod beata Virgo non fuit illi legi necessitate subjecta, sed humilitate obediens. Bernardus [2] : « Putas, quia (*a*) dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset masculum, immundam esse, non timuerit super matrem Dei blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine?* » Et post [3] : « Vere, o beata Virgo, non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? » Unde potest dici, quod dixit Assuerus [4] : « Non propter te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. »

Secundo, quantum ad locum designatum, subditur : *Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino :* is enim erat locus electus ad divinum cultum [5] : « Elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea. » Et in hoc loco partus debebat Deo præsentari [6] : « Tribus vicibus per annum apparebit omne masculum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit. »

Tertio, quantum ad mandatum scriptum, subditur (v. 23) : *Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* [7] « Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis, » etc. Sed secundum illud, non videtur convenire virgini Mariæ, quæ est porta clausa ante partum, post partum, et in partu. Et ideo potest dici, sicut supra dictum est de lege purificationis; vel certe adapertio vulvæ intelligitur quantum ad fecundationem, non quantum ad claustri apertionem [8] : « Aperuit Dominus vulvam Liæ, sorore sterili permanente. » Et [9] : « Exprobrabat æmula Annæ, quod conclusisset Dominus vulvam ejus : » quia sterilis erat.

Quarto, quantum ad pretium oblatum, additur (v. 24) : *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hæc enim erat oblatio pauperum [10] : « Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato : orabitque pro eo sacerdos, et sic mundabitur. » Ecce mira paupertas in parentibus Christi, qui agnum non habebant. Et nota, quod sub disjunctione ponit utramque oblationem, ut ostendatur utraque Domino convenire. Per columbam igitur intelligitur vita activa; sed per turturem solivagum, contemplativa, quarum utraque reddit hominem Deo acceptabilem, sicut dicit Beda. Et nota tres oblationes circa hostiam nostram, quæ est Dominus Jesus. Prima est oblatio ipsius a parentibus, quæ invitat ad humilitatem. Secunda est oblatio avium pro ipso, quæ nos invitat ad paupertatem. Tertia est oblatio in cruce pro omnibus, quæ nos invitat ad pietatem. De primis duabus habetur hic ; de tertia *Isaias* [11] : « Oblatus est, quia ipse voluit : et non aperuit os suum, » etc.

Ter Christus oblatus legitur.

Spiritualiter autem notanda sunt tria, scilicet, mysterium purgationis Mariæ, sacramentum delationis dominicæ, significantia oblationis factæ. Quantum ad primum, nota quod Maria, quæ interpretatur stella maris, vel amarum mare, designat animam, sive sit in lumine vitæ contemplativæ, sive in amaritudine vitæ activæ; et utrique necessaria est purgatio. Animæ namque contemplativæ necesse est purgari a superbia, quod quidem fit per timorem [12] : « Cum sublatus fuerit, » scilicet Behemoth, « timebunt angeli, et territi purgabuntur. » Animæ activæ necessaria est purgatio a negligentia,

MARIA stella maris.

[1] *Levit.*, XII, 2. — [2] Bern., *de Purif.*, serm. III, in princ. — [3] Ibid., n. 2. — [4] *Esth.*, XV, 13. — [5] II *Paral.*, VI, 6.— [6] *Deut.*, XVI, 16. — [7] *Exod.*, XIII, 2. — [8] *Gen.*, XXIV, 31.— [9] I *Reg.*, I, 6. — [10] *Levit.*, XII, 8.— [11] *Isa.*, LIII, 7.—[12] *Job*, XLI, 16.—(*a*) *Cæt. edit. deest* quia.

quæ fit per rigorem et laborem [1] : « De negligentia tua purga te cum paucis. » Quantum ad sacramentum delationis dominicæ, notandum, quod legimus puerum Jesum delatum in Jerusalem; legimus etiam delatum in Ægyptum. In quo aperitur nobis quod proles mentis nostræ, quæ est intelligentia, modo elevanda est ad contemplationem æternorum, quæ per Jerusalem designatur : Jerusalem enim interpretatur *visio pacis;* modo reprimenda est ad considerationem defectuum nostrorum, qui per Ægyptum designantur : Ægyptus enim interpretatur *tenebræ*. Et hoc est quod dicit in *Psalmo* [2] : « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas. » Et *Job* [3] : « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te, » etc.

Hierusalem quid.

Ægyptus.

Quantum ad significantiam oblationis, nota quod oblatio indeterminate intelligitur de turture et columba, utraque enim avis habet gemitum pro cantu; sed gemitus turturis competit contemplativis. Et hic geminatur; unde dicitur *par turturum*. Primus gemitus est amoris [4] : « Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. » Secundus est devotionis [5] : « Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus (*a*) postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » Et [6] : « Vox turturis audita est in terra nostra. » Gemitus autem columbæ competit activis; et hic etiam est duplex : unus pro peccatis propriis [7] : « Afflictus et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei. » *Isaias* [8] : « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes, gememus. » Secundus gemitus est pro peccatis alienis [9] : « Omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. » *Naum* [10] : « Miles captivus abductus est : et ancillæ ejus minabantur, gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. » In hac ergo purgatione, delatione et oblatione significatur, quod qui purgatus est a superbia et negligentia, dispositus est ut ascendat ad contemplationem Dei, et descendat ad considerationem sui, et sursum ascendens gemat ex amore et devotione; et deorsum rediens, gemat ex contritione et compassione : et in his consistit perfectio animæ sanctæ et Deo devotæ.

Gemitus turturis.

Gemitus columbæ

25. *Et ecce homo erat in Jerusalem*, etc. Postquam descripta est Christi humilitas secundum legis præceptum, hic secundo describitur ejus clarificatio per veritatis testimonium. Et quoniam testimonium, ad hoc quod sit firmum, debet procedere ex ore plurium, ideo introducitur testimonium duorum sexuum, scilicet virilis et muliebris : utrumque tamen authenticum, quia utrumque propheticum; et utrumque fide dignum, propter merita sanctitatis. Et præmittitur testimonium viri, tanquam dignioris; et subditur testimonium mulieris, tanquam inferioris, et hoc ibi (v. 36) : *Et erat Anna prophetissa*, etc. Circa Simeonis testimonium tria introducuntur : primum, testificantis meritum solidans ad credendum; secundum est testificantis præconium elevans ad admirandum, et hoc ibi (v. 28) : *Et benedixit Dominum et ait*, etc.; tertium est præconii temperamentum, inclinans ad compatiendum, ibi (v. 34) : *Et benedixit illis Simeon*, etc. Quantum ad primum nota, quod perfectio meriti Simeonis in duobus explicatur, scilicet in habitu virtutis, et spiritu veritatis, ibi (v. 26) : *Et responsum acceperat*, etc. Et hæc duo reddunt hominem in sanctitate perfectum. Habitus autem, seu usus virtutis consistit in tribus perfecte, scilicet in fama, vita et gratia. Primum est ab extra; secundum ab intra; tertium a supra. Quantum ad famam dicitur : *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon :* quæ scilicet civitas erat regalis et sacerdotalis, ubi potissime vigebat cultus Dei, secundum

Habitus virtutis

[1] *Eccli.*, VII, 14. — [2] *Psal.* XVII, 32. — [3] *Job*, XLII, 5. — [4] *Rom.*, VIII, 23. — [5] Ibid., 26. — [6] *Cant.*, II, 12. — [7] *Psal.* XXXVII, 9. — [8] *Isa.*, LIX, 11. — [9] *Thren.*, I, 4. — [10] *Nah.*, II, 7.

observantiam legis; unde sancta dicitur. Ex quo datur intelligi, quod magnæ honestatis erat homo, qui in tali civitate habebat famam. Et hoc designat Evangelista, ipsum nomen ejus explicando; unde sibi potest competere illud [1] : « In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et adimplebit illum Dominus spiritu sapientiæ. » Et post subditur : « Et nomine æterno hæreditabit illum. » Unde recte iste designatur per Simonem filium Oniæ, de quo [2] : « Simon Oniæ filius, sacerdos magnus. » Et post subditur, quibusdam interpositis : « Circa illum corona fratrum, et quasi plantatio cedri in monte Libano. » Quantum ad vitam subditur : *Et homo iste justus*, etc.; ubi ostenditur perfecte ordinatus in vita quantum ad eligenda. Justitia namque est rectitudo voluntatis, quæ facit hominem per rectam viam incedere, propter quod dicitur [3] : « Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, » etc. Et hic maxime juvat recta intentio [4] : « Justitia simplicis diriget viam ejus. » Et iterum [5] : « Simplicitas justorum diriget eos. » Et quantum ad fugienda; ideo sequitur : *Et timoratus* : « Timor enim [6] expellit peccatum. » Per timorem Domini declinat omnis a malo. *Job* [7] : « Vir erat in terra Hus, nomine Job : et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. » Et quantum ad expectanda, unde addit : *Expectans consolationem Israel*, secundum illud [8] : « Salutare tuum expectabo, Domine. » Et *Judith* [9] : « Expectemus humiles consolationem ejus. » Unde sibi maxime dicebat Spiritus sanctus illud [10] : « Si moram fecerit, expecta eum : quia veniens veniet, et non tardabit. » Quantum ad gratiam subditur : *Et Spiritus sanctus erat in eo*, scilicet per gratiam et charitatem, secundum illud [11] : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Et [12] : « Qui manet in charitate, in Deo manet. » Unde de ipso poterat dici illud, quod dicitur de Stephano [13], quod « erat plenus fide et Spiritu sancto. » De quo [14] : « Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. »

26. *Et responsum acceperat*, etc. Hic secundo commendatur a Spiritu veritatis, ut inducente ad expectandum ex divino responso : quantum ad hoc dicit : *Et responsum acceperat a Spiritu sancto*, scilicet per revelationem [15] : « Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. » Responsum acceperat consolatorium, secundum illud [16] : « Respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. » Et propterea subditur : *Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Unde poterat dicere cum Job [17] : « In carne mea videbo Deum : » ita quod determinatio *in carne* respiciat videntem et visum. Et etiam cum Propheta poterat cantare [18] : « Non moriar, sed vivam. » Poterat etiam dicere cum Apostolo [19] : « Nos spiritum hujus mundi non accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. » Secundo commendatur a Spiritu veritatis, ut deducente ad occurrendum in templo : quantum ad illud dicitur (v. 27) : *Et venit in Spiritu in templum.* Venit itaque tanquam Spiritu sancto ductore [20] : « Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. » Venit itaque ad obsequendum et venerandum Dominum, ut posset dicere illud [21] : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. » Et iterum [22] : « Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. » Postremo commendatur a Spiritu veritatis, ut præducente ad comprehendendum cum gaudio; et hoc, cum dicitur : *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus*, scilicet in templum, secundum illud [23] : « Statim ve-

timor.

[1] *Eccli.*, XV, 5. — [2] *Eccli.*, L, 13. — [3] *Sap.*, X, 10. — [4] *Prov.*, XI, 5. — [5] *Prov.*, XI, 3. — [6] *Eccli.*, I, 27. — [7] *Job*, I, 1. — [8] *Gen.*, XLIX, 18. — [9] *Judith*, VIII, 20. — [10] *Habac.*, II, 3. — [11] *Rom.*, V, 5. — [12] I *Joan.*, IV, 16. — [13] *Act.*, VI, 5. — [14] I *Cor.*, XVI, 23. — [15] *Isa.*, XXX, 19. — [16] *Zach.*, I, 13. — [17] *Job*, XIX, 26. — [18] *Psal.* CXVII, 17. — [19] I *Cor.*, II, 12. — [20] *Rom.*, VIII, 14. — [21] *Psal.* V, 8. — [22] *Psal.* CXXXI, 7. — [23] *Malach.*, III, 1.

niet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, » etc. *Inducerent*, inquam, *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo;* quia, sicut dicitur [1] : « In similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo. »

28. *Et ipse accepit eum in ulnas suas :* ecce devotio senis ad comprehendendum parvulum, qua Christo exposuit se totum, ut posset dicere illud sponsæ [2] : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Volebat enim implere illud [3] : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Imo super duo brachia tua, ut ostendat, quod fortiter comprehendendus est [4] : « Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. » Ostendit etiam, quod utraque manu et tota virtute nostra debemus Domino famulari, sicut illi, qui [5] una manu pugnabant, et alia faciebant opus; non sicut illi, qui [6] « imponunt onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere. »

Et benedixit Deum, et dixit, etc. Post sanctitatis meritum subditur hic veritatis præconium, elevans ad admirandum. Unde in admiratione concluditur, cum dicitur (v. 33) : *Et erant mirantes*, præ magnitudine scilicet præconii. Hujus autem præconii excellentia colligitur ex tribus, scilicet ex præambula benedictione; ex devota Christi laude et magnitudine, ibi (v. 29) : *Nunc dimittis*, in cantico Simeonis; et ex parentum admiratione, ibi (v. 33) : *Et erant pater ejus et mater*. Præmittitur ergo dicta benedictio, cum dicitur : *Et benedixit Deum*, id est benedicendo gratias egit, ita ut diceret cum Psalmista (*a*) [7] : « Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. » [8] « In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel. » Et in *Ecclesiastico* [9] : « Benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. »

29. *Nunc dimittis*, etc. Hic subditur devota Christi magnificatio, facta a Simeone, impleto Spiritu sancto. Et primo in hoc cantico præmittitur spiritualis consolatio senis; secundo subditur sublimis commendatio infantis, ibi : *Quia viderunt oculi mei*, etc. Ostendit igitur Simeon senex, se consolatum in præsentia Christi ex ratione triplici : propter dignationem majestatis, propter quam dicit; *Nunc dimittis servum tuum, Domine;* quia Dominus venerat ad servum [10] : « Quid causæ est, ut veniat Dominus Rex ad servum suum? » [11] « Quid est homo, quia innotuisti ei; aut filius hominis, quia reputas eum? » Propter impletionem veritatis, propter quam dicit : *Secundum verbum tuum*; verbum, scilicet promissum [12] : « Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. » Et ideo illud dicere poterat [13] : « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum. » Propter adeptionem tranquillitatis, propter quam dicit : *In pace*. Jam enim adveniente illo, qui dicit [14] : « In me pacem habebitis, » justus dicebat se in pace mori. Jam pro vera consolatio ne poterat dicere illud, quod dixit Jacob ad Joseph [15] : « Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. » Et hoc petebat Tobias [16] : « Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum. » Hoc jam præstiterat ipsi Simeoni, sicut promiserat. Unde poterat dicere illud [17] : « In pace in idipsum dormiam, et requiescam; » quia nihil aliud expectabat.

30. *Quia viderunt oculi mei*, etc. Hic secundo additur Christi magnificatio secundum triplicem excellentiam pietatis, sapientiæ, et majestatis. Ex pietate et clementia venit salus; ex sapientia fulget lux; ex majestate gloria et laus. Salus scilicet populis; lux

[1] *Philip.*, II, 8. — [2] *Cant.*, I, 12. — [3] *Cant.*, VIII, 6. — [4] *Cant.*, III, 4. — [5] II *Esdr.*, IV, 17. — [6] *Matth.*, XXIII, 4. — [7] *Psal.* CII, 1. — [8] II *Mach.*, X, 38. — [9] *Eccli.*, XXXII, 17. — [10] II *Reg.*, XXIV, 21. — [11] *Psal.* VIII, 4. — [12] *Isa.*, LV, 11. — [13] *Psal.* CXVIII, 65. — [14] *Joan.*, XVI, 33. — [15] *Gen.*, XLVI, 30. — [16] *Tob.*, III, 6. — [17] *Psal.* IV, 9.

gentibus; gloria Israelitis. Quantum ad salutem clementiæ dicitur : *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Unde poterat dici Simeoni illud [1] : « Videbis faciem ejus in jubilo. » Et *Baruch* [2] : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Hæc autem salus non erat particularis, sed universalis. Et ideo subdit (v. 31) : *Quod parasti ante faciem omnium populorum*, secundum illud *Isaiæ* [3] : « Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » Jam verificatum videbant illud [4] : « Notum fecit Dominus salutare suum in conspectu gentium. » Sequitur : « Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » In *Isaia* (*a*) [5] : « Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. » Et quantum ad lucem sapientiæ, propter quod addit (v. 32) : *Lumen ad revelationem gentium* [6] : « Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » Et hoc lumen gentibus revelavit gloriam Dei [7] : « Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. » [8] « Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. » Quantum ad sublimitatem gloriæ subditur : *Et gloriam plebis tuæ Israel*, quia de Israel natus est secundum carnem [9] : « Et germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his, qui salvati fuerunt de Israel. » Et tunc impletum est illud, quod dicitur [10] : « Judæis nova lux oriri visa est, gaudium et honor, et tripudium. » Magnificatur ergo Christus sub ratione salutis omnium, lucis gentium, et gloriæ Judæorum. Primum clementiam, secundum sapientiam, tertium vero potentiam manifestat sub ratione pacis, ex consolatione senis. Unde laudatur in hoc cantico ut pax, ut salus, ut lux, ut gloria. Pax est, quia Mediator; salus, quia Redemptor; lux, quia Doctor; gloria, quia Præmiator. Et in his quatuor consistit perfecta Christi commendatio et magnificentia; imo totius evangelicæ historiæ quædam brevissima comprehensio, quantum ad incarnationem in pace, prædicationem in luce, redemptionem in salute, resurrectionem in gloria. Et quia canticum illud sic continet laudis Christi plenitudinem et senis mortis consolationem; ideo sub sero diei cantatur in completorio. Unde ista tria cantica sunt ordinata, Mariæ, Zachariæ, et Simeonis, in Ecclesia decantanda, primum vesperi, secundum mane, tertium sero, quia sequens incipit, ubi terminatur præcedens. Significatur etiam in hoc, quod de incarnatione omnis status debet laudare Deum, scilicet virginum, conjugatorum, viduarum, contemplativorum, prælatorum, activorum; laici, clerici, et religiosi, qui etiam Domino debent esse consecrati.

Canticum Simeonis cur canitur in completorio.

33. *Et erant pater ejus et mater*, etc. Hic tertio subditur ex hoc consurgens parentum admiratio, cum subditur : *Et erant pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*, scilicet super quatuor prædictis. Nam Christus admirabilis est, secundum quod Mediator [11] : « Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. » Admirabilis etiam secundum quod Salvator in clementia, propter quod in psalmo dicitur [12] : « Mirabilis Deus in sanctis suis. » [13] « Quoniam gratia et misericordia in sanctos ejus, et respectus in electos illius. » Admirabilis secundum quod Doctor in sapientia [14] : « Mirabilis in altis Dominus. » Et in *Exodo* [15] : « Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia ? » Et ideo non est mirum, si pater putativus et mater vera mirabantur super his quæ dicebantur.

34. *Et benedixit illis Simeon*, etc. Post testificantis meritum, et testificationis præ-

[1] *Job*, XXXIII, 26. — [2] *Bar.*, III, 38. — [3] *Isa.*, LII, 10. — [4] *Psal.* XCVII, 2, 6. — [5] *Isa.*, XLIX, 5, 6. — [6] *Isa.*, IX, 2. — [7] *Isa.*, XL, 5. — [8] *Dan.*, II, 22. — [9] *Isa.*, IV, 2. — [10] *Esth.*, VIII, 16. — [11] *Esth.*, XV, 17. — [12] *Psal.* LXVII, 36. — [13] *Sap.*, IV, 15. — [14] *Psal.* XCII, 4. — [15] *Exod.*, XV, 11. — (*a*) *Cæt. edit.* Isaias.

conium, subjungitur hic tertio præconii temperamentum, humilians ad compatiendum; unde in compassione terminatur. [1] « Etenim calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. » Ideo post Christi dignitatem, subjungit infirmitatem. In hoc autem temperamento, primo præmittitur propheticæ benedictionis solatium; deinde additur dominicæ passionis mysterium; tertio subjungitur maternæ compassionis martyrium.

Cur Simeon parentibus Jesu benedixerit.

Quantum ad solatium benedictionis propheticæ, præmittitur : *Et benedixit illis Simeon*, id est, benedictos prædicavit, Mariam, quia concepit, et Joseph, quia educavit. Unde poterat eis dicere illud davidicum [2]: « Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram. » Benedicuntur enim parentes in filio, et pro filio, secundum illud [3] : « Benedixit Heli Elcanæ, et uxori ejus, » scilicet pro Samuele optimo puero. Nota quod præmittitur hic benedictio tum ad consolationem, tum ad confortationem, tum etiam ad commendationem, ne passio prædicenda turbet, ne terreat, ne credatur culpa proximorum parentum esse in causa. Vel ideo benedixit, ut signaret, quod in illo [4] « impletæ sunt benedictiones patrum : » [5] « Benedicam benedicentibus tibi. » Vel ideo, ut insinuet per passionem Christi nos ab omni maledicto liberatos [6] : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. »

Quantum ad mysterium dominicæ passionis, additur : *Et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Et hoc divino judicio [7] : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. » [8] « Et erit vobis Dominus in sanctificationem ; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, et in ruinam habitantibus Jerusalem. » Et ideo dicitur *positus*, scilicet divino judicio. [9] « Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est lapis offensionis et scandali, his qui offendunt verbo. » Et hoc pro culpa ipsorum. Simile dicitur de Apostolis [10] : « Christi bonus odor sumus Deo; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. » Et ratio hujus est contradictio erroris; propter quod additur : *Et in signum cui contradicetur.* [11] « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. » Hoc dicitur propter contradicentes [12] : « Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. » Et ista contradictio fuit occasio ruinæ, et causa in multis [13] : « Peribunt viri, qui contradicunt tibi. » Et ideo dicitur [14] : « Non contradicas verbo veritatis ullo modo. »

Quantum ad martyrium maternæ compassionis, dicitur (v. 35) : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est, tui ipsius gladius compassionis. Unde ipsi competit illud [15] : « Ferrum pertransiit animam ejus. » Dolores, quos pariens effugit, tempore passionis sustinuit. Unde Bernardus [16] : « Dum perforatur lancea ille tuus Jesus, omnium quidem, sed specialiter tuus, tuam ipsius animam mundam gladius pertransivit, quia jam ille expiraverat; unde te plusquam martyrem prædicamus. » Et Hieronymus [17] : « Quia mente passa est, plusquam martyr fuit. » Unde, quia ipsa veraciter diligebat, ex affectu intimo vehementer compatiebatur. Alii vero, qui corde non diligebant, exultabant; et ideo additur : *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ut* est hic consecutivum (*a*), quia hoc consecutum est ad passionem Christi, quia videlicet Judæorum carnalium et hypocritarum fuit cordis iniquitas revelata. [18] « Cum sanare

[1] *Psal.* LXXIV, 9. — [2] *Psal.* CXIII, 15. — [3] I *Reg.*, II, 20. — [4] *Gen.*, XLIX, 26. — [5] *Gen.*, XII, 3. — [6] *Gal.*, III, 13. — [7] *Joan.*, IX, 39. — [8] *Isa.*, VIII, 14. — [9] I *Petr.*, II, 7. — [10] II *Cor.*, II, 15, 16. — [11] *Thren.*, III, 12. — [12] *Hebr.*, XII, 3. — [13] *Isa.*, XLI, 11. — [14] *Eccli.*, IV, 30. — [15] *Psal.* CIV, 18. — [16] Bern., *inf. octav. Assumpt. B. Virg.*, serm., n. 14. — [17] Hieron., *ad Eust. et Paulam*, epist. X. — [18] *Ose.*, VII, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* consecutum.

vellet Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ : » quia, sicut dicitur [1], « nihil est opertum, quod non reveletur; et occultum, quod non sciatur (*a*). » Hoc autem maxime erit in judicio [2] : « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » etc. Nota spiritualiter, quod ex consideratione passionis Christi debet triplex gladius spiritualis animam pertransire. Primus gladius est discretionis rectæ fidei [3] : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. » Secundus gladius est discretionis severi judicii [4] : « De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. » Tertius est gladius divisionis humani desiderii [5] : « Non veni pacem mittere, sed gladium. » Pertransit autem animas primus gladius per veram fidem [6] : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, » etc. Secundus, per rigorem pœnitentiæ [7] : « Gladii ancipites in manibus eorum. » Tertius, per ardorem benevolentiæ [8] : « En lectulum Salomonis. » Et post : « Omnes tenentes gladios. » Alius est gladius spiritualis etiam triplex, sed pessimus. Primus est gladius rancoris [9] : « Arripuit Saul gladium suum, et irruit super eum. » Secundus, detractionis [10] : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Tertius, hæresis, qui est divisio ab unitate fidei sub metaphora meretricis [11] : « Novissima illius amara quasi absinthium; et lingua ejus acuta, quasi gladius biceps. » Et in *Psalmo* [12] : « Gladium evaginaverunt peccatores. » Sequitur : « Ut trucident rectos corde. » Primus gladius spiritualis est emendus [13] : « Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. » Alius vero est in vaginam remittendus [14] : « Converte gladium tuum in locum suum. » Et ratio hujus est, quia primus occidit vitam carnalem; secundus vero, vitam spiritualem.

36. *Et erat Anna prophetissa*, etc. Post testimonium sexus virilis, sequitur hic testimonium sexus muliebris : decebat enim Christi adventum testimonium habere ab omni genere personarum, ut inexcusabiles sint, qui non credunt Evangelio. Unde Christus habuit testimonium angelicum et humanum; et iterum, quantum ad simplices, et quantum ad perfectos; et iterum, perfectorum in utroque sexu, ut ostendatur, quod uterque sexus ad redemptionem spectabat, sicut uterque ceciderat. Unde, ut nihil desit ad firmitatem testimonii, Christus natus habuit testimonium septiforme, scilicet 1. a natura cœlesti, videlicet stellam [15] : « Vidimus stellam ejus in oriente. » 2. A supercœlesti, scilicet angelica [16] : « Facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus, » etc. 3. A natura subcœlesti, scilicet virili simplici, ut erant pastores [17] : « Et reversi sunt pastores, » etc. 4. A virili sapiente [18] : « Ecce Magi ab Oriente venerunt, » etc. 5. Senili in sexu masculino, sicut erat Simeon [19] : « Et hic venit in Spiritu in templum. » 6. Senili in sexu fœmineo, ut hic : *Et erat Anna prophetissa*, etc. 7. Infantuli, qui non loquendo, sed moriendo confessi sunt [20] : « Mittens occidit omnes pueros, » etc. Et tunc impletum est illud [21] : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Et sic omnis natura, omnis sexus, omnis ætas Christo nascenti testimonium perhibuit, quia ipse debebat reparare omnia. Unde et pueris in templo clamantibus, et Pharisæis reclamantibus dictum est [22] : « Si hi tacuerint, lapides clamabunt. » Ad hujus autem testimonii fidem astruendam tria inducuntur : primum est prophetantis auctoritas; secundum est testi-

[1] *Matth.*, X, 26. — [2] 1 *Cor.*, IV, 5. — [3] *Ephes.*, VI, 17. — [4] *Apoc.*, I, 16. — [5] *Marc.*, X, 34. — [6] *Hebr.*, IV, 12. — [7] *Psal.* CXLIX, 6. — [8] *Cant.*, III, 8. — [9] 1 *Reg.*, XXXI, 4. — [10] *Psal.* LVI, 5. — [11] *Prov.*, V, 4. — [12] *Psal.* XXXVI, 14. — [13] *Luc.*, XXIII, 36. — [14] *Matth.*, XXVI, 42. — [15] *Matth.*, II, 2. — [16] *Luc.*, II, 13. — [17] Ibid., 20. — [18] *Matth.*, II, 1. — [19] *Luc.*, II, 27. — [20] *Matth.*, II, 16. — [21] *Psal.* VIII, 3. — [22] *Luc.*, XIX, 40.

(*a*) *Vulg.* revelabitur... scietur.

ficantis sanctitas, ibi : *Et vixerat cum viro suo annis septem,* etc. Tertium est testimonii celebritas, ibi (v. 37) : *Et hæc ipsa hora superveniens*, etc. Auctoritas autem prophetantis colligitur ex duobus, scilicet ex munere prophetali, et origine naturali. Ratione muneris prophetalis, dicitur : *Et erat Anna prophetissa.* Anna interpretatur *gratia*; in quo ostenditur, quod recte decebat hanc mulierem prophetare, quæ erat habitaculum gratiæ [1] : « Mulier gratiosa inveniet gloriam : » unde ipsa poterat dicere illud [2] : « Gratia Dei sum id, quod sum. » Ideo non est mirum, si Anna erat prophetissa, quia dicitur de sapientia, quod [3] « in animas sanctas se transfert, et amicos Dei et prophetas constituit. » Ratione vero originis naturalis additur : *Filia Phanuel de tribu Aser.* Et sic erat de genere Israel, de cujus genere erant reges, sacerdotes et prophetæ, et Christus Dominus. Dicitur de Israelitis [4] : « Quorum adoptio est filiorum, et gloria testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, » etc. Et specialiter erat de tribu Aser, cui data est benedictio in filiis [5] : « Benedictus in filiis Aser ; sit placens fratribus suis. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. » Et hoc specialissime dicitur de filia Phanuel, qui interpretatur *facies Domini.* In quo ostenditur, quod erat de genere illorum ad quos dicitur [6] : « Quærite faciem ejus semper. » Nihil ergo deerat ratione originis ex parte dignitatis parentum, neque ratione antiquitatis dierum, quæ facit ad dignitatem et auctoritatem quantum ad populum [7] : « Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. » Et ideo subditur : *Et hæc processerat in diebus multis.* [8] « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. »

Annæ interpretatio.

Et vixerat cum viro suo, etc. Hic secundo describitur testificantis sanctitas, quantum ad perfectionem vitæ activæ, et contemplativæ. Quantum ad vitam activam, quæ consistit in regimine domus propriæ, dicitur : *Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Et sic fuit virgo, antequam cognosceretur a marito. « Et hæc erat vidua usque ad annos octoginta quatuor, » et ita habuit continentiam virginalem, vidualem, et conjugalem pro loco et tempore. Unde laudabilis fuit in custodia corporis ; propter quod ei competebat illud [9] : « Fecisti utiliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris. » Et ideo vidua honoranda, secundum illud [10] : « Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. » Et iterum : « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens. » Talis fuit Anna ; in quo (*a*) apparet quod habebat perfectionem vitæ activæ. Quantum ad perfectionem vitæ contemplativæ, dicitur : *Quæ non discedebat de templo.* Tota vivebat in contemplatione devote. Glossa : « Exemplum datur viduis, quæ sunt in Ecclesia, ut dicant cum Psalmista (*b*) [11] : « Hæc requies mea in sæculum sæculi. » Contra illas viduas de quibus dicit Apostolus [12], quod « otiosæ discunt circuire domos ; et non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. » Vacabat etiam officiose ; unde et additur : *Jejuniis et obsecrationibus serviens;* sicut illa bona vidua Judith, quæ [13] « in superioribus domus suæ fecerat cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ. » Et hoc optime, quia, sicut dicitur [14], « vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est. » Et bene jungit jejunium et orationem, quia jejunio sanantur pestes corporis, et oratione pestes animæ [15] : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, » etc. Vacabat etiam continue;

[1] *Prov.*, XI, 16. — [2] I *Cor.*, XV, 10. — [3] *Sap.*, VII, 27. — [4] *Rom.*, IX, 4. — [5] *Deut.*, XXXIII, 24, 25. — [6] *Psal.* CIV, 4. — [7] *Prov.*, XVI, 31. — [8] *Job*, XXIX, 18. — [9] *Judith*, XV, 12. — [10] I *Tim.*, V, 3, 9. — [11] *Psal.* CXXXI, 14. — [12] I *Tim.*, V, 13. — [13] *Judith*, VIII, 5. — [14] I *Tim.*, V, 5. — [15] *Tob.*, XII, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* qua. — (*b*) *Item* Psalmo.

unde dicitur : *Die ac nocte;* secundum formam Apostoli [1] : « Quæ vere vidua est et desolata : sperat in Deo, et instat obsecrationibus et orationibus die ac nocte. »

38. *Et hæc ipsa hora*, etc. Hic tertio describitur testimonii celebritas, tum ratione temporis congruentis, tum ratione multitudinis consentientis. Ratione temporis congruentis, dicitur: *Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino.* In quo apparet, quod divino instinctu factus est iste concursus; et ideo festum Purificationis dicitur festum obviantium, quia Simeon et Anna obviaverunt Joseph et Mariæ sine aliqua convocatione : et ideo in die illo universaliter fit processio. Unde sicut eodem spiritu venit, quo Simeon, ita et eodem spiritu prophetavit, et impletum est illud [2] : « Et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ; senes vestri visiones videbunt, » etc. Attamen Simeonis testificatio explicite describitur, et per modum prædicationis ; Annæ vero, implicite et per modum confessionis, quia docere in Ecclesia non est mulierum, sed virorum [3] : « Docere autem mulieri non permitto in ecclesia, neque dominari in virum, sed esse in silentio. » Et nota, quod de Christo prophetaverat Simeon, et Zacharias, et Maria virgo, et Elizabeth copulata conjugio ; et ideo congruum ut prophetaret et vidua, ne aliqua professio desit, aut sexus. Ratione vero multitudinis consentientis, subditur : *Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* Illi enim libenter audiebant; unde dicebant illud [4] : « Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos. » Jam poterat decantare [5] : « Redemptionem misit Dominus populo suo. » Omnibus loquebatur, quia in hoc pendebat salus omnium [6] : « Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus, fortis Jacob. » Et nota hic spiritualiter, quod in oblatione Domini quatuor personæ offerunt, scilicet Joseph, Maria, Simeon, et Anna : quia anima, quæ verum sacrificium vult offerre Deo, debet habere comitatum quatuor virtutum cardinalium. Per Simeonem namque, qui interpretatur *audiens*, intelligitur prudentia [7] : « Audiens sapiens, sapientior erit. » Per Annam vero, quæ interpretatur *gratia,* intelligitur temperantia [8] : « Optimum est gratia stabilire cor, non escis, » etc. Per Joseph virum justum, qui interpretatur *augmentum,* intelligitur justitia [9] : « Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. » Per Mariam, quæ interpretatur *dominatrix,* intelligitur fortitudo [10] : « Melior est patiens viro forti. » De his quatuor virtutibus, in laudem sapientiæ scribitur [11] : « Temperantiam (*a*) docet, et prudentiam (*b*), et justitiam, et virtutem. » Et hæc designatur (*c*) per quatuor prophetissas mulieres, de quibus fit mentio in Scriptura: quarum prima est Maria soror Moysi, Delbora (*d*), Holda, et Anna, sicut hic. Per Annam, sicut dictum est, intelligitur temperantia. Per Holdam, quæ interpretatur *discretio*, intelligitur prudentia. Per Delboram, quæ interpretatur *apis habens aculeum*, intelligitur justitia, quantum ad severitatem et clementiam. Per Mariam, quæ interpretatur *dominatrix,* et *amarum mare,* intelligitur fortitudo quantum ad magnanimitatem et patientiam. Et hæ quatuor virtutes intelliguntur per quatuor filias Philippi prophetissas [12] : « Huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes. » Per Philippum, qui interpretatur *os lampadis* [13], intelligitur sapientia, quæ docet et generat quadruplicem virtutem prædictam.

stum rificacis.

Maria

Philippus.

39. *Et ut perfecerunt,* etc. Postquam descripta est humiliatio Christi secundum legis præceptum, et clarificatio per veritatis testimonium; sequitur ultima particula hujus

[1] I *Tim.*, v, 5. — [2] *Joel.*, II, 28. — [3] I *Tim.*, II, 12. — [4] *Isa.*, XXV, 9. — [5] *Psal.* CX, 9. — [6] *Isa.*, XLIX, 26. — [7] *Prov.*, I, 5. — [8] *Hebr.*, XIII, 9. — [9] II *Cor.*, IX, 10. — [10] *Prov.*, XVI, 32. — [11] *Sap.*, VIII, 7. — [12] *Act.*, XXI, 9. — [13] Ex hebræo פה, et pheh, et לפיד, lappid; sed rectius e græcis vocibus φιλὸς, amicus, et ἱππὸς, equus, id est, amator equorum.

(*a*) *Vulg.* sobrietatem. *Cæt. edit. deest utrumque.* — (*b*) *Cæt. edit.* Prudentiam docet. — (*c*) *Leg.* Hæ designantur. — (*d*) *Vulg.* Debora, *et sic deinceps.*

partis, in qua describitur prædictorum consummatio : et hoc primo respectu legalis præcepti ; deinde respectu prophetalis vaticinii. Quantum ad legalis præcepti consummationem, dicitur : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini* ; quia secundum quod dicitur [1] : « Non veni legem solvere, sed adimplere. » Et rursus [2] : « Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. » Quantum autem ad prophetalis vaticinii completionem, subditur : *Reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* [3] « Admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. » *Isaias* [4] : « Aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ. » Sed hoc non cognoverunt Scribæ, qui dixerunt [5] : « Scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilæa propheta non surgit. » Et nota, quod secundum Augustinum [6], « Puer Jesus ante perlatus est a Judæa in Ægyptum, quam descenderet in Galilæam, quia propter persecutionem Herodis descenderunt in Ægyptum, et propter timorem Archelai secessit in partes Galilææ, rediens de Ægypto. »

Universa morum disciplina tribus absolvitur.

40. *Puer autem crescebat*, etc. Supra descripsit Evangelista, qualiter Salvator factus est sub lege cæremoniali ; hic describit, qualiter factus est sub lege morali. Sed quoniam tota morum ordinatio principaliter attenditur circa tria, scilicet circa cultum majestatis, et studium veritatis, et officium pietatis ; quia per primum subjicitur homo suo Creatori, per secundum doctori, per tertium genitori : ideo pars ista habet tres partes, in quarum prima ostenditur, qualiter Christus factus est sub lege morali quantum ad majestatis cultum ; in secunda, qualiter factus est sub lege morali quantum ad virtutis studium, ibi (v. 46) : *Et factum est post triduum*, etc. ; in tertia, qualiter factus est sub lege morali quantum ad pietatis obsequium, ibi (v. 48) : *Et dixit mater ejus ad eum*, etc. Ad perfectam descriptionem cultus divini duo introducuntur : primum est excellentia virtutis propriæ ; secundum est reverentia majestatis divinæ, ibi (v. 41) : *Et ibant parentes ejus per omnes annos*, etc. Excellentia autem virtutis in Christo ostenditur ex parte mentis, quamvis esset defectus ætatis ex parte carnis : propter quod præmittit profectum ætatis in carne, et subjungit perfectionem virtutis in mente. Quantum autem ad profectum ætatis in carne, dicitur : *Puer autem crescebat*, scilicet in corpore, sicut exponit Beda, in quantum puer erat, id est homo fragilis, crescere poterat, sicut cæteri homines, non in quantum Verbum. Quantum autem ad perfectionem virtutis in mente, subditur : *Et confortabatur spiritu.* Perfectio autem virtutis mentalis consistit in tribus, scilicet in vigore potentiæ, respectu irascibilis ; in splendore sapientiæ, respectu rationalis ; et fervore gratiæ, respectu concupiscibilis. Quantum ergo ad vigorem potentiæ irascibilis, dicitur : *Et confortabatur spiritu.* [7] « Manus Domini erat mecum confortans me. » Et [8] : « Omnia possum in eo, qui me confortat. »

Perfectus D cultu

Perfect virtuti mentali in tribu consist

Quantum ad splendorem sapientiæ in rationali, subditur : *Plenus sapientia.* Nam [9] « in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » [10] « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus. » Quantum vero ad fervorem gratiæ in concupiscibili, subditur : *Et gratia Dei erat in illo.* [11] « In me gratia omnis vitæ et veritatis, in me omnis spes vitæ. » [12] « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. »

41. *Et ibant parentes ejus*, etc. Hic describitur reverentia majestatis divinæ, quæ consistit in cultu religionis ; et ostenditur in

[1] *Matth.*, v, 17. — [2] Ibid., 18. — [3] Ibid., ii, 22, 23. — [4] *Isa.*, ix, 1. — [5] *Joan.*, vii, 52. — [6] Aug., *de consens. Evang.*, lib. ii, c. v. — [7] *Ezech.*, iii, 14. — [8] *Philip.*, iv, 13. — [9] *Coloss.*, ii, 3. — [10] *Isa.*, xi, 2. — [11] *Eccli.*, xxiv, 25. — [12] *Joan.*, i, 14.

Christo secundum parentum ducatum, et secundum proprium instinctum.

Quantum ad parentum ducatum dicitur : *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem.* Nam ita mandatum erat in lege [1] : « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. » Et credendum est, quod etiam ducerent Jesum, quia ibidem subditur [2] : « Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo; » et hoc in Jerusalem, secundum præceptum [3] : « Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis tribubus vestris venietis. » Et iste locutus erat Jerusalem, secundum quod dicitur [4] : « Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum. » Et istum cultum maxime in Paschate faciebant, et ideo subditur : *In die solemni Paschæ.* [5] « Habebitis hanc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. »

Quantum autem ad proprium instinctum, etiam divino cultui vacabat puer Jesus; quantum ad hoc dicitur (v. 42) : *Et cum factus esset annorum duodecim :* in quo ostenditur, quod puer Jesus divino cultui vacabat sine parentum consortio, sine consilio, sine complacito. Sine consortio quidem, quia licet eo cum consortio parentum ascenderit, tamen sine eis remansit; propter quod dicitur : *Ascendentibus illis in Jerusalem, secundum consuetudinem diei festi,* scilicet ad orandum, sicut infra [6] : « Duo homines ascendebant in templum, ut orarent; » et [7] : « Petrus et Joannes ascendebant in templum. »

43. *Consummatisque diebus, cum redirent,* scilicet ad propria, secundum illud *Judith* [8] : « Celebrata festivitate, unusquisque redit ad sua. » Et cum omnes redirent, non tamen Jesus. Unde subditur : *Remansit puer Jesus in Jerusalem;* et ita solus, sine parentum consortio. Hujus figura præcessit in puero Samuele, de quo dicitur, quod [9] « abiit Elcana in domum suam; puer autem erat minister in conspectu Domini. » Unde solus remanserat, ut melius orationi vacaret [10] : « Sedebit solitarius, et tacebit : » et ita remansit proprio instinctu, sine parentum consortio. Remansit etiam sine consilio; unde subditur : *Et non cognoverunt parentes ejus.* Cujus figura præcessit in Samsone, qui noluit patri et matri indicare, quod mel de corpore leonis assumpserat. In quo etiam præbuit exemplum, quod in divino obsequio faciendo non est a parentibus carnalibus consilium requirendum [11] : « Qui dixerit patri suo, et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro illos (*a*) : hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. » Et ne putes, quod ista ignorantia fuerit ex negligentia, propter quam esset reprehensibilis Maria, subdit causam.

44. *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei :* quia cum viri irent cum viris, et mulieres cum mulieribus seorsum, probabile erat patri, quod puer esset cum matre; et probabile matri, quod esset cum patre; et ideo fuerunt decepti. Non erat puer de genere illorum de quibus dicit Job [12] : « Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, et nepotum in conspectu eorum; » erat sicut ille, de quo in *Psalmo* [13] : « Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me : » et sic remansit sine parentum consilio. Remansit etiam sine complacito, quia cum dolore quærebant quem amiserant, unde subditur : *Et requirebant eum inter cognatos, et notos* : et tamen non invenerunt, quia tales elongantur ab ipso [14] : « Noti mei quasi alieni recesserunt a me. » Et ideo sequitur (v. 45) : *Et non invenientes eum, regressi sunt in Jerusalem.* Sed quem non poterant invenire in consortio cognationis, invenerunt in loco orationis, secundum illud [15] :

[1] *Exod.*, XXIII, 14. — [2] Ibid., 17. — [3] *Deut.*, XIV, 25. — [4] II *Paral.*, VII, 16. — [5] *Exod.*, XII, 14. — [6] *Luc.*, XVIII, 10. — [7] *Act.*, III, 1. — [8] *Judith*, XVI, 24. — [9] I *Reg.*, II, 11. — [10] *Thren.*, III, 28. — [11] *Deut.*, XXXIII, 9. — [12] *Job*, XXI, 8. — [13] *Psal.* CXLI, 5. — [14] *Job*, XIX, 13. — [15] *Psal.* CXXXI, 6, 7.

(*a*) *Vulg.* VOS.

« Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. » Et post : « Introibimus in tabernaculum ejus. » *Reversi sunt*, inquam, *requirentes eum*, secundum illud [1] : « Surgam, et circuibo civitatem, quæram quem diligit anima mea. » Ita dicebat Virgo Maria; et iterum : « Quæsivi, et non inveni illum : vocavi, et non respondit mihi. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. » In hoc autem admonemur, ut ab ipsa infantia divino cultui mancipemur. [2] « Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. » Et maxime ab anno duodecimo, quia tunc incipit tempus discretionis convertendi ad bonum. Unde de sancto Martino legimus, quod cum esset annorum duodecim, eremum concupivit. Similiter dicitur de beato Benedicto. Ideo Evangelista hanc ætatem exprimit. Admonemur etiam, ut nullatenus propter amorem parentum, divinum cultum intermittamus. Unde Hieronymus [3] : « Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat : per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Dicitur enim [4] : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

46. *Et factum est post triduum*, etc. Superius ostendit Evangelista, qualiter Christus Dominus factus est sub lege morali quantum ad cultum divinæ majestatis; hic secundo ostendit, qualiter factus est sub eadem quantum ad studium veritatis. In quo primo describit Evangelista ejus humiliationem, in assumendo discipuli formam; secundo vero, ejus clarificationem, in aperiendo sapientiæ prærogativam, ibi (v. 47) : *Stupebant autem*, etc. Formam autem discipuli ostendit Salvatorem assumpsisse, cum dicitur : *Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem.* Sessio designat quietem, et humilitatem. Sciebat enim, quod [5] « melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere ligitiosa, et in domo communi. » *Sedentem*, inquam, *in medio doctorum.* [6] « In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et adimplevit illum spiritu sapientiæ et intellectus, » etc. Sciebat enim scriptum esse [7] : « Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur. » Et in hoc docet consortium studentium diligendum et auscultandum, non ad litigandum, sed conferendum; propter quod subditur : *Audientem illos, et interrogantem.* Hoc enim est exercitium addiscentis, ut audiat et interroget de dubiis [8] : « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi gratia bona, » quia [9] « auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. » Et ideo dicitur [10] : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. » Et quia audire solum non sufficit, ideo subditur : *Et interrogantem.* [11] « Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam. » Et in *Deuteronomio* [12] : « Interroga patrem tuum, et anuntiabit tibi, » etc. Interrogabat autem, non ut doceretur, sed magis ut doceret. Hieronymus : « Duodecim annos Salvator impleverat; et in templo sacerdotes interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat. » In hoc autem spiritualiter est intelligendum, quod Christus docet nos, quod ante debeamus discere, quam docere, secundum illud [13] : « Antequam loquaris, disce. » Et ideo voluit in medio doctorum inveniri, et in templo, quia in Scripturarum lectione et in oratione veritas invenitur. Unde nota, quod Christus inventus est in præsepio [14] : « Et hoc vobis signum, » id est, in studio sacræ Scripturæ, quia, secundum quod dicitur [15] : « Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est. » Boves sunt prædicatores, teste Paulo [16] : « Non alligabis os

Christus discipulus.

Variis in locis inventus est Christus.

[1] *Cant.*, III, 2, 5. — [2] I *Reg.*, II, 18. — [3] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II. — [4] *Matth.*, X, 37. — [5] *Prov.*, XXI, 9. — [6] *Eccli.*, XV, 5. — [7] *Prov.*, XIII, 20. — [8] *Eccli.*, XXXII, 9. — [9] *Eccli.*, III, 31. — [10] *Joan.*, VIII, 47. — [11] *Job*, VIII, 8. — [12] *Deut.*, XXXII, 7. — [13] *Eccli.*, XVIII, 19. — [14] *Luc.*, II, 12. — [15] *Prov.*, XIV, 4. — [16] I *Cor.*, IX, 9.

bovi trituranti, » etc. Inventus est in domo [1] : « Intrantes domum, » id est in scrutinio conscientiæ quietæ. [2] « Intrans domum meam, conquiescam cum illa. » Inventus est et in templo, sicut hic, id est in consortio sanctæ Ecclesiæ, quia [3] « Dominus in templo sancto suo. » Non enim invenitur in monumento doctrinæ erroneæ [4] : « Mulieres venerunt ad monumentum, et non invenerunt corpus Domini Jesu. » Nec etiam in lectulo conscientiæ inquietæ [5] : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, et non inveni. » Nec invenitur in consortio vitæ mundanæ [6] : « Sapientia ubi invenitur? » Et post : « Non invenitur in terra suaviter viventium. »

47. *Stupebant autem*, etc. Hic post humiliationem, subjungit clarificationem, cum dicitur : *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus :* pro eo quod prudentissime respondebat supra æstimationem. Stupor est enim ex insolita, et magna imaginatione [7] : « Stupor et mirabilia facta sunt in terra. » *Job* [8] : « Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. » Et sic impletum est illud [9] : « Habebo per hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis; et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me. » Hoc in Christo nunc impletum est. Hujus figura præcessit, cum dicitur, quod [10] « videns regina Saba sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiritum » propter nimiam admirationem. Et non solum illi extranei stupebant, sed etiam parentes; unde subditur (v. 48) : *Et videntes admirati sunt.* [11] « Et admirabantur turbæ super doctrina ejus. » Et vere mirabile, quod respondebat quæ non didicerat [12] : « Mirabantur Judæi dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? »

Et dixit mater ejus, etc. Hic tertio ostendit, qualiter factus est sub lege morali quantum ad officium pietatis. In quo præmittitur primo humiliatio, et subditur clarificatio, ibi [13] : *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc.* Humiliatio autem ostenditur hic in duobus, scilicet in subjacendo corripienti, et in obsequendo præcipienti. Subjecit enim se Christus matri corripienti; propter quod dicitur : *Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic?* Ipsa fiducialius loquitur, et interrogat causam dimissionis, cum sciat se honorari debere ab eo, secundum illud [14] : « Honora patrem tuum et matrem tuam; » et in *Proverbiis* [15] : « Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. » Sed tu, inquit, conturbasti nos : unde subdit : *Pater tuus*, etc., scilicet putativus, vel adoptativus, sive educativus. *Et ego dolentes quærebamus te*, simul dicentes illud [16] : « Heu, heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, » etc.? Sequitur : « Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. » Et nota quod ad quæstionem respondet humiliter et sapienter : unde et subditur (v. 49) : *Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis*, quasi absentem, cum ego essem vobis præsens? [17] « Numquid non cœlum et terram ego impleo? » Et hic ostendit, quia filius erat æterni Patris. Unde subditur : *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* [18] « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. » Unde non debetis mirari, si vos dimisi propter æternum Patrem; quia sic dicitur [19] : « Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. » Et quia verbum erat occultum, ideo subditur (v. 50) : *Et ipsi non intellexerunt.* [20] « Loquimur Dei sapientiam in mys-

Christi humilitas.

[1] *Matth.*, II, 11. — [2] *Sap.*, VIII, 16. — [3] *Psal.* X, 5. — [4] *Luc.*, XXIV, 22. — [5] *Cant.*, III, 2. — [6] *Job*, XXVIII, 12, 13. — [7] *Jerem.*, V, 30. — [8] *Job*, XII, 17. — [9] *Sap.*, VIII, 10. — [10] III *Reg.*, X, 5. — [11] *Matth.*, VII, 28. — [12] *Joan.*, VII, 15. — [13] Supra, 19. — [14] *Exod.*, XX, 12. — [15] *Prov.*, VI, 6. — [16] *Tob.*, X, 4, 5. — [17] *Jerem.*, XXIII, 24. — [18] *Joan.*, VI, 38. — [19] *Act.*, V, 29. — [20] I *Cor.*, II, 7.

terio, quæ abscondita est. » Et in *Tobias* (*a*)[1] : « Sacramentum regis abscondere bonum est. » In hoc autem quod, correptus, humiliter se excusavit, et invitatus a matre ut miraculum faceret, respondit dure; dedit nobis exemplum et formam humilitatis, ut malimus corripi, quam laudari[2] : « Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. » Etiam hic insinuat, quod pietas ad Deum præferenda est pietati respectu parentum.

Subjecit se etiam Dominus præcipienti; propter quod subditur (v. 51) : *Et descendit cum eis, et venit Nazareth.* Modo impletum est illud[3] : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » *Descendit*, inquam; quod est signum humilitatis[4] : « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallis, » id est, humiles; quia[5] « in excelsis (*b*) Dominus, humilia respicit, » scilicet de propinquo, « et alta a longe cognoscit. » Ideo subditur : *Et erat subditus illis.* Bernardus[6] : « Quis, quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, se hominibus subdit. Et tu dominari gestiens, tuo te præponis Creatori? » Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, ut tale mihi aliquid Dominus respondeat[7] : *Vade post me, Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Unde ipse vere dicere poterat illud *ad Corinthios*[8] : « Dum essem liber ab omnibus, omnium me servum feci. » Et nos omnibus amore ipsius debemus esse subjecti[9] : « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum. »

Et mater ejus, etc. Hic describitur ejus clarificatio; et hoc per duo, scilicet per matris testimonium, et per propriæ virtutis indicium. Quantum ad matris testimonium, dicitur : *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc*, ut pro loco et tempore testimonium perhiberet, sicut dicit Beda in Glossa. Sic dictum est[10] : « Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. » Et quia hoc intelligebat, ideo dicitur : *In corde suo*, secundum illud[11] : « Tempus ad responsionem cor sapientis intelligit. » Et dicitur de transfiguratione Domini[12], quod discipuli « verbum continuerunt apud se. » Nondum enim venerant apostoli, quibus « datum erat nosse mysterium regni Dei, » sicut dicitur[13] : qui etiam mutuo conferrent, secundum illud[14] : « Contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus. » Quantum autem ad propriæ virtutis indicium, subditur (v. 52) : *Et Jesus proficiebat ætate*, scilicet ex parte corporis, sicut Samuel[15] : « Puer Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus. » Et iste profectus erat secundum exemplar; sed interior profectus erat secundum evidentiam, de quo dicitur : *Et sapientia*, scilicet in intellectu; *Et gratia*, in affectu; *Apud Deum*, scilicet honorandum; *et homines*, ædificandos. Nec est contrarium ei, quod dicitur supra[16], quod erat « plenus sapientia. » Unde Gregorius : « Proficiebat sapientia, non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed dona gratiæ et sapientiæ, quæ habebat, cæteris pandendo, et hoc ad ædificationem aliorum. »[17] « Providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. » Unde ad nostram ædificationem, sapientiam ad tempus abscondit, ut ostendat, quod nos debemus tacere usque ad tempus, secundum illud[18] : « Est tacens, non habens sensum loquelæ; et est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus. » Etiam ad nostram salutem ostendit, secundum illud[19] : « Ne retineas verbum in tempore salutis. » Unde, quia non quærebat gloriam suam, sed Dei;

[1] *Tob.*, XII, 7. — [2] *Eccle.*, VII, 6. — [3] *Bar.*, III, 38. — [4] *Cant.*, VI, 10. — [5] *Psal.* CXII, 6. — [6] Bern., sup. *Missus est*, hom. 1, n. 7. — [7] *Matth.*, XVI, 23. — [8] I *Cor.*, IX, 19. — [9] I *Petr.*, II, 13. — [10] *Dan.*, XI, 4. — [11] *Eccle.*, VIII, 5. — [12] *Marc.*, IX, 9. — [13] *Matth.*, XIII, 11. — [14] *Gal.*, II, 2. — [15] I *Reg.*, II, 26. — [16] *Luc.*, II, 40. — [17] II *Cor.*, VIII, 21. — [18] *Eccli.*, XX, 6, 7. — [19] *Eccli.*, IV, 28. — (*a*) *Cæt. edit.* Et Tobias. — (*b*) *Vulg.* Excelsus.

non suum commodum, sed nostram salutem; ideo coram Deo et hominibus gratiam inveniebat. Primum erat justitiæ, secundum misericordiæ; propter quod dicitur [1] : « Misericordia et veritas te non deserant, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. »

Ex prædictis igitur colligere possumus, qualiter intendere debemus cultui divinæ majestatis, studio veritatis, et obsequio pietatis. Nam cultus divinæ majestatis præoccupari debet ab infantia, præferri debet cæteris pro reverentia divina. Studium veritatis debet esse cum debita societate, scilicet peritorum, et debito ordine, ut prius sit discipulus, quam magister. Obsequium pietatis attenditur in hoc, quod subjiciamur patri spirituali, sive corripienti, sive præcipienti. Et si hoc servamus, tunc sequitur illud, quod ultimo ponitur, quod proficimus apud Deum et homines.

CAPUT III.

1. *Anno autem quintodecimo imperii*, etc. Supra egit Evangelista de mysterio incarnationis Christi, quantum ad nativitatem in utero, et ex utero; hic quantum ad nativitatem extra uterum, secundum illud Ambrosii, qui dicit illum renatum esse sacramentis, scilicet, quando baptizatus est. Et hæc habet tres partes, in quarum prima agit de baptismo et prædicatione Joannis in generali, respectu totius populi; in secunda vero, in speciali, respectu specialium personarum, ibi (v. 10) : *Et interrogabant eum*, etc.; in tertia, in singulari, respectu Christi (v. 21) : *Et factum est, dum* (*a*) *baptizaretur*. Et ordo patet, quia generale dirigit ad speciale, speciale ad singulare. Quantum ad primum, notandum, quod doctrina et prædicatio Joannis commendatur a tribus : primo a temporis opportunitate; secundo vero ab officii auctoritate, ibi (v. 2) : *Factum est verbum Domini*, etc.; (*b*) tertio vero a zeli sollicitudine, ibi (v. 7) : *Dicebat ergo ad turbas*, etc. Primum respicit quod est extra; secundum, quod supra; tertium, quod est intra : et sic per omnem modum est ejus prædicatio et doctrina perfecta. Quantum ad primum, nota quod opportunitas temporis colligitur ex tribus, scilicet ex unione imperii Romani, et ex partitione regni Judaici, et ex divisione sacerdotii Levitici. Ex quibus colligitur opportunitas temporis, quia illum annunciabat Joannes, qui synagogam Judæorum dispergebat, et gentium varietates in unitatem Ecclesiæ congregabat. Quantum ad unionem imperii, dicitur : *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris*, in quo scilicet jam erat tempus adventus Christi : quia scilicet ante Tiberium fuit Julius, et Pompeius; et Julius contrivit Pompeium, et post hos successit Tiberius. Et ita jam verificatum erat illud de quarto regno [2], scilicet Romanorum, quod fuit ex parte solidum, et ex parte contritum, et ideo erat tempus verificationis illius, quod sequitur ibidem : « In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et potestas ejus alteri populo non tradetur. »

Quantum autem ad partitionem regni Judaici, subditur : *Procurante Pontio Pilato Judæam*, sub quo scilicet Dominus est crucifixus, secundum quod narrat historia omnium evangelistarum. *Tetrarcha autem Galilææ Herode :* iste fuit, sub quo etiam Dominus crucifixus est, et qui interfecit Joannem Baptistam, secundum quod dicitur, quod dicebat ei [3] : « Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui; » de quo Philippo additur : *Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis*. Et ita jam verificatum illud erat [4] : « Regionem vestram coram vobis alieni devorant. » Et in *Proverbiis* [5] : « Propter peccata terræ multi principes ejus. » Et ideo

[1] *Prov.*, III, 3. — [2] *Dan.*, II, 42, 44. — [3] *Marc.*, VI, 18. — [4] *Isa.*, I, 7. — [5] *Prov.*, XXVIII, 2.

(*a*) Vulg. *Factum est autem, cum.* — (*b*) *Cæt. edit. add.* in.

subditur : *Et Lysania Abylinæ tetrarcha*, id est, alterius regionis, quæ erat quarta pars regni : dicitur enim a *tetra*, quod est quatuor, et *archos* [1], quod est princeps. Archelao enim filio Herodis magni, propter superbiam suam in exilium apud Lugdunum deportato, regnum in quatuor tetrarchias est divisum, ut sic minueretur superbia Judæorum. Unde Beda : « Tres tetrarchias regebant tres filii Herodis magni, sub quo Dominus natus est. » Pilatus vero procurator erat alterius tetrarchiæ. Et nota, quod fuerunt duo Lysaniæ : alter filius Hircani, de quo Josephus [2] ; alter Herodis, de quo Beda loquitur.

Tetrarcha quid

Quantum vero ad divisionem sacerdotii, subditur (v. 2) : *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha*, qui ambitione moti, ut dicit Beda, summum sacerdotium emebant a Romanis. Unde quia jam, secundum Bedam et Josephum, sacerdotes non instituebantur per unctionem, sed per terrenam potestatem ; ideo cessaverat unctio sacerdotalis, et unctio regalis. Jam ergo tempus advenerat ut Christus adveniret, secundum illud [3] : « Non auferetur sceptrum de Juda, etc. » Item jam cessaverat unctio sacerdotii Levitici, et ideo tempus erat, ut veniret sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut impleretur illud, quod dictum est de sacerdotio Levitico, et sacerdotio Christi [4] : « Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. » Et post de Christo, sub figura Eliacim [5] : « Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim, et induam illum tunica tua. » Et infra : « Et dabo clavem domus David super humerum ejus. » In quo ostenditur, quod iste Eliacim debet esse rex et sacerdos : quod solum in Christo est impletum, qui fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui simul rex et sacerdos fuit, secundum illud [6] : « Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. » Jam erat tempus evangelium prædicandi ; et in tali tempore a prædicatione Joannis debuit evangelium inchoari ac prædicari. Patet ergo, quam sufficienter secundum Scripturas constituit Evangelista opportunitatem in adventu Christi, et prædicatione Præcursoris ; quod Judæi cæci non viderunt. Ideo Jeremias [7] : « Milvus in cœlo cognovit tempus suum : turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini. » Et infra [8] : « Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare ; hoc autem tempus quomodo non probatis ? » Poterant autem hoc tempus cognoscere non solum per Scripturas, sed etiam per ipsas res in temporibus gestas, secundum quod dicit Gregorius : « Liquet, quod ad finem Judæa venerat, quæ tot regibus divisa subjacebat ; et cum subditi essent alieno imperio, jam tempus erat, ut Dominus regnum Israeliticum revelaret, quod promiserat omni modo stabilire in sempiternum. » Patet etiam, quam rationabiliter Evangelista, licet de sacerdotio Christi intendat, tamen regum et sacerdotum tempus enuntiet, ut ostendat Christi sacerdotium simul et regnum esse conjunctum : et per utrumque probat tempus adventus ejus, et simul regnum eorum, id est, Judæorum et gentium, quia utrumque simul venerat copulare in unum. Item hoc, id est Judæorum, divisum ; et illud, id est gentium, unum : quia gentium plenitudo debebat intrare, et Judæorum multitudo dispergi propter peccatum incredulitatis.

Factum est verbum, etc. Hic commendatur Joannis prædicatio ab officii auctoritate, quam primo commendat Evangelista ex seipsa ; secundo vero ex attestatione prophetica, ibi : *Sicut scriptum est*, etc. Quantum ad primum, notandum, quod auctoritas Joanni commissa commendatur a tribus, id

[1] Scilicet a vocibus græcis τεσσαρες seu attice τετταρες, quatuor, vel τεταρτὸς, quartus, et ἀρχων, princeps, vel ἀρχη, principatus. — [2] Joseph, *de Bell. Jud.*, lib. II, c. XI. — [3] *Gen.*, XLIX, 10. — [4] *Isa.*, XXII, 19. — [5] Ibid., 21, 22. — [6] *Hebr.*, VII, 12. — [7] *Jerem.*, VIII, 7. — [8] *Luc.*, XII, 56.

est, a dono cœlestis gratiæ, a ministerio humilis obedientiæ, et a signo sacramentalis medicinæ. Quantum ad donum cœlestis gratiæ, dicitur : *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Factum est*, scilicet per inspirationem supernam; et ideo dicitur : *Super Joannem*, quia Spiritu sancto inspirati [1], « locuti sunt sancti Dei homines. » Unde *super* signat auctoritatem, secundum illud [2] : « Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me. » Et ad hoc erat dignus ratione doni divini muneris. Ideo dicitur : *Super Joannem;* in quo scilicet est gratia, quia dicitur [3], quod « sapientia in animas sanctas se transfert. » Dignus etiam ex merito patris; et ideo dicitur : *Zachariæ filium.* Unde poterat ei dicere illud [4] : « Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. » Dignus etiam ex merito propriæ virtutis; unde dicitur : *In deserto*, in loco aspero et duro [5] : « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, » etc. Et in *Osea* [6] : « Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. » In qua terra consuevit fieri verbum Dei ad hominem, sicut ad Moysen [7] : « Vocavit eum de medio rubi, » etc., quando minavit « gregem ad interiora deserti. » in *Osea* (*a*) [8] : « Adducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Quantum ad ministerium humilis obedientiæ, subditur (v. 3) : *Et venit in omnem regionem Jordanis.* Unde Chrysostomus [9] : « Venit Joannes, quasi magni regis præparator, et nuntius fidelis. » Et tunc impletum est illud [10] : « Ecce mitto angelum meum : et præparabit viam ante faciem meam. » Et signanter dicit : *In omnem regionem*, ut signetur vera obedientia, quæ nihil excipit, sed ad omnia est prompta [11] : « Ad omnia, quæ mittam te, ibis, » etc.

Quantum autem ad signum sacramentalis medicinæ, subditur : *Prædicans baptismum pœnitentiæ*, sicut dicitur [12] : « Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum. » Propterea baptismum pœnitentiæ vocat, quia ad pœnitentiam informabat. [13] « Exibat ad eum Hierosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. » Sed licet ad pœnitentiam informaret, tamen remissionem peccatorum non faciebat, sed ad baptismum illum præparabat. Et ideo subditur : *In remissionem peccatorum*, id est, in baptismum Christi, in quo est remissio. Unde [14] : « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. » Et de hoc dicebat Zacharias [15] : « Erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Et in *Ezechiele* (*b*) [16] : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, » etc.

4. *Sicut scriptum est*, etc. Hic commendatur auctoritas Joannis ex attestatione prophetica, in qua Joannes prædicans ostenditur habere officium excitandi, commonendi et consolandi. Ostenditur, inquam, primo habere officium excitandi per exclamationem; et ideo dicitur : *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ : Vox clamantis in deserto.* Hoc enim scribitur [17] capite quadragesimo. Dicitur autem Joannes *vox*, quia sicut vox verbum præit, sic Joannes Christum. Et *vox clamantis*, quia excitat dormientes ut ad lucem evigilent, secundum illud [18] : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. » Et in *Job* (*c*) [19] : « Tonabit voce magnitudinis suæ, et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. » Hæc est vox, de qua in *Psalmo* [20] : « Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas; vox Domini in virtute, vox Domini in magnifi-

Joannes vox cur dicatur.

[1] II *Petr.*, I, 21. — [2] *Isa.*, LXI, 1. — [3] *Sap.*, VII, 27. — [4] *Tob.*, VII, 5. — [5] *Deut.*, XXXII, 10. — [6] *Ose.*, XIII, 5. — [7] *Exod.*, III, 2, 1. — [8] *Ose.*, II, 14. — [9] Chrysost., *in Matth.*, hom. X, n. 4. — [10] *Malac.*, III, 1. — [11] *Jerem.*, I, 7. — [12] *Act.*, XIX, 4. — [13] *Matth.*, III, 6. — [14] *Act.*, II, 38. — [15] *Zach.*, XIII, 1. — [16] *Ezech.*, XXXVI, 25. — [17] *Isa.*, XL, 3. — [18] *Isa.*, LVIII, 1. — [19] *Job*, XXXVII, 4. — [20] *Psal.* XXVIII, 3 et seq. — (*a*) *Cæt. edit* Oseas.—(*b*) *Item* Ezechias.—(*c*) *Item* Et Job.

centia, vox Domini confrigentis cedros, » etc. Unde Joannes respondet quærentibus [1] : « Ego vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. » Vox igitur est signum expressivum verbi. Unde prophetiæ aliorum fuerunt quasi nutus respectu Christi; sed Joannis fuit quasi vox respectu Verbi, quasi ipsum visibiliter ostendit. Ostenditur secundo habere officium commonendi per excitationem, cum subditur : *Parate viam Domini*, per observantiam scilicet mandatorum [2] : « Viam mandatorum tuorum cucurri. » Et *Baruch* [3] : « Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. » *Rectas facite semitas ejus*, per observantiam consiliorum [4] : « Viam sapientiæ monstravi tibi, et duxi te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. » *Isaias* [5] : « Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. » *Psalmus* [6] : « Dirige me in semita mandatorum tuorum. » In *Proverbiis* [7] : « In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos; ne sis sapiens apud temetipsum. Time Dominum, et recede a malo. » Et sequitur [8] : « Viæ ejus, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. » Et in *Psalmo* [9] : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, » etc. *Rectas facite*, scilicet 1. intentiones : *Job* [10] : « Et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum. » 2. Cogitationes : Psalmista [11] : « Innocentes et recti adhæserunt mihi. » Et Ecclesiastes [12] : « Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. » 3. Affectiones [13] : « Recti diligunt te. » In *Psalmo* [14] : » « Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! » 4. Locutiones : in *Proverbiis* [15] : « Justi sunt omnes sermones mei, recti sunt intelligentibus. » 5. Actiones : in *Proverbiis* [16] : « Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus. » *Job* [17] : « Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te. » 6. Passiones : *Job* [18] : « Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? » 7. Retributiones : in *Proverbiis* [19] : « Justitia rectorum liberabit eos. »

Est enim justitia, secundum Tullium [20], constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens. Qui per has rectitudines incedunt, intelliguntur per illa animalia, de quibus *Ezechiel* (*a*) [21] : « Pedes eorum recti, » etc.

Ostenditur tertio habere officium consolandi per promissionem, cum subditur (v. 5) : *Omnis vallis*, etc. In quo prædicit effectum adventus Christi respectu humilium justorum, respectu peccatorum, et respectu universorum, quia exaltabit humiles; propter quod dicitur : *Omnis vallis implebitur*, id est, humilis. *Psalmus* [22] : « Valles abundabunt frumento. » Supra [23] : « Exaltavit humiles. » Infra [24] : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur. » Hoc figuratur, ubi Elisæus implevit vasa vacua. Humiliavit superbientes; propter quod subditur : *Et omnis mons, et collis humiliabitur*. In *Isaia* (*b*) [25] : « Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. » *Job* [26] : « Respiciens omnem arrogantem humilia. » Rectificabit deviantes; propter quod additur : *Et erunt prava in directa*. Beda [27] : « Id est, malorum corda per injustitiam distorta, erunt in directa, id est, ad regulam justitiæ dirigentur. » In *Proverbiis* [28] : « Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. » Hoc autem est contra hypocritas, qui a Domino abscondunt consilia sua. Apostolus *ad Thessalonicenses* [29] : « Dominus autem diriget corda vestra, » etc. Mitigabit tumultuantes; prop-

[1] *Joan.*, I, 23. — [2] *Psal.* CXVIII, 32. — [3] *Bar.*, III, 13. — [4] *Prov.*, IV, 11. — [5] *Isa.*, XXVI, 7. — [6] *Psal.* CXVIII, 35. — [7] *Prov.*, III, 6, et seq. — [8] Ibid., 17. — [9] *Psal.* XXIV, 4. — [10] *Job*, I, 1. — [11] *Psal.* XXIV, 21. — [12] *Eccle.*, VII, 30. — [13] *Cant.*, I, 3. — [14] *Psal.* LXXII, 1. — [15] *Prov.*, VIII, 9. — [16] *Prov.*, XX, 11. — [17] *Job*, VIII, 6. — [18] *Job*, IV, 7. — [19] *Prov.*, XI, 6. — [20] Cic., *de Invent.*, et alibi. — [21] *Ezech.*, I, 7. — [22] *Psal.* LXIV, 14. — [23] *Luc.*, I, 52. — [24] *Luc.*, XIV, 11. — [25] *Isa.*, XLV, 2. — [26] *Job*, XL, 6. — [27] Bed., *in Luc.*, c. III; *in Evang.*, hom. XX, ante med. — [28] *Prov.*, XVI, 3. — [29] II *Thess.*, III, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* Ezechias. — (*b*) *Item* Isaias.

ter quod dicit : *Et aspera in vias planas*, id est, mentes iracundæ (*a*) in mansuetudinem convertentur [1] : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit; vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur. » Illuminabit omnes accedentes; ideo adjungit (v. 6) : *Et videbit omnis caro salutare Dei*, id est, de omni carne, ut fiat distributio pro generibus singulorum, secundum illud *Psalmi* [2] : « Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » *Isaias* [3] : « Et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. » Item [4] : « Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » Et nota quod idem ipse, qui est os vel verbum Patris secundum deitatem, est salutare secundum humanitatem.

7. *Dicebat ergo ad turbas*, etc. Hic commendatur prædicatio Joannis a zeli severitate : et quia severitati debet adjungi pietas, ideo præmittitur increpatio; secundo vero adjungitur exhortatio, ibi (v. 8) : *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ;* tertio vero subinfertur comminatio, ibi (v. 9) : *Jam enim securis ad radicem*, etc. Increpatio est culpæ; admonitio, pœnitentiæ; sed comminatio, pœnalis vindictæ. Increpatio autem est de duobus, scilicet de certa malitia culpæ et de ignorantia, sive inconsideratione pœnæ. Increpat igitur de certa malitiæ culpa sub metaphora viperæ, cum (*b*) dicitur : *Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum*, etc. Nota quod viperis eos comparat ob triplicem proprietatem : vipera enim cum momorderit hominem, statim currit ad aquam; sic isti, peccata mortifera confitentes, currebant ad aquam baptismi. Contra quos dicitur [5] : « Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius ? » Item genimina viperarum, rumpendo viscera materna, nascuntur; sic isti persequendo prophetas, materna viscera violabant [6] : « Testimonio estis vobis ipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? » Item foris sunt speciosæ et quasi pictæ, sed intus veneno repletæ; sic et isti. In *Matthæo* (*c*) [7] : « Similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum. »

Increpat enim de inconsideratione pœnæ, cum addit : *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Gregorius [8] : « Ventura ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. » [9] « Tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient. » Item *Apocalypsis* [10] : « Dicunt montibus : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. » *Jeremias* [11] : « Facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini. » Propterea *Job* [12] : « Fugite a facie gladii. » [13] « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? » Non in Tharsis cum Jona (Tharsis enim interpretatur *exploratio gaudii*), sed cum Propheta in deserto pœnitentiæ. *Psalmista* [14] : « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » In *Matthæo* (*c*) [15] : « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato. »

8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, etc. Hic ponitur exhortatio de duobus, scilicet de humilitate satisfactionis, et de cautela præsumptionis. Quantum ad humilitatem satisfactionis, dicit : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, ut sit satisfactio condigna [16] : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra

[1] *Isa.*, XI, 6. — [2] *Psal.* XCVII, 3. — [3] *Isa.*, XL, 5. — [4] *Isa.*, LII, 10. — [5] *Eccli.*, XXXIV, 30. — [6] *Matth.*, XXIII, 31. — [7] Ibid., 27. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, ante med. — [9] I *Thess.*, V, 3. — [10] *Apoc.*, VI, 16. — [11] *Jerem.*, XXXII, 24. — [12] *Job*, XIX, 29. — [13] *Psal.* CXXXVIII, 7. — [14] *Psal.* LIV, 8. — [15] *Matth.*, XXIV, 16, 20. — [16] *Rom.*, VI, 19. — (*a*) *Cæt. edit.* iracundiæ. — (*b*) *Leg.* ubi. — (*c*) *Al.* Matthæus.

servire justitiæ, in sanctificationem. » Quia dicitur [1] : « Pro mensura peccati, erit et plagarum modus. » Unde Gregorius [2] : « Non est par fructus boni operis ejus, qui parum aut nihil peccavit, et ejus, qui graviter cecidit. Necesse est enim, ut tanto majora sibi quis inferat lamenta per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. » Quantum autem ad cautelam præsumptionis, subditur : *Et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham*, secundum illud *Joannis* [3] : « Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » *Ad Romanos* [4] : « Neque qui semen Abrahæ sunt, omnes filii, » nisi etiam patrem imitentur. in *Joanne* (*a*) [5] : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. » *Isaias* [6] : « Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos. » Et rationem reddit, cum ait : *Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ad litteram *potens*, quia subest tibi, cum volueris, posse. Vel *de lapidibus*, id est, de gentibus. Gregorius [7] : « Lapides recte dicuntur gentes, quia lapides colunt, juxta illud *Psalmi* [8] : « Similes illis fiant, qui faciunt ea. » Ambrosius [9] : « Comparantur (*b*) gentes lapidibus, quia deformes ad usum, nudi ad ornatum, steriles ad fructum, irrationabiles ad profectum. » Et ex his suscitati sunt filii Abrahæ [10] : « Si autem vos Christi semen, ergo Abrahæ estis. » Ad *Romanos* [11] : « Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. » Tales imitantur Abraham per fidem [12] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Et ideo propter fidem Centurionis gentilis, dicitur [13] : « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum. »

9. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Hic tertio subditur comminatio, quæ duplex est, scilicet de præsenti, et de futuro. Quantum ad comminationem de præsenti, dicitur : *Jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Unde glossa : « Securis est severitas judiciaria ad penitus extirpandas infructuosas arbores, in quantum infructuosæ sunt. » In canonica Judæ [14] : « Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ. » Et tales designati sunt per illam ficum, quam arefecit Dominus; ubi dicitur [15], quod maledixit ficui, et *continuo* aruit : et ratio hujus fuit, quia « non invenit in ea fructum. » Et tamen dicit alius evangelista, scilicet Marcus [16], « quod non erat tempus ficorum. » In quo insinuat, quod omni tempore requirit Dominus fructum a nobis [17] : « Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo, » etc. Quantum autem ad comminationem de futuro, additur : *Omnis arbor non faciens fructum bonum*, id est, omnis homo inutilis, sine acceptione personæ [18] : « Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet, » etc. *Excidetur*, per mortem : infra [19] : « Succide illam; ut quid etiam terram occupat? » Et *Daniel* [20] : « Succidite arborem, et præscindite ramos ejus, excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus. » Arbor ergo succiditur non solum propter defectum fructus, sed etiam boni fructus. *Et in ignem mittetur*, scilicet per æternam damnationem. In *Joanne* dicitur (*c*) de palmite infructuoso [21] : « Colligent eum, et in ignem mittent, » etc. [22] « Discedite a me maledicti in ignem æternum. » Et Isaias [23] : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. »

10. *Et interrogabant eum turbæ.* Postquam commendavit Evangelista prædicationem Præcursoris in generali, hic commendat in speciali, secundum eruditionem,

[1] *Deut.*, XXV, 2. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XX, non procul a med. — [3] *Joan.*, VIII, 33. — [4] *Rom.*, IX, 7. — [5] *Joan.*, VIII, 39. — [6] *Isa.*, LI, 2. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XX, ut supra. — [8] *Psal.* CXIII, 8. — [9] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 76. — [10] *Gal.*, III, 29. — [11] *Rom.*, IX, 7. — [12] *Joan.*, I, 10. — [13] *Matth.*, VIII, 11. — [14] *Jud.*, 12. — [15] *Matth.*, XI. 14. — [16] *Marc.*, XI, 13. — [17] *Gal.*, VI, 9. — [18] *Prov.*, VI, 34. — [19] *Luc.*, XIII, 7. — [20] *Dan.*, IV, 11, 20. — [21] *Joan.*, XV, 6. — [22] *Matth.*, XXV, 41. — [23] *Isa.*, LXVI, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) *Item* comparanti. — (*c*) *Item* Joannes dicit.

respectu specialium personarum populi. Commendatur autem doctrina ejus in parte ista primo in comparatione ad exigentiam populi in admirando doctrinam sanam; secundo in comparatione ad excellentiam Christi in vitando gloriam falsam, ibi (v. 15): *Existimante autem populo*, etc.; tertio in comparatione ad perfidiam tyranni, in sustinendo pœnam inflictam, ibi: *Multa quidem et alia*, etc. In primo commendatur Joannis prudentia; in secundo, Joannis innocentia; in tertio, patientia. Quantum ad primum, notandum, quod secundum triplicem differentiam personarum audientium, diversas instructiones administrat: primo ad turbas, quæ gerunt personam subditorum; secundo ad publicanos, qui gerunt personam ministrorum; tertio ad milites, qui gerunt personam rectorum, sive præpositorum. Et in qualibet istarum partium, primo præmittitur quæstio, deinde additur responsio. Primo ergo turbis interrogantibus dat documentum de eleemosynis faciendis; propter quod dicitur: *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus?* Ex quo necesse est dignos fructus pœnitentiæ facere, igitur doce nos. Solliciti erant simplices addiscere magis, quam mundi sapientes. Unde [1]: « Numquid ex principibus aliquis credidit in eum? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. » Licet autem ab hominibus reputentur maledicti et reprobi, non tamen apud Deum. Unde dicitur [2]: « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » In *Proverbiis* [3]: « Et cum simplicibus sermocinatio ejus. » Tales interrogabant Joannem, tanquam prophetam magnum [4]: « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, » etc. Et quia humilem proponunt interrogationem, ideo utilem audiunt responsionem, cum subditur (v. 11): *Qui habet duas tunicas, det unam* (a) *non habenti*. Optimum consilium, quia, sicut dicit Salvator [5]: « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Sic faciebat Job [6]: « Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. » Et nota, quam discrete doceat, ut *qui habet duas tunicas*, id est, alteram necessariam, alteram superfluam; quod sibi est superfluum, donet alteri, cui est necessarium. Unde Beda [7]: « De duabus tunicis dividendis datur præceptum, quia si una dividitur, nemo vestitur: nam nudus remanet, et qui dedit, et qui accipit. » Quod autem dixit de vestimento, respectu defectus extrinseci dixit; de alimento vero, respectu intrinseci.

Eleemosyna qualis.

Postea subdit: *Et qui habet escas, similiter faciat*: scilicet, si habet ultra necessitatem. Sic Job [8]: « Si comedi buccellam meam solus. » Et Tobias [9]: « Panem tuum cum esurientibus, et egenis comede. » Et de duobus prædictis simul habetur in *Isaia* [10]: « Frange esurienti panem tuum, » etc. Et post [11]: « Cum videris nudum, operi eum. » Et nota hic, quod per tunicam et escam intelliguntur omnia, de quibus debet et potest fieri eleemosyna. Unde Hieronymus: « Quidquid corpori nostro sufficere poterit, et humanæ imbecillitati succurrere, una tunica appellanda est; nos enim nudos natura profudit: et quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur. »

Nota etiam, quod in modo docendi exprimit, qualiter danda sit eleemosyna, et quales conditiones debeat habere. Prima est, ut sit de propria substantia; propter quod dicit: *Qui habet*.[12] « Honora Dominum de tua substantia, » etc. Secunda est, quod sit de re aliquantulum necessaria, non omnino superflua; et ideo: *Duas tunicas*. Unde Beda [13]: « Per hoc, quod tunica plus est necessaria usui nostro, quam pallium, ad fructum

[1] *Joan.*, VII, 49. — [2] *Matth.*, XI, 25. — [3] *Prov.*, III, 32. — [4] *Deut.*, XXXII, 7. — [5] *Luc.*, XI, 41. — [6] *Job*, XXXI, 19, 20. — [7] Bed., *in Luc.*, c. III, ex Greg., *in Evang.*, hom. XX. — [8] *Job*, XXXI, 17. — [9] *Tob.*, IV, 17. — [10] *Isa.*, LVIII, 7. — [11] Ibid. — [12] *Prov.*, III, 9. — [13] Bed., *in Luc.*, c. III ex Greg., *in Evang.*, hom. XX. — (a) Vulg. non habet *unam*.

dignæ pœnitentiæ pertinet : ut non solum exteriora quæque et minus necessaria, sed ipsa valde nobis necessaria dividere quidem cum proximis nostris debeamus, scilicet vel escam, qua carnaliter vivimus, vel tunicam, qua vestimur. » Unde laudatur illa vidua paupercula [1], quæ de penuria sua omne, quod habuit, misit in gazophylacium; sed alii, ex eo quod eis abundabat. Tertio nota, quod debet esse gratuita : quod notatur in hoc quod dicitur : *Det unam.* Tobias [2] : « Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. » Et in *Matthæo* (*a*) [3] : « Gratis accepistis, gratis date. » Quarto notatur, quod sit indigenti tribuenda, cum additur : *Det non habenti.* Infra [4] : « Cum facis convivium, voca pauperes, » etc. Et nota, quod verbum præmissum a quibusdam expositoribus dicitur esse præceptum, a quibusdam esse consilium : et hoc, quia superfluum, quod notatur in altera tunicarum, (*b*) est duplex : prius respectu naturæ, sed non personæ, et hoc dare, perfectionis est et consilii; alterum est superfluum naturæ et personæ, et hoc dare, cum locus et tempus adest, et videt hominem egentem, nisi reservet magis egenti, est præceptum, secundum illud [5] : « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, » etc.

Secundo vero Publicanis, quærentibus doctrinam, dat documentum de legibus servandis, cum ait (v. 12) : *Venerunt autem et Publicani, ut baptizarentur.* Publicani autem dicebantur illi, qui publica vectigalia exigebant, sive qui conductores erant vectigalium fisci, vel rerum publicarum; vel qui vectigalia regia accipiebant ad summam. Et isti jam veniebant ad Joannem, quasi desiderantes salutem magis, quam Scribæ [6] : « Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. » Et exprimitur eorum diligentia, cum subditur quæstio : *Et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus ?*

Publicani.

Bene quidem in hoc faciebant, secundum consilium *Isaiæ* [7] : « Quiescite agere perverse; discite benefacere. » Et secundum illud *Jeremiæ* [8] : « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea. » Et quia discrete quærunt, ideo fructuose erudiuntur, cum subditur (v. 13) : *At ille dixit ad eos : Nil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. Constitutum,* inquam, secundum legem divinam [9] : « Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri. » Sic respondit Dominus adolescenti diviti [10] : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Quia, secundum illud [11] : « In custodiendis illis retributio multa. » [12] « Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. » Et nota prudentiam ipsius, qua unicuique præcipit secundum posse suum : videns enim illos infirmos, non apponit gravia, sed quantum potest, mitigat sarcinam, secundum illud [13] : « Infirmum autem in fide assumite. » Unde Joannes, qui sibi erat rigidissimus, publicanis infirmis factus est benignus, ut posset dicere illud Apostoli [14] : « Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, » etc. Et nota, quod hic Joannes videbatur publicanorum officium sustinere, cum tamen de Matthæo publicano instruatur officium illud infame : et propterea intelligendum est, quod ad hoc, quod tributa debite exigantur, requiritur debita auctoritas, debita causa, et debita mensura; et hoc notat, cum dicit : *Nihil amplius,* ecce mensura : *Quam quod constitutum est,* ecce auctoritas; *Vobis,* id est, ad utilitatem communitatis, ecce causa. Et quia hæc raro conservantur, ideo tales consueverunt esse peccatores et infames : non quia nullo modo bene possit fieri officium illud; sed quia difficile et rarum est, ut non excedat constitutum.

Deb exact quali

Tertio vero, militibus percunctantibus dat

[1] *Marc.*, XII, 43. — [2] *Tob.*, IV, 9. — [3] *Matth.*, X, 8. — [4] *Luc.*, XIV, 13. — [5] I *Joan.*, III, 17. — [6] *Matth.*, XXI, 31. — [7] *Isa.*, I, 16. — [8] *Jerem.*, VI, 16. — [9] *Deut.*, IV, 2. — [10] *Matth.*, XIX, 17. — [11] *Psal.* CXVIII, 12. — [12] *Eccle.*, VIII, 5. — [13] *Rom.*, XIV, 1. — [14] I *Cor.*, IX, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus.— (*b*) *Cæt. edit. add.* et.

documentum de rapinis vitandis, cum subditur (v. 14) : *Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos?* Et recte, secundum consilium Tobiæ[1] : « Consilium semper a sapiente perquire. » Et in hoc magna apparet virtus in Joanne prædicante: quod ad se trahat homines, qui maxime videntur mundani. Unde Glossa : « Magna vis in sermone Joannis, qui et publicanos et milites ad consilium suæ salutis cogit. » Et nota, quod quærunt: *Quid faciemus*, secundum illud adolescentis[2] : « Magister, quid faciens, vitam æternam possidebo? » Non sic Pharisæi ; sed curiose requirunt[3] : « Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? » Et post : « Qui missi fuerant, erant ex Pharisæis ; et interrogaverunt eum : Quid ergo baptizas? » Et quoniam salutare consilium quærebant, et verbum in tempore salutis non est retinendum, ideo responsum salutiferum audierunt, cum subditur : *Et ait illis*, etc. In quo documento illicita prohibet, cum ait : *Neminem concutiatis*, id est, per vim potentiæ ; *Neque calumniam faciatis*, sub specie justitiæ.[4] « Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. » Nam e diverso malis malum comminatur Dominus[5] : « Rapina pauperis in domo vestra : quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? » Per rapinam consueverunt milites peccare : et ideo illam docet tanquam illicitam cavere : sed ne hoc videatur eis grave, ideo licita concedit, cum subdit : *Et contenti estote stipendiis vestris :* stipendiis, id est, pro defensione reipublicæ statutis a superioribus vestris ; quia talis miles Deo acceptus est[6] : « Vir si fuerit justus, et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, etc., vita vivet. » Talis enim contentus est stipendiis suis. Sed non sunt tales exactores, de quibus *Isaias*[7] : « Populum meum exactores sui spoliaverunt. » Et ideo Augustinus, *de verbis Domini*, ait[8] : « Quisquis militiæ suæ cingulo utitur, et stipendia sibi publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator est, et concussor. [9] « Ideo enim militibus stipendia constituta sunt, ne dum quæstus quæritur, prædo grassetur. » Et nota, quod videtur beatus Joannes hic militare officium approbare, cum tamen videatur repugnare mandatis, de quibus præcipit Dominus, ut nullo modo se vindicet quis, nec propellat injuriam; imo dicit[10] : « Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. » Et ideo nota, quod usus militiæ potest esse licitus et illicitus : ad licitum autem usum militiæ oportet, quod concurrant conveniens persona, et causa. Persona, scilicet, indicentis bellum : in qua requiritur, quod habeat potestatem. Item persona agentis bellum, quæ debet esse laicus et sæcularis, non clericus vel religiosus. Item persona patientis bellum, quæ talis sit insolentiæ, ut per bellum sit compescenda. Causa autem conveniens est, cum est pro tutela patriæ, vel pacis, vel fidei. Quando ergo hæc concurrunt, tunc licitum est militare ; sed quando deficit aliquod horum, utpote quia defectus est ex parte personæ vel causæ : utpote cum vel clericus, vel vir religiosus, qui debet esse perfectus, vult bellum gerere; vel quando propter gloriam hominum, vel vindictam : tunc est illicitum. Quod autem objicitur de mandato evangelico, dicendum, quod intelligitur de patientia habenda in animo, non de corporali exhibitione, sicut Augustinus ostendit[11] in sermone Domini in monte. Vel dic, quod illud dictum est perfectis, quorum non est[12] « vinci a malo, sed vincere in bono malum. » Dictum est etiam subditis, non prælatis, vel principibus et eorum officialibus; quia cum ipsi sint ministri legis, non ipsi puniunt vel occidunt, sed lex.

An militia probanda.

Ad militiæ usum licitum quæ requirantur.

[1] *Tob.*, IV, 19. — [2] *Luc.*, XVIII, 18. — [3] *Joan.*, I, 19, 24. — [4] *Levit.*, XIX, 13. — [5] *Isa.*, III, 14. — [6] *Ezech.*, XVIII, 6 et seq. — [7] *Isa.*, III, 12. — [8] Aug., vel quisquis ille sit auctor, *de verb. Dom.*, serm. XIX, al. LXXXII, n. 9, in Append. Oper. S. Aug. — [9] Ibid., n. 1. — [10] *Matth.*, V, 39. — [11] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. I, c. XIX, n. 59 ; *de Mend.*, c. XV ; *cont. Faust.*, lib. XXII, c. LXXVI, LXXIX. — [12] *Rom.*, XII, 21.

15. *Existimante autem populo*, etc. Commendata est prædicatio Joannis in comparatione ad exigentiam populi; hic secundo commendatur in comparatione ad excellentiam Christi, in hoc quod gloriam Christo debitam non usurpat. Unde, sicut supra administrabat doctrinam sanam, ita hic vitat gloriam non suam. Ad quod explicandum, tria introducuntur: primum est falsitatis existimatio in plebe; secundum est veritatis confusio in Joanne; tertium est sublimitatis commendatio in Salvatore. Quantum ad existimationem falsitatis in plebe, dicitur: *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis,* existimatione falsa et cogitatione erronea de Joanne, *ne forte ipse esset Christus*, in lege scilicet promissus; nec tantum existimantibus, sed et quærentibus exterius [1]: « Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? » et hoc, quia suspicabantur eum esse Christum. Unde supra [2]: « Quis, putas, puer iste erit? » Non autem debebant eum existimare Christum, sed ejus ministrum, secundum illud [3]: « Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi, » etc. Et ideo in tali cogitatione errabant. Unde Beda: « Mira cæcitas Judæorum, quod in Joanne sponte credebant, hoc in Salvatore tantis signis et virtutibus approbato, et ipso etiam Joanne attestante, non credere. » Unde non immerito [4] « cæci, et duces cæcorum » vocantur; quia ponebant [5] « tenebras lucem, et lucem tenebras. » Unde *Joannes* [6]: « Non erat ille lux. »

Quantum ad veritatis confessionem in Joanne, subditur (v. 16): *Respondit Joannes, dicens omnibus,* id est publice, quia omnes errabant. *Ego quidem aqua baptizo vos,* et tantum, sicut dicit Ambrosius [7], corpora tingo. Ac per hoc non sum Salvator animarum, quem vos me arbitramini esse. Unde ipse dixit [8]: « Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Unde, cum quæreretur a Judæis quis esset [9]: « Confessus est, et non negavit, et confessus est: quia non sum ego Christus. » Et ideo poterat dicere illud [10]: « Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. » Et nota, quod est baptismus fluminis, flaminis, et sanguinis. Baptismus fluminis est duplex: quidam in aqua tantum, ut beati Joannis, in *Actibus* [11]: « In quo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. » Quidam in aqua et spiritu, ut baptismus Christi [12]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, » etc. Baptismus flaminis similiter duplex est: quidam in dono gratiæ [13]: « Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto; » quidam in verbo doctrinæ [14]: « Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, » per quas prædicatores intelligimus. Et in *Joanne* (*a*) [15]: « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. » Baptismus sanguinis etiam duplex est: quidam in tribulatione: *Isaias* [16]: « Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris; » quidam in morte [17]: « Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, usque dum perficiatur? »

Quantum autem ad commendationem sublimitatis in Salvatore, subditur: *Venit autem fortior me.* Commendat autem Joannes Christum quantum ad mysterium incarnationis, quantum ad sacramentum reparationis, et quantum ad judicium retributionis. In primo est nostræ salutis initium: in secundo, incrementum; in tertio, complementum. Quantum ad mysterium incarnationis, dicit: *Venit autem fortior me: fortior,* dignior et excellentior. *Isaias* [18]: « Vocabitur

[1] *Joan.*, I, 19. — [2] *Luc.*, I, 66. — [3] I *Cor.*, IV, 1. — [4] *Matth.*, XV, 14. — [5] *Isa.*, V, 20. — [6] *Joan.*, I, 8. — [7] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 79. — [8] *Joan.*, I, 33. — [9] Ibid., 20. — [10] II *Cor.*, XII, 6. — [11] *Act.*, XIX, 3. — [12] *Joan.*, III, 3. — [13] *Act.*, I, 5. — [14] *Cant.*, VI, 5. — [15] *Joan.*, XIII, 10. — [16] *Isa.*, IV, 4. — [17] *Luc.*, XII, 50. — [18] *Isa.*, IX, 6. — (*a*) *Cæt. edit.* Joannes.

nomen ejus Admirabilis. » Quia[1] « quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. » Et hoc quidem non modicum, sed incomparabiliter; ideo subditur: *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Ad litteram potest hoc esse, ut tantum se humiliet, quod non sit dignus servire ei in humillimo ministerio. Unde etiam et in *Matthæo*[2]: « Cujus non sum dignus calceamenta portare. » Vel spiritualiter per *calceamentum* intelligitur humana natura assumpta, secundum illud[3]: « In Idumæam extendam calceamentum meum; » per *corrigiam*, intelligo ipsam unionem. Est ergo sensus secundum Bedam: *Cujus non sum dignus*, etc., id est, incarnationis mysterium explicare; quia dicitur in *Apocalypsi*[4]: « Nemo inventus est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus, » nisi solus Agnus. Aliter intelligitur tertio modo sic: *Non sum dignus*, etc., id est, evangelicam prædicationem per mundum portare. Unde Beda: « Calceamentum nuptiale est evangelica prædicatio, qua calceati fuerunt apostoli[5]: « Calceati pedes in præparationem evangelii pacis. » Aliter etiam quarto modo exponitur, ut sit sensus: *Non sum dignus solvere*, id est, ipsum secundum morem legis discalceare, et uxorem ejus mihi copulare. Unde in *Joanne* (*a*)[6]: « Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, » etc. Sed secundum primum sensum majus videtur habere testimonium: in quo mira exprimitur beati Joannis humilitas; cum enim reputatur a Deo maximus, ipse reputat se minimum, secundum illud[7]: « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. »

Quantum ad sacramentum reparationis, subditur: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.*[8] « Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto. » Alioqui[9]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » Et hoc quidem erat interius. *Et igni*: Hoc dicitur quantum ad signum exterius, de quo dicitur[10], quod « apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. » Et hoc, quia Spiritus sancti amor recte per ignem designatur, secundum quod dicitur[11]: « Ignem veni mittere in terram, » etc. Vel *igni*, scilicet tribulationis, purificantis a sequela peccati, secundum illud[12]: « In igne zeli mei devorabitur omnis terra. » Vel *igni*, scilicet purgatorio, in quo purgabitur scoria peccati[13]: « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Vel *igni* tentationis[14]: « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. »

Quantum ad justitiam retributionis, subdit (v. 17): *Cujus ventilabrum in manu ejus.* Hic autem justitia retributionis commendatur quantum ad tria, scilicet quantum ad judicium discretivum meritorum, quantum ad præmiationem bonorum, et quantum ad punitionem reproborum. Quantum igitur ad judicium discretivum, dicitur: *Cujus ventilabrum in manu ejus.* Hoc dicit ad potestatem judiciariam, qua discernuntur boni a malis, sicut per ventilabrum purgantur frumenta a scoriis[15]: « Dispergam eos ventilabro in portis terræ. » Et dicitur: *In manu ejus*, id est plenaria potestate, secundum illud[16]: « Pater omne judicium dedit Filio. » Et ideo dicitur[17]: « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. »[18] « Ecce venit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus ejus? » Et quoniam potestatis judiciariæ est sequestrare bonos a malis, ut bonos glorificet, et malos affligat; ideo, quantum ad discretionem et sequestrationem, dicitur: *Et purgabit arcam suam.*[19] « Mundabo sanguinem eorum, quos non mundaveram: et Domi-

[1] I *Cor.*, I, 25. — [2] *Matth.*, III, 11. — [3] *Psal.* LIX, 10. — [4] *Apoc.*, V, 2. — [5] *Ephes.*, VI, 16. — [6] *Joan.*, III, 29. — [7] *Eccli.*, III, 20. — [8] *Act.*, I, 5. — [9] *Joan.*, III, 3. — [10] *Act.*, II, 3. — [11] *Luc.*, XII, 49. — [12] *Sophon.*, I, 18. — [13] I *Cor.*, III, 15. — [14] *Psal.* XVI, 3. — [15] *Jerem.*, XV, 7. — [16] *Joan.*, V, 22. — [17] I *Petr.*, V, 6. — [18] *Malach.*, III, 2. — [19] *Joel.*, III, 21. — (*a*) *Cæt. edit.* Unde Joannes.

nus commorabitur in Sion. » Quia vero boni permixti sunt modo malis occultis, ideo dicitur in *Psalmo* [1] : « Ab occultis meis munda me, » in persona Ecclesiæ. Hoc fiet, quando implebitur illud [2] : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. » Et alibi [3] : « Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes. » Et nota, quod Ecclesia militans intelligitur per areolam propter arctitudinem humilitatis. In *Canticis* [4] : « Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. » Sed per aream Ecclesia triumphans, propter latitudinem charitatis [5] : « Ponam hoc vellus lanæ in aream, » etc. Hæc mundatur in fine, secundum illud [6] : « Sic enim erit in consummatione sæculi; exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. »

Quantum autem ad præmiationem bonorum, dicitur : *Et congregabit triticum in horreum suum.* Et hoc est, quando Sancti in gloria in unum reducuntur. Hæc autem Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel [7] : « Adhuc congregabo ad eum congregatos meos. » Et recte electi, ratione fructuositatis, comparantur tritico, secundum illud [8] : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, » etc. *Job* [9] : « Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. »

Quantum vero ad punitionem reproborum, subditur : *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Paleas reprobos vocat, quia sunt materia combustionis [10] : « Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? » Unde *Job* [11] : « Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit. » *Psalmus* [12] : « Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. » Et ita paleæ sunt in pabulum ignis sempiterni, qui nec extinguitur, nec extinguit. Et ideo *Isaias* [13] : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. » Et in *Deuteronomio* [14] : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. » Hæc autem palearum adustio longe erit a tritico congregato, quia isti erunt in inferno, boni autem in Paradiso, in quo congregabuntur in gloria, quia hic congregati fuerunt in gratia. Ideo intelligendum, quod triplex est congregatio, scilicet 1. ad studium veritatis [15] : « Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. » 2. Ad exercitium virtutis [16] : « Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, » etc. 3. Ad præmium felicitatis; *Psalmus* [17] : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. » Ad exercitium virtutis, videlicet 1. in oratione [18] : « Cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati. » 2. In prædicatione [19] : « Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati; » et postea : « Testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. » 3. In conversatione; apud *Matthæum* (*a*) [20] : « Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » 4. Ad studium veritatis, ad cognoscendum divina præcepta [21] : « Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos. » 5. Ad cognoscendum divina sacramenta; *Psalmus* [22] : « Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. » 6. Ad cognoscendum divina promissa [23] : « Congregamini ad me, filii Jacob, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis. » 7. Ad præmium felicitatis per cohærentiam pacis; in *Matthæo* (*a*) [24] : « Mittet filius hominis angelos suos; » et postea : « Et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, » etc. 8. Per refulgentiam lucis; *Isaias* [25] : « Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. » 9. Per

Congregatio triplex bonorum

[1] *Psal.* XVIII, 13. — [2] *Isa.*, XXVI, 10. — [3] *Apoc.*, XXII, 15. — [4] *Cant.*, VI, 1. — [5] *Judic.*, VI, 37. — [6] *Matth.*, XIII, 49. — [7] *Isa.*, LVI, 8. — [8] *Joan.*, XII, 24. — [9] *Job*, V, 26. — [10] *Jerem.*, XXIII, 28. — [11] *Job*, XXI, 18. — [12] *Psal.* LXXXII, 14. — [13] *Isa.*, LXVI, 24. — [14] *Deut.*, XXXII, 22. — [15] *Eccli.*, XLI, 31. — [16] *Joel.*, II, 16. — [17] *Psal.* XLVI, 10. — [18] *Act.*, IV, 31. — [19] *Act.*, I, 31. — [20] *Matth.*, XVIII, 20. — [21] *Deut.*, IV, 10. — [22] *Psal.* XLIX, 5. — [23] *Gen.*, XLVII, 1. — [24] *Matth.*, XXIV, 31. — [25] *Isa.*, LX, 4. — (*a*) *Cæt. edit.* Matthæus.

consonantiam laudis [1] : « Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo. »

18. *Multa quidem et alia exhortans, evangelizabat*, etc. Supra commendavit prædicationem Joannis in comparatione ad exigentiam populi, et excellentiam Christi; in hac parte commendat in comparatione ad perfidiam tyranni. In qua laudatur ejusdem patientia, quia [2] « doctrina viri per patientiam noscitur. » In hac ergo parte primo introducitur Joannes exhortans populum obedientem; secundo, corripiens principem prævaricantem; tertio, sustinens adversarium persequentem.

Quantum ergo ad exhortationem populi obedientis, dicitur : *Multa quidem et alia exhortans, evangelizabat populo.* Sed tamen omnia erant ad bonum [3] : « Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, » etc. Et *ad Thessalonicenses* [4] : « Exhortatio nostra non de errore, neque de immunditia, neque in idolo; sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium. » Et ratio subditur : *Evangelizabat*, id est, bona annuntiabat [5] : « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, » etc. Quantum ad correptionem principis prævaricantis, subditur (v. 19) : *Herodes autem Tetrarcha*, de quo habitum est supra, *cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui* [6] (dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam, etc.,) *et de omnibus malis, quæ fecit Herodes*, etc. Et ita non parcebat ei [7] : « Gloria divitum, et honoratorum, et pauperum, timor Dei est; non (*a*) despicere hominem justum pauperem, et non (*a*) magnificare virum peccatorem divitem. » Unde sibi competit illud quod dicitur de Elisæo [8] : « In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum, nec superavit illum verbum aliquod. » Et quia publice peccabat, publice arguebat, secundum illud [9] : « Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant; » et hoc quidem audacter; *ad Titum* [10] : « Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. » Quantum ad tolerantiam adversarii persequentis, subditur de Herode (v. 20) : *Adjecit et hoc super omnia, inclusit Joannem in carcerem.* Et sic verificatum est illud [11] : « Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjecit ad peccandum. » Et hoc justo Dei judicio; *Apocalypsis* [12] : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Et sic verificatum est illud *Amos* [13] : « Odio habuerunt corripientem in porta : » sicut Achab Michæam; sicut Sedechias Jeremiam; sicut alius Herodes Petrum. Propter quod [14] : « Alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, secti sunt, » etc.

21. *Factum est autem, cum baptizaretur*, etc. Postquam commendavit Evangelista Præcursoris prædicationem, et officii executionem in generali et speciali, hic commendat in singulari respectu Christi, ad quem principaliter tota prædicatio ordinata fuit. Sicut enim dicit ipse Baptista [15] : « Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. » Describitur ergo hic spiritualis regeneratio Christi, quæ principaliter intenta est in toto capitulo. Habet autem hæc pars duas : in prima determinatur Christi regeneratio sacramentalis; in secunda vero Christi genealogia temporalis, ibi (v. 23) : *Et ipse Jesus erat incipiens*, etc. Quantum ad primum, duo introducuntur : primum est humiliatio per susceptionem sacramenti in assumpta humanitate; secundum est clarificatio per exhibitionem testimonii a tota Trinitate, ibi : *Apertum est cœlum*, etc. Circa susceptionem sacramenti in forma servi, notandum, quod triplex desi-

[1] *Psal.* CV, 47. — [2] *Prov.*, XIX, 11. — [3] II *Cor.*, VI, 1. — [4] I *Thess.*, II, 3. — [5] *Isa.*, LII, 7. — [6] *Matth.*, XIV, 4. — [7] *Eccli.*, X, 26. — [8] *Eccli.*, XLVIII, 13. — [9] I *Tim.*, V, 20. — [10] *Tit.*, II, 15. — [11] *Eccli.*, III, 29. — [12] *Apoc.*, XXII, 12. — [13] *Amos.*, V, 10. — [14] *Hebr.*, XI, 36. — [15] *Joan.*, I, 31.

(*a*) *Vulg.* Noli.

Christi humilitas.

gnatur humiliatio in Christo : prima respectu populi associantis; secunda respectu ministri baptizantis; tertia respectu Dei exaudientis. Humiliatio autem respectu populi associantis notatur, cum dicit : *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus.* Per populum plebs humilis intelligitur : inter quos Christus humilis esse non dedignatur, quoniam secundum *Psalmistam* [1] : « Excelsus Dominus, et humilia respicit. » Ratione cujus humilitatis dicitur infra [2] : « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. » Et alibi dicitur [3] : « Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. » Et nota, quod *omnis populus* idem est, quod multi de populo, quia infra dicitur [4] : « Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipso, non baptizati ab eo. » Et sic accipitur apud *Matthæum* [5] : « Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo. » *Et Jesu baptizato*, scilicet a Joanne, quæ fuit mera humilitas, ut Dominus vellet baptizari baptismo servi. Unde dicitur, quod Joannes dixit [6] : « Ego a te debeo baptizari. » Et sequitur : « Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam, » id est, perfectam humilitatem, qua non tantum superiori et pari, sed et inferiori subjecit se.

Cur Christus baptizari voluerit.

Baptizatus autem est Christus, non ut sanctificaretur baptismo, sed ut vim regenerativam aquis conferret. Unde Chrysostomus : « Peccatorum remissionem non accepit; sed aquas baptizandis omnibus sanctificavit. » Baptizari etiam voluit, ut aliis exemplum et formam daret, quia, secundum quod dicitur [7] : « Cœpit Jesus facere et docere. » Ut etiam suo baptismo innotesceret, sicut dicitur [8] : « Ut manifestetur in Israel, » etc. Baptizatus est etiam ut baptismum Præcursoris approbaret, et ostenderet Pharisæis quod Joannis testimonio credendum erat, sicut cœlesti. Ad quos in *Matthæo* (*a*) [9] : « Baptismus Joannis unde erat, e cœlo, an ex hominibus? » Humiliatio autem respectu Dei exaudientis notatur, cum dicitur : *Et orante*, scilicet ad Dominum, secundum illud [10] : « Subditus esto Domino, et ora eum. » *Ad Hebræos* [11] : « Preces supplicationesque ad Dominum offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Unde [12] : « Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudisti (*b*) me; ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. » In omnibus invenitur Dominus orans, sive in baptismi susceptione, sive in solitudine, sive in prædicatione, sive in miraculorum operatione et passione, et sacramenti dispensatione, et animæ commendatione; ut ostendat illud, quod infra dicitur [13] : « Oportet semper orare, et non deficere. » In baptismi susceptione, sicut hic : *Et factum est, Jesu baptizato, et orante*, ut daret formam orandi accedentibus ad baptisma. In deserti solitudine, infra [14] : « Ipse secedebat in desertum, et orabat, » ut formam daret contemplantibus. In prædicatione, infra [15] : « Factum est autem in diebus illis, exiit in montem ut oraret, » ut formam daret prædicatoribus. In miraculorum operatione [16] : « Pater, gratias ago tibi, » etc., ut daret formam operantibus. In passione [17] : « Progressus cecidit in faciem suam, » ut formam daret sustinentibus. In corporis Christi administratione, infra [18] : « Accepto calice, gratias egit, » ut formam daret sacerdotibus. In spiritus commendatione, infra [19] : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc dicens expiravit, » ut formam daret morientibus. Et in omnibus est orandum.

Apertum est cœlum, etc. Post humiliationem in susceptione sacramenti, subditur clarificatio in exhibitione testimonii. Et ut

[1] *Psal.* CXII, 6. — [2] *Luc.*, XXII, 27. — [3] *Joan.*, I, 26. — [4] *Luc.*, VII, 30. — [5] *Matth.*, III, 6. — [6] Ibid., 14, 15. — [7] *Act.*, I, 1. — [8] *Joan.*, I, 31. — [9] *Matth.*, XI, 30. — [10] *Psal.* XXXVI, 7. — [11] *Hebr.*, V, 7. — [12] *Joan.*, XI, 41, 42. — [13] *Luc.*, XVIII, 1. — [14] *Luc.*, V, 16. — [15] *Luc.*, VI, 11. — [16] *Joan.*, XI, 41. — [17] *Matth.*, XXVI, 39. — [18] *Luc.*, XXII, 17. — [19] *Luc.*, XXIII, 46.

(*a*) Edit. Vat. *Matthæus*; edit. Ven. *Matthæum*. — (*b*) *Vulg.* audisti.

testimonium sit firmum, ideo ostenditur esse trium personarum omni acceptione majorum, id est, personæ Filii, et Spiritus sancti, et Patris. Adest enim lux, columba, et vox : lux ad significandam personam Filii; columba, Spiritus sancti; vox vero, personam Patris æterni. Ad significandam igitur Filii personam dicitur : *Apertum est cœlum.* In qua scilicet apertione fulgor magnus apparuit. Ipse enim Filius dicit de se [1] : « Ego sum lux mundi. » Et *Joannes* [2] : « Erat lux vera. » Et *ad Hebræos* [3] : « Qui cum sit splendor gratiæ, et figura substantiæ ejus. » Dum ergo cœli aperti dant splendorem, verificatur illud Psalmistæ [4] : « Cœli enarrant gloriam Dei, » id est, Filii, qui est splendor : in hoc enim designatum est, quod virtute baptismi Christi aperitur janua cœli ad intrandum baptizatis, secundum illud Psalmistæ [5] : « Notas mihi fecisti vias vitæ, » etc. Apparuit etiam ipse Filius in natura assumpta; *ad Titum* [6] : « Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos. » Sequitur : « Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. » Quia enim [7] « nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, » id est, nisi sit membrum Christi, qui descendit de cœlo : nec hoc fieri potest ut sit membrum Christi, nisi per sacramentum regenerationis; ideo in baptismo aperti sunt cœli. Et sicut per Adæ carnalem generationem clauditur cœlum; ita per regenerationem spiritualem aperitur. Et sicut propter concupiscentiæ ardorem positus est flammeus gladius ad custodiam ligni vitæ; sic per humorem gratiæ, mitigantis concupiscentiam, in baptismo amovetur romphæa, et aperitur porta. [8] « Angelus Domini descendit in fornacem, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. » Et hic est angelus, de quo [9] : « Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua, et sanabatur unus. »

Rursus, ad designandam Spiritus sancti personam, additur (v. 22) : *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* [10] « Super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat, » etc. Descendit autem in specie columbæ, ratione significationis, quia, sicut dicit Chrysostomus [11] : « Avis ista præ omnibus cultrix est maxime charitatis. » Unde apparuit Christo in perfecto animali, sed discipulis in linguis, ut significetur quod in Christo fuit secundum omnimodam plenitudinem, in aliis per partes. Unde dicitur [12] : « Non ad mensuram dat Deus spiritum. » Apparuit etiam super discipulos in igne, sed super Christum in columba, quia, sicut dicit Gregorius [13] : « Christus nos per mansuetudinem venit colligere; » et ideo super ipsum apparuit in columba, sed super discipulos in igne : ad quos, ad consumendam rubiginem, quam in semetipsis habebant, et ut eos accenderet, veniebat. Et optime competit baptismo apparitio Spiritus sancti in columba, propter innocentiam quam baptismus restituit. In cujus rei signum dicitur [14], quod columba post diluvium attulit virentis olivæ ramum. Per illud diluvium, in quo, sicut dicit Petrus [15], « paucæ, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, » etc., intelligitur baptismus. Unde per columbam reducentem ad arcam ramum virentis olivæ, intelligitur innocentia mansuetudinis, cum gratia unctionis. Et nota, quod Spiritus sanctus apparuit in triplici specie, scilicet : in columba, in baptismo; in nube, in transfiguratione; in igne, super discipulos : et respondent hæc tribus statibus. Incipientibus enim illabitur ut columba, quia reddit eos gementes et meditantes [16] : « Quasi columbæ meditantes, gememus. » Et [17] : « Sicut pullus hirun-

Spiritus Sanctus in triplici specie apparuit.

[1] *Joan.*, VIII, 12. — [2] *Joan.*, I, 9. — [3] *Hebr.*, I, 3. — [4] *Psal.* XVIII, 1. — [5] *Psal.* XV, 11. — [6] *Tit.*, III, 4, 5, 7. — [7] *Joan.*, III, 13. — [8] *Dan.*, III, 50. — [9] *Joan.*, V, 4. — [10] *Joan.*, I, 33. — [11] Chrysost., *de Spir. Sancto*, serm., ante med. — [12] *Joan.*, III, 34. — [13] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, circa med. — [14] *Gen.*, VIII, 11. — [15] I *Petr.*, III, 20. — [16] *Isa.*, LIX, 13. — [17] *Isa.*, XXXVIII, 14.

dinis, sic clamabo, et meditabor ut columba.» Proficientibus, ut nubes, quia conamine mentis facit eos sursum ascendere, de virtute in virtutem, usquequo elevet ad cœlum, ut ibi videatur Deus deorum in Sion. Perfectus, in igne, quia illos inflammat, ut sursum tendant per desiderium, et etiam proximos accendant per benefacta. Infra [1] : « Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? » In cujus rei signum dicitur, quod Elias ascendit in cœlum in curru igneo. De quo igne [2] : « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. »

Postremo, ad significandam personam Patris, subditur : *Et vox de cœlo facta est.* Et tunc verificatum est illud [3] : « Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit. » Et illud [4] : « De cœlo te fecit audire vocem suam. » Et quod hæc vox esset in persona Patris, ostenditur, cum adjungitur : *Tu es filius meus*, scilicet, unigenitus, ab æterno genitus. *Psalmus* [5] : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu. » Et in hoc perhibuit ei Pater testimonium, secundum illud [6] : « Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. » Unde [7] : « Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quod testificatus est de filio suo. » *Tu* ergo hic discretive accipitur, quia nullus alius. Unde unigenitus dicitur [8] : « Deum nemo vidit unquam; unigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris, etc.; » quia secundum illud [9] : « Ex utero ante luciferum genui te. » Et quia istum summe diligit, ideo additur : *Dilectus*, per quem et alii odiosi diliguntur [10] : « Gratificavit nos in dilecto filio suo. » Et iterum [11] : « Transtulit in regnum filii dilectionis suæ. » Et ad majorem expressionem, additur : *In te complacuit* (*a*) *mihi*, omne scilicet quod placet; et hoc, propter perfectissimum nexum amoris, qui est inter Patrem et Filium [12] : « Quasi pater in filio complacet sibi. » *Ad Colossenses* [13] : « In ipso complacuit plenitudinem omnem inhabitare, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. » Et ideo dicitur [14] : « Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. » Sic ergo perhibitum est testimonium Christo in voce a Patre, a Spiritu sancto in columba, a Filio in luce; et sic firmum est testimonium, quia [15] « in ore trium testium stare debet omne verbum. » Et sic verificatum est illud [16] : « Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, etc. » Et nota, quod apud *Matthæum* dicitur de hac voce [17] : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui; » sed *Marcus* [18] : « Tu es filius meus dilectus, in te complacui. » *Lucas* hic : *Tu es filius meus dilectus*; *in te complacuit mihi.* In his autem non est contrarietas, quia non sonum verborum, sed sententiam exprimunt, sicut dicit [19] Augustinus. Ideo autem fit differenter, quia vox ista, *Patris*, est significativa, quod Christus sit verbum Patris simillimum et expressum, et ideo placidissimum : quoniam Pater se dicit Verbo in se et in nobis, per quod se aliis declarat; dicit etiam omnia Verbo, quæcumque dicit, et hoc perfectissimum est. Et quia non poterat nobis hoc simplici verbo Evangelista exprimere, licet illa vox cœlestis totum hoc insinuaret, ideo Evangelistæ expresserunt diversimode, ita quod Matthæus insinuat complacentiam Patris respectu Verbi, in quantum dicit se in se; et ideo dicit : *In quo mihi complacui.* Lucas, respectu Verbi, in quantum Pater Verbo omnia dicit; et ideo ait : *In te complacuit mihi*, generaliter, scilicet, quidquid

[1] *Luc.*, XII, 49. — [2] *Thren.*, I, 13. — [3] *Psal.* XXVIII, 3. — [4] *Deut.*, IV, 36. — [5] *Psal.* II, 7. — [6] *Joan.*, VIII, 18. — [7] I *Joan.*, V, 9. — [8] *Joan.*, I, 18. — [9] *Psal.* CIX, 3. — [10] *Ephes.*, I, 6. — [11] *Coloss.*, I, 13. — [12] *Prov.*, III, 12. — [13] *Coloss.*, I, 19. — [14] *Joan.*, VIII, 29. — [15] *Deut.*, XVII, 6. — [16] I *Joan.*, V, 7. — [17] *Matth.*, III, 17. — [18] *Marc.*, I, 11. — [19] Aug., *de consens. Evang.* lib. I, c. XIII.

(*a*) Vulg. *complacui*.

placet. Marcus, respectu Verbi, in quantum Pater Verbo se dicit nobis, et complacet aliis, et ideo dicit : *In te complacui.*

23. *Et ipse Jesus erat,* etc. Post regenerationem sacramentalem, in qua etiam declaravit generationem æternalem, subjungit hic genealogiam temporalem, circa quam tria introducuntur consideranda : primum est tempus procedentis, ad excludendum intellectum phantasticum ; secundum, est modus procedendi, ad excludendum intellectum carnalem ; tertium est processionis gradus, sive processus, ad fortificandum intellectum fidelem. Primo igitur insinuat tempus ætatis, ut illi convincantur, qui credunt Christum verum hominem non fuisse; propter quod dicit : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta :* incipiens scilicet aliis se manifestare et prædicare. Dicit autem : *quasi annorum triginta,* quia secundum quosdam erat viginti novem annorum, et tredecim dierum; secundum alios, habebat triginta annos, et tredecim dies. In quo etiam præbuit exemplum, ut nullus debeat docere ante ætatem adultam, quantamcumque habeat sapientiam. Unde[1] : « Homo sapiens tacebit usque ad tempus. » Et ideo dicitur[2] : « Adolescens, loquere in tua causa vix, cum necesse fuerit. » Unde[3] : « Filii Gerson non nisi a triginta annis usque ad quinquaginta numerabantur ad portandum onera tabernaculi. » Licet autem ita sit de lege communi, tamen aliquando aliter facit Dominus de privilegio speciali, sicut legitur de Hieremia[4] : « Noli dicere : Puer sum : » et Daniel, de quo dicitur, quod[5] « suscitavit Deus spiritum pueri junioris. » Ideo dicitur, quod[6] « sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas. » Et in Psalmista[7] : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Attamen privilegia paucorum non sunt trahenda ad consequentiam, nec divinæ operationi et gratiæ est lex imponenda; quia, sicut dicitur[8] : « Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata. » Et iterum[9] : « Consummatus in brevi explevit tempora multa. »

Vita Christi cum cœpit prædicare.

Deinde scribit modum processus, cum dicit : *Ut putabatur filius Joseph.* In quo ostendit, quod secundum generationem temporalem non habebat patrem verum, sed putativum, quia de virgine natus. Joseph namque putabant homines ejus patrem, secundum quod dicitur[10] : « Nonne hic est filius Joseph? » Sed ex hoc videtur, quod genealogia sequens nihil faciat ad Christum secundum veritatem. Ad quod respondet Beda per Hieronymum, quod non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo taxetur. Deinde et Joseph et Mariam ex eadem tribu dicit esse generatos. Unde et lege tenebatur eam accipere, ut propinquam. Cujus etiam signum est, quod simul in Bethlehem censentur, sicut habetur supra[11]. Et ideo generationis series unius, ad alterum pertinet : ex quo apparet, quam parum in Scriptura de Maria sit sermo : si enim de ipsa non sit sermo in Christi genealogia propter servandum morem Scripturarum, cum tamen videatur quasi necessarium; multo minus fieri debet circa proprios actus. Non fit autem sermo de mulieribus in ordine genealogiarum, tum propter defectum ex parte naturæ, quia[12] femina est vir vel mas occasionatus; tum propter defectum ex parte significantiæ, quia non Christum, sed Ecclesiam significat, non superiorem portionem rationis, sed inferiorem; tum propter defectum ex parte officii, quia nec docere, nec præsidere eis competit; tum propter defectum ex parte remedii, quia ei competit non remediare, sed remediari; tum propter defectum principii, quia non vir ex muliere est, sed mulier ex viro; tum propter memoriam

Cur in genealogiis sacris non fiat mulierum recensio.

[1] *Eccli.*, XX, 7. — [2] *Eccli.*, XXXII, 10. — [3] *Num.*, IV, 23. — [4] *Jerem.*, I, 7. — [5] *Dan.*, XIII, 45. — [6] *Sap.*, X, 21. — [7] *Psal.* VIII, 3. — [8] *Sap.*, IV, 9. — [9] Ibid., 13. — [10] *Luc.*, IV, 22. — [11] *Luc.*, II, 4. — [12] Averr., *Phys.*, lib. I; Arist., *de Gener. animal.*, lib. II, c. III.

primi peccati[1] : « Adam non est seductus, mulier autem, » etc. Et hac ratione non fit decursus per mulieres, nec est mos in Scripturis, nec fit mentio magna de Maria, quia Evangelia inceperunt a Præcursore; *Marcus*[2] : « Initium Evangelii Jesu Christi, » etc.; et etiam propter prædictas rationes : scriptum tamen in Veteri Testamento fuit, quod esse poterat figura Virginis in aliquibus mulieribus, quæ Mariæ et Ecclesiæ figuram gesserunt.

Tertio adjungit gradus processionum, cum addit (v. 24) : *Qui fuit Heli*, etc. Sed huic videtur contrarium illud *Matthæi*, ubi dicitur[3], quod « Jacob genuit Joseph, » qui descendit per Salomonem. Si ergo impossibile est, quod aliquis simul a duobus generetur, aut ista genealogia, aut illa *Matthæi* est omnino erronea. Ad cujus rei evidentiam est notandum, quod Matthat, qui descendit a David per Nathan, et Matthan, qui descendit a David per Salomonem, habuerunt successive unam et eamdem uxorem, ex qua Matthan genuit Jacob, et Matthat genuit Heli. Et ita Heli et Jacob fuerunt duo fratres uterini. Heli autem, accepta uxore, mortuus est sine liberis; et ideo secundum legem, Jacob frater ejus illam accepit, ut suscitaret semen fratri suo, et ex illa genuit Joseph, virum Mariæ. Joseph ergo secundum carnem fuit filius Jacob, qui descendit per Salomonem; sed secundum legem fuit Heli, qui descendit per Nathan. Et quoniam ad perfecte scribendam genealogiam Salvatoris, oportuit eam scribi et secundum legem, et secundum naturam; ideo Spiritus sanctus hoc fecit per duos evangelistas; quia Matthæus scripsit carnalem, et Lucas legalem. Hoc autem non est factum sine causa rationabili : Matthæus namque prosequitur Christi regnum, et humanitatem secundum quod successit David : loquitur enim de descensu ejus ad nostræ carnis susceptionem. Et quia hæc susceptio fuit primo promissa ipsi Abrahæ, et repromissa ipsi David; ideo incipit genealogiam Salvatoris ab Abraham descendendo per David et Salomonem, qui successit ei in regno. Hinc est etiam, quod descendendo, solum quadraginta intermedias generationes ponit, quia per illum numerum universitas temporis designatur, secundum quod dicit Augustinus[4] : generatur enim, si denarius ducatur per quaternarium. Vel secundum alium modum computandi, interserit quadraginta duas generationes, secundum quadraginta duas mansiones filiorum Israel; ita quod Jechonia bis computetur, ad designandum lapidem angularem Christum. Et generatur hic numerus ex senario, ducto per septenarium : In quo designatur præsentis temporis status. Et quia Christi generatio secundum carnem describitur per Matthæum; ideo ponitur in principio libri. Lucas autem prosequitur sacerdotium Christi, per quod in adoptionem filiorum reconciliamur a statu peccati, quod quidem fit per sacramentalem regenerationem : ideo prosequitur filiationem Christi adoptivam sive legalem, ascendendo usque ad Deum. Et hoc per septuaginta septem gradus, quia per illum numerum, ut dicit Augustinus[5], peccatorum universitas designatur : generatur enim per undenarium ductum per septenarium. Ideo etiam genealogiam istam, non in principio libri, sed post baptismum Christi ponit. Quoniam igitur[6] finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, et Lucas principalis intentionis oculum dirigebat ad Christi sacerdotium; Matthæus vero, ad Christi regnum : hinc est, quod genealogiam Christi aliter atque aliter sunt prosecuti, quam a Spiritu sancto ducti, non casu contrario atque fortuito, sed varietate quadam consona et articulata descripserunt.

Ex his apparet causa septiformis differen-

[1] I *Tim.*, II, 14. — [2] *Marc.*, I, 1. — — [3] *Matth.*, I, 15. — [4] Aug., *de Consens. Evang.*, lib. II, c. IV. — [5] Aug., ubi sup. — [6] Arist., *Phys.*, lib. II, tex. 4; *Metaph.*, lib. II, text. 8; *De Partib. animal.*, lib. I, c. 1.

et Matthæus, dum Christi describunt genealogiam, in quibus differant

tiæ inter Lucam et Matthæum, scilicet in personis per quas, propter duplicem modum paternitatis, secundum naturam, et legem : primum, Matthæus; secundum, Lucas : primo modo per Salomonem; secundo, per Nathan. In progressu, quia Matthæus descendendo, Lucas vero ascendendo : et hoc, quia natura est principium propagandi, sed gratia reducendi. In modo, quia Matthæus dicit : *Genuit;* Lucas : *Qui fuit :* quia ille generationem naturalem, hic derivationem legalem. In tempore, quia Matthæus ab exordio; Lucas ab anno tricesimo; quia ille exordium nascendi, hic reconciliandi. In situ, quia Matthæus a principio; Lucas a baptismo; quia ille generationem, iste regenerationem principaliter attendit. In statu, quia Matthæus usque ad Abraham; Lucas, ad Deum : quia ille naturam; iste gratiam, quæ filios sanctificat. In numero, quia Matthæus in septuaginta duabus generationibus, et quadraginta personis, una bis computata ad designandam universitatem peregrinationis, ad quam descendit; Lucas septuaginta septem, per numerum transgressionis, quam Christus per baptismum expiavit. Spiritualiter notandum, quod omnia nomina, quæ exprimuntur in genealogia Salvatoris, aliquid mysterii important, quod valeat ad salutem. Propter vitandum tamen fastidium et curiositatem, attendenda sunt loca duntaxat insigniora et principaliora, in his gradibus designata, scilicet primus, septimus, decimus, decimus septimus, septuagesimus, septuagesimus sextus, et ultimus. Et ita septem loca insignia : ita ut in primo sit nostræ salutis initium, in ultimo complementum, et in intermedio profectus incrementum.

Jesus. Primo loco ponitur Jesus, qui interpretatur *Salvator,* quia salvat et liberat a servitute peccati [1] : « Et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Et hoc est initium nostræ salutis, a malo recedere. Psalmista [2] : « Quis est homo, qui vult vitam, et diligit dies videre bonos? Diverte a malo, » etc. Septimo loco Janne, qui interpretatur *dextera* [3], quia peccato remisso transferimur de sinistra ad dexteram. *Ad Colossenses* [4] : « Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, » id est, de sinistra ad dexteram. In *Matthæo* (*a*) [5] : « Statuet oves a dextris suis, hædos autem a sinistris. » Decimo loco Amos, qui interpretatur *onerans* [6], quia translati in gratiam, invitamur ad onera legis portanda. In *Matthæo* (*a*) [7] : « Venite ad me omnes. » Sequitur : « Tollite jugum meum super vos, » etc. De quo jugo et onere dicitur [8] : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, etc. » Decimo septimo loco Joseph, qui interpretatur *augmentrum* [9], quia servando et portando onus legis, augmentamur in gratia. *Ad Ephesios* [10] : « Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, » etc. *Ad Colossenses* [11] : « Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omne opere bono fructificantes. » Septuagesimo loco Enoch, qui interpretatur *dedicatio* [12], quia proficiendo in merito et charitate pervenimus ad mentis quietem, in qua habitat Deus sicut in templo dedicato. In *Joanne* (*b*) [13] : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Et hoc templum sursum formatur in cœlo per contemplationem, sicut Enoch, de quo [14] : « Ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. » Et *Sapientia* [15] : « Placens Deo, etc. » Dein : « Raptus est, ne malitia mutaret animum ejus. » Septuagesimo sexto loco Adam, qui interpretatur *homo* [16], quia perfectio quietis

Janne. Amos. Joseph. Enoch. Adam.

[1] *Matth.*, I, 21. — [2] *Psal.* XXXIII, 15. — [3] Hebr. יָמִין. — [4] *Coloss.*, I, 13. — [5] *Matth.*, XXV, 33. — [6] Hebr. עָמַס, oneravit. — [7] *Matth.*, XI, 28, 29. — [8] *Thren.*, III, 27. — [9] Hebr., יֹסֶף. — [10] *Ephes.*, IV, 15. — [11] *Coloss.*, I, 10. — [12] חָנַךְ, dedicavit. — [13] *Joan.*, XIV, 23. — [14] *Gen.*, V, 22. — [15] *Sap.*, IV, 10. 11. — [16] Hebr. אָדָם, ruber. — (*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* Joannes.

et contemplationis reformat in nobis imaginem Dei, ad quam factus est homo[1] : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » etc. Hanc reformat contemplatio[2] : « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem tranformamur a claritate in claritatem. » Et postmodum[3] : « Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, » etc.

Deus. Postremo loco subjungitur Deus, ad quem tendimus, in quo est quies et finis omnium laborum[4] : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, » etc. Et ad Corinthios[5] : « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. » Et post : « Ut sit Deus omnia in omnibus. » Nunc enim est verum illud, quod dicitur[6] : « Omnis viri caput, Christus est : caput autem mulieris, vir : caput vero Christi, Deus. » Tunc autem verum erit illud, quod dicitur[7] : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. »[8] « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi » Deo trino et uni, omnis honor, et « gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

CAPUT IV.

1. *Jesus autem plenus Spiritu sancto*, etc. Supra determinavit Evangelista de incarnationis mysterio, sive de Christi Nativitate.

Sapientis opus duplex in docendo. In hac parte agit de prædicationis magisterio, sive doctrina. Et quoniam duplex est opus sapientis in docendo, scilicet non mentiri de iis quæ novit, et mentientem manifestare posse ; ideo pars ista habet duas. In prima explicat veritatem ; in secunda confutat falsitatem, infra[9] : « Erat Jesus ejiciens dæmonium, » etc. Prima pars, in qua explicat veritatem doctrinæ, habet quatuor, in quarum prima doctrina Christi demonstratur authentica; in secunda, determinatur discipulorum vocatio, infra[10] : « Factum est, cum turbæ, » etc.; in tertia vocatorum institutio, infra[11] : « Factum est in illis diebus, » etc.; in quarta institutorum delegatio, infra[12] : *Et convocatis duodecim apostolis*, *dedit illis*, etc. Ordo et sufficientia partium per se apparet. Prima igitur pars, qua agitur de doctrinæ Christi auctoramento, continet præsens capitulum, et habet tres partes ; quoniam doctrina Christi tripliciter ostenditur authentica : aut ex ipso merito vitæ, aut ex testimonio Scripturæ, aut ex miraculo potentiæ. Ideo in prima parte ostenditur auctoritas doctrinæ Christi ex vitæ merito ; in secunda, ex Scripturæ testimonio, ibi[13] : *Regressus est Jesus in virtute Spiritus ;* in tertia ex potentiæ miraculo, ibi[14] : *Et descendit in Capharnaum*, etc., ubi determinantur miracula. Meritum autem consistit in victoria tentationum, ut dicitur[15] : « Militia est vita hominis super terram. » Et ideo describit Evangelista, qualiter tentationem diabolicam superavit. Ad cujus integram descriptionem tria sunt opportuna, scilicet : tentationis occasio; tentandi modus, quem tangit ibi[16] : *Dixit autem illi diabolus ;* et tertium, tentationis consummatio, quam ibi exprimit[17] : *Et consummata omni tentatione*, etc.

Diabolus unde ansam sumpserit tentandi Christum. Tentandi autem motivum sumpsit diabolus ex quatuor consideratis in Christo : primum est gratiæ plenitudo ; secundum, loci solitudo ; tertium est suspicio divinitatis, propter mirabilem abstinentiam ; quartum est inspectio infirmitatis propter apparentem indigentiam. Consideratio plenitudinis gratiæ per invidiam movit diaboli voluntatem ad tentandum ; consideratio solitudinis præstitit tentandi malignitatem ; suspicio divinitatis movit tentandi curiositatem ; inspectio necessitatis præbuit tentandi opportunitatem.

[1] *Gen.*, I, 26. — [2] II *Cor.*, III, 18. — [3] Ibid., IV, 16. — [4] *Joan.*, XVII, 3. — [5] I *Cor.*, XV, 24, 28. — [6] Ibid., XI, 3. — [7] I *Cor.*, III, 23. — [8] *Rom.*, XI, 36. — [9] *Luc.*, IX, 14 et seq. — [10] *Luc.*, V, 1 et seq. — [11] *Luc.*, VI et seq. — [12] *Luc.*, IX, 1 et seq. — [13] *Luc.*, IV, 14. — [14] Ibid., 31. — [15] *Job*, VII, 1. — [16] *Luc.*, IV, 3. — [17] Ibid., 13.

Introducit ergo plenitudinem gratiæ in Christo, dicens: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane,* non quia ibi primo impletus fuerit, sed quia tunc primo plenitudo ejus apparere cœpit, in alios redundando, secundum illud [1]: « Et vidimus gloriam ejus. » Et post: « De plenitudine ejus accepimus omnes. » *Plenus*, inquam, non solum sufficienter, sed et superabundanter, unde [2]: « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; » et secundo (*a*) [3]: « In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. »

Deinde adjungit loci solitudinem, quia in deserto, ideo addit: *Et agebatur in Spiritu in deserto*, a Spiritu scilicet sancto. Agere enim benignitatis est; unde [4]: « Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. » Hinc dicit Gregorius [5]: « Convenienter accipitur, ut a Spiritu sancto ductus credatur, ut illic eum suus spiritus duceret, ubi ad tentandum malignus spiritus inveniret. » Unde in desertum adduxit, ubi consuevit Deus animæ familiariter colloqui, secundum illud [6]: « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Et ideo in *Psalmo* [7]: « Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. » Sic et David [8]: « Morabatur in deserto, mansitque in domo solitudinis. » Et determinatur tempus, scilicet *diebus quadraginta*, ut sic veritas respondeat figuræ: sic Moyses; sic Elias: ut sic Christi jejunium tam a lege, quam a prophetis habeat testimonium. Et ne credas ibi Christum ad requiem declinasse, additur: *Et tentabatur a diabolo*, non interius, sed solum exterius. Sicut enim dicit Gregorius [9]: « Mentem ejus peccati dulcedo non momordit. » *Ad Hebræos* [10]: « Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tantum autem per omnia pro similitudine absque peccato. » Et nota spiritualiter, quod hic dicitur Christus *agi* in Spiritu, et a Matthæo dicitur [11] *duci*, et a Marco dicitur [12] *expelli*. In quo significatur, quod ad desertum pœnitentiæ venitur tripliciter, scilicet timore severitatis, cujus est expellere a malo ad bonum [13]: « Timor Domini expellit peccatum, » etc.; splendore veritatis, cujus est ducere [14]: « Duxi te per semitas æquitatis, » dicit Sapientia; et (*b*) amore bonitatis, cujus est agere [15]: « Quicumque spiritu Dei aguntur, » etc. Sive per comminationes, admonitiones, et promissiones, quæ tria respondent in nobis tribus viribus animæ, scilicet irascibili, rationali, et concupiscibili.

Ad desertum pœnitentiæ quot modis veniatur

Tertio introducit mirabilem abstinentiam, cum adjungit (v. 2): *Et nihil manducavit in diebus illis*, scilicet quadraginta. Ex quo diabolus est suspicatus eum Deum, quia jejunabat supra potestatem humanam, quæ ultra triduum communiter non procedit. Unde dicitur de turbis per triduum jejunantibus [16]: « Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant, » etc. Et nota hic, quod Salvator jejunavit ante tentationem, et comedit post resurrectionem ad nostram instructionem. Jejunat enim Christus ante mortem carnis; quo clamabat [17]: « Abstinere vos a carnalibus desideriis, » dum estis in agone. Comedit post resurrectionem, quasi diceret: Dum habetis corpus mortale, spe immortalitatis jam pascamini: quia dum viam Domini carpimus, et a vanitate sæculi jejunare, et refici debemus promissione futuri, ut semper dicamus [18]: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. »

Postremo addit apparentem indigentiam, cum subjungit: *Et consummatis illis, postea esuriit*. Noluit enim amplius abstinere, ne diabolus posset percipere. Unde Ambrosius [19]: « Esurit, ne innotescat sublimis Deus: fames enim Domini pia fraus est, ne caveat tentare diabolus, et impediatur triumphus. » Et nota, quod esurivit in ten-

[1] *Joan.*, I, 14, 15. — [2] *Coloss.*, I, 19. — [3] Ibid., II, 9. — [4] *Rom.*, VIII, 14. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XVI. — [6] *Ose.*, II, 14. — [7] *Psal.* LIV, 8. — [8] I *Reg.*, XXIII, 14. — [9] Greg., hom. mox citata. — [10] *Hebr.*, IV, 15. — [11] *Matth.*, IV, 1. — [12] *Marc.*, I, 12. — [13] *Eccli.*, I, 27. — [14] *Prov.*, IV, 11. — [15] *Rom.*, VIII, 14. — [16] *Matth.*, XV, 32. — [17] I *Petr.*, II, 11. — [18] *Psal.* XVI, 15. — [19] Ambros., *in Luc.*, lib. IV, n. 16, in sensu. — (*a*) *Suppl.* capite, *scilicet epist. ad Coloss.* — (*b*) *Cæt. edit.*, etc.

tatione, sicut hic dicitur; et sitivit in passione, sicut dicit [1] Joannes, ut ostenderet se habere veram humanitatem, et ut invitaret ad paupertatem et pœnitentiæ pœnalitatem. Unde Apostolus [2] : « In fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. » Esurivit autem et sitivit non sibi, sed nobis, quibus promeruit refectionem spiritualem corporis et sanguinis sui, quibus reficimur et potamur [3] : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. »

3. *Dixit autem illi diabolus*, etc. Postquam descripsit occasionem tentationis, hic describit modum tentandi; et hoc, secundum triplex motivum. Motivum enim peccatum est ad commutabile bonum; quod est in triplici differentia : aut enim est inferius, hoc est carnis; aut exterius, et hoc est mundi; aut interius, et hæc est excellentia animi. Ex primo efficitur homo voluptuosus; ex secundo, curiosus; ex tertio, præsumptuosus. Primo ergo modo infert tentator suggestionem per bonum inferius, quod est carnis, ut alliciat ad gulam; secundo, per bonum exterius, quod est mundi, ut alliciat ad avaritiam, et hoc ibi (v. 5) : *Et duxit eum diabolus in montem*, etc.; tertio vero, per bonum interius, quod est excellentia animi, ut alliciat ad pompam sive superbiam, ibi (v. 9) : *Et duxit illum in Jerusalem*, etc. Et hæc tria respondent tribus, quibus tentavit et vicit hominem primum; et habent istæ tentationes ordinatum processum ab inferiori ad superius : quia per primam impeditur, quantum ad actum, vegetabilis; per secundam, quantum ad actum, sensibilis; per tertiam vero, quantum ad actum rationalis. Quantum ergo ad primam tentationem, nota diabolum suggerentem, et deinde Dominum respondentem. Suggerentem diabolum introducit, cum ait : *Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat.* Quod dicit, ut ipse de eo sumat experientiam, et ut incitet ad gulam.

Commutabile bonum triplex est, ad quod abstrahimur et allicimur, dum peccamus.

Quia enim homo es esuriens, dic ut reficiaris. Non quia de refectione Christi aliquid pertineat ad eum [4] : « Comede et bibe, dicet tibi, et mens ejus non est tecum. » Sed si filius Dei es, hoc ipsum dicas, nempe lapidi, ut panis fiat, ut si fiat, omnipotens cognoscaris [5] : « Omne quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est. » Unde nota dolum diaboli in tentando, quia cum videret Christi infirmitatem, et dubitaret de divinitate, voluit divinitatem cognoscendo cavere, et humanitatem seducendo dejicere. In quo simul erat fraudulentia et superbia, secundum illud [6] : « Omne sublime videt, ipse rex super universos filios superbiæ. »

Huic autem tentationi malitiosæ et superbæ obviat responsio Dei humilis et discreta, quia celat divinitatem et vitat carnalitatem, unde subditur (v. 4) : *Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in in pane solo vivit homo.* [7] « Non nativitatis fructus pascunt homines; sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. » *Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei :* hoc scriptum est in *Deuteronomio* [8] : « Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum, manna, quod ignorabas tu et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egredietur de ore Domini. » Unde in *Joanne* (*a*) [9] : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Et nota, quod Christus se defendit per Scripturam : in quo celat suam sapientiam, et occultat potentiam, et conservat justitiam : et sic diaboli suggestio omnino irrita est, quia nec de Deo sumpsit experientiam, nec hominem pertraxit ad gulam. Unde verificatum est illud *Job* [10] : « Prudentia ejus percussit superbum, » videlicet diabolum. Et ex hoc apparet nobilitas Scripturæ, qua Christus in tentatione, velut clypeo, se defendit, secundum illud [11] : « Omnis sermo Domini ignitus clypeus est sperantibus in se. » Unde *ad Ephe-*

[1] *Joan.*, XIX, 28. — [2] II *Cor.*, XI, 27. — [3] *Joan.*, VI, 56. — [4] *Prov.*, XXIII, 7. — [5] *Eccle.*, VIII, 4. — [6] *Job.*, XLI, 15. — [7] *Sap.*, XVI, 12. — [8] *Deut.*, VIII, 3. — [9] *Joan.*, VI, 64. — [10] *Job*, XXVI, 12. — [11] *Prov.*, XXX, 5.— (*a*) *Cæt. edit.* Unde Joannes.

sios[1] : « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. »

5. *Et duxit illum diabolus*, etc. Hic describitur secunda tentatio, circa quam duo sunt attendenda : primum est diabolica suggestio ; et secundum est dominica responsio, quæ notatur ibi (v. 8) : *Et respondens Jesus, dixit illi*, etc. Circa suggestionem diaboli nota ductionem, ostensionem, promissionem, suasionem. Ductio autem fit, quasi impotenti, cum tamen dicatur[2] : « Subest tibi, cum volueris, posse. » Unde dicit : *Et duxit illum diabolus in montem excelsum.* Duxit, inquam, tanquam infirmum, non tamen involuntarium, sicut Petrum de quo in *Joanne* (*a*)[3] : « Cum senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis ; » sed duxit tanquam humiliter permittentem, ad eum modum quo dicit *Isaias*[4] : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, obmutescet, » etc. Si ergo hoc sustinuit a membris diaboli, quid mirum, si patienter sustinuit a capite malorum? *Et duxit in montem*, quia cum sit superbus, semper alta petit[5] : « Super astra Dei exaltabo solium meum, et sedebo in monte testamenti ; » et quia in loco eminente facile ruit homo, unde[6] : « Vidi cunctum Israel dispersum in montibus. » Ostensio fit quasi ignoranti, cum[7] « in ipso sint omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » Unde addit : *Et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Et nota, quod ostendisse dicitur omnia regna mundi, non singulariter, sed generaliter, ut dicit quidam, id est, omnes partes ; vel, secundum Bedam[8], ostendit omnia concupiscibilia mundi, in quibus homines regnant ; unde signanter dicitur in *Matthæo*[9] : « Ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum. » Ostendit autem, non quod visum ei ampliaret ; sed vanitatem humanæ pompæ, quam amabat, quasi spatiosam ostendens, facere volebat amari. Et quia hæc non durat, sed cito transit ; ideo in brevi tempore ostendit, propter quod adjungit : *In momento temporis.* Unde Beda[10] : « Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt : et sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. » Hæc ille. Unde *Isaias*[11] : « Ecce gentis quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. » Et[12] : « Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum : » quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est, sicut dicitur[13] : « Vidi impium superexaltatum, etc., et transivi, et ecce non erat. »

Promissio vero fit ei quasi indigenti, cum tamen ejus sit orbis terrarum et plenitudo ejus ; propter quod additur : *Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum*, etc., ut scilicet habeas dominium potestatis et præconium laudis ; quasi vero aliquid magni promitteret, cum potestas et gloria mundi quasi nulla sit, secundum illud[14] : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri ; » et[15] : « Gloria viri peccatoris, stercus et vermis est. » Et illud[16] : « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » Et ut promissioni ostendat adhibendam esse fidem, adjungit : *Quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa.*[17] « Terra data est in manibus impii, » id est, terrena potestas. Hoc autem intelligitur permissive : non simpliciter, sed ad tempus, sicut dicitur[18] : « Faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum ; » et postea : « Et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito. » Et in *Apo-*

[1] *Ephes.*, VI, 17. — [2] *Sap.*, XII, 18. — [3] *Joan.*, XXI, 18. — [4] *Isa.*, LIII, 7. — [5] *Isa.*, XIV, 13. — [6] III *Reg.*, XXII, 17. — [7] *Coloss.*, II, 3. — [8] Bed., *in Luc.*, lib. I. — [9] *Matth.*, IV, 8. — [10] Bed., lib. mox citato, ex Ambros. *in Luc.*, lib. IV, n. 28. — [11] *Isa.*, XL, 15. — [12] *Sap.*, XI, 23. — [13] *Psal.* XXXVI, 35, 36. — [14] *Isa.*, XL, 6. — [15] I *Mach.*, II, 62. — [16] *Ose.*, IV, 7. — [17] *Job*, IX, 24. — [18] *Dan.*, XI, 36, 39.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes.

calypsi dicitur [1], quod draco « dedit potestatem bestiæ. » Hoc autem permittit Deus justo suo judicio, qui [2] « transfert regna, atque constituit. » Vel, sicut dicit Beda [3], hoc dicit ex arrogantia, « non quod in toto mundo habeat potestatem, ut possit omnia regna dare diabolus, » cum solus Dei Filius vere dicat [4] : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo ; » et rursus [5] : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, » etc. : sed quia ipsi omnis inordinatio potestatis adscribitur, ideo, ut superbus, arrogat sibi totum. Unde [6] « omnis potestatis ordinatio a Deo est (*a*). » Sed inordinatio a diabolo, unde [7] : « Qui facit peccatum, ex diabolo est. » Quarto vero fit suasio quasi appetenti, cum tamen ipse sit qui [8] « dat omnibus affluenter. » Unde dicit : *Tu ergo procidens, si adoraveris coram me*, etc. In qua suasione nititur inclinare ad divinam adorationem, ob falsam promotionem. Unde illud [9] : « Incurvare, ut transeamus. » Non enim potest super hominem ascendere, nisi homo ei procidat voluntarie. Honorem autem adorationis requirebat, contra illud [10] : « Noli adorare Deum alienum. » Et ut pertrahat ad illicitum obsequium, promittit falsum præmium, cum addit : *Erunt tua omnia.* Falsam spondet potentiam, ut ad veram pertrahat servitutem, quia [11] « qui facit peccatum, servus est peccati. » Et qui servus est, dominium sui non habet : ac per hoc non ipsi omnia, sed ipse omnibus est subjectus, tanquam servus ; et [12] « a quo quis superatus est, hujus servus est. »

Et respondens Jesus, dixit illi. Hic post suggestionem diabolicam, subjungit responsionem dominicam, quæ per testimonium sacræ Scripturæ elidit diabolicam suasionem, cum ait : *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis* (*b*). Hoc, inquam, scriptum est in *Deuteronomio* [13]. Et merito scripturæ hujus recordatur Salvator, quia secundum illud [14] : « Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum et corripiendum : » et illa potissime, in qua docetur divinus cultus. Unde et Dominus dicitur [15] scripsisse legem digito proprio, in qua præceptum adorationis est primum et præcipuum, et maxime in mente habendum. Unde *Baruch* [16] : « Visa turba de retro et ab ante adorantes, dicite in cordibus vestris : Te oportet adorari, Domine, » etc. : te scilicet, et non alium. Et ideo additur : *Et illi soli servies,* scilicet servitute latriæ [17] : « Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli. » *Solus* non excludit ibi omnem personam respectu cujuscumque servitii, cum dicatur ad *Galatas* [18] : « Per charitatem spiritus servite invicem ; » sed excludit quantum ad servitutem latriæ, quæ est cultus soli Deo debitus ; vel excludit servitia aliis impensa non propter Deum, sed contra Deum, quasi diceret : Illi soli, et non idolis, de quo [19] : « Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, etc., cum hujusmodi nec cibum sumere, » etc. Sic enim servitur diabolo, et etiam peccato : sed aliter justitiæ [20] : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra, » etc. Item *illi soli servies*, non ventri proprio [21] : « Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. » Item *illi soli servies*, non mundo, quia infra dicitur [22] : « Non potestis Deo servire et mammonæ, » sed soli Deo, ut possitis dicere cum David [23] : « Quoniam ego servus tuus sum. »

9. *Et duxit illum in Jerusalem,* etc. Hic describitur tertia tentatio, circa quam etiam duo sunt attendenda : primum est suggestio diaboli ; secundum est responsio Christi,

[1] *Apoc.*, XIII, 4. — [2] *Dan.*, II, 21. — [3] Bed., *in Evang.*, lib. I. — [4] *Luc.*, X, 22. — [5] *Matth.*, XXVIII, 18. — [6] *Rom.*, XIII, 1. — [7] I *Joan.*, III, 8. — [8] *Jac.*, I, 5. — [9] *Isa.*, LI, 23. — [10] *Exod.*, XXXIV, 14. — [11] *Joan.*, VIII, 34. — [12] I *Petr.*, II, 19. — [13] *Deut.*, VI, 13. — [14] II *Petr.*, I, 21. — [15] *Exod.*, XXXI, 18. — [16] *Bar.*, VI, 5. — [17] I *Reg.*, VII, 3. — [18] *Gal.*, V, 13. — [19] I *Cor.*, V, 10. — [20] *Rom.*, VI, 19. — [21] *Rom.*, XVI, 18. — [22] *Luc.*, XVI, 13. — [23] *Psal.* CXLII, 12.

(*a*) *Vulg.* Non est potestas nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. — (*b*) Vulg. *timebis.*

ibi (v. 12) : *Et respondens Jesus dixit.* Circa suasionem diaboli tria attende : nam primo eligit congruum locum suasionis; secundo exprimit suasionem præcipitationis; tertio per auctoritatem Psalmographi excludit timorem læsionis. Quantum ergo ad loci congrui electionem dicitur : *Et duxit illum in Jerusalem,* tanquam ad locum celebrem et communem. Ductus autem fuit ex permissione, non ex imbecilitate. Unde Chrysostomus [1], quod in Christo non fuit infirmitas, sed patientia; in diabolo vero non est virtus, sed superbia. Et dicit glossa super illud *Matthæi*, quod hæc visio corporeis sensibus est completa. Chrysostomus vero dicit, quod diabolus sic eum assumebat, ut ab omnibus videretur; Christus autem, diabolo nesciente, invisibiliter sic agebat, ut a nemine videretur. Unde, ut melius videri possit, subditur : *Et statuit eum super pinnam templi.* Ille erat locus altus et celebris, ubi doctores et sacerdotes consueverunt loqui ad plebem. Et secundum aliquos expositores, erat summitas tecti templi, quod dicitur tabulatum. Vel secundum alios, erat quoddam deambulatorium supra portam templi, ubi ascendebatur per gradus. Secundum alios vero dicitur inibi fuisse tectum cum quadam appodiatione muri : quia in Palæstina domus habent tecta plana, et templum habuit tectum planum, ut tabernaculum, et in talibus consueverunt stare doctores et prædicatores, secundum illud *Matthæi* [2] : « Quod in aure auditis, prædicate super tecta. »

Pinna.

Quantum ad suasionem præcipitationis, subditur : *Et dixit illi : Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.* Quia diabolus deorsum ceciderat, libenter omnes deorsum traheret. Infra [3] : « Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » Sed Christus poterat dicere diabolo, et angelis ejus, illud quod dixit Judæis [4] : « Vos de deorsum estis; ego de supernis sum. » Unde non erat ejus descendere, sed ascendere. Sed diabolus hoc suggerebat, ut descendendo corporaliter, faceret eum superbire spiritualiter, ut simul esset ascensus vanus, et descensus verus. In quo erudimur, quod semper conjuncta sunt humiliatio et exaltatio, secundum illud [5] : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur; » et in *Proverbiis* [6] : « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humiliatur. » Et nota suggerendi modum, cum dicit : *Mitte te.* Chrysostomus [7] : Non impulit, non tetigit, non appropinquavit, sed tantum dixit : *Mitte te hinc deorsum,* ut sciamus, quia omnis, qui obaudit diabolo, ipse se deponit deorsum. Et Hieronymus : « Satis est debilis, qui nulli nocere potest, ni ipse se deorsum posuerit. » Et ideo sanum est consilium [8] : « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, » nec præsumendo, nec desperando.

Quantum ad exclusionem timoris, adjungit : *Scriptum est enim, quod angelis suis mandavit de te.* Hoc scriptum est in *Psalmo* [9] : ideo Scripturam allegat, quia videbat, quod Christus semper per Scripturam se defendebat. Unde dicit Leo Papa : « Ibi occasiones tentandi invenit, ubi homines viderit vehementius occupari. » Unde scriptum esse asserit, ut inducat credulitatem; et etiam Scripturam inducit, quæ excludat pusillanimitatem, propter promissionem adjutorii angelici tam in prosperis, quam in adversis. Propter adjutorium in prosperis, dicit : *Ut conservent te.* [10] « Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, et custodiat te in via. » Sic enim custodivit Angelus Tobiam, sicut dicitur [11]; sic et Judith, sicut dicitur [12]; sic etiam custodiunt omnes viros justos, secundum illud [13] : « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, » etc.; et totam Ecclesiam, secundum illud [14] : « Su-

[1] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth,* hom. v. — [2] *Matth.*, x, 27. — [3] *Luc.*, x, 18. — [4] *Joan.*, viii, 23. — [5] *Luc.*, xviii, 14. — [6] *Prov.*, xviii, 12. — [7] Imo auctor Oper. imperf., ubi supra.— [8] *Eccle.*, x, 4. — [9] *Psal.* xc, 11. — [10] *Exod.*, xxiii, 20.— [11] *Tob.*, xii. — [12] *Judith*, xiii. — [13] *Hebr.*, i, 14.— [14] *Isa.*, lxii, 6.

per muros tuos, Jerusalem, constitui custodes. » Christus vero non indigebat custodia; et ideo diabolus auctoritatem istam depravabat, et sinistre adducebat. Propter adjutorium vero in adversis, subjungit : *Et quia in manibus tollent te,* quasi portatores, secundum quod legitur [1], Angelum portasse Abacuch. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, id est, ut nulla possis læsione offendi, sicut dicitur [2] : « Cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. » Et nota, quod diabolus, tanquam versutus, non addidit quod sequitur [3] : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem : » quia hoc erat contra eum. In quo ostenditur, quod vitium diabolicum est auctoritates truncare, et ad partem suam contrahere. Unde in *Apocalypsi* [4] : « Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. »

Et respondens Jesus, etc. Hic post pestiferam suasionem, addit Dominicam responsionem brevem et efficacem, cum dicit : *Respondens Jesus, ait illi : Dictum est*, scilicet in *Deuteronomio* [5] *: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et *Ecclesiasticus* [6] *:* « Noli esse quasi homo, qui tentat Deum. » Unde vituperantur filii Israel, quibus dicit Dominus [7] : « Tentaverunt me jam per decem vices. » Tentare autem Deum, sicut dicit Beda, est, cum homo habet quid faciat, divinæ potentiæ quærere experimentum. Et quia non indigebat Christus hoc experimento potentiæ divinæ, nolebat Deum tentare, nec diabolo consentire; sed per auctoritatem respondit auctoritati oppositi, ut clavus retunderetur virtute clavi.

Et consummata omni tentatione, etc. Postquam descripsit Auctor tentationis occasionem et tentandi modum, hic describit tertio tentationis consummationem; circa quam tria insinuantur : primum est manifestatio perfectionis ex parte Christi resistentis, et quantum ad hoc dicit : *Consummata omni tentatione :* quia, sicut prius dictum fuit, omnis tentatio reducitur ad tres prædictas; unde [8] : « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, » etc. Hanc consummavit, quia patienter tolerando superavit, secundum illud [9] : « Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari; » quia dicitur in *Deuteronomio* [10] *:* « Dei perfecta sunt opera. »

Secundum est confutatio præsumptionis ex parte diaboli recedentis; quantum ad hoc dicit : *Diabolus recessit ab illo*, secundum illud [11] : « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. » *Recessit*, scilicet consensus, quod designatum est in rege Assyriorum [12] : « Recedens abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, » etc. Sennacherib autem interpretatur *tollens deserta*, quia diabolus maxime persequitur eos, qui vivunt in austeritate vitæ.

Tertium vero est præfinitio temporis distincti a Deo; propter quod addit : *Usque ad tempus*, scilicet recessit, quia ille malignus non potest tentare, nisi pro tempore quo Deus permittit, licet semper malam habeat voluntatem [13] : « Si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. » Et ideo consilium est [14] : « Fili, conserva tempus, et devita a malo. » Et ad *Ephesios* [15] *:* « Videte, quomodo caute ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. » Unde cum diabolus dupliciter tentet, nempe ut leo, et ut draco : prius tentavit ut draco ad seducendum; postmodum, ut leo, ad frangendum, scilicet in passione. Prius enim tentat emollire per blanditias; sed post videns se modicum tempus habere, tentat frangere per pœnas. Unde in *Apocalypsi* [16] *:* « Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. » Et ideo ad consummationem tentationis non pervenerunt illi, de quibus dicitur [17] :

[1] *Dan.*, XIV, 35. — [2] *Job*, V, 23. — [3] *Psal.* XC, 13. — [4] *Apoc.*, XXII, 19. — [5] *Deut.*, VI, 16. — [6] *Eccli.*, XVIII, 23. — [7] *Num.*, XIV, 22. — [8] I *Joan.*, II, 16. — [9] *Hebr.*, II, 10. — [10] *Deut.*, XXXII, 4. — [11] *Jac.*, IV, 7. — [12] IV *Reg.*, XIX, 35. — [13] *Eccli.*, XIX, 25. — [14] Ibid., IV, 23. — [15] *Ephes.*, V, 16. — [16] *Apoc.*, XII, 12. — [17] *Luc.*, VIII, 13.

« Qui (*a*) ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. »

Et regressus est Jesus, etc. Ostendit superius Evangelista auctoritatem doctrinæ Christi ex merito vitæ : hic secundo ostendit testimonio Scripturæ. Introducit ergo primo testimonium authenticum ad eruditionem credentium ; secundo (*b*) vero testimonium authenticum ad confutationem detrahentium, ibi : *Et dicebant : Nonne hic est filius Joseph ?* In explicatione autem testimonii prophetici, quatuor introducuntur a beato Luca : primum est celebritas in prædicando ; secundum est opportunitas in testificando : *Et venit Nazareth*, etc ; tertium est congruitas in testimonio, ibi : *Spiritus Domini super me*, etc ; quartum est credulitas in populo, et hoc notatur ibi : *Et cum plicuisset librum*, etc. Quantum ad primum nota, quod celebritas prædicationis Christi ex quatuor colligitur, scilicet ex plenitudine gratiæ, ex latitudine famæ, ex certitudine doctrinæ et ex magnitudine efficaciæ.

Quantum ad plenitudinem gratiæ, dicitur : *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam. Regressus*, scilicet ad prædicandum in virtute, quia, secundum quod dicitur [1] : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. » Et licet infirmitatem assumpsisset ex nobis, virtutem tamen ostendebat ex se, secundum illud [2] : « Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis (*c*) esse in virtute consummatus. » Et signanter dicitur : *In virtute Spiritus*. Talis enim debet esse prædicatio perfecta, ut sit virtuti (*d*) spirituali conjuncta, secundum illud [3] : « Sermo meus et prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominis, sed in virtute Dei. »

Quantum ad latitudinem famæ, dicitur : *Et fama exiit per universam regionem de illo*, secundum illud *Job* [4] : « Auribus nostris audivimus famam ejus. » Loquitur de sapientia Christi, quæ est Dei virtus et sapientia. Huic concordat alius evangelista [5] : « Abiit opinio ejus in totam Syriam. » Hujus autem figura præcessit in Salomone, de quo dicitur [6], quod « omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis. » De quo in *Ecclesiastico* [7] : « Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum. »

Quantum ad certitudinem doctrinæ, subditur : *Et ipse docebat in synagogis eorum*, non in occulto, sicut homines qui habent suspectam doctrinam. [8] « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. » At e diverso dicit sapientia hæreticorum terrena, animalis, diabolica, quæ designatur per mulierem malam [9] : « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. » Unde Christus implebat illud [10] : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. » Et ideo dicitur [11] : « Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, » etc.

Quantum ad magnitudinem efficaciæ, subditur : *Et magnificabatur ab omnibus ;* qui omnes magnitudinem efficaciæ sentiebant, adeo ut possent dicere illud [12] : « Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua, » scilicet in prædicatione. Nec mirum, quia ipse erat ille qui designatur per illum Salomonem, de quo [13] « Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. » Infra [14] : « Propheta magnus surrexit in nobis. »

16. *Et venit Nazareth*, etc. Hic vero notatur opportunitas in testando, quæ attenditur in circumstantiis concurrentibus ad hoc, quod Christus legeret in conspectu synagogæ. Unde hic quatuor notantur : dicitur enim in-

[1] *Psal.* LXVII, 12. — [2] *Sap.*, XII, 17. — [3] I *Cor.*, II, 4, 5. — [4] *Job*, XXVIII, 22. — [5] *Matth.*, IV, 24. — [6] III *Reg.*, X, 24. — [7] *Eccli.*, XLVII, 17. — [8] *Joan.*, XVIII, 20. — [9] *Prov.*, IX, 17. — [10] Ibid., V, 16. — [11] Ibid., I, 20. — [12] *Psal.*, LVI, 11. — [13] II *Paral.*, VI, 22. — [14] *Luc.*, VII, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* Quia.— (*b*) *Item* secundum.— (*c*) *Item* crediderís. — (*d*) *Item* virtute.

trasse, surrexisse, librum accepisse, et acceptum revolvisse. Hæc quatuor inducuntur ad instructionem quadriformem hominum perscrutantium veritatem, scilicet vacationis ad meditandum, promptitudinis ad legendum, mansuetudinis ad discendum, certitudinis ad judicandum. Ad instructionem igitur vacationis ad meditandum, dicitur Christus synagogam intrasse, cum ait Evangelista: *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus; et intravit secundum consuetudinem suam in die sabbati in synagogam.* Hæc enim erat consuetudo approbata ex lege Moysi et conversatione Christi. Hinc dicitur [1], quod Paulus « secundum consuetudinem » apud Thessalonicam « intrabat in synagogam, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis. » Illud enim erat tempus, quo debebant vacare legi Dei: in quo erudimur, quod quando volumus Domino sabbatizare, debemus congregari interius, et ibi quiescere [2] : « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. » Si enim sabbatum exterius agatur, est irrisio dæmonum secundum illud *Threnorum* [3] : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. » Et hujusmodi sabbatum Deo non placet, secundum illud *Isaiæ* [4] : « Neomeniam, et sabbatum, et solemnitates alias non feram. » Et ratio hujus est, quia non intrabant interius, sed exterius, et carnaliter sapiebant.

Ad instructionem vero promptitudinis ad legendum, subditur : *Et surrexit legere.* Surrectio ipsa promptitudinem, et vigilantiam importat, quæ necessaria est perscrutanti verba divina. Unde dicitur [5] : « Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. » Hinc est, quod dicitur animæ sanctæ [6] : « Surge, illuminare, Jerusalem, » etc. Et apud Apostolum [7] : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis; et illuminabit te Christus. » Simul etiam cum promptitudine designat humilitatem ; quia *surrexit legere*, tanquam minister, ut exerceret lectionis officium. Unde Beda [8] : « Qui venerat ministrare, et non ministrari, lectionis officium non dedignatur suscipere. »

Ad instructionem autem mansuetudinis ad discendum, additur : *Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ,* quem scilicet cum mansuetudine suscepit, non dedignans uti testimonio Scripturæ et auctoritate. Sic et Joannes [9] : « Accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. » Liber autem sacræ scripturæ debuit ei tradi, secundum illud *Apocalypsis* [10] : « Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, » quia nullus alius poterat. Et *liber Isaiæ*, quia, sicut dicit *Isaias* [11] : « Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati. » Ideo signanter dicitur : *Traditus est illi liber Isaiæ prophetæ.*

Postremo, ad instructionem certitudinis ad judicandum, subjungit : *Et ut revolvit librum.* In quo significatur diligens discendi inquisitio, quæ prævenire debet judicium certum ; propter quod dicitur [12] : « Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam. » Non enim ex abrupto procedendum est ad judicium, sed cum maturitate ; propter quod dicitur [13] : « Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. » Et præcipiens Josaphat judicibus, ait [14] : « Cum diligentia cuncta facite. » Et quoniam qui diligenter quærit, invenit, ideo additur : *Invenit locum, ubi scriptum erat : Spiritus Domini,* etc. Hoc invenitur [15] in *Isaia;* nec mirum, quia, secundum quod dicitur [16] : « Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum; hic adinvenit omnem viam disciplinæ. » Ante ipsum quærebatur, sed non inveniebatur. Unde [17] : « Sapientia ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? » etc. *Spiritus Domini super me*, etc. Hic notatur con-

[1] *Act.*, XVII, 2. — [2] *Sap.*, VIII, 16. — [3] *Thren.*, I, 7. — [4] *Isa.*, I, 13. — [5] *Ezech.*, II, 1. — [6] *Isa.*, LX, 1. — [7] *Ephes.*, V, 14. — [8] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [9] *Apoc.*, X, 10. — [10] Ibid., V, 9. — [11] *Isa.*, XXIX, 11. — [12] *Job*, VIII, 8. — [13] *Job*, XXIX, 16. — [14] II *Paral.*, XIX, 7. — [15] *Isa.*, LXI, 1. — [16] *Bar.*, III, 36, 5. — [17] *Job*, XXVIII, 12.

gruitas in testimonio : exprimit enim quatuor conditiones excellentiæ, quæ sunt in Salvatore nostro : est enim Mediator, Eruditor, Reparator et Retributor ; et hæc quatuor insinuantur in sermone proposito. Primo igitur insinuatur esse Mediator per incarnationis mysterium, cum dicit : *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me*, etc. *Me* demonstrat ibi personam Christi in natura assumpta, supra quam Spiritus sanctus requievit, secundum illud [1] : « Et requiescet super eum Spiritus Domini. » Et *Joannes* [2] : » Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat, » etc. Et ideo dicit Petrus [3] : « Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam ; incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritus sancto, » etc. Unde hic est Sanctus sanctorum, in cujus unctione impleri debet prophetia [4] : « Impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. » Et nota, quod humana natura in Christo per virtutem Spiritus sancti fuit concepta, et per ejus gratiam divinæ naturæ unita. Et propter hæc duo dicit spiritum Domini super eum esse, et eumdem unxisse. Vel certe dicitur esse super eum quantum ad superexcellentiam gratiæ singularis. Propter quod dicitur [5] : « Non ad mensuram dat Deus spiritum. » Dicitur vero eum unxisse, quantum ad prærogativam sacerdotalis et regularis dignitatis. Hæc respiciunt assumptam naturam in Christo ; et præfigurabantur (*a*) in unctione regum et sacerdotum in veteri testamento.

Evangelium. Secundo insinuatur esse Eruditor per prædicationis magisterium in hoc, quod sequitur : *Evangelizare pauperibus misit me :* evangelium namque est *bona nuntiatio ;* unde in nostra translatione dicitur : *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* Et huic (*b*) concordat illud [6] : « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. » Et *Isaias* [7] : « Quam pulchri super (*c*) montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem ! » Hanc autem dicitur maxime pauperibus annuntiare, quia ad pauperes inchoat sermonem [8] : « Beati pauperes spiritu. » Et per pauperes paupertatem aliis prædicavit [9] : « Pauperes evangelizantur. » Nec mirum, quia dicitur [10] : « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, » etc. His annuntiat salutem, quia alibi ait [11] : « Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet, » etc. Et propter hoc dicitur a Spiritu et Domino missus [12] : « Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. » [13] « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus. »

Tertio insinuatur Reparator per passionis remedium, cum additur : *Sanare contritos corde :* quod quidem liberat a malo culpæ actualis et originalis, a cæcitate rationis, et enormitate voluntatis. Utique a malo actualis culpæ liberat ; propter quod dicitur : *Sanare contritos corde*, misit scilicet me ad curationem actualis culpæ. Necessaria enim est cum passione Christi contritio pœnitentiæ [14] : « Qui sanat contritos corde. » Vel hoc dicitur, quia ipsa culpa actualis totum robur animæ frangit [15] : « Magna velut mare contritio tua, » etc. Et alibi [16] : « Lingua, quæ immoderata est, conteret spiritum. » Liberat etiam a malo culpæ originalis ; propter quod additur : *Prædicare captivis remissionem.* Merito, causa originalis culpæ, captivum detinebatur genus humanum a diabolo : [17] « Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem. Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus : Gratis venundati estis, et sine

[1] *Isa.*, XI, 1. — [2] *Joan.*, I, 33. — [3] *Act.*, X, 37, 38. — [4] *Dan.*, IX, 24. — [5] *Joan.*, III, 34. — [6] *Nah.*, I, 15. — [7] *Isa.*, LII, 7. — [8] *Matth.*, V, 3. — [9] Ibid., XI, 5. — [10] *Psal.* XI, 6. — [11] *Psal.* LXXI, 13. — [12] *Isa.*, XLVIII, 16. — [13] I *Joan.*, IV, 9. — [14] *Psal.* CXLVI, 3. — [15] *Thren.*, II, 13. — [16] *Prov.*, XV, 4. — [17] *Isa.*, LII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* præfigurabatur. — (*b*) *Item* hinc. — (*c*) *Item* supra.

argento redimemini, » etc. Unde [1] : « Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, » etc. Et hoc est, quod dicitur ab *Isaia* [2] : « Dedi te in fœdus populi. » Et post : « Ut diceres his qui vincti sunt : Exite ; et his qui in tenebris : Revelamini. » Et post : « Equidem captivivas a forti tolletur, » quia [3] « ascendens in altum captivam duxit captivitatem. » Et hæc remissio in Cyro præfigurata fuit, qui dimisit captivitatem filiorum Israel [4] : « Captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. » Liberat etiam a cæcitate rationis ; ideo subditur : *Et cæcis visum*, misit scilicet me prædicare; quod et fecit, sicut dicitur [5] : « Euntes, renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis : cæci vident, » etc. In quo significatur interior illuminatio. Unde in *Joanne* (*a*) [6] : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, » id est, gentiles, secundum illud *Isaiæ* [7] : « Dedi te in lucem gentium. » Et hoc est, quod dicitur [8] : « Audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. » Et hoc petebat David [9] : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, » etc. Liberat etiam ab infirmitate voluntatis ; propter quod subjungitur : *Dimittere confractos in remissionem*, misit scilicet me. Confracti sunt quorum voluntas per peccatum infirmata est ad bonum, sicut sunt fatui peccatores [10] : « Cor fatui, quasi vas confractum, » etc. Et in *Isaia* [11] : « Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos. » Hæc autem confractio est reparabilis, dum hic vivimus ; sed irreparabilis efficitur in morte, secundum illud [12] : « Comminuetur sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio : » quia non erit susceptibilis gratiæ ; et hoc erit in judicio, secundum illud [13] : « Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos. » Sed modo remissionem facit ; quod figuratum est in *Machabæis*, ubi dicitur [14], quod sub Jonatha fratre Simonis sunt multæ remissiones factæ Judæis.

Confracti qui.

Postremo insinuatur Remunerator per retributiones in judicio, in quo bonis sit universalis boni collatio. Propter quod dicit : *Prædicare annum Domini acceptum*, scilicet bonis ; de quo [15] : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, » etc. Hic est annus significatus in Jubilæo [16] : « Anno Jubilæi revertetur homo ad possessionem suam. » Vel etiam in septimo [17] : « Septimo anno facies remissionem. » Hic annus superat annum meriti, quia supra condignum remunerabuntur boni. [18] « Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole ? » In hoc etiam judicio malis fiet sempiterna damnatio ; ideo additur : *Et diem retributionis*. In quo retribuet unicuique secundum opera sua [19] : « Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. » De hac die dicitur [20] : « Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet : cum enim dixerint, Pax et securitas, » etc. « Hanc, ut dicit Gregorius [21], debemus tanto sollicitius formidare, quanto eam non possumus prævidere. »

Et cum plicuisset librum, etc. Hic quarto loco, postquam descripta est congruitas in testimonio, notatur credulitas in populo. Ad quam exprimendam, insinuatur in docente maturitas ; in plebe adsistente, audiendi aviditas ; in eruditione, veritas ; in eruditis, credulitas. Ad exprimendam igitur maturitatem in docente, dicitur : *Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit*. Prius stans legerat accipiendo librum cum humilitate ; nunc reddit, et sedit cum auctoritate : sedere enim, est indi-

Sedere

[1] *Zach.*, IX, 11. — [2] *Isa.*, XLIX, 8, 25. — [3] *Ephes.*, IV, 8. — [4] *Isa.*, XLV, 13. — [5] *Matth.*, XI, 5. — [6] *Joan.*, IX, 39. — [7] *Isa.*, XLIX, 6. — [8] *Isa.*, XXIX, 18. — [9] *Ps.* XII, 4. — [10] *Eccli.*, XXI, 17. — [11] *Isa.*, LVIII, 6. — [12] *Isa.*, XXX, 14. — [13] *Psal.* II, 9. — [14] I *Mach.*, X, 34. — [15] *Psal.* LXIV, 12. — [16] *Levit.*, XXV, 13. — [17] *Deut.*, XV, 1. — [18] *Eccli.*, XXXIII, 7. — [19] *Isa.*, LXIII, 4. — [20] I *Thess.*, V, 2. — [21] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XXIV; *in Evang.*, hom. XII.

cium doctorum et regum. Unde [1] : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. » Et *Job* [2] : « Si (*a*) voluissem ire ad eos, sedebam primus, cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. » Et nota, hic per plicationem libri debemus intelligere divinorum mysteriorum occultationem, quia non omnia sunt omnibus revelanda, secundum quod dicit [3] Beda : « Plicatum librum ministro reddidit, quia non omnibus omnia dicenda, sed (*b*) pro captu audientium verbum doctori dispensandum, suo præmonebat exemplo, » cum ait [4] : « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. » [5] « Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus. » Vel ideo plicatum ministro reddidit, quia secundum illud [6] : « Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. »

licatio libri ysteriorum cultationem gnifi-t.

Ad exprimendam vero aviditatem in plebe audiendi verbum, subditur : *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum*, quasi desiderantes eum audire sicut sapientem. Unde dicit *Sapiens* [7] : « In conspectu potentium admirabilis ero ; » et post : « Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, » etc. Et *Job* [8] : « Qui me audiebant, expectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. » Quia sicut dicitur [9] : « Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. »

Ad insinuandam vero veritatem, sive firmitatem doctrinæ, subditur : *Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Ideo dicitur impleta scriptura illa tunc fuisse, quia cum verba illa ad Christum pertineant, nullus in propria persona poterat verbum præmissum vere dicere, nisi Christus, qui illud legit in auribus eorum [10] : « Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum : quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. » Unde Christus adimplevit omnem justitiam, quantum ad morum honestatem, secundum illud [11] : « Sic decet nos implere omnem justitiam. » Implevit etiam omnem scripturam, explicando et exponendo Dei veritatem [12] : « Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non enim veni solvere, sed adimplere. » Et ideo dicitur [13], « quia omnia in omnibus adimplevit. » Unde verba et signa veteris legis vacua, implevit veritate et gratia. In cujus signum, *Joannis* secundo (*c*), in primo signo dicitur [14] : « Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. »

Ad denotandum vero credulitatem in multitudine assistente, subditur (v. 22) : *Et omnes testimonium illi dabant. Omnes*, id est, aliqui de omnibus testificabantur sanctitatem et innocentiam ipsius [15] : « Auris audiens beatificabat (*d*) me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. » Et quoniam verbis non poterant ejus gratiam explicare, ideo subditur : *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Sic et doctores [16] mirabantur « super prudentia et responsis ejus. » Et dicuntur verba gratiæ secundum illud [17] : « In labiis sensati invenietur gratia ; » et maxime hujus, ad quem Petrus dicebat [18] : « Verba vitæ æternæ habes. » Et ipse de se [19] : « Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Et ideo in *Psalmo* [20] : « Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. »

Et dicebant : Nonne, etc. Postquam introduxit testimonium propheticum ad eruditionem credentium, hic introducit exemplum authenticum ad confutationem detra-

[1] *Matth.*, XXIII, 2. — [2] *Job*, XXIX, 25. — [3] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [4] *Joan.*, XVI, 12. — [5] *Dan.*, XII, 9. — [6] II *Cor.*, III, 15. — [7] *Sap.*, VIII, 11, 12. — [8] *Job*, XXIX, 21. — [9] *Eccli.*, III, 13. — [10] *Luc.*, XXIV, 44. — [11] *Matth.*, III, 15. — [12] *Matth.*, V, 17. — [13] *Ephes.*, I, 23. — [14] *Joan.*, II, 7. — [15] *Job*, XXIX, 11. — [16] Supra, II, 47. — [17] *Eccle.*, X, 12. — [18] *Joan.*, VI, 68. — [19] Ibid., 64. — [20] *Psal.* XLIV, 3.

(*a*) *Cæt. edit. deest* Si. — (*b*) *Item* scilicet. — (*c*) *Suppl.* capite. — (*d*) *Cæt. edit.* beatificat.

hentium. Et quia detractores, cum confutantur, fiunt deteriores (nam efficiuntur persecutores), ideo in hac parte sunt duæ partes, in quarum prima ponitur confutatio detrahentium; in secunda vero, declinatio persequentium, ibi (v. 28): *Et impleti sunt omnes in synagoga*, etc. Prima pars habet duas : in prima proponuntur detrahentium convitia; in secunda vero introducuntur exempla prophetica, detractores confutantia, ibi (v. 24) : *Ait autem : Amen dico vobis : quia nemo propheta*, etc. Exprimit autem convitia detrahentium tripliciter, scilicet per modum apertæ contumeliæ, per modum occultæ ironiæ, per modum invectionis expressæ. Per modum, inquam, apertæ contumeliæ exprimit, cum ait (v. 22) : *Et dicebant : Nonne hic est filius Joseph ?* Filium Dei vocabant filium fabri : conceptum de Spiritu sancto in utero virginali, dicebant genitum concubitu conjugali. Unde dicitur, quod dicebant [1] : « Nonne hic est fabri filius ? » Beda [2] : « Quanta Nazaræorum cæcitas, qui eum, quem in verbis factisque Christum esse cognoscunt, ob generis tantum notitiam contemnunt. » Huic simile dicebatur de Saul [3] : « Quænam res accidit filio Cis ? Num et Saul inter prophetas ? » Et [4] : « Non est nobis pars in David, nec hereditas in filio Isai. » Hoc autem dicebant non omnes, sed mali, scilicet Scribæ et Pharisæi. Unde non contradicit ei, quod prius dictum est, quod « omnes testimonium illi dabant. » Similis modus est loquendi in Scriptura [5] : « Cum occideret eos, quærebant eum, » non mortui, sed alii. Hæc est autem consuetudo malorum, ut quando aliquem laudari audiunt, statim se opponunt, et si non possunt ex parte morum et scientiæ, saltem ex parte naturæ, secundum illud [6] : « Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. » Vel etiam illi iidem, quem prius laudabant, post despiciebant, secundum illud Psalmistæ [7] : « Laudaverunt laudem ejus. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus. » Vel aliter intelligi potest, ut licet immediate hic narretur, non tamen fit immediate, sed post factum est.

Consuetudo malorum.

Per modum occultæ ironiæ exprimit, cum adjungit : *Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem :* hoc enim videbat eos occulte cogitare. Dixit ergo hoc ironice : Proponitis contra me, quod occulte in cordibus vestris concepistis, quia, secundum quod dicitur [8] : « Ex abundantia cordis os loquitur. » Proponitis hanc, scilicet similitudinem per ironiam : *Medice, cura teipsum :* quod consuevit dici medicis infirmantibus, cum sibi subvenire non possunt, vel nesciunt, aut negligunt : quod est ipsorum derisorium verbum : Sic et tu te ipsum, id est, infirmos tuos, id est, patriæ tuæ, cura. Quod dicebant potius ex incredulitate et derisione, quam ex humilitate et devotione, sicut dicitur [9], quod « non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. » Unde Beda dicit [10] in Glossa : « Frustra opem misericordiæ cœlestis expectas, si alienis virtutibus invides. Aspernator enim est Dominus invidorum, et ab his, qui beneficia divina in aliis persequuntur, miracula suæ potentiæ avertit. » Et nota quod ironice vocant medicum, quem veraciter deberent confiteri medicum, secundum illud [11] : « Ipse vulnerat, et medetur. » Despiciunt quem deberent colere et honorare, secundum illud [12] : « Honora medicum propter necessitatem. » Et post : « Altissimus creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam. »

Per modum vero invectionis expressæ exprimit, cum subjungit : *Quanta audivimus facta in Capharnaum*, scilicet opera miraculosa. Unde [13] : « Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis ? » Et

[1] *Matth.*, XIII, 55. — [2] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [3] I *Reg.*, XI, 12. — [4] II *Reg.*, XX, 1. — [5] *Psal.* LXXVII, 34. — [6] *Eccli.*, XI, 32. — [7] *Psal.* CV, 12, 13. — [8] *Matth.*, XII, 34. — [9] *Matth.*, XIII, 58. — [10] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [11] *Job*, V, 18. — [12] *Eccli.*, XXXVIII, 1, 4. — [13] *Matth.*, XI, 23, 24.

postea : « Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. » Sed quomodo hæc audierunt facta in Capharnaum, cum Evangelista nondum expresserit aliqua miracula ipsum fecisse? Quapropter attendendum, quod Evangelista non prosequitur ordinem rei gestæ, sed ordinem intentionis suæ, et hoc quidem facit pluries : et ideo, cum Evangelista narrat post, quod alius ante, non est repugnantia, quia non intendunt dicere eo ordine esse facta, quo sunt scripta, sicut dicit[1] Augustinus. Patet, quia Lucas cum aliis duobus Matthæo et Marco nihil narrat de primo adventu Christi in in Galilæam, sed de secundo; de primo autem determinat solus Joannes. Ex fama ergo miraculorum factorum in terra aliena arguebant eum, quia non faciebat in terra propria. Unde additur : *Fac et hic in patria tua,* etc., secundum illud[2] : « Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? » et ad *Timotheum*[3] : « Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit. » Et dicitur etiam[4] : « Mandavit illis unicuique de proximo suo. »

24. *Ait autem : Amen dico,* etc. Hic post detrahentium convitia, subjunguntur exempla prophetica, detractores confutantia. Ad plenam autem ipsorum confutationem præmittitur generale proverbium; secundo, speciale exemplum in Elia, propheta eximio; tertio, in Elisæo discipulo ipsius. Primum est ad commovendum; secundum, ad confutandum; tertium, ad confirmandum. Generale igitur proverbium in omni propheta et populo præmittit, cum dicit : *Ait autem,* scilicet Christus : *Amen dico vobis,*
Amen. id est, certitudinaliter, quia *Amen* signum est affirmationis. Et vere, quia sicut ipse dicit[5] : « Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. » *Quia nemo propheta acceptus est in patria sua,* scilicet nec quoad doctrinam, nec quoad vitam, in quibus prophetæ consueverunt habere excellentiam. Et ideo non est mirum, si in patria sua non faciat miracula, quæ pro ingratis et indignis non sunt facienda. Huic Salvatoris proverbio accedit, quod Joseph a fratribus venditur, ab Ægyptiis honoratur. sic Moyses ab Aaron et Maria contumeliam patitur, et a contribulibus objurgatur. Sic Abraham a compatriotis in Chaldæa patitur; unde dicitur ei[6] : « Egredere de terra tua et de cognatione tua. » Rationem autem hujus assignat Beda[7] in glossa : « Cæteri prophetæ minores in patria, quam in exteris civitatibus habiti sunt, quia propemodum naturale est cives semper civibus invidere. Non enim considerant præsentia viri opera; sed fragilem recordantur infantiam, quasi non et ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem venerint. »

Speciale vero exemplum in Elia nobili propheta adjungit, cum dicit (v. 25) : *In veritate dico vobis.*[8] « Sermo tuus veritas est. » Etiam veritatem dicebat, cui erat credendum, et tamen non credebant. Unde in *Joanne* (*a*)[9] : « Si veritatem dico, quare non creditis mihi? » Et illud *Job*[10] : « Quare detraxistis sermonibus veritatis, » etc. Et hæc est veritas certa, quia sumitur de Scriptura. Unde additur : *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel,* quæ scilicet erant in necessitate constitutæ.[11] « Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris. » Erant autem in necessitate constitutæ, propter defectum pluviæ cœlestis; addit : *Quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex*, sicut Dominus comminatus fuerat[12] : « Sin autem nec sic obedieritis, » etc. Et postea : « Dabo vobis cœlum desuper sicut ferreum. » Et in *Deuteronomio*[13] : « Sit cœlum quod supra te est, æneum : et terra, quam calcas, ferrea. » Et sic factum est propter peccata eorum. Unde in *Hieremia*[14] : « Polluisti terram in fornicationibus tuis, et

[1] Aug., *de consens. Evang.*, lib. II, c. XXI, n. 51. — [2] *Eccli.*, XIV, 4. — [3] I *Tim.*, V, 8. — [4] *Eccli.*, XVII, 12. — [5] *Matth.*, XXIV, 35. — [6] *Gen.*, XII, 1. — [7] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [8] *Joan.*, XVII, 17. — [9] Ibid., VIII, 46. — [10] *Job*, VI, 25. — [11] *Jerem.*, XV, 8. — [12] *Levit.*, XXVI, 18, 19. — [13] *Deut.*, XXVIII, 23. — [14] *Jerem.*, III, 2, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes.

in malitiis tuis. Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit. » Erant in necessitate constitutæ propter defectum terrestris alimoniæ ; et ideo additur : *Cum facta esset fames magna in omni terra.* Sicut dicitur[1] : « Erat fames vehemens in Samaria, » etc. Unde verificatum erat de filiis Israel illud Psalmographi[2] : « Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem, » quia circuibat rex et dispensator domus suæ ad invenienda pascua. Et licet essent in tanta necessitate, subjungitur (v. 26) : *Et ad nullam illarum missus est Elias,* ut eas per miraculum relevaret a penuria famis; ut sic verificaretur in eis illud[3] : « Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit. » Sed extraneam relevavit, unde additur : *Misi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam*, secundum quod scribitur[4] : « Dictum est Eliæ : Surge, et vade in Sarepta Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te : » immo ipsa per te. Aliud exemplum ad confirmationem prædictorum de Elisæo introducitur, cum ait (v. 27) : *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta.* Unde dicitur[5], quod tempore Elisæi erant quatuor viri leprosi juxta introitum portæ Samariæ, et multi alii in necessitate consimili. *Et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Dicitur[6], quod Naaman « descendit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. » Et hoc, justo Dei judicio, quia non erant digni. Et a simili etiam, secundum imitationem prædecessorum, ostendebat eos indignos ad miraculorum susceptionem. Simile habetur in *Matthæo*[7] : « Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis horum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. » Et in *Actibus*[8] : « Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (*a*), sicut patres vestri, et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? » etc. Et sic manifeste sunt convicti, quia defectus miraculorum non erat imputandus impotentiæ vel negligentiæ Christi, sed potius ipsorum invidiæ et incredulitati : et sic digni erant, qui miraculis privarentur, sicut privati etiam fuerant patres ipsorum. Et nota hic spiritualiter, quod his duobus exemplis ostendit indignitatem Judæorum respectu gentilium, quantum ad universalem defectum pœnitentiæ, et universale contagium malitiæ, quod in Judæis remansit non curatum, sed in gentilibus est sanatum per Christum. Clausura enim cœli designat defectum gratiæ et doctrinæ. [9] « Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino. » Et deinceps : « Iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum. « De qua pluvia in *Psalmo*[10] : « Pluviam voluntariam segregabit Deus hæreditati tuæ, » etc. Et ex hoc fit fames et indigentia omnis boni. *Job*[11] : « Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius. » Et nota, quod dicitur subtracta esse pluvia annis tribus et mensibus sex, quia tribus annis et dimidio, quibus Dominus prædicavit, non receperunt pluviam gratiæ exigentibus peccatis suis : quamvis enim super se veniret imber, Judæa tamen non recepit[12] : « Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, » etc. Interea autem temporis mittitur verus Elias prædicator ad viduam in Sarepta Sidonis, quæ recte designat gentilitatem, sicut ostendit Beda[13] in Glossa. Salvata enim est gentilitas, populo Judæorum derelicto, secundum illud[14] : « Quoniam repellitis verbum Dei, et indignos vos judicatis æternæ

[1] III *Reg.*, XVIII, 2. — [2] *Psal.* LVIII, 7. — [3] *Psal.* CVI, 5. — [4] III *Reg.*, XVII, 9. — [5] IV *Reg.*, VII, 3. — [6] Ibid., V, 14. — [7] *Matth.*, XXIII, 31, 32. — [8] *Act.*, VII, 51. — [9] *Deut.*, XI, 16, 17. — [10] *Psal.* LXVII, 10. — [11] *Job*, XVIII, 22. — [12] *Hebr.*, VI, 7. — [13] Bed., *in Luc.*, lib. II.— [14] *Act.*, XIII, 46.— (*a*) *Cæt. edit.* restitistis.

Lepra quid significet.

vitæ, ecce convertimur ad gentes. » Infectio autem lepræ designat corruptionem malitiæ, quæ fuit in omnibus ante adventum Christi, secundum illud *Psalmi*[1] : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt, » etc. Ab hac non non est curata Judæa[2] : « Mundare te volui, et es mundata a sordibus tuis : sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. » Sed Naaman a lepra mundatur, qui interpretatur *decor*[3]; et designat gentium populum sacramento baptismi decorum factum, et omni fœditate mentis et corporis expurgatum. Et *Oseas*[4] : « Usquequo non poterunt emundari ? » Secundum illud *Ezechiæ*[5] : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Et sic secundum utrumque intellectum fuit hic confutatio infidelium Judæorum.

Naaman

28. *Et repleti sunt omnes*, etc. Postquam descripta est confutatio detrahentium, subjungitur hic declinatio persequentium. Habet autem hæc pars, duas : in prima describitur malignantium persecutio; in secunda vero persequentium declinatio, ibi (v. 30) : *Ipse autem transiens*, etc. Ad descriptionem ergo persecutionis malignantium tria introducuntur, scilicet iracundia mentis, violentia operis, et perfidia ex parte finis intenti. Insinuat ergo iracundiam mentis in hoc, quod dicit : *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes*. Unde verificatum est illud[6] : « Odio habuerunt corripientem in porta, » etc. Propter quod dicitur in *Proverbiis*[7] : « Noli arguere derisorem, ne oderit te : argue sapientem, et diliget te. » Unde ex auditu veritatis non sunt eruditi, sed potius irritati : contra quod dicitur[8] : « Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. » Et *Job*[9] : « Vere stultum interficit iracundia; » quia, sicut dicitur[10], « ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. »

Violentiam autem operis insinuat, cum addit : *Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem*, tanquam blasphemum : sic enim erat præceptum[11] : « Educ blasphemum extra castra. » Et post : « Et lapidet eum populus universus. » Et sic verificata est illa parabola, in qua dicitur[12], quod filium patris familias ejecerunt coloni extra vineam. « Vinea » enim[13] « Domini exercituum, domus Israel est. » Sic fecerunt Stephano[14] : « Impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant, » etc. Unde Salvator poterat eis dicere illud[15] : « Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei ? »

Perfidiam autem ex parte finis intenti explicat, cum adjungit (v. 29) : *Et duxerunt illum usque ad supercilium montis super quem civitas illorum erat ædificata*. Ad locum præruptum ducebant ad præcipitium. Unde poterat dici populo insano illud sapientis mulieris[16] : « Quare præcipitas hæreditatem Domini ? » In hoc autem quod præcipitare eum volebant, pejores diabolo erant, sicut dicit Beda, quia quod ille tantum dixit verbo[17] : « Mitte te hinc deorsum, » hoc isti conati sunt facto : sed non valuerunt, quia ipse habebat potestatem ponendi animam suam, nemo autem tollendi ab eo, sicut dicitur[18]. Unde Beda[19] : « Non a Nazaræis præcipitari, non ab Hierosolymitis lapidari, non inter pueros Bethleemitas ad Herode perimi, non alia vel alia voluit morte consummari; sed crucis expectare voluit triumphum : ipsa enim est typus monarchiæ singularis[20] : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur. » Et hinc est, quod cacumina crucis cœlos ostendunt, ima petunt inferos, cornua terram tegunt. »

30. *Ipse autem transiens*, etc. Hic notatur declinatio persequentium perfecta, quia fuit sine detentione, sine impulsione, sine por-

[1] *Psal.* XIII, 2. — [2] *Ezech.*, XXIV, 13. — [3] Hebr. נעם. — [4] *Ose.*, VIII, 5. — [5] *Ezech.*, XXXVI, 25. — [6] *Amos*, V, 10. — [7] *Prov.*, IX, 7. — [8] *Eccle.*, VII, 10. — [9] *Job*, V, 2. — [10] *Prov.*, XXVII, 4. — [11] *Levit.*, XXIV, 14. — [12] *Matth.*, XXI, 39. — [13] *Isa.*, V, 7. — [14] *Act.*, VII, 56, 57. — [15] *Judic.*, XI, 7. — [16] II *Reg.*, XX, 19. — [17] Supra, 9. — [18] *Joan.*, X, 18. — [19] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [20] *Philip.*, II, 9.

tatione. Unde non poterant ei violentiam facere, nec trahendo, nec impellendo, nec portando. Ad ostendendum igitur, quod non fuit violentia detentionis, dicitur : *Ipse autem transiens*. Unde Ambrosius[1] : « Quod capitur a paucis et tenetur, voluntatis est; quod a populo modo non tenetur, sed transit, majestatis est. » Unde nihil poterat actum virtutis suæ retardare.[2] « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. » Fuit autem iste transitus a virtute propria, sed Petri in virtute aliena[3] : « Qui transeuntes primam et secundam custodiam, venerunt, » etc.

Ad ostendendum quod non fuit violentia impulsionis, subditur : *per medium eorum*, quasi diceret : Cernis, quod non possit ab aliquo superari. Unde poterat dicere illud[4] : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Simile dicitur[5] : « Quærebant eum apprehendere, » scilicet ad lapidandum, « et exivit de manibus eorum. » Per medium vadit, quia Mediator Dei et hominum semper diligit medium. Unde[6] : « Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. »

Ad ostendendum ulterius, quod non fuit violentia vectionis, subditur : *Ibat*, scilicet propria virtute, sicut animalia de quibus in *Ezechia* dicitur[7], quod « ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » *Ibat*, scilicet non in præceps, sed descendebat, ut dicit Beda, sub rupem, illi cedente petra, et ipsum suscipiente, ut illi ad eum non possent (*a*) attingere; unde poterat dicere illud[8] : « Quæretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos non potestis venire. » In quo ostenditur simul Domini potentia, quia non poterant illum lædere, sed et lapides obediebant ei. Ostenditur et patientia, quia cessit, nec eos læsit, sicut dicitur[9], quod Judæi « tulerunt lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. » Nota hic, quod quatuor modis est Domino Jesu mors tentata : quidam tentaverunt gladio perimere, sicut Herodes; quidam præcipitio, ut hic; quidam lapidatione, sicut Judæi; quidam crucifixione : spiritualiter enim Christus crucifigitur in nostra redemptione. Unde dicitur de his, qui prolapsi sunt[10] : « Rursus sibimetipsis crucifigentes filium Dei, » etc. Lapidatur autem in obdurationem[11] : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, » etc.; ubi ostenditur obduratio Judæorum. Præcipitatur autem in desperatione[12] : « Succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem; » et hoc est in desperatione. Sed gladio perimitur in blasphematione, secundum illud[13] : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. »

31. *Et descendit in Capharnaum*, etc. Postquam ostendit doctrinam Christi authenticam ex merito vitæ et testimonio Scripturæ, hic modo ostendit ex miraculo potentiæ, ut in ore trium stet firmum auctoritatis testimonium. Habet autem hæc pars tres : in prima proponitur communicatio doctrinæ Christi; in secunda, confirmatio virtutum miraculi, ibi (v. 33) : *Et in synagoga erat*, etc.; in tertia, acceptio ejusdem a multitudine populi, ibi (v. 42) : *Facta autem die, egressus ibat*, etc. Circa autem communicationem doctrinæ Christi quatuor exprimuntur, scilicet locus, tempus, effectus et virtus. Ex his autem quatuor colligitur doctrina Christi fuisse humilis, celebris, admirabilis, et sublimis. Humilis, inquam, ostenditur ex situ loci, quem notat, cum dicit : *Descendit in Capharnaum civitatem Galilææ*. Descensus enim in Christo signum est humilitatis, sicut ascensus in superbis signum est elationis. Unde[14] : « Descendi in hortum meum, ut viderem poma conval-

[1] Ambros., *in Luc.*, lib. IV, n. 56, quoad sensum. — [2] *Cant.*, II, 8. — [3] *Act.*, XII, 10. — [4] *Psal.* XXVI, 3. — [5] *Joan.*, X, 39. — [6] *Joan.*, I, 26. — [7] *Ezech.*, I, 14. — [8] *Joan.*, VII, 34. — [9] Ibid., VIII, 59. — [10] *Hebr.*, VI, 6. — [11] *Matth.*, XXIII, 37. — [12] *Jerem.*, XXII, 7. — [13] *Psal.* LVI, 5. — [14] *Cant.*, VI, 10.

(*a*) *Edit. Vat.* possint.

lis. » Ad quod etiam designandum, dicitur[1], quod « descendit Spiritus corporali specie, » etc. Et ideo ipse dicebat[2] : « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, » etc. Et hæc magna est humilitas, et hanc docuit verbo[3] : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Exemplo[4] : « Si ego lavi pedes vestros, » etc. « Exemplum enim dedi vobis. » Huic etiam competit, quod civitas illa erat in confinio gentium et Judæorum, in finibus Zabulon et Nephtalim, ut sic ostenderet se non despicere gentiles, ratione culpæ aut idololatriæ[5] : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissime aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. » Huc accedit, quod istæ duæ tribus prius cæteris migrabant, sicut dicitur[6]; et ideo tanquam despectiores, primo fuerant visitandæ.

Celebris autem ostenditur ex tempore solemni, cum additur : *Ibique docebat illos sabbatis.* Tunc etiam populus veniebat ad audiendam legem, quia cessabant ab omni opere servili, sicut præcipitur *Levit.*, XXIII. Et ideo *Baruch*[7] : « Legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni, et in die opportuno. » Sic etiam Paulus sabbatis docebat, secundum quod dicitur[8] : « Moyses, a temporibus antiquis, habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. » In quo erudimur secundum consilium[9] : « Sapientia scribæ (*a*) in tempore vacuitatis; et qui minoratur actu, sapientiam percipiet. » Et etiam erudimur in diebus solemnibus, et in conspectu multitudinis, maxime intendere divinis laudibus et prædicationibus. Unde in *Psalmo*[10] : « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. » Et rursus[11] : « In ecclesiis benedicite Deo de fontibus Israel. »

Admirabilis autem ostenditur ex stupore populi, cum additur (v. 32) : *Et stupebant in doctrina ejus;* et hoc, quia aliquid magnum et insolitum in ea imaginabantur. Sic et in doctrina apostolorum, post Spiritus sancti adventum[12] : « Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem, » etc. *Job*[13] : « Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. » Nec mirum, quia, sicut dixerunt ministri[14] : « Nunquam sic locutus est homo. »

Sublimis vero ostenditur ex virtute singulari; et hoc notat, cum addit : *Quia in potestate erat sermo ipsius :* sive quia loquebatur ut Dominus omnipotens, secundum illud[15] : « Admirabantur turbæ super doctrina ejus : erat enim docens eos sicut potestatem habens; » sive quia sermoni juncta erat virtus faciens mirabilia, secundum[16] : « Sermo illius potestate plenus est. » Et infra[17] : « De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone; » sive etiam quia verba ejus spiritualem virtutem sapiebant, secundum illud *Psalmi*[18] : « Dabit voci suæ vocem virtutis. » Sic et Apostolus[19] : « Sermo meus et prædicatio mea non in suasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Nec mirum, si sermoni ejus erat virtus conjuncta, quia ipse est[20] « Dei virtus et sapientia. » Et ideo dicitur[21] : « Portans omnia verbo virtutis suæ. »

33. *Et in synagoga erat,* etc. Post communicationem doctrinæ Christi, sequitur hic comprobatio per virtutem miraculorum. Ostenditur autem hæc virtus admirabilis in Christo docente, tripliciter : primo respectu sexus virilis; secundo, respectu muliebris, ibi (v. 38) : *Surgens autem Jesus*, etc. ; tertio, respectu omnis sexus et ætatis, ibi (v. 40) : *Cum autem sol occidisset,* etc. Rursus alia differentia est ex parte naturæ, quio pri-

[1] Sup., III, 22. — [2] *Joan.*, VI, 38. — [3] *Matth.*, XI, 29. — [4] *Joan.*, XIII, 14, 15. — [5] *Isa.*, IX, 1. — [6] IV *Reg.*, XV. — [7] *Bar.*, I, 14. — [8] *Act.*, XV, 21. — [9] *Eccli.*, XXXVIII, 25. — [10] *Psal.* XXI, 23. — [11] *Psal.* LXVII, 27. — [12] *Act.*, II, 12. — [13] *Job*, XII, 17. — [14] *Joan.*, VII, 46. — [15] *Matth.*, VII, 8. — [16] *Eccle.*, VIII, 4. — [17] Infra, XXIV, 19. — [18] *Psal.* LXVII, 34. — [19] I *Cor.*, II, 4. — [20] Ibid., I, 24. — [21] *Hebr.*, I, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* Sapientiam scribe.

mum miraculum consistit in liberatione hominis a dæmone; secundum, in liberatione mulieris a febre; tertium, in liberatione ab utrisque indifferenter. Rursus, primum est in loco eruditionis, quia in synagoga; secundum vero, in loco refectionis, scilicet in domo Simeonis; tertium, in loco requietionis, quia post solis occasum. Postremo primum horum ostenditur factum fuisse mane; secundum, circa meridiem, quia hora comestionis; tertium, circa solis occasum.

Christi potestas maxima.

Ex his autem omnibus claret, quod Christus habet posse super omnem personam, et super omnem naturam, et in omni loco, et in omni tempore: ac per hoc sufficienter ostenditur authentica doctrina ejus per virtutem multitudinis miraculorum. Præmittitur autem primo miraculum hominis dæmoniaci curati, circa cujus quidem curationem, notanda sunt quatuor concurrentia, quæ faciunt ad manifestandam Christi potentiam: ex parte dæmoniaci, status manifestæ miseriæ; ex parte dæmonis, sentimen divinæ præsentiæ; ex parte Christi, operatio immensæ potentiæ; ex parte populi, exhibitio debitæ reverentiæ: quæ omnia convenientissime describuntur ab Evangelista ad præsentis miraculi magnificentiam. Ex parte igitur dæmoniaci ostenditur status manifestæ miseriæ, cum dicitur: *Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum,* quia in communi apparebat omnibus, quod erat a dæmone obsessus. Unde in loco communi erat, quia in synagoga, ubi multi conveniebant, secundum illud[1]: «Ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt.» In hac erat homo habens spiritum immundum ab effectu, quia immundum facit[2]: «Spiritum immundum auferam de terra.» Immundus iste spiritus dicitur, quia semper immunditiam suggerit. Unde in *Apocalypsi*[3]: «Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum.»

Spiritus immundus ab effectu.

Ex parte vero dæmonis ostenditur sentimen divinæ præsentiæ, cum dicitur: *Et exclamavit voce magna,* etc., ut ex vi clamoris ostenderetur in dæmone passio doloris. [4] «Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.» Unde colligitur ex clamore, quod in dæmone fuit dolor et tremor, ex sentimento præsentiæ Christi. Unde Augustinus: «Utinam sicut Deum dæmones Judicem, sic homines agnoscerent Salvatorem; dæmones viderunt, et contremuerunt: homines vero viderunt, et occiderunt. O quanta infelicitas, homines pejores dæmonibus inveniri! Unde ipse timor compulit veritatem confiteri, scilicet, quod Christus esset destructor dæmonum et sanctificator hominum.» Propter primum additur: *Dicens: Sine, quid nobis et tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos. Sine,* id est, cessa ab afflictione et nostra persecutione, quia importabilis est. [5] «Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.» Vel *Sine,* id est, permitte me elongari a te. «Quid nobis et tibi:» quasi diceret: Nulla conventio: et ideo simul esse non possumus. [6] «Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?» Et quod non sit communicatio, ostendit, cum adjungit: *Venisti perdere nos.* [7] «Repente consurget perditio eorum.» Unde [8]: «In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.» Et nota quod duplex est perditio dæmonum: una scilicet propter peccatum superbiæ, qua perditi sunt ab initio [9]: «Perdidi te, o Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum;» alia propter peccata superaddita, ob quæ perdentur in extremo judicio, cum auferetur omnis potestas et infligetur omnis pœna debita, de qua [10]: «Juxta est dies perditionis.» Et hæc perditio non fiet omnino ante diem judicii; unde [11]: «Venisti huc ante

[1] *Joan.*, XVIII, 20. — [2] *Zach.*, XIII, 2. — [3] *Apoc.*, XVI, 13. — [4] *Isa.*, LXV, 14. — [5] *Job*, XIII, 21. — [6] II *Cor.*, VI, 14. — [7] *Prov.*, XXIV, 22. — [8] I *Joan.*, III, 8. — [9] *Ezech.*, XXVIII, 16. — [10] *Deut.*, XXXII, 35. — [11] *Matth.*, VIII, 29.

tempus torquere nos? » Sed tantum a tempore Christi inchoata est [1] : « Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Non solum autem confitetur ipsum destructorem dæmonum, sed etiam satisfactorem hominum, cum adjungit : *Scio te, quia* (*a*) *sis sanctus Dei*; ille scilicet, de quo *Daniel* [2] : « Ungatur Sanctus sanctorum. » Hoc autem non sciebat certa scientia, cum dicatur [3] : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Sed cognoscebat conjecturando [4] : « In similitudinem arioli et conjectoris æstimat quod ignorat. » Existimabat enim hoc per pœnam, quam sentiebat.

Ex parte autem Christi ostenditur operatio immensæ potentiæ, cum adjungitur (v. 35) : *Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce :* tanquam enim omnipotens dæmoni sola increpatione silentium imponit. [5] « Ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum. » Et sequitur : « Increpet Dominus in te, satan; et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. » Licet autem vera diceret, tamen silentium imponebat, quia, ut dicitur [6] : « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Unde et in *Psalmo* [7] : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? » Vel ideo prohibuit, quia dolose loquitur, et immiscet frequenter falsa veris. Unde, super illud [8] : « Non sinebat ea loqui, » dicit glossa : « Ne, dum viderent vera loquentem, sequerentur errantem. » Et ideo in *Psalmo* [9] : « Muta fiant labia dolosa, » etc. Ostendit autem hic vanam gloriam esse vitandam, ut in vanis et falsis laudibus nemo quærat laudari. Exemplum est de Paulo [10]. Non autem solum imponit silentium increpando; verum etiam expellit præcipiendo, cum additur : *Et exi ab eo.* Jam impletur illud *Habacuch* [11] : « Egredietur diabolus ante pedes ejus. » Et ideo sequitur : *Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo.* In quo ostenditur iracundia diaboli, quia invitus exiit, et cum murmure. Unde *Marcus* [12] : « Discerpens eum (*b*), » etc., « exiit ab eo. » Hoc autem facit diabolus, cum videt se perdere, quod male possidet. [13] « Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, » etc. Sed ira ejus non læsit, Domino prohibente. Unde subditur : *Nihilque nocuit.* [14] « Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo. » Ex hoc autem colligitur, quod diabolus habet semper voluntatem nocendi, quia hanc habet a semetipso; sed potestatem nocendi non semper, nisi quantum et quando permittitur a Deo, justo modo. Unde [15] : « Non est potestas nisi a Deo. » Et ideo Petrus [16] : « Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? »

Diabolus semper habet nocendi voluntatem.

Postremo ex parte populi ostenditur exhibitio debitæ reverentiæ, cum subditur (v. 36) : *Et factus est pavor in omnibus.* Hoc dicitur quantum ad reverentiam secundum actum cordis. Nec mirum, quia [17] « columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus. » Unde *Job* [18] : « Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. » Et hoc ad aspectum tanti miraculi [19] : « Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, » etc. Et in *Jeremia* [20] : « Quis non timebit te, o rex gentium? » Quantum vero ad actum oris, adjungitur : *Et colloquebantur ad invicem dicentes*, scilicet alter ad alterum conferendo. *Quid est hoc verbum*, id est res digna verbo, sicut accipitur [21] : « Non fuit verbum, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua. » *Quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?* potestate præcipiente, et virtute faciente. Nec mirum [22] : « Potestas et terror apud Deum est, qui facit concordiam in sublimibus. » Sed hoc imperium non est humanum,

Verbum, res digna verbo.

— [1] *Joan.*, XII, 31. — [2] *Dan.*, IX, 24. — [3] I *Cor.*, II, 8. — [4] *Prov.*, XXIII, 7. — [5] *Zach.*, III, 1, 2. — [6] *Eccli.*, XV, 9. — [7] *Psal.* XLIX, 16. — [8] *Marc.*, I, 34. — [9] *Psal.* XXX, 19. — [10] *Act.*, XVI, 18. — [11] *Habac.*, III, 5. — [12] *Marc.*, I, 26. — [13] *Apoc.*, XII, 12. — [14] *Isa.*, XI, 9. — [15] *Rom.*, XIII, 1. — [16] I *Petr.*, III, 13. — [17] *Job*, XXVI, 11. — [18] Ibid., IV, 14. — [19] *Psal.* CXXXVIII, 14. — [20] *Jerem.*, X, 7. — [21] I *Reg.*, XX, 13. — [22] *Job*, XXV, 2.

(*a*) Vulg. *quis.* — (*b*) *Cæt. edit.* enim.

nec etiam angelicum. Unde in canonica Judæ dicitur [1] : « Dum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Deus. » Et quia hoc magnum et inusitatum erat, non reticendum, sed cum reverentia divulgandum. Ideo sequitur : *Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Sic de Salomone dicitur [2] : « Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum. » Sic de David [3] : « Divulgatum est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes. » Sic de Ozia [4] : « Divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti, propter crebras victorias. » Nota, quod fuit divulgatum nomen David ratione justitiæ; nomen Salomonis, ratione sapientiæ; nomen vero Oziæ, ratione potentiæ; nomen Christi, ratione omnis et excellentiæ, et dignitatis, et supereminentiæ.

38. *Surgens autem Jesus de synagoga,* etc. Post miraculosam curationem sexus virilis a dæmone, sequitur hic miraculosa curatio sexus muliebris a febre, quæ ab Evangelista describitur hoc ordine : primo notatur ipsius febris incommodum ; secundo vero, intercessionis adjutorium; tertio, curationis remedium; quarto, perfectæ liberationis indicium : hæc enim quatuor concurrunt ad præsens miraculum consummandum. Quantum igitur ad ipsius febris incommodum, dicitur quod compellebat socrum Simonis jacere in domo. Unde dicitur : *Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis*, scilicet, ut potestas ejus, quæ communiter manifestata fuerat coram omnibus, in domo secretius manifestaretur coram simplicibus, et coram suis imitatoribus. In domo enim erat mulier curanda, non in synagoga, ad insinuandum quod dicitur [5] : « Docere autem mulieri non permitto. » Ad hunc ingressum movebat misericordia, propter mulieris miseriam relevandam; quam exprimit, cum dicit : *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* In quo designatur infirmitatis gravitas, quæ disponit ad gratiam juxta illud [6] : « Infirmitas gravis sobriam facit animam. » Licet autem esset gravis, poterat tamen de ea dici illud [7] : « Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei : » quam gloriam non solum debuit in altero sexu ostendere, sed in utroque, quia sicut uterque lapsus fuerat, ita et uterque pertinebat ad redemptionem. Unde in Christi nativitate fuit Joseph cum Maria; in Christi prædicatione, discipuli et mulieres, secundum quod dicitur infra, VIII; in passione Maria et Joannes; in resurrectione discipuli et Magdalena. Sic vir et mulier ad Dei gloriam ostendendam curantur, et a graviori mulier quam vir, quia pluribus pœnis est subjecta [8] : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris. »

Quantum vero ad intercessionis suffragium, subditur : *Et rogaverunt illum pro ea* discipuli, et illi qui aderant. Quamvis enim Dominus velit dare, nihilominus vult rogari, secundum illud [9] : « Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. » [10] « Invocabis, et Dominus exaudiet te ; clamabis, et dicet : Ecce adsum. » Et in fine : « Os enim Domini locutum est. » Et nota quod Dominus alium curavit sine precibus, sicut dæmoniacum prius; alium precibus alienis, ut hic; alium precibus propriis, ut leprosum infra, V. In quo signatur, quod tripliciter animas peccatrices curat gratia Salvatoris : nunc intercedente sola benignitate suæ clementiæ [11] : « Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? » nunc interveniente oratione Ecclesiæ [12] : « Infirmatur quis in vobis; inducat præsbyteros Ecclesiæ, et orent super

[1] *Jud.*, 9. — [2] *Eccli.*, XLVII, 17. — [3] *Paral.*, XIV, 17. — [4] II *Paral.*, XXVI, 8. — [5] I *Tim.*, II, 12. — [6] *Eccli.*, XXXI, 2. — [7] *Joan.*, XI, 4. — [8] *Gen.*, III, 16. — [9] *Psal.* XLIX, 15. — [10] *Isa.*, LV, 9. — [11] *Rom.*, II, 4. — [12] *Jac.*, V, 14.

eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum ; » nunc vero interveniente proprio gemitu [1] : « Ego audivi gemitum filiorum Israel. » [2] « Audivi orationem tuam, et vidi lacrymam tuam, ecce sanavi te. » Et ideo dicebat anima sancta [3] : « Domine Deus meus , clamavi ad te, et sanasti me, » etc.

Quantum ad curationis remedium, adjungitur : *Et stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam.* Imperat autem tanquam Dominus et Rex. Sic [4] : « Insuper universæ terræ rex imperat servienti. » Et quia [5] « non est ei impossibile omne verbum; » ideo [6] « ipse dixit, et facta sunt. » Unde ad præceptum ejus, *dimisit illam*, scilicet febris, secundum illud [7] : « Præceptum posuit, et non præteribit. » Nec mirum : quia [8] « omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terrra, in mari, et in omnibus abyssis. » [9] « Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit. » Unde miro modo in hoc arguitur et reprehensibilis ostenditur pervicacia humanæ voluntatis, quia omnis creatura sensibilis, et quod plus est, defectus pœnalis obedit divinis imperiis, quibus homo miserabilis contradicit.

Postremo, quantum ad perfectæ liberationis indicium, subditur : *Et continuo surgens ministrabat illis.* Hoc autem est certum perfectæ curationis indicium, quia nullæ remanserunt reliquiæ, quia statim facta est potens ad motum, et potens ad obsequium. Surrexit enim, et ministrabat eis tanquam bona matrona, et quasi altera Martha, de qua infra [10] : « Martha autem satagebat circa frequens ministerium. » Et tales merentur divinum beneficium. Dicit puer Elisæus Sunamiti [11] : « Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis ; quid vis ut faciam tibi ? » Talem viduam dicebat Apostolus esse eligendam [12] : « Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. »

Sensus allegoricus.

Notandum autem, quantum ad sensum allegoricum, quod curatio viri a dæmone significat curationem gentilis populi ab errore, in cujus rei figuram dicitur [13] : « Occurrent dæmonia, onocentaurus, et pilosus clamabit alter ad alterum. » Hoc dicitur de Idumæo sub figura gentilitatis. Hoc dæmonium ejicitur per fidem Christi, secundum illud [14] : « In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, » etc. : serpentes, inquam, diffundentes virus erroris, qualis fuit de quo Apostolus [15] : « Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo. » Per curationem socrus Simonis a febre, significatur curatio Synagogæ ab æstu carnalis concupiscentiæ, quo inardescit ille populus carnalis [16] : « Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente. » Et ideo præmittitur curatio viri, quia, sicut dicitur [17] : « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. »

Sensus moralis.

Secundum sensum moralem, curatio hominis a dæmone significat curationem a peccatis spiritualibus, secundum quod dicitur [18] : « Exagitabat eum, scilicet Saul, spiritus nequam a Domino. » Et infra [19] : « Cum immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam, unde exivi, » etc. Curatio mulieris a febre est curatio animæ a peccatis carnalibus [20] : « Anima calida quasi ignis ardens ; non extinguetur, donec ali-

[1] *Exod.*, VI, 5. — [2] IV *Reg.*, XX, 5. — [3] *Psal.* XXIX, 3. — [4] *Eccle.*, V, 8. — [5] *Luc.*, I, 37. — [6] *Psal.* CXLVIII, 5. — [7] Ibid., 6. — [8] *Psal.* CXXXIV, 6. — [9] *Jerem.*, V, 22. — [10] *Luc.*, X, 40. — — [11] IV *Reg.*, IV, 13. — [12] I *Tim.*, V, 9, 10. — [13] *Isa.*, XXXIV, 14. — [14] *Marc.*, XVI, 17. — [15] II *Cor.*, XI, 3. — [16] *Ose.*, VII, 4. — [17] *Rom.*, XI, 25. — [18] I *Reg.*, XVI, 14. — [19] *Luc.*, XI, 24. — [20] *Eccli.*, XXIII, 22.

quid glutiat. » Unde Beda [1] : « Homo a dæmonio liberatur, cum animus ab immunda cogitatione purgatur; fœmina a febribus, cum caro a fervore concupiscentiæ refrenatur. » Et ideo homo in medio synagogæ eliditur, quia qui spiritualibus peccatis detinetur, indiget humiliari in conspectu hominum. » *Psalmus* [2] : « Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, et liberavit me. » Ista vero liberatur, Domino stante super eam in domo, quia est cum divina gratia custodia disciplinæ [3] : « In filia non avertente se, firma custodiam, ne, inventa occasione, utatur se. » Et ideo [4] : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, » etc.

40. *Cum autem sol occidisset*, etc. Hic post curationem sexus virilis et muliebris, subjungitur curatio universalis respectu omnis sexus, ætatis, et infirmitatis : in qua manifestatur admirabilis potentia Christi ex quatuor, scilicet, ex varietate languorum, ex facilitate curationum, ex confessione dæmonum, ex cohibitione spirituum immundorum. Primo ergo introducitur varietas languorum in hoc, quod dicit : *Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum*, ut scilicet curaret; et merito, quia [5] : « Vere languores nostros ipse tulit, » etc. Et in *Actis* [6] : « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo. » Et sine distinctione, quia super omnia potest æqualiter; unde [7] : « Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. » Unde et Matthæus dicit [8] : « Circuibat Jesus, » etc., dein : « sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. » Et nota, quod adducebant post solis occasum, ut ostenderetur quod Christus non tantum interdiu, sed etiam noctu sollicitus et potens erat circa salutem humani generis; quod figuratum est in Jacob [9] : « Die noctuque æstu urgebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. » Et in *Sapientia* [10] : « In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti in omni tempore, et in omni loco assistens eis. » Vel ideo post solis occasum, ut ostenderet vitandam esse gloriam hominum. Unde reprehendit Pharisæos [11] : « Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. » Aut ideo post solis occasum, ut designetur per passionem acquirendum esse generale remedium. Christus enim sol est, secundum illud [12] : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Iste occubuit in passione; unde *Amos* [13] : « Occidet sol in meridie. » Et tunc plures (*a*) sanati sunt; quod signatum est in morte Samsonis, qui interpretatur « sol [14] eorum. » Unde Beda [15] : « Solis occubitus est passio Christi, per quam plures sanantur dæmoniaci et ægroti, quam ante. »

Secundo additur facilitas curationum, cum additur : *At ille singulis manus imponens curabat eos*. Faciliter curabat, quia sine interpellatione, sed sola manus impositione sanabat. Nec mirum, quia secundum quod dicitur [16] : « Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat. » Et nec solum poterat hoc per se, sed etiam aliis communicare, secundum illud [17] : « Super ægros manus imponent, et bene habebunt. » Et nota, quod singulis imposuisse dicitur sine exclusione, sicut dicitur in *Actis* [18] : « Non est personarum acceptor Deus. » Et ideo in *Psalmo* [19] : « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. » Et hoc est quod dicitur [20] : « Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. » Et ideo dicitur : *Curabat eos*, etc., scilicet omnes ad se venientes, quia dicitur [21] : « Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. » Nec mirum, nam [22] « idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. »

[1] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [2] *Psal.* CXIV, 6. — [3] *Eccli.*, XXVI, 13. — [4] I *Cor.*, IX, 27. — [5] *Isa.*, LIII, 4. — [6] *Act.*, X, 38. — [7] *Sap.*, XVI, 12. — [8] *Matth.*, IV, 23. — [9] *Gen.*, XXXI, 40. — [10] *Sap.*, XIX, 20. — [11] *Matth.*, XXIII, 5. — [12] *Malac.*, IV, 22. — [13] *Amos*, VIII, 9. — [14] Hebr. שמש. — [15] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [16] *Isa.*, IX, 1. — [17] *Marc.*, XVI, 18. — [18] *Act.*, X, 34. — [19] *Psal.* CXLIV, 16. — [20] *Sap.*, VI, 18. — [21] *Joan.*, VI, 37. — [22] *Rom.*, X, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* plus.

Tertio subditur confessio dæmonum, cum ait (v. 41) : *Exibant autem dæmonia a multis clamantia*, scilicet præ dolore, et timore, et admiratione [1] : « Clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. » Sed cassus erat eorum clamor [2] : « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret. » Vel *clamantia* propter publicam veritatis annuntiationem ; et ideo subditur vera confessio : *Et dicentia : quia tu es filius Dei*. Hoc autem non dicebant ex certitudine, sed ex conjecturatione propter potentiæ magnitudinem. Et ideo prius dixit dæmon : *Scio te quia sis sanctus Dei ;* nunc quod *filius Dei*, quia per majora experimenta in cognitione profecerat : hoc autem quod ex conjectura confitebantur dæmones, non confitebantur corde ; de quo [3] : « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. » Cui *dicere* respondet verbum quod est *cum amore dicere*. Non etiam opere confitebantur ; de quo [4] : « Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. » Sed solum ore dicebant, et corde odiebant, et opere negabant [5] : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Nec mirum, quia, secundum quod dicitur in *Psalmo* [6] : « In inferno autem quis confitebitur tibi ? » nullus scilicet confessione meritoria, sed omnes confessione extorta et necessaria [7] : « Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes, » etc.

Postremo additur cohibitio spirituum immundorum, cum subjungitur : *Et increpans non sinebat ea loqui*, ut verificetur illud [8] : « Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt » *Non sinebat ea*, etc. Frequenter Dominus obicem ponit malignantibus ; unde [9] : « Etenim non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. » Vel ideo non sinebat, quia per dæmones manifestari nolebat ; unde subditur : *Quia sciebant ipsum esse Christum*, id est, probabiliter conjiciebant. Non enim innotuit dæmonibus, ut dicit [10] Augustinus, ut splendor et lux, sed per quamdam virtutis suæ efficaciam. Nolebat autem Dominus sui nominis cognitionem per dæmones divulgari, tum quia indigni erant, tum etiam quia odiosi, tum etiam quia fraudulenti : et ideo talis confessio nec conveniebat Deo, nec congruebat dæmoni, nec proderat homini. Beda [11] : « Improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat. » Ex quo nobis datur intelligi, quod qui, in prædicando Christum, veris falsa permiscent, omnino sunt cohibendi, sicut hæretici [12] : « Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? » Si qui autem vera prædicent, non tamen intentione recta, sustinendi sunt ; et de talibus dicitur [13] : « Quid enim ? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur ; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. » Si autem prædicant vera et bona, et tamen non faciunt, nihilominus sunt audiendi [14] : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. » Et tales designati sunt per illum de quo dicitur infra, IX, quod prædicabat Christum non sequens eum, quem Dominus noluit prohiberi. Ex prædictis liquet, quod Salvatoris potestas per omnem modum est manifestata.

42. *Facta autem die*, etc. Post communicationem doctrinæ Christi, et confirmationem ipsius per operationem miraculorum, subjungitur hic tertia acceptatio ejusdem a multitudine populi. Ad hoc autem, quod doctrina aliqua debito modo auditoribus fiat accepta, oportet quod sit immunis ab ostentatione, ab ambitione, ab adulatione, et a personarum acceptione : his enim modis quatuor consuevit doctrinæ acceptatio depra-

Doctrina auditoribus accepta.

[1] *Isa.*, LXV, 14. — [2] *Psal.* XVII, 42. — [3] I *Cor.*, XII, 3. — [4] I *Joan.*, IV, 2. — [5] *Tit.*, I, 16. — [6] *Psal*, VI, 6. — [7] *Sap.*, V, 2, 3. — [8] *Psal.* CIII, 7. — [9] II *Mach.*, VI, 13. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. VIII, c. II. — [11] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [12] I *Cor.*, V, 6. — [13] *Philip.*, I, 18. — [14] *Matth.*, XXIII, 2.

vari. Primo ergo ab acceptatione doctrinæ Christi excluditur ostentatio, cum dicitur : *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum*, volens se magis humiliter occultare, quam impudenter ostentare, secundum illud [1] : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » Hujus figura præcessit in Elia, de quo dicitur [2], quod « relicto puero suo, solus perrexit in desertum, » postquam fecerat miraculum ignis consumentis holocaustum. Hujus etiam figura præcessit in David, qui dixit ad Jonathan [3] : « Dimitte me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ, » id est, usque ad resurrectionem. Ob quam etiam causam dixit discipulis [4] : « Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat ; » et [5] : « Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se. » Illud autem iter in desertum, et egressus de civitate, significat egressum vitæ sæcularis, et ingressum religionis. Desertum enim est locus paupertatis, asperitatis et utilitatis, contra tria quæ sunt in mundo, secundum illud [6] : « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Contra hæc statuit Dominus desertum religionis, in quo vovetur triplex votum, prædictis oppositum, scilicet continentiæ, paupertatis et obedientiæ ; et ideo merito dicitur desertum. In hoc deserto moratus est Joannes ; unde in *Matthæo* (*a*) [7] : « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? » In quo (*b*) designatur humilitas, quæ non delectatur in vento laudum, nec dejicitur in vituperio detractionum et convitiorum. « Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? » In quo ostenditur paupertatis asperitas. In hoc deserto fuit Christus, cujus figura præcessit [8] : « Morabatur David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph : » quia altissimam religionem tenuit Christus. Unde Augustinus, *de Vera Religione* [9] : « Omne peccatum provenit, aut quia appetimus quæ Christus contempsit, aut fugimus quæ sustinuit. » Satellites enim diaboli divitias appetunt ; Christus pauper esse voluit. Honoribus inhiant ; rex esse noluit. Delicias cupiunt ; crucifigi voluit.

Desertum.

Votum triplex.

Secundo excluditur ambitio, in hoc quod sequitur : *Et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum.* Non ipse se ingerebat ex ambitione ; sed illi quærebant cum devotione. Unde dicitur [10] : « Qui cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit. » In quo docuit, quod honoris officium non est assumendum, nisi homo requiratur. Unde [11] : « Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, quemadmodum Aaron. » In hoc etiam commendatur devotio populi, quia latere volentem requirebat, cum tempus esset. *Isaias* [12] : « Quærite Dominum, dum inveniri potest. » Et *Oseas* [13] : « Tempus requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos justitiam. » Et anima sancta in *Psalmo* [14] : « Exquisivit te facies mea. » Et quod devote requirerent eum, apparet, quia scilicet *venerunt usque ad ipsum*, secundum illud *Isaiæ* [15] : « Si quæritis, quærite ; convertimini, et venite. » Unde [16] : « Venite ab me omnes, qui laboratis, et onerati estis, » etc. Igitur, quia devote quæsierunt, invenerunt secundum illud [17] : « In simplicitate cordis quærite illum. » Et quia perfecta devotio non solum facit quærere, sed detinere inventum, ideo subditur : *Et detinebant illum, ne discederet ab eis*, secundum illud *Cantici* [18] : « Inveni, quem diligit anima mea ; tenui eum, nec dimittam, » etc. Nec mirum, quia [19] « lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam ; et qui tenuerint eam, beati. » Unde poterant dicere illæ animæ sanctæ [20] : « Ne derelinquas me, Domine Deus meus : ne discesseris a

[1] *Psal.* LIV, 8. — [2] III *Reg.*, XIX, 4. — [3] I *Reg.*, XX, 5. — [4] *Matth.*, XVII, 9. — [5] *Joan.*, XII, 36. — [6] I *Joan.*, II, 16. — [7] *Matth.*, XI, 7. — [8] I *Reg.*, XXIII, 14. — [9] Aug., *de ver. Relig.*, c. XVII. — [10] *Joan.*, VI, 15. — [11] *Hebr.*, V, 4. — [12] *Isa.*, LV, 6. — [13] *Ose.*, X, 12. — [14] *Psal.* XXVI, 8. — [15] *Isa.*, XXI, 12. — [16] *Matth.*, XI, 28. — [17] *Sap.*, I, 1. — [18] *Cant.*, III, 4. — [19] *Prov.*, III, 18. — [20] *Psal.* XXXVII, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* qua.

me. » In quo ostenditur, quod Christus nec ambiebat honorem, antequam offerrent, nec etiam jam oblatum, quia quasi violente detinebatur. Hujus figura præcessit [1] : « Dimitte me, jam enim ascendit aurora. » Quod dixit Angelus ad Jacob.

Tertio excluditur adulatio in hoc, quod additur (v. 43) : *Quibus ille ait; Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* Non blanditur eis, sed ostendit se æqualiter curare de omnibus. Unde poterat dicere illud [2] : « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. » Non enim quærebat hominibus placere, sed Deo; et ideo dicit : *Oportet me evangelizare*, quia hæc est voluntas Patris. Unde subdit : *Quia ideo missus sum.* [3] « Ad annuntiandum mansuetis misit me. » Et ideo oportebat, quia dicitur [4] : « Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. » Missus autem fuerat pauperibus evangelizare, secundum quod habetur in auctoritate præmissa Isaiæ; missus etiam fuit evangelizare regnum Dei, sicut dicitur hic. Et ideo colligitur, quod missus fuerat evangelizare pauperibus regnum Dei. Unde [5] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Et vere *ipsorum*, quia ait [6] : « Scriptum est : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. » Quia nemo potest habere illud regnum, nisi contemnat terrenum; et difficile pecuniæ ab habentibus contemnuntur : ideo difficile acquirunt, quod pauperibus est promissum.

Quarto vero excluditer personarum acceptio in hoc, quod sequitur (v. 44) : *Et erat prædicans in synagogis Galilææ*, scilicet omnibus indifferenter [7] : « Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum. » Hoc decet facere bonum prædicatorem, propter illud [8] : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. » Et [9] : « Beati, qui seminatis super omnes aquas. » [10] « Semen autem est verbum Dei. » Bonus prædicator et imitator Christi debet esse communis persona, ut Paulus [11] : « Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum : ita quod in me promptum est, et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. » Quod significatum fuit a Zacharia in equis deferentibus quadrigam, id est legem evangelicam, de quibus dicitur [12], quod « isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram. » Unde in fine *Matthæi* dicitur prædicatoribus [13] : « Euntes ergo docete omnes gentes. » Et in fine *Marci* [14] : « Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. » Ex prædictis colligitur, si prædicator bonus est acceptus hominibus, ut sit acceptus Deo et angelis ejus, debet esse immunis ab ostentatione in signo, ab ambitione in animo, ab adulatione in verbo, a personarum acceptione in facto, sive exercitio. Et hæc quatuor tangit Apostolus [15] : « Non, inquit, sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei » (quod fit quatuor modis prædictis); « sed ex sinceritate, » sine personarum acceptione « sicut ex Deo, » sine ambitione; « coram Deo, » sine ostentatione; « in Christo loquimur, » sine adulatione. Nam Christus veritas est.

A quibus animi morbis debeat liber esse verus præco Christi.

CAPUT V.

1. *Factum est, cum turbæ*, etc. Supra egit Evangelista de doctrinæ Christi confirmatione; in hac parte agit de discipulorum vocatione. Et habet pars ista duas, in quarum prima describitur vocatio discipulorum de statu justitiæ; in secunda, de statu culpæ (v. 27) : *Post hæc exiit, et vidit*, etc. Prima pars habet duas : in prima proponitur

[1] *Gen.*, XXXII, 26. — [2] I *Thess.*, II, 5. — [3] *Isa.*, LXI, 1. — [4] *Joan.*, XIV, 31. — [5] *Matth.*, V, 3. — [6] Ibid., XIX, 23. — [7] Ibid., IX, 35. — [8] *Prov.*, V, 16. — [9] *Isa.*, XXXII, 20. — [10] *Luc.*, VIII, 11. — [11] *Rom.*, I, 14, 15. — [12] *Zach.*, I, 10. — [13] *Matth.*, XXVIII, 19. — [14] *Marc.*, XVI, 15. — [15] II *Cor.*, II, 17.

discipulorum vocatio; in secunda vero, vocatorum confirmatio per operationem miraculorum (v. 12): *Et factum est, cum esset in una civitate*, etc. Ad vocationem autem discipulorum tria introducuntur : primum est eruditio populi; secundum, operatio miraculi, ibi (v. 4): *Ut cessavit autem loqui*, etc. Tertium est vocatio Petri, ibi (v. 8) : *Quod cum videret Simon Petrus*, etc. Primum horum spectat ad profunditatem sapientiæ, per quam alios docebat; secundum, ad sublimitatem potentiæ, per quam miracula faciebat; tertium, ad immensitatem clementiæ, qua piscatores pauperculos ad suum consortium attrahebat. Et habent se ista per ordinem ad invicem, quia circumstantiæ instructionis populi fuerunt introductiva occasio operationis miraculi, et operatio miraculi fuit ratio motiva conversionis Petri et filiorum Zebedæi. Describitur ergo eruditio populi sub quatuor circumstantiis, quæ inducunt ad captionem piscium. Primum est importunitas plebis; secunda, opportunitas navis; tertia, obedientia Simonis Petri; quarta, affluentia sermonis dominici. Primo ergo tangitur importunitas plebis irruentis in eum propter doctrinam, cum dicitur : *Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Ideo irruebant, quia quilibet appropinquare volebat. Nec immerito; quia [1] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Nec tantum volebant ignorantes appropinquare propter doctrinam sive scientiam, sed etiam infirmi propter sanitatem recuperandam [2] : « Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Nec hi solum, sed et peccatores propter veniam; unde [3] : « Erant appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. » Et vehementi desiderio movebantur; ideo irruebant, considerantes magis Domini bonitatem, quam majestatem. Unde dicit quidam expositor : « Magni meriti est apud Deum desiderium verbi Dei, quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis in eum excusat. » Unde Dominus ad hoc præcipue invitabat [4] : « Omnes sitientes, venite ad aquas, » scilicet, sapientiæ salutaris. In cujus rei signum erat juxta aquas. Unde et subditur : *Et ipse stabat secus stagnum Genezareth*, ut ad aquas sapientiæ invitaret, sicut dictum est [5] : « Stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. » Et nota, quod hoc stagnum aquæ diversis nominibus appellari consuevit, scilicet, mare Cenereth, unde in divisione sortium dicitur [6] : « Quod a Reblatha pervenient contra orientem ad mare Cenereth. » Glossa : « Stagnum Tiberiadis mare dicitur, secundum consuetudinem Hebræorum, qui quamlibet congregationem aquarum appellant mare, juxta illud [7] : « Congregationesque aquarum appellavit maria, » etc. Et quia postea civitatem istam appellavit Herodes Tiberiadem, quia ipsam in honorem Tiberii Cæsaris reædificavit, ideo vocatur mare Tiberiadis [8] : « Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. » Et quia originem trahit a Jordane, ideo dicitur lacus Jordanis. Et quia in Galilææ religione est, ideo mare Galilææ; et quia inundationes fiunt, et aura ibi generatur, ideo dicitur : *Stagnum Genezareth*, id est generans auras. Idem etiam dicitur lacus salivarum. Et juxta illud stagnum stabat Jesus, ut qui miracula fecerat in terra, faceret etiam in aquis. Unde secundum quod ex diversis colligitur locis, Dominus in illo stagno multa miracula operatus fuit : in captione piscium; in sedatione tempestatum; in calcatione undarum, etc.

Appropinquantes Christo.

Secundo subditur opportunitas navis sublevantis in aquam, cum subditur (v. 2) : *Et vidit duas naves*, opportunas scilicet ad ferendum, tum quia propinquæ, propter quod dicitur : *Stantes secus stagnum;* tum etiam, quia otiosæ et vacuæ. Unde et addit : *Piscatores autem descenderant, et lavabant retia:* et ita opportunæ erant ad ministrandum.

[1] *Deut.*, XXXIII, 3. — [2] Inf., VI, 19. — [3] Inf., XV, 2. — [4] *Isa.*, LV, 1. — [5] *Joan.*, VII, 37. — [6] *Num.*, XXXIV, 11. — [7] *Gen.*, I, 10. — [8] *Joan.*, VI, 1.

Has autem naves piscatorum pauperum sibi propinquas vidit, quia secundum quod in *Psalmo* dicitur [1] : « Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. » Et has sibi opportunas vidit in obsequium, secundum illud [2] : « Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Unde et ipse se humiliat, ut qui (*a*) omnia portat, a nave portetur. [3] « Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat, quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam : ostendens, quia potens es ex omnibus salvare (*b*), etiamsi sine rate aliquis adeat mare. »

Tertio additur obedientia Simonis separantis a turba, cum subditur : *Ascendens autem in unam navem, quæ erat Simonis*, etc., ipsum tanquam pauperem et humilem præeligendo, secundum illud [4] : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? » *Ascendit autem*, non tyrannice opprimendo, sed humiliter supplicando. Unde addit : *Rogavit eum a terra recedere pusillum*, ut scilicet parum sequestraret se a turba, et sublevaret a terra : qui enim vult alios docere, debet interiori affectu terrena contemnere, et exterioribus actibus turbas præcellere. Unde dicitur [5] : « Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, » etc. Nota hic humilitatem Domini, quia rogabat Petrum servum suum, exemplum relinquens prælatis, ut ipsi rogent subditos. Unde Apostolus [6] : « Rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, » etc. : tum quia, ut dicit Ambrosius [7], « coacta servitia Deo non placent ; » tum quia, ut dicit Seneca, « generosus est animus hominis, et facilius ducitur, quam trahitur. »

Domi-us ro-at Pe-um.

Postremo subditur affluentia sermonis Christi, docentis de navicula, cum additur : *Et sedens docebat de navicula turbas*. Sedere autem spectat ad auctoritatem personæ docentis [8] : « Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. » Ad personam etiam judicantis [9] : « Sedisti super thronum, qui judicas justitiam. » Hæc namque sessio auctoritatem designat judicialem, quia in thronis residet ad judicandum Deus. Dicitur autem rursus in *Psalmo* [10] : « Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, » etc. ; quia Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur, et qui sedet in loco doctoris, debet esse plenus (*c*) sapientia, ut de plenitudine ejus accipiant universi discipuli. Et de hac plenitudine accipiebat turba. Unde dicitur : *Docebat turbas*. [11] « Filii Sion, exultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. » Et ideo super mare stabat, quia de profundo incomprehensibili, quasi rorem parvum sapientiæ ad nos transmittit. *Job* [12] : « Et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? » *Docebat autem turbas*, id est simplices et humiles, quia [13] : « Cum simplicibus sermocinatio ejus. » [14] « Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Et ratio hujus est, quia turbæ non requirebant subtilia, sed utilia, et talium est Dominus doctor [15] : « Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. »

Moraliter autem notandum est, quod in Christo docente datur forma prædicatori. Introducitur enim ut stans, ut videns, ut ascendens, et ut sedens. Veri enim et boni prædicatoris est stare per rectitudinem intentionis ; dictum est Ezechieli in persona prædicatoris [16] : « Sta super pedes tuos, et loquar tecum. » Est videre per certitudinem

Bonus prædicator.

[1] *Psal.* CXXXVII, 6. — [2] *Eccli.*, III, 21. — [3] *Sap.*, XIV, 4. — [4] *Jac.*, II, 15. — [5] *Exod.*, XXIII, 2. — [6] I *Thess.*, IV, 1. — [7] Ambros., vel quisquis alius, *de Sanctis per annum*, serm. in festo S. Basil. — [8] *Matth.*, V, 1. — [9] *Psal.* IX, 5. — [10] *Psal.* LXXIX, 2. — [11] *Joel.*, II, 22. — [12] *Job*, XXVI, 14. — [13] *Prov.*, III, 32. — [14] *Matth.*, XI, 25. — [15] *Isa.*, XLVIII, 17. — [16] *Ezech.*, II, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* quia. — (*b*) Item *sanare*. — (*c*) *Cæt. edit. deest* plenus.

discretionis; sic enim dicitur[1] : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. » Est ascendere per exercitium perfectæ actionis; *Isaias*[2] : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. » Est sedere per otium contemplationis[3] : « Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. » De his quatuor simul dicitur[4] : « State super vias : » ecce rectitudo intentionis. « Et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona : » ecce sollicitudo discretionis. « Et ambulate in ea, » per exercitium actionis : « et invenietis refrigerium animabus vestris, » per otium contemplationis.

Auditor verbi divini.

In turba autem irruente, datur forma auditori. Propter quod nota, quod Evangelista introducit turbas in comparatione ad Jesum : primo requirentes ; secundo venientes ; tertio detinentes : et de his tribus supra in fine præcedentis capituli : quarto irruentes, sicut hic; quinto comitantes[5] : « Ibant autem turbæ multæ cum eo; » sexto subsequentes, infra[6] : « Sequebatur illum multa turba populi et mulierum, » etc. Boni enim auditores debent quærere sapientiam, Christum, studio meditationis[7] : « Hanc amavi, et exquisivi eam a juventute mea. » Debent venire ad ipsum desiderio affectionis, secuncudum illud[8] : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, » etc. Debent detinere instantia orationis, secundum illud *Cantici*[9] : « Tenui eum, nec dimittam. » Sed, heu! verificatum est illud[10] : « Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te. » Debent irruere impetu devotionis; Ezechiel dicit de sanctis animalibus[11] : « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. » Debent comitari conformitate bonæ operationis, sicut Henoch[12] : « Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. » Debent etiam sequi imitatione passionis[13] : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Talibus promittitur gloria[14] : « Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede, » etc. Ac deinde : « Et omnis, qui reliquerit domum, » etc. Et tandem subjungitur : « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. »

4. *Ut cessavit autem loqui.* Post eruditionem populi, subditur operatio miraculi. Circa hujus descriptionem quatuor introducuntur : ex parte Christi, altitudo potentiæ; ex parte Petri, certitudo fiduciæ; ex parte miraculi, multitudo copiæ; ex parte consortii, promptitudo auxilii. In Christo igitur insinuatur altitudo potentiæ ad miraculum faciendum, cum dicitur : *Ut cessavit autem loqui,* scilicet per veritatis magisterium : quia Domini est[15] « confirmare sermonem sequentibus signis. » Ideo *dixit ad Simonem*, per potestatis imperium, cui per omnia obediendum est, secundum consilium Virginis in primo miraculo[16] : « Quodcumque dixerit vobis, facite. » Et sequitur imperium : *Duc in altum,* id est, in profundum mare, ubi scilicet est multitudo piscium, sicut divinitatis oculis aspiciebat.[17] « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi. » Et ideo subdidit : *Et laxate retia vestra ad capturam.* Sic post resurrectionem[18] : « Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. » Hoc imperando dicit, ut ostendat, quod[19] « omnia subjecit Deus pedibus ejus, volucres cœli, et pisces maris, » etc.

In Petro autem insinuatur certitudo confidentiæ ad miraculum impetrandum, cum subditur (v. 5) : *Et respondens Simon dixit illi* : *Præceptor,* etc. Non solum doctorem, sed etiam præceptorem vocat, credens

[1] *Prov.*, XXVII, 23. — [2] *Isa.*, XL, 9. — [3] *Thren.*, III, 28. — [4] *Jerem.*, VI, 16. — [5] Inf., XIV, 25. — [6] Inf., XXIII, 27. — [7] *Sap.*, VIII, 2. — [8] *Psal.* XLI, 3. — [9] *Cant.*, III, 4. — [10] *Isa.*, LXIV, 7. — [11] *Ezech.*, I, 12. — [12] *Gen.*, V, 22. — [13] I *Petr.*, II, 21. — [14] *Matth.*, XIX, 28 et seq. — [15] *Marc.*, XVI, 20. — [16] *Joan.*, II, 5. — [17] *Eccli.*, XXIII, 28. — [18] *Joan.*, XXI, 6. — [19] *Psal.* VIII, 8 et seq.

non solum eum habere scientiam ad docendum, sed etiam potentiam ad faciendum. Nec irrationabiliter Petrus piscator tali nomine Christum appellat, quia dicit *Isaias*[1] : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. » Et alibi[2] : « Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. » Et quoniam confidentia vera non innititur propriis viribus, sed divinis, ideo subdit : *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Et ita non innitendo tuis viribus, sed industria propria confisi, laborantes nihil cepimus. Unde dicere poterat illud *Isaiæ*[3] : « Sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. Et *Job*[4] : « Ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. » Nunc autem non in meis, sed de tuis viribus confido. Et ideo infert : *In verbo autem tuo laxabo rete;* nec immerito, quia ipse dicit[5] : « Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum ; sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. » Unde de Petro potest dici illud[6] : « In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissime sciens, » etc.

In miraculo vero insinuatur multido copiæ ad ipsius miraculi evidentiorem magnitudinem, cum subditur (v. 6) : *Et cum hæc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam*. Et sic verificatum est illud[7] : » Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. » Ecce jam credulitas Petri impetrabat miracula. Unde ipse a suæ fidei fundamento, Petrus a firmitate petræ meruit appellari. Unde paulo post addit Evangelista[8] : *Quod cum videret Simon Petrus*, etc. Et ideo infra dicitur ei[9] : « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. » Et quoniam copia multitudinis non solum fuit sufficiens, sed etiam excellens, ideo subditur : *Rumpebatur autem rete eorum*, scilicet præ nimia multitudine. Et attende quod Dominus eodem miraculo quo potuit pisces in retia congregare, potuit et retia conservare, sicut et fecit, cum dicitur[10] : « Et cum tanti essent, non est scissum rete. » Sed hoc factum est propter figuram, quia miracula Dei, ut dicit Gregorius[11], semper nobis aliquid insinuant diligentius attendendum. Illa enim captura piscium significat congregationem electorum post resurrectionem in gloria ; ista vero, ante resurrectionem vocatorum ad Ecclesiam. Et quia in illa nullus ingreditur qui egrediatur, de hac multi egrediuntur ; ideo hic rumpitur, ibi vero minime. Hinc est, quod dicitur illa fuisse in dextera navigii, ista vero non : discernit illa in numero determinato, ista vera non. Hic etiam junguntur naves propter multitudinem tentationum ; ibi in terra requiescunt. Hic Christus in navi ; ibi in littore requiescit.

In consortio autem insinuatur promptitudo auxilii ad miraculum manifestandum, cum subditur (v. 7) : *Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi,* id est, per nutum ostenderunt, sive significaverunt, quia[12] « opera Dei revelare et confiteri honorificum est. » Unde dicit auctor quidam : « Nullius boni sine socio jucunda possessio est ; » secundum illud *Ecclesiastæ*[13] : « Melius est duos esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. » In cujus rei signum, subditur : *Ut venirent, et adjuvarent eos ;* quia secundum illud *Proverbiorum*[14] : « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Et certe sicut dicitur ibidem[15] : « Vir amicabilis (*a*) ad societatem, magis amicus erit, quam frater. » Et hoc manifeste probatur per ipsorum promptitudinem in adjuvando ; et ideo additur : *Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas*. Et sic verificatur

[1] *Isa.*, LV, 4. — [2] Ibid., XXX, 20, 21. — [3] Ibid., XLIX, 4. — [4] *Job*, VII, 3. — [5] *Isa.*, LV, 11. — [6] *Rom.*, IV, 20, 21. — [7] *Joan.*, XIV, 13. — [8] Inf., 8. — [9] *Luc.*, XXII, 32. — [10] *Joan.*, XXI, 11.— [11] Greg., *in Evang.*, hom. II, non longe a princ., et hom. XXIV. — [12] *Tob.*, XII, 7. — [13] *Eccle.*, IV, 9. — [14] *Prov.*, XVIII, 19. — [15] *Prov.*, XVIII, 24.

(*a*) *Vulg.* amabilis.

illud proverbium [1] : « Benedictio Domini divites facit. » Unde dicere poterant illud [2] : « Bonis omnibus per eum repleti sumus. » Hæc autem impletio, ut tactum est, significat impletionem Ecclesiæ ; unde [3] : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, » etc. Et ideo additur : *Ita, ut pene mergerentur :* quia mali adeo multiplicantur, quod pene omnes submergimur, secundum illud [4] : « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, » etc. Sed tamen navis Petri non submergitur, quamvis Paulus dicat [5] : « Ter naufragium feci. »

Expositio moralis. Piscatores.

Moraliter hic notandum est, qui sint isti piscatores, quæ naves eorum, quæ retia, et quæ capiendi via. Piscatores sunt prædicatores; unde infra [6] : « Ex hoc jam homines eris capiens » ; et [7] : « Faciam vos fieri piscatores hominum. » Et hoc dicitur [8] : « Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos. » Et diabolus contra habet piscatores suos malos, et hæreticos, et seductores. *Habacuc* [9] : « Facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. » Et certe nunc adeo mali piscatores prævalent, ut boni vix habeant locum. Et impletum est illud *Isaiæ* [10] : « Mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. » Naves autem, per quas transitur mare, sunt duæ, scilicet obedientia et patientia, quarum altera exercet in labore, altera sustinet in dolore. Et de prima potest intelligi illud [11] : « Exiguo ligno committunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt, » etc. Hæc est obedientia, quæ cum sit exigua, perducit (*a*) ad terram beatam. De secunda potest intelligi illud [12] : « Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. » Dicitur de his, qui in tempestate erant, quia [13] « patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. » Ibi tanguntur hæ duæ naves, de quibus simul in *Psalmo* dicitur [14] : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem, » quod est obedientiæ, « in aquis multis, » scilicet tribulationis, quod est patientiæ : quia [15] « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Retia autem sunt discretio et locutio, quæ vicissim debent connecti ad instructionem populi, per artificium Spiritus sancti. [16] « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me : expandit rete pedibus meis, » etc. [17] « In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat, » etc. Hæc autem retia contexuntur, quando ex sacræ Scripturæ verbis in unam seriem congregatis sermones componuntur : in quibus magis est utilitas, quam subtilitas attendenda. Unde curiosis comminatur Dominus [18] : « Confundentur, qui operabantur linum, pectentes (*b*) et texentes subtilia. » Per hæc retia facilius capiuntur simplices laici, quam clerici eruditi. Unde in *Proverbiis* [19] : « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum » : sed tales in rete capiuntur sententiæ mundanæ. Item [20] : « Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. » Modus capiendi, est naves ducere in altum, id est, ascendere ad vitæ perfectionem, et laxare retia in capturam per prædicationem : quæ duo debent esse conjuncta, secundum exemplum Salvatoris [21] : « Cœpit Jesus facere, et docere » ; quia dicit Gregorius : « Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. » Unde ad illos spectat potissime retia in prædicatione laxare, qui ad perfectionis apicem possunt ascendere. Et ideo ad Ro-

Naves.

Retia.

Modus capiendi

[1] *Prov.*, x, 22. — [2] *Tob.*, xii, 3. — [3] *Matth.*, xiii, 47. — [4] *Matth.*, xxiv, 12. — [5] II *Cor.*, xi, 25. — [6] Inf., 10. — [7] *Matth.*, iv, 19. — [8] *Jerem.*, xvi, 16. — [9] *Habac.*, i, 14, 15. — [10] *Isa.*, xix, 8. — [11] *Sap.*, xiv, 5. — [12] *Act.*, xxvii, 31. — [13] *Hebr.*, x, 36. — [14] *Psal.* cvi, 23. — [15] *Act.*, xiv, 21. — [16] *Thren.*, i, 13. — [17] *Coloss.*, iv, 5, 6. — [18] *Isa.*, xix, 9. — [19] *Prov.*, i, 17. — [20] Ibid., vii, 21. — [21] *Act.*, i, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* producit. — (*b*) *Ita n* plecientes.

manos dicebat Apostolus [1] : « Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. »

8. *Quod cum videret Simon Petrus.* Post eruditionem populi, et operationem miraculi, subditur vocatio Petri et filiorum Zebedæi : ad cujus perfectionem quatuor ostenduntur concurrisse, scilicet humiliatio Petri habilitans ad gratiam ; admiratio elevans ad intelligentiam ; alleviatio Christi stabiliens ad confidentiam ; imitatio magistri perducens ad abundantem justitiam. Primo ergo præponitur humiliatio Petri, habilitans ad gratiam, cum dicitur : *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu.* Viso miraculo, humiliatus est magnificando divinam majestatem; et recte, quia dicitur [2] : « In nomine Jesu omne genu flectatur, » etc. Et *Isaias* [3] : « Mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. » Et hoc fecit Petrus quasi invitans alios ad faciendum similiter ; ac si diceret illud Psalmistæ [4] : « Venite, adoremus, et procidamus, » etc. Humiliatus etiam fuit resiliendo in propriam parvitatem; Unde et subdit, dicens : *Exi a me, Domine, quia homo pecator sum*, quasi diceret : Non sum talis, ut ego sim dignus esse simul tecum : Hoc ex fide et reverentia dicebat, sicut ille Centurio [5] : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. » Ideo hoc autem dicebat Petrus, quia videbat potentiam, et non percipiebant clementiam, quia dixit [6] « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Unde Augustinus : « Ut piscator loquitur Petrus. Deum ac Dominum salutis secum habebat, et dicebat : *Exi a me ;* ac si infirmus medico curare volenti diceret : Recede a me, quia ægroto. Et Gregorius dicit : « Petre, imo si te peccatorem consideras, oportet ut a te Dominum non expellas. » Sed certe sic humiliando non expellebat, sed attrahebat [7] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?

Secundo vero subditur admiratio elevans ad intelligentiam, quæ erat ratio humiliationis in Petro ; et hoc notat, cum dicit (v. 9) : *Stupor enim circumdederat eum.* In circumdatione autem notatur vehementia stuporis. *Isaias* [8] : « Ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo. » Et ne credas ipsum solum admirari, sed et alios esse testes miraculi, subditur : *Et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant*, id est, propter capturam magnam et insolitam, omnes mirabantur, secundum illud *Psalmi* [9] : « Qui descenderunt mare in navibus ; » et subditur : « Ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo. » Et quia alii discipuli cum Petro fuerunt vocati, ideo subditur (v. 10) : *Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi ;* scilicet stupor circumdederat, qui erant similiter piscatores. Unde subditur : *Qui erant socii Simonis.* Unde, sicut socii fuerunt exercitio piscationis, sic et in dignitate vocationis. [10] « Ego Joannes frater vester, particeps in tribulatione et regno. » Ad *Corinthios* [11] : « Scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationum. » Et nota, quod sicut ii tres fuerunt socii in piscatione, sic etiam fuerunt in vocatione ; et sicut simul vocati, sic simul electi et assumpti ad miraculorum operationem. Infra [12] dicitur : « Non permisit introire secum quemquam, etc., nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, etc., » qui simul assumpti ad transfigurationem, infra [13] : « Assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, » etc. Simul etiam assumpti sunt ad orationem [14] : « Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. »

Tertio subditur alleviatio Christi stabiliens ad confidentiam, cum dicitur : *Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere.* Non excludit timorem reverentiæ et humilitatis, quia ipse

[1] *Rom.*, XV, 18. — [2] *Philip.*, II, 10. — [3] *Isa.*, XLV, 24. — [4] *Psal.* XCIV, 6. — [5] *Matth.*, VIII, 8. — [6] Ibid., IX, 13. — [7] *Isa.*, LXVI, 2. — [8] Ibid., XXIX, 14. — [9] *Psal.* CVI, 23, 24. — [10] *Apoc.*, I, 9. — [11] II *Cor.*, I, 7. — [12] Inf., VIII, 51. — [13] Inf., IX, 28. — [14] *Matth.*, XXVI, 37.

est principium sapientiæ, et de illo dicitur [1] : « Qui sine timore est, non poterit justificari. » Sed excludit timorem pusillanimitatis, qui opponitur confidentiæ, de quo [2] : « Noli timere, Abraham : ego protector tuus sum. » Et *Josue* [3] : « Noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus. » [4] « Noli timere, quia ego tecum sum. » Et ut non expavescat minora, promittit majora, cum addit : *Ex hoc jam homines eris capiens :* quod multo magis est, quam capere pisces. Glossa : « Nondum in apostolatum eligitur, sed prædicitur quod aliquando sit eligendus. » [5] «Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. » Et specialiter alloquitur Petrum, quia ipsi specialiter hæc cura committitur. Unde [6] : « Tibi dabo claves regni cœlorum, » etc. Et nota, quod dicit : *capiens homines,* non aurum, secundum illud [7] : « Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. » Et ad *Philippenses* [8] : « Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram. »

Quarto subditur perfecta imitatio Magistri, perducens ad perfectam justitiam, cum subditur (v. 11) : *Et subductis ad terram navibus*, ut ibi eas relinquerent. Unde sequitur : *Relictis omnibus.* [9] « Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Signanter dicit *omnibus,* quia dicit Gregorius : « Tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci poterant. Et quia omnia poterant concupisci, ideo omnia sunt dimissa. » Unde idem : « Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit : multum reliquit, qui etiam cum re, quam habuit, voluntatem habendi dereliquit. Et quia non sufficit relinquere sua, quia hoc aliqui fecerunt philosophi, subditur : *Secuti sunt eum.* » Unde Petrus [10] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, » etc., scilicet per consilia. *Job* [11] : « Vestigia ejus secutus est pes meus. » Quia [12] « gloria magna est sequi Dominum. » Sic Eliseus fuit secutus Eliam. Et nota, quod contrarietas videtur inter Lucam, Matthæum et Joannem, quantum ad locum, quantum ad tempus, quantum ad modum : quia Joannes [13] juxta Jordanem, et ante adventum in Galilæam, et sigillatim illos vocatos dicit ; Matthæus [14] vero et Lucas post adventum in Galilæam, et simul vocatos dicunt. Et propterea intelligendum, quod discipuli isti vocati fuerunt semel in simplicem notitiam, et de hac vocatione Joannes loquitur ; secundo in familiaritatem, et de hac dicitur hic, quia adhuc reversi sunt ad propria, ut dicit glossa ; tertio in discipulatum fuerunt vocati, sive apostolatum, et de hac dicitur a Matthæo et Marco [15] : et ideo nulla est contrarietas, sive diversitas in locis, et temporibus, et aliis circumstantiis.

12. *Et factum est, cum esset in una civitatum*, etc. Post discipulorum vocationem subjungit hic eorumdem confirmationem per miracula ; et habet hæc pars duas : in prima enim introducitur miraculum de curatione leprosi ; in secunda vero de liberatione paralytici, ibi (v. 17) : *Et factum est in una dierum*, etc. Circa miraculum autem de curatione leprosi tria introducuntur : primum est operatio miraculi ; secundum est eruditio leprosi, ibi (v. 14) : *Et ipse præcepit ei*, etc. ; tertium est ædificatio populi, ibi (v. 15) : *Perambulabat autem magis sermo de illo*, etc. Circa operationem miraculi tria sunt attendenda, scilicet miserabilis infectio morbi, commendabilis devotio ægri, et admirabilis operatio medici. Primo igitur tangitur miserabilis infectio morbi, cum dicitur : *Et factum est, cum esset in una civitatum*, etc., quia morbus erat publicus et perpetuus : publicus, quia in civitate, ubi multi conveniunt, et ita multis nota erat infirmitas. Et attendendum, quod dicitur fuisse in civitate, quia erat prope

[1] *Eccli.*, I, 28. — [2] *Gen.*, XV, 1. — [3] *Jos.*, I, 9. — [4] *Isa.*, XLIII, 5. — [5] *Matth.*, IV, 19. — [6] *Matth.*, XVI, 19. — [7] II *Cor.*, XII, 14. — [8] *Philip.*, IV, 17. — [9] Inf., XIV, 33. — [10] *Matth.*, XIX, 27. — [11] *Job*, XXIII, 12. — [12] *Eccli.*, XXIII, 38. — [13] *Joan.*, I, 37 et seq. — [14] *Matth.*, IV, 18 et seq. — [15] *Marc.*, I, 16 et seq.

civitatem. Nam dicitur [1] de hoc leproso, quod curavit eum in descensu de monte. Unde potest hic accipi, sicut infra [2] : « Non capit prophetam perire extra Jerusalem : » quia, sicut dicitur ad *Hebræos* [3], « Christus extra portam passus est. » Erat etiam morbus perpetuus ; unde et subdit : *Ecce vir plenus lepra*, quæ est infirmitas incurabilis, maxime cum est radicata. Unde poterat ei convenire illud *Isaiæ* [4] : « A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. » Similis etiam erat Job, de quo dicitur [5] : « Satan percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque verticem ejus, qui testa saniem radebat. »

Secundo vero insinuatur commendabilis devotio leprosi, cum dicitur : *Et videns Jesum*, quia videndo adoravit et collaudavit. Adoravit signo, cum ait : *Et procidens in faciem suam*, quod est adorantium, ut in *Psalmo* [6] : « Venite, adoremus et procidamus, » etc. Et hoc requirebat diabolus [7] : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Unde hoc signo professus est ipsum esse Filium Dei, sicut ille cæcus de quo in *Joanne* (*a*) [8] : « Tu credis in Filium Dei? Quis est, » etc. Et post sequitur : « Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. » Et nota, quod dicitur procidisse in faciem, quod est bonum signum, sicut dicitur [9] de Moyse et Aaron quod « corruerunt proni in terram. » Non sicut Heli, qui [10] « cecidit de sella retrorsum, » etc. Collaudavit etiam sive professus est verbo, quod notatur, cum subditur : *Domine, si vis, potes me mundare.* In hoc, quod rogat, insinuat largitatem. *Job* [11] : « Rogabis eum, et exaudiet te. » In hoc quod dicit : *Domine*, insinuat dignitatem. *Esther* [12] : « Domine, in ditione tua cuncta sunt posita. » In hoc, quod addit : *Potes me mundare*, insinuat potentiæ facilitatem [13] : « Subest enim tibi, cum volueris, posse. » Et hoc est, quod dicebat Job Domino [14] : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? » Et ideo poterat dicere [15] : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, » etc.

Tertio subditur admirabilis operatio medici, cum dicitur : *Extendens manum, tetigit eum, dicens*, etc.: quæ quidem fuit admirabilis, tum ratione clementiæ, tum ratione potentiæ, tum ratione efficientiæ. Propter clementiam dicit : *Tetigit eum ;* licet enim posset curare solo verbo, maluit tangere, ut ostenderet suam benignitatem. Unde in *Proverbiis* [16] : « Manum suam aperuit inopi. » Unde jam non poterat hic murmurare de Christo, sicut Naaman de Elisæo [17] : « Putabam, quod egrederetur ad me ; » et postea : « Et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. » Sed certe non est repugnantia Prophetæ et Domini, quia Propheta subjectus erat legi, et ideo noluit tangere, ne secundum legem fieret immundus; Salvator vero supra legem erat, et ideo secundum legem immunditiam non contrahebat, et legem evacuare poterat ; et ideo tangebat. Ad insinuandum vero potentiam additur : *Dicens : Volo* ; *mundare.* In quo se asserit velle, et præcipit, ut mundetur, quia tantæ est potentiæ, ut velle sit ei posse facere.[18] « Consilium meum stabit, et omnis voluntas meas fiet. » Volebat autem ejus munditiam non tam corporalem, quam spiritualem. Unde [19] : « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. » Ad insinuandum vero efficaciam subdit : *Et confestim lepra discessit ab illo*, ut nihil esset medium inter dictum et factum [20] : « Dixit enim, et facta sunt. » Verbo igitur et tactu curavit, ut ostenderet se Verbum carnem factum : verbo etiam et tactu curavit, ut curaret interius, et exterius. Unde [21] : « Totum hominem sa-

[1] *Matth.*, VIII, 1, 2. — [2] Inf., XIII, 33. — [3] *Hebr.*, XIII, 12. — [4] *Isa.*, I, 6. — [5] *Job*, II, 7, 8. — [6] *Psal.* XCIV, 6. — [7] *Matth.*, IV, 9. — [8] *Joan.*, IX, 35-38. — [9] *Num.*, XX, 6. — [10] I *Reg.*, IV, 18. — [11] *Job*, XXII, 27. — [12] *Esth.*, XIII, 9. — [13] *Sap.*, XII, 18. — [14] *Job*, XIV, 4. — [15] *Psal.* L, 9. — [16] *Prov.*, XXXI, 20. — [17] IV *Reg.*, V, 11. — [18] *Isa.*, XLVI, 20. — [19] I *Thess.*, IV, 3. — [20] *Psal.* XXXII, 9. — [21] *Joan.*, VII, 23.

(*a*) *Al.* Joannes.

num feci, » etc. Et in hujus rei testimonium, concurrunt ad sacramentum, verbum pariter et elementum.

14. *Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret.* Post curationem morbi, subjungit hic Evangelista eruditionem curati. Docet autem Christus leprosum curatum, et in eo quemlibet alium, tria : Primum est, quod non est quærendum præconium laudis; secundum, quod non est contemnendem officium sacerdotis; tertium, quod non est prætereundum mandatum legis. Primum horum dirigit intentionem ; secundum, affectionem; et tertium regulat operationem. Erudit igitur primo, quod præconium laudis non est quærendum, cum dicit : *Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret.* Hoc non dicit, quia vellet, quod ille non diceret, cum ille ubique prædicaverit hoc, sicut dicit [1] Marcus; sed instruit suo exemplo laudem vitare. Unde Beda [2] : « Dat exemplum, ut sui in magnis quæ faciunt, latere velint; sed ut prosint aliis, prodantur inviti. » Hoc etiam dicit [3] Ambrosius in Glossa. Unde nota, quod est præceptum executionis, sicuti [4] : « Honora patrem tuum, » etc.; et probationis præceptum, ut Abrahæ de immolando filio; et præceptum instructionis, sicut hic. Unde non peccavit hic, cum nomen ejus divulgavit. Chrysostomus tamen dicit, quod præceptum fuit, sed ad tempus, propter cautelam : ne si forte sacerdotes audirent ipsum per Christum curatum, non reciperent eum tanquam mundum, si eum a Christo curatum ante audivissent, quam se eis præsentasset, propter odium quod habebant ad Christum. Primus tamen modus rectior videtur; quia hoc præcepit etiam aliis infirmis, qui tamen illud non observabant, secundum quod dicitur de surdo et muto curato [5] : « Quanto autem eis præcipiebat, tanto plus prædicabant. » Et recte, quia secundum quod dicitur [6] : « Ego a vobis debui commendari,» se autem nemo debet laudare, nisi necessitate alienæ salutis compulsus. Unde Apostolus [7] : « Factus sum insipiens, vos me coegistis. » Ideo dicebat se insipientem factum, quia contra consilium Sapientis fecisse videbatur [8] : « Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua. »

Erudit secundo, quod officium sacerdotis non est contemnendum, cum addit : *Sed vade, ostende te sacerdoti.* Quia eorum erat officium secundum legem leprosos ejicere et mundatos recipere, secundum quod dicitur in *Levitico*, VIII et XIV. Ideo autem hoc officium lepræ discernendæ sacerdotibus est commissum, licet magis videatur esse medicorum; quia eis vulnera peccatorum mortalium, quæ per lepram designantur, tempore veritatis revelata, ostendenda sunt, secundum illud *Ecclesiastici* [9] : « In tempore infirmitatis ostende conversationem tuam ; » quia secundum quod dicitur [10] : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. » Unde quamvis Dominus mundet per interiorem contritionem; nihilominus ligat ad sacramentalem confessionem. In hoc autem mandato instruit sacerdotale officium esse omnibus venerandum, et id esse ad curationem peccatorum necessarium. Et hæc ratio præcipua hujus mandati fuit. Sunt tamen et aliæ, ut scilicet ad bonum possint promoveri, viso miraculo de curatione certa leprosi ; et ut testes sint miraculi; et ne videretur eis adversari; et ut innotescat eis sacerdotalis dignitas Christi, et gratia novi testamenti et sacerdotii, quæ non tantum potest curatum ostendere, sed etiam curare.

Docet tertio præceptum legis non esse prætermittendum, cum subdit : *Et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses,* sicut dicitur in *Levitico*, XIV : leprosi mundati jubentur offerre duos passeres vivos, et

[1] *Marc.*, I, 45. — [2] Bed., *in Luc.*, lib. II, quoad sensum.— [3] Ambros., *in Luc.*, lib. V, n. 5.— [4] *Exod.*, XX, 12. — [5] *Marc.*, VII, 36. — [6] II *Cor.*, XII, 11. — [7] Ibid. — [8] *Prov.*, XXVII, 2. — [9] *Eccli.*, XVIII, 21. — [10] *Prov.*, XXVIII, 13.

tres decimas similæ conspersas oleo, etc. Hæc autem cæremonialia erant; et tamen voluit Salvator ea offerri, ut ostenderet legem esse bonam, et divinitus latam, contra Manichæorum perfidiam [1] : « Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, justum et bonum. » Et hoc, quia adhuc manebant, cum non esset veritas revelata. Unde Glossa interlinearis dicit, quod non debent auferri signa, nisi prius venerint signata (*a*). Illa autem signa legis sanitatem non dabant, sed ostendebant, et testimonio confirmabant. Et ideo addit : *In testimonium illis*, quod potest legi dupliciter : Offeres illis in testimonium, scilicet tuæ curationis; vel offeres, ut hoc sit illis in testimonium, quod tu curatus es; et ut tibi ultra non possint nocere, cum a te acceperint munera testimonialia. Et nota quod hoc, quod dicit, *in testimonium illis*, non refertur ad præceptum Moysi, sed Domini. Unde Chrysostomus [2] : « Non sic intelligas, quia Moyses præcepit in testimonium illis, sed tu vade, et offer in testimonium illis : ut scilicet assumeret ab eis testimonium apud plebem. » Nam sicut dicitur [3] : « Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt. » Unde et opus Christi mirabiliter debebat testimonio insidiantium comprobari, ad perfectam solidationem fidei, et ejusdem roborationem.

15. *Perambulabat autem multo magis*, etc. Postquam descripsit Evangelista curationem morbi, et eruditionem curati, hic tertio subjungit manifestationem nominis Christi, ut ex his omnibus discipuli confirmentur in fide et amore Christi. Describitur igitur magnificatio nominis Christi, ut famosa, ut fructuosa, ut virtuosa. Primo igitur describitur hic magnificatio nominis Christi, ut famosa, cum dicitur : *Perambulabat autem magis sermo de illo*, scilicet Christo, sermo laudis suæ quantum ad scientiam et virtutes. Nec mirum, si fama Magistri diffundebatur, cum de discipulis ejus dicatur [4] : « In omnem terram exivit sonus eorum, » etc. Hujus figura præcessit in Juda Machabæo, de quo scribitur [5] quod « similis factus est leoni in operibus suis. » Et post subditur : « Et nominatus est usque ad novissimum terræ. »

Deinde ostenditur nominis Christi magnicatio fructuosa, cum additur : *Et conveniebant turbæ multæ, ut audirent*, et hoc, scilicet propter instructionem mentis, quia scriptum est [6] : « Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens. » Et Jacobus [7] : « Scitis, fratres dilectissimi : sit autem omnis homo velox ad audiendum. » Et conveniebant etiam propter curationem ex parte corporis, et ideo addit : *Et curarentur ab infirmitatibus suis*. Propter quod prædicabat *Isaias* [8] : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Et ideo recte faciebant secundum consilium sapientis [9] : « Fili, in tua infirmitate non despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te. » Hæc ergo erat perfecta utilitas ex parte animæ et corporis, quæ veniebat ex fama nominis Christi. Ipse enim Christus est [10] « Dei virtus, et Dei sapientia; » et ideo qui ad ipsum conveniunt, illuminantur per sapientiam, et curantur per virtutem. Et ideo dicitur in *Psalmo* [11] : « Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur. » Et ideo in *Isaia* (*b*) [12] : « Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. »

Postremo ostenditur virtuosa, cum subditur (v. 16) : *Ipse autem secedebat in desertum, et orabat;* quia humanam gloriam et famam non quærebat, sed fugiebat, secundum illud [13] : « Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. » In quo dabat nobis formam recedendi a mundo, et appropinquandi ad Deum : propter quod dicebat Apostolus [14] : « Si adhuc hominibus place-

[1] *Rom.*, VII, 12. — [2] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXV, al. XXVI, n. 3. — [3] I *Tim.*, III, 7. — [4] *Psal.* XVIII, 5; *Rom.*, X, 18. — [5] I *Mach.*, III, 4. — [6] *Prov.*, XIX, 20. — [7] *Jac.*, I, 19. — [8] *Isa.*, LIII, 4. — [9] *Eccli.*, XXXVIII, 9. — [10] I *Cor.*, I, 24. — [11] *Psal* XXXIII, 6. — [12] *Isa.*, XLIX, 6. — [13] *Matth.*, XIV, 23. — [14] *Gal.*, I, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* signa. — (*b*) *Item* Isaias.

Oratio. rem, Christi servus non essem. » Et ideo ad hoc, quod oratio sit Deo placita, non debet esse publica in foro, sed occulta in deserto. Unde in *Matthæo* (*a*) [1] : « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito. » Et hoc est, quod dicit Bernardus in *Cantica* (*b*) [2] : « O sancta anima, sola esto, ut soli Deo omnium serves te ipsam, quem tibi ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam (*c*) et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam velit tibi suam indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore : sed intentione, sed devotione, sed spiritu : quanquam et corpore interdum non otiose te separas, præsertim in tempore orationis. »

Ad prædicti autem miraculi evidentiam duo sunt hic intelligenda : nam primo oportet latentium aperire spiritualem intelligentiam; deinde dissolvere apparentem controversiam. Circa hoc autem miraculum tria consideranda occurrunt : primum est, quid intelligitur per morbum lepræ; secundum, quid per tactum manus dominicæ; tertium, quid per præceptum legis implendæ. Morbus lepræ designat recte peccatum mortale : quia sicut lepra inficit et deformat carnem, sic peccatum maculat et deformat animam. Unde [3] : « Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis : adhæsit cutis eorum ossibus : aruit et facta est quasi lignum. » Lepra etiam ejici facit extra castra; sic peccatum mortale a castris gloriæ [4] : « Peccasti, et ejeci te de monte Dei. » Hic autem morbus quadruplicem habet differentiam, secundum quod dicitur [5] : est enim lepra in carne, lepra in pilis, lepra in vestibus, lepra in habitaculis. Lepra in carne, significat peccatum carnale. Lepra in pilis, significat peccatum spirituale, quia per pilos cogitationes intelliguntur. Lepra in veste, peccatum in conversatione. Lepra in domo, peccatum in congregatione. Ille ergo est plenus lepra, qui omnibus his criminibus infectus est. De his differentiis lepræ dicitur in *Levitico*. In hujus figuram etiam dicitur [6], quod quatuor viri erant leprosi juxta introitum portæ, et ad has quatuor differentias designandas. Ideo autem voluit Dominus peccatum mortale per lepram designari, quia sicut lepra inficit in se et in consortio, sic et peccatum. Per tactum manus dominicæ intelligimus visitationem divinæ gratiæ, quam petebat Propheta dicens [7] : « Emitte manum tuam de alto, et eripe me. » Quia, sicut dicitur ad *Romanos* [8] : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Per Christum enim tangit nos manus divina, quomodo dicitur in *Canticis* [9] : « Dilectus meus misit manum suam per foramen, » id est, gratiam suam per foramen lateris Christi, unde profluunt sacramenta; *et venter intremuit*, quia hæc gratia primo parit contritionem. Unde in *Psalmo* [10] : « Qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant : » quia contritio fletum parit. Sed ad hoc, ut ad statum istum perveniat peccator, oportet quod cum leproso videat eum per fidem [11] : « Videmus nunc per speculum in ænigmate. » Oportet quod procidat per timorem [12] : « Coram illo procident Æthiopes, » id est, peccatores. Oportet quod confidat per spem [13] : « Qui sperat in Domino, sublevabitur. » Et ad *Romanos* [14] : « Spe salvi facti sumus. » Et hæc tria pariunt contritionem. Isaias [15] : « A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis. » Per præceptum legis observandæ intelligimus susceptionem sacramenti pœnitentiæ. Unde attende, quod quatuor præcepit, sci- Præcep

Morbus lepræ.

[1] *Matth.*, VI, 6. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XL, n. 4. — [3] *Thren.*, IV, 8. — [4] *Ezech.*, XXVIII, 16. — [5] *Levit.*, XIII, 2, etc.; XIV, 34, etc. — [6] IV *Reg.*, VII, 3. — [7] *Psal.* CXLIII, 7. — [8] *Rom.*, VII, 24, 25. — [9] *Cant.*, V, 4. — [10] *Psal.* CIII, 32. — [11] I *Cor.*, XIII, 12. — [12] *Psal.* LXXI, 9. — [13] *Prov.*, XXIX, 25. — [14] *Rom.*, VIII, 24. — [15] *Isa.*, XXVI, 18. — (*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* Canticis. — (*c*) *Cæt. edit. deest* etiam.

licet ire, tacere, ostendere, et offerre. Ire, cum dicit : *Vade*. Tacere : *Nemini dixeris*. Ostendere : *Ostende te*. Offerre : *Offer pro emundatione tua*. *Vade*, scilicet deserendo peccata. Sic adulteræ [1] : « Vade, et jam amplius noli peccare. » Tacere præcepit bona, ne sit sicut ille Pharisæus qui dicebat [2] : « Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato ; decimas do omnium, quæ possideo. » Ostendere præcepit mala, sicut Job [3] : « Si abscondi, quasi homo, peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam : » id est, non abscondi, nec celavi peccatum meum, aut iniquitatem. *Psalmus* [4] : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. » Offerre præcepit opera satisfactoria : *Psalmus* [5] : « Introibo in domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. » Ad *Romanos* [6] : « Exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. » Hæc autem quatuor concurrunt necessario ad sacramentum pœnitentiæ perfecte (*a*) recipiendum ; scilicet peccati desertio, peccatoris humiliatio, peccati ostensio, et satisfactionis oblatio.

Deinde dissolvenda est apparens controversia inter Matthæum et Lucam, quia hoc miraculum dicit Matthæus esse factum post sermonem Domini in monte ; et hic Lucas narrat longe ante sermonem. Ad quod est duplex via dissolvendi controversiam : sive quia alius sermo fuit, quem narrat Lucas, alius quem Matthæus : cujus signum, quia multa dicuntur in uno sermone, quæ non dicuntur in altero ; sive quia idem sermo fuit differens secundum majorem explicationem, et minorem. Unde attendendum est, quod Evangelistæ non servant omnino seriem rei gestæ, sed eo modo narrant, quo magis facit ad suæ intentionis prosecutionem. Unde Augustinus [7] : « Quid interest quis, quo ordine ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum, antea præoccupat ; dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, vel sibi vel alteri ? Satis enim probabile est, quod unusquisque Evangelistarum eo ordine didicit narrare debuisse, quo voluisset Deus ea ipsa, quæ narrabat, ejus recordationi suggerere, et in eis duntaxat rebus, quarum ordo, sive iste, sive ille, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicæ. » Et per hoc patet omnis dissolutio contrarietatis, quæ videtur provenire ex ordine differente.

17. *Et factum est in una dierum.* Confirmatis discipulis per curationem leprosi, sic ad majorem firmitatem confirmat eosdem per mirabilem sanationem paralytici. Cujus mirabilem sanationem describit Evangelista hoc ordine : primo introducitur opportunitas miraculi faciendi ; secundo vero, integritas miraculi perfecti, ibi (v. 20) : *Quorum fidem*, etc. ; tertio vero celebritas miraculi publicati, ibi (v. 26) : *Et stupor apprehendit*, etc. Opportunitas autem miraculi faciendi colligitur ex quatuor, scilicet ex multitudine populi assistentis ; ex promptitudine virtutis sanantis ; ex gravedine morbi opprimentis ; ex sollicitudine fidei offerentis. Primo ergo, ad designandam multitudinem populi assistentis, cui communicanda erat doctrina veritatis, dicitur : *Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens*, etc. Sedebat, inquam, tanquam Magister et Doctor præcipuus propter multitudinem sapientiæ, sicut Job [8] : « Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator, » etc. Hoc utique modo sedebat Christus in medio multorum. Unde et subditur (v. 17) : *Et erant Pharisæi sedentes et legis doctores*. Nam Pharisæi inter alios sunt excellentiores in

Sanatio paralytici.

[1] *Joan.*, VIII, 11. — [2] *Luc.*, XVIII, 11, 12. — [3] *Job*, XXXII, 12. — [4] *Psal.* XXXI, 5. — [5] *Psal.* LXV, 14. — [6] *Rom.*, XII, 1. — [7] Aug., *de conc. Evang.*, lib. II, c. XXI, n. 51. — [8] *Job*, XXIX, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* perfectæ.

observando, et legis doctores in erudiendo. Et propterea ipsi etiam dicuntur sedentes : unde in *Matthæo* [1] : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. » Et quia « in multitudine plebis est gloria principis [2], » ideo subdit, quod erant multi, cum dicit : *Qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem.* Et nota, quod in his tribus primo exprimit regionem propinquam, scilicet in *Galilæa*, unde et discipulos inde elegit, secundum quod dicitur [3] : « Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? » Exprimit et præcipuam in *Judæa*, in qua habitabat tribus Juda, cui promissus erat Christus, secundum illud *Psalmi* [4] : « Et tribum Ephraim non elegit; sed elegit tribum Juda. » Tangit et civitatem regiam in *Jerusalem*, ubi maxime habitabant doctores, secundum illud *Isaiæ* [5] : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et signanter hæc tria nominat, quia in Galilæa Christus concipitur, sicut supra [6]; in Judæa nascitur, sicut supra [7]; sed in Jerusalem crucifigitur, sicut infra [8]. Et ideo habitatoribus horum trium locorum erat Christus promissus; et ipsi eum expectabant, et ideo ad ipsum conveniebant.

Secundo vero, ad denotandum promptitudinem virtutis liberantis, adjungit : *Et virtus Domini erat*, scilicet prompta, *ad sanandum eos*, scilicet infirmos, quia ipsi erant prompti ad audiendum. De qua virtute [9] : « Portans omnia verbo virtutis est suæ. » Quæ quidem virtus Christus, qui est Verbum Patris [10] : « Prædicamus Christum crucifixum : » et addit (*a*) : « Dei virtutem, et Dei sapientiam. » Et hæc virtus apta est ad sanandum, non ad perdendum. Et ideo nomen ejus *Jesus*, id est Salvator. Unde anima sancta in *Psalmo* [11] : « Domine Deus, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli, » etc. Et ideo [12] : « Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, » id est, virtute Spiritus sancti, « qui pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos, » etc. Hanc virtutem promptam reddit fides credentium. Unde infra [13] : « Descendens Jesus stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis. » Sequitur : « Qui venerant, ut audirent eum. » Et subjungitur : « Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Sed diversum dicitur de civitate sua a Matthæo [14] : « Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. »

Tertio vero, ad ostendendum gravedinem morbi, adjungit (v. 18) : *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus*; et ita omnino impotens, quia paralysis omnino dissolvit membrorum virtutem, sicut legitur de Alcimo [15] : « Occlusum est os ejus, et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum. » Magna vero infirmitas et miseranda, quæ motum tollit et verbum. *Et in lecto portabatur*, non, inquam, in lecto quietis, sed potius laboris et doloris. Unde de eo orari poterat et dici illud *Psalmi* [16] : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. » Propterea misericorditer agebant viri qui eum portabant, secundum documentum Apostoli [17] : « Alter alterius onera portate. » Unde poterat eis competere illud [18] : « Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defecerunt. » Et jam verificatur in hoc facto illud *Isaiæ* [19] : « Afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas in humeris portabunt. »

Quarto vero, ad insinuandam sollicitudinem fidei offerentium, subjungit : *Et quærebant eum inferre, et ponere ante eum*, ut scilicet ex ejus præsentia sanaretur. Unde volebant implere exhortationem Psalmistæ [20] :

[1] *Prov.*, XIV, quoad sensum. — [2] *Matth.*, XXIII, 2. — [3] *Act.*, II, 7. — [4] *Psal.* LXXVII, 67, 68. — [5] *Isa.*, II, 3. — [6] Sup., I, 26. — [7] Sup., II, 6. — [8] Inf., XXIII, 33. — [9] *Hebr.*, I, 3. — [10] I *Cor.*, I, 23, 24. — [11] *Psal.* CXXXIX, 8. — [12] *Act.*, X, 38. — [13] Inf., VI, 17-19. — [14] *Matth.*, XIII, 58. — [15] I *Mach.*, IX, 55. — [16] *Psal.* XL, 4. — [17] *Act.*, VI, 2. — [18] *Eccli.*, XLIV, 10. — [19] *Isa.*, XLIX, 22. — [20] *Psal.* CIV, 4. — (*a*) *Cæt. edit. add.* Matthæus.

« Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper. » Nec immerito, quia Job inquit [1] : « Libera me, et pone me juxta te ; et cujusvis manus pugnet contra me. » Et quia quærenti per fidem impedimenta frequenter ocurrunt, ideo suddit-
er fi-
em
renti
edi-
nta
ur-
it.
tur (v. 19) : *Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba* : quæ solet impedire adventum ad Christum, sicut dicitur [2], quod « turbæ increpabant eum, ut taceret. » Sic et Zachæus infra [3] : « Quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba. » Sed certe veram fidem impedimenta non retrahunt, sed accendunt. In cujus testimonium subditur : *Ascenderunt supra tectum, et per tegulas submiserunt illum cum lecto.* Sic et Zachæus fecit, sicut dicitur infra [4], quod ascendit in arborem sycomorum, ut Jesum transeuntem videret, quem præ turba videre non poterat. Talibus adjutoribus indigebat ille languidus, qui dicebat [5] : « Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. » Tales adjutores sunt viri simplices, secundum quod dicitur [6] : « Accipientes discipuli Paulum nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. » Tales sunt viri spirituales, qui infirmos per orationem Domini conspectui repræsentant [7] : « Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Leva ad eum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum. » Et ideo præsentaverunt eum conspectui Domini, ut eum videret ; et situi, ut eum tangeret. Et propterea subdit : *In medium ante Jesum*, quia Salvator semper medium quærit; unde [8] : « Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. » Et infra [9] : « Ego autem in medio vestrum sum. » Et ideo in *Psalmo* [10] : « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. »

20. *Quorum fidem ut vidit.* Præmissa est miraculi faciendi opportunitas ; hic vero subjungitur ipsius in faciendo integritas, quia Christus simul et corpus infirmi, et animam curat : animam a peccato, et corpus a morbo. Consistit autem hujus miraculi integritas perfecta in quatuor quæ sunt supra virtutem humanam, scilicet in remissione peccatorum, discretione cogitationum, confutatione errorum, et consolidatione membrorum paralyticorum : hæc enim quatuor miraculum reddunt perfectum. Præmittitur ergo remissio peccatorum ex merito fidei offerentium, cum dicit : *Quorum fidem ut vidit*, quia, sicut dicitur [11] : « Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. » Vidit, inquam, oculo misericordiæ, sicut in *Exodo* [12] : « Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. » Ad quam visionem fides disponit. Hieremias [13] : « Domine, oculi tui respiciunt fidem. » Et quoniam, sicut dicitur [14] : « Per misericordiam et fidem purgantur peccata, » ideo subditur : *Dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua.* In hoc quod dicit, *Homo*, invitat ad considerationem propriæ miseriæ. [15] « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. » Et rursus [16] : « Homo putredo, et filius hominis vermis. » In hoc, quod adjungit : *Remittuntur*, invitat ad spem divinæ gratiæ [17] : « Gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. » Unde dicitur [18] : « Remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. » Hæc autem remissio peccatorum inchoata fuit a fide aliena, sed in propria consummatur. Unde Beda [19] : « Multum valet unicuique fides propria, cum per aliorum homo sit interius et exterius salvatus, sed hoc non sine propria subsequente. » Unde dicitur paralytico [20] : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata. » Et nota, quod peccata dicuntur *remitti*, dicuntur *dimitti*, Peccata quot modis di-

[1] *Job*, XVII, 3. — [2] *Matth.*, XX, 31 ; *Marc.*, X, 48. — [3] Inf., XIX, 3. — [4] Ibid., 4. — [5] *Joan.*, V, 7. — [6] *Act.*, IX, 25. — [7] *Thren.*, II, 19. — [8] *Joan.*, I, 26. — [9] Inf., XXII, 27. — [10] *Psal.* XLV, 6. — [11] I *Reg.*, XVI, 7. — [12] *Exod.*, III, 6. — [13] *Jerem.*, V, 3. — [14] *Prov.*, XV, 27. — [15] *Job*, XIV, 1. — [16] Ibid., XXV, 6. — [17] *Ephes.*, I, 6, 7. — [18] I *Joan.*, II, 12. — [19] Bed., *in Luc.*, lib. II. — [20] *Matth.*, IX, 2.

cantur remitti.

dicuntur *mundari*, dicuntur *sanari*, dicuntur *tegi*, dicuntur *redimi*. Dicuntur remitti, quantum ad reatum pœnæ; infra [1] : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Dicuntur dimitti ratione offensæ [2] : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater cœlestis delicta vestra. » Dicuntur mundari ratione maculæ [3] : « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. » Et in *Isaia* (*a*) [4] : « Auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. » Dicuntur sanari quantum ad vulnerationem naturæ ; unde [5] : « Ecce sanus factus es, jam noli peccare. » Et in *Psalmo* [6] : « Sana animam meam, quia peccavi tibi. » Dicuntur tegi propter spoliationem virtutis gratuitæ [7] : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Quod fit per charitatem [8] : « Charitas operit multitudinem peccatorum. » Dicuntur redimi quantum ad captivitatem servitutis diabolicæ [9] : « Peccata tua eleemosynis redime. » In *Psalmo* [10] : « Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum. » Additur autem secundo discretio cogitationum in animo blasphemantium, cum dicitur (v. 21) : *Et cœperunt cogitare Scribæ et Pharisæi*, cogitationes vanas et noxias [11] : « Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. » Et sequitur cogitationum expressio, cum addit : *Dicentes*, scilicet in cordibus suis, secundum illud *Psalmi* [12] : « Quæ dicitis in cordibus vestris, (*b*) in cubilibus vestris compungimini. » *Quis est iste, qui loquitur blasphemias?* in qua cogitatione despiciunt Salvatorem, quasi vilem, in hoc quod dicunt : *Quis est iste ?* [13] « Pauper locutus est, et dicunt : Qui est hic? » Contra illud, quod dicitur [14] : « Ne spernas hominem in visu suo. » Redarguunt ut peccatorem, in hoc quod imponunt blasphemiam. Est autem blasphemare, Deo injuriam irrogare. Quod fit tripliciter : vel cum attribuitur Deo, quod sibi non convenit; vel cum removetur ab eo, quod sibi convenit; vel cum creaturæ attribuitur, quod proprie Deo convenit. Unde quando Christus attribuebat sibi divinitatem, credebant eum blasphemare [15] : « Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. » Salvator dixit Judæis [16] : « Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum; vos dicitis, quia blasphemas, quia dixit : Filius Dei sum. » Similiter credebant eum blasphemare, quando attribuebat sibi proprium Dei, scilicet peccata dimittere. Unde subditur : *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Et in hoc verum dicunt. In *Isaia* (*a*) [17] : « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. » Sed certe, dum ipsi Christo imponebant blasphemiam, in suis cordibus blasphemabant [18] : « Cui assimilastis me, et adæquastis et comparastis, et fecistis similem? » Et quoniam hæc cogitando blasphemabat, ideo reprehenduntur et arguuntur, cum subditur (v 22) : *Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum*, tanquam Deus, quia [19] : « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intentes in absconditas partes. » Nec mirum, quia est verbum Dei, de quo ad *Hebræos* [20] : Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et discretor cogitationum, et intentionum cordis. » Nec solum reprehendit et discernit, sed etiam redarguit : *Respondens dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris?* quasi dicat illud [21] : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Ipse enim videbat, et arguebat [22] : « Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? » Tales enim sunt cogitationes perversæ, de quibus [23] : « Perver-

pher quid quot dis.

[1] Inf., VII, 47. — [2] *Matth.*, VI, 14. — [3] *Psal.* L, 4. — [4] *Isa.*, VI, 7. — [5] *Joan.*, V, 14. — [6] *Psal.* XL, 5. — [7] *Psal.* XXXI, 1. — [8] I *Petr.*, IV, 8. — [9] *Dan.*, IV, 24. — [10] *Psal.* LXXI, 14. — [11] *Rom.*, I, 21. — [12] *Psal.* IV, 5. — [13] *Eccli.*, XIII, 29. — [14] Ibid., XI, 2. — [15] *Marc.*, XIV, 63. — [16] *Joan.*, X, 36. — [17] *Isa.*, XLIII, 25. — [18] Ibid., XL, 28. — [19] *Eccli.*, XXIII, 28. — [20] *Hebr.*, IV, 12. — [21] *Isa.*, I, 16. — [22] *Jerem.*, IV, 4. — [23] *Sap.*, I, 3.

(*a*) Cæt. edit. *Isaias*. — (*b*) *Cæt. edit. add.* et.

sæ enim cogitationes separant a Deo. » Ideo *Isaias*[1] : « Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium. » Et sequitur : « Perversa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me ; et figmentum dicat fictori suo : Non intelligis. » Certe potest dici de eis illud[2] : « Hæc cogitaverunt, et erraverunt ; excæcavit enim illos malitia eorum. »

Adjungitur autem tertio confutatio eorum male cogitantium, in hoc, quod sequitur (v. 23) : *Quid est facilius dicere*, etc. Facit enim argumentum, in quo ostendit verum Deum esse, et peccata dimittere posse, ac per hoc illos curare. Et est argumentum tale : Omnis, qui potest paralyticum solo verbo curare, solo verbo peccata potest dimittere : sed Filius Dei potest paralyticum solo verbo curare : ergo, etc. Hujus autem rationis præmittit majoris propositionis probationem, subjungit assumptionem, et interponit conclusionem. Majoris propositionis probationem præmittit in hoc, quod dicit : *Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata, an dicere : Surge et ambula*? Quasi diceret : Æqualis facilitatis sunt : ergo qui potest unum, potest et reliquum : et hæc erat propositio major. Unde glossa : « Per remissionem pœnæ, remissionem culpæ intellige. » Intelligitur autem hoc per *illud* tanquam per simile et per notius. Et hoc est, quod dicitur[3] : « Non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus. » Unde in *Sapientia*[4] : « Sed misereris omnium, quia omnia potes. » Conclusionem autem interponit in hoc, quod adjungit (v. 24) : *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Hoc enim est, quod intendit concludere finaliter ; et est verum, ut testatur Joannes[5] : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ; » et in *Apocalypsi*[6] : « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Assumptionem subjungit, cum addit : *Ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum*, etc. Et nota, quod verba præcedentia sunt Salvatoris, et sequentia. Sed hoc verbum, quod dicit : *Ait paralytico*, est verbum Evangelistæ, quod interponit, quia prima verba erant Domini ad Phariseos, scilicet, propositio, et conclusio ; sed assumptionem dixit, convertendo sermonem ad paralyticum, cui imperat actum qui non potest competere nisi sano, scilicet surgere, cum dicit : *Surge* ; sicut Petrus claudo[7] : « In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. » Præcepit tollere lectum, cum ait : *Tolle lectum tuum*, sive, ut Marcus habet[8] : « Tolle grabatum tuum. » Grabatum autem est lectus pauperum infirmorum, ubi nihil sternitur, nisi ad caput. Unde dicitur a graba, quod est caput (*a*). Sic, apud Joannem (*b*), præcepit illi languido triginta et octo annorum[9] : « Surge, tolle grabatum, et ambula. » Præcepit ambulare, et in domum ire, cum subdit : *Et vade in domum tuam* : ut scilicet cum tuis congratuleris, sicut apud Marcum (*c*)[10] : « Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. » In his tribus concluditur perfecta sanitas contra tria mala, quæ facit ægritudo paralysis : reddit enim inhabilem ad standum, et inhabiliorem ad operandum, et inhabilissimum ad ambulandum. At contra imperat ei Dominus rectitudinem status, fortitudinem actus, et promptitudinem motus, quibus obtentis efficitur perfecte sanus.

Argumentum

Grabatum.

Paralysis.

Subjungitur ultimo consolidatio membrorum languentium, in hoc, quod sequitur (v. 25) : *Et confestim consurgens coram illis*, etc. Consolidata enim sunt verbo Christi membra paralytici quantum ad virtutem sustentativam, operativam, et motivam. Surrexit enim, jam non indigens sus-

[1] *Isa.*, XXIX, 15, 16. — [2] *Sap.*, II, 24. — [3] *Jerem.*, XXXII, 17. — [4] *Sap.*, XI, 24. — [5] *Joan.*, I, 29. — [6] *Apoc.*, I, 5. — [7] *Act.*, III, 6. — [8] *Marc.*, II, 11. — [9] *Joan.*, V, 8. — [10] *Marc.*, V, 19.

(*a*) Melius a κάρα, *caput*, et βατον, pervium. — (*b*) *Cæt. edit.* Sic Joannes : Præcepit. — (*c*) *Item* sicut Marcus.

tentamento lectuli, aut baculi, et hoc virtute manus Dei omnipotentis [1]: « Manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum.» Et sequitur : *Tulit lectum in quo jacebat,* jam non indigens ab aliquo portari; et sic videtur adimpletum illud *Amos* [2] : « Eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, et Damasci grabato. » *Et abiit in domum suam, magnificans Deum*, jam valens faciliter moveri, sicut et ille claudus a Petro curatus [3] : « Intravit cum eis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. » Unde magnificabat Deum et ipse simul laudando, et ejus miracula enarrando, et, ad laudandum, alios invitando. Unde poterat dicere [4] : «Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. » Poterat et canticum Virginis canere [5] : « Magnificat anima Dominum ; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, » etc.

26. *Et stupor* (*a*) *apprehendit omnes*, etc. Hic tertio, post miraculi faciendi opportunitatem, et facti integritatem, subjungit ejusdem publicam celebritatem, per quam clarificata est divina virtus in Christo : quoniam ex præsentis miraculi consideratione, ostensa est Christi virtus admirabilis, venerabilis, formidabilis et prædicabilis. Admirabilis, inquam, ostensa est ex impossibilitate comprehendendi, propter quod dicit : *Et stupor apprehendit omnes*, scilicet 1. innocentes, ad credendum [6] : « Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur. » Nam Pharisæi hypocritæ sunt confusi, et Christus admirabilis est effectus. 2. Apprehendit malignantes, ad confundendum [7] : « Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. » Et *Judith* [8] : « Et cum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, » etc. Venerabilis vero ostensa est ex impossibilitate imitandi; propter quod dicitur : *Et magnificabant Deum*, scilicet in opere suo, ut possent dicere illud *Psalmi* [9] : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine? Omnia in sapientia fecisti. » Et *Isaias* [10] : « Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso, et implevit Sion judicio et justitia. » Sic illi tres pueri aspectu miraculi [11] : « Hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum. » Formidabilis vero ostenditur virtus in Christo ex impossibilitate evadendi ; unde additur : *Et repleti sunt timore*, considerantes immensitatem potentiæ, quam nemo potest effugere. Infra [12] : « Ostendam vobis quem timeatis : timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. » Hanc potentiam timebat Job [13] : « Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. » Prædicabilis vero ostenditur ex impossibilitate contradicendi; propter quod subditur : *Dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie.* Et ideo jam non est locus contradicendi. Unde [14] : « Videntes Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur, et cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, (*b*) nihil poterant contradicere. » Unde Petrus et Joannes dicebant [15] : « Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. » Qui ergo post visionem horum signorum Domino contradicit, excluditur a populo Dei et hæreditate regni, secundum illud [16] : « Omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto, etc., non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum. »

Spiritualiter autem tria sunt hic attendenda : quis sit hic morbus, qui curatur; quæ domus, in qua fit curatio ; et quis modus curandi. Morbus iste paralysis designat

Tria spiritualiter considerandæ.

[1] *Dan.*, x, 10. — [2] *Amos.*, III, 12. — [3] *Act.*, III, 8. — [4] *Psal.* XXXIII, 4. — [5] *Luc.*, I, 46, 47. — [6] *Job*, XVII, 8. — [7] Ibid., XII, 17. — [8] *Judith*, X, 14. — [9] *Psal.* CIII, 24. — [10] *Isa.*, XXXIII, 5. — [11] *Dan.*, III, 51. — [12] *Luc.*, XII, 5. — [13] *Job*, XXXI, 23. — [14] *Act.*, IV, 13, 14. — [15] Ibid., 20. — [16] *Num.*, XIV, 22, 23.

(*a*) Cæt. edit. *Et supra.* — (*b*) *Item add.* et.

culpam originalem, sicut lepra actualem. Unde paralysis aufert sensum et motum; sic originale aufert sensum cognitionis per ignorantiam.[1] « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ! » Aufert etiam motum rectum affectionis per concupiscentiam, quæ reddit tremulum; sic paralysis[2] : « Nam velle adjacet mihi ; perficere autem bonum non invenio. » Unde et subditur[3] : « Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, » etc. Unde Hugo : « Vitium humanæ corruptionis dupliciter naturam infecit humanam : scilicet ignorantia, mentem ; et concupiscentia, carnem. » De iis duobus in *Psalmo* (*a*)[4] : Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. » Et in *Exodo*[5] : « Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit de loco, in quo erat. » Domus, in qua fit curatio, est Ecclesia, de qua dicitur[6] : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. » Hæ columnæ septem, sunt septem sacramenta. Hujus domus janua est sacerdotalis potestas, cujus potestatis auctoritas residet penes Petrum. Unde[7] : « Tibi dabo claves regni cœlorum. » Hæc janua, si quando impletur turbis terrenarum sollicitudinum, tunc non præbet aditum ad Jesum, quia non curant turbæ illæ de animabus quæ sunt Christi, sed de promotione proprii commodi[8] : « Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. » Modus curandi est per alienum suffragium, et dominicum imperium; quoad curationem ab originali, concurrit virtus alienæ fidei, et virtus dominici sacramenti. Unde portatores designant susceptores, qui afferunt. *Isaias*[9] : « Afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. » Christus vero, imperio sanans, designat sacramenti officium, per quod fit remissio culpæ, cum dicitur : *Remittuntur tibi peccata tua.*[10] « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. » Unde sequitur perfecta curatio, ibi : *Surge et tolle lectum tuum*, etc. Angelus dixit ad Petrum jacentem in compedibus[11] : « Surge velociter. Et confestim ceciderunt catenæ de manibus ejus. » *Surge*, id est, sursum te erige ad videndum lumen, contra ignorantiam[12] : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » *Isaias*[13] : « Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum. » *Tolle lectum tuum*, contra infirmitatem[14] : « Venite ad me omnes, qui laboratis, » etc. *Et ambula*, contra malitiam[15] : « Ambula coram me, et esto perfectus. » Ad *Ephesios*[16] : « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, » etc. *Vade in domum tuam*, contra concupiscentias[17] : « Præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. » In domum suam vadit, qui amat bona interiora. *Sapientia*[18] : « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, » etc. In domum alienam, qui concupiscit mundana; in *Ecclesiastico*[19] : « Vita nequam hospitandi de domo in domum, etc. »

Paralysis.

Domus qua fit curatio, et Ecclesia.

Curandi modus.

27. *Et post hæc exiit*, etc. Supra egit Evangelista de vocatione discipulorum de statu licito, sive justitiæ; hic agit de vocatione ipsorum de statu periculoso, sive injustitiæ, ubi ostendit, quomodo vocavit Matthæum sedentem ad telonium. Habet autem pars ista duas, in quarum prima agit de vocationis perfectione ; in secunda vero de vocatorum defensione[20] : *Factum est autem in sabbato*, etc. Circa vocationis perfectionem, introducuntur tria : primum est vocatio peccatorum; secundum est confutatio superborum, ibi (v. 30) : *Et murmurabant Pha-*

Vocatio Matthæi

[1] *Tob.*, v, 12. — [2] *Rom.*, vii, 18. — [3] Ibid., 23. — [4] *Psal.* xxxvii, 10. — [5] *Exod.*, x, 22. — [6] *Prov.*, xxiv, 3. — [7] *Matth.*, xvi, 18. — [8] *Philip.*, ii, 21. — [9] *Isa.*, xlix, 22. — [10] *Act.*, ii, 38. — [11] Ibid., xii, 7. — [12] *Ephes.*, v, 14. — [13] *Isa.*, lx, 1. — [14] *Matth.*, xi, 28. — [15] *Gen.*, xvii, 1. — [16] *Ephes.*, v, 2. — [17] *Eccli.*, xxxii, 15. — [18] *Sap.*, viii, 16. — [19] *Eccli.*, xxix, 31. — [20] Infra, vi, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* Psalmista.

risæi, etc. Tertium est, consolatio infirmorum, ibi (v. 33): *At illi dixerunt ad eum*, etc. Vocatio autem publicanorum ostenditur perfecta ex tribus, scilicet ex parte divini doni prævenientis; et ex parte liberi arbitrii consentientis, et ex parte devoti obsequii consequentis. Primo ergo ostenditur perfecta ex parte divini doni prævenientis nos, cum dicitur : *Et post hæc exiit, et vidit publicanum*, etc. Et notandum, quod dicitur exire, videre, et vocare : exiit quidem, ut requirat; videt, ut attrahat; vocat ut ad se convertat. Exiit quidem per sollicitudinem requirendi opus suum, sicut in *Psalmo* dicitur[1] : « Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam. » Unde significatur per patremfamilias, de quo dicitur[2] : « Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. » Hic est vero Dominus Jesus, qui dicit de seipso[3] : « Exivi a Patre, et veni in mundum, » quia de secreto veni in manifestum. Nec tantum exiit, sed *et vidit publicanum*, ut per respectum misericordiæ attrahat ad seipsum, sicut petebat ille videri in *Psalmo*[4] : « Vide humilitatem meam et laborem meum, » etc. Et hoc modo vidit istum, quia licet esset peccator in facto, erat tamen electus in divino proposito[5] : « Gratia Dei et misericordia in sanctos ejus, et respectus in electos illius. » Unde dicitur infra[6] : « Conversus Dominus, respexit Petrum : et egressus foras Petrus, flexit amare. » Hoc respectu *vidit Jesus publicanum nomine Levi*, hoc est, Matthæum, qui, ut dicit Hieronymus[7], fuit binomius. A Luca autem et Marco, propter honorem Evangelistæ, nomen tacetur vulgare. Sed Matthæus, « in sermonis principio accusator sui[8] » factus, Matthæum se et publicanum nominat. Et nota, quod publicani dicebantur, qui publice peccabant, sicut accipitur infra[9] : « Duo homines ascendebant in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter publicanus; » vel qui merces vendendo, omnibus publicabant, sicut mercatores facere solent, sicut accipitur supra[10]; vel qui publica vectigalia exigebant, et sic videtur proprie accipi hic. Unde sequitur : *Sedentem ad telonium*. Secundum Bedam, telos[11] græce, vectigal latine ; secundum Isidorum, locus est ubi merces navium, nautarumque emolumenta convertuntur; secuncundum Ambrosium[12] æquivoce potest accipi, ut referatur ad vectigal, vel ad domum in qua redditur. Unde dicit : « Ille prius avara de mercedibus, dura de laboribus periculisque nautarum emolumenta convertens, verbo vocatus, propria derelinquit, qui rapiebat aliena; ac vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit. » Hæc Ambrosius. « Nemo igitur, ut dicit[13] Glossa Bedæ, de immanitate peccatorum conversus desperet, cum Matthæus de publicano in apostolum, de telonario in evangelistam sit repente mutatus. » Nec tantum vidit, ut attraheret; sed et allocutus est eum, ut converteret, cum subditur : *Et ait illi : Sequere me*; scilicet per omnium temporalium abrenuntiationem, quia secundum quod dicitur[14] : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. » Et in *Ecclesiastico*[15] : « Gloria magna est sequi Dominum. » *Sequere me*; discrete dicitur; non lucra temporalia, quia[16] « quasi qui apprehendit umbram et sequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia. » *Sequere me*, non desideria carnalia[17] : « Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. » Et in *Proverbio*[18] : « Eam sequebatur, sicut bos ductus ad victimam. » *Sequere me*, non flagitia mundana, sicut illi de quibus[19] : « Toto corde universus Israel sequitur Absalon. » Et *Oseas*[20] : « Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastita-

Telonium.

[1] *Psal.* CIII, 23. — [2] *Matth.*, XX, 1. — [3] *Joan.*, XVI, 28. — [4] *Psal.* IX, 14. — [5] *Sap.*, IV, 15. — [6] Infra, XXII, 61, 62. — [7] Hieron., *in Matth.*, c. IX. — [8] *Prov.*, XVIII, 17. — [9] Infra, XVIII, 10. — [10] Sup., III, 13. — [11] Τελὸς. — [12] Ambros., *in Luc.*, lib. V, n. 16. — [13] Bed., *in Luc.* c. V, lib. II, ex Hieron., *in Matth.*, c. IX. — [14] *Joan.*, VIII, 12. — [15] *Eccli.*, XXIII, 28. — [16] Ibid., XXXIV, 2. — [17] Ibid., V, 2. — [18] *Prov.*, VII, 22. — [19] II *Reg.*, XV, 13. — [20] *Ose.*, XII, 1.

tem multiplicat. » Tales sunt vane gloriosi, qui pascunt ventum mundanæ vanitatis.

Secundo autem ostenditur perfecta ex parte liberi arbitrii consentientis, obtemperando, cum subditur : *Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum.* In quo designatur perfectus consensus liberi arbitrii, et quoad recessum a malo, et profectum (*a*) in bono, et consummationem in statu perfecto. Ideo dicitur, quod omnia reliquit, quod surrexit, et quod Christum secutus est, ut posset dicere illud Petri[1] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Et hoc est, quod hortatur Apostolus[2] : « Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus, » etc. Et nota quod sub ista distributione includuntur omnia quæ impediunt ad hoc, ut homo perfecte Christum sequatur, quæ sunt septem : criminale flagitium, corporale solatium, temporale negotium, particulare litigium, populare consortium, paternale hospitium, et puerile desiderium. Relinquendum est criminale flagitium[3] : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. » Secundo, corporale solatium, sicut Tobias (*b*)[4] : « Relinquens prandium, jejunus venit ad corpus, » etc. Tertio, temporale negotium, sicut Joseph pallium in manu mulieris ægyptiacæ[5] : « Qui relicto in manu ejus pallio, fugit. » Sic Elisæus[6], boves et aratrum. Sic apostoli retia, sicut dicitur[7] : « Relictis retibus, secuti sunt eum. »

Septem impedimenta ad perfecte Christum sequendum.

Per retia recte intelliguntur terrena, quia[8] « qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, » etc. Quarto relinquendum est particulare ligitium[9] : « Relinque proximo tuo nocenti te; et tunc deprecanti tibi peccata solventur. » Quinto, populare consortium[10] : « Relinquite civitates, et habitate in petra. » Sexto, paternale hospitium[11] : « Reliqui domum meam, et dimisi hæreditatem meam. » Septimo, puerile desiderium[12] : « Relinquite infantiam, et vivite, » etc. Qui hæc omnia relinquit, ille est qui bene surgit; qui designatur per Paulum conversum, de quo[13] : « Surrexit autem Saulus (*c*) de terra, apertisque oculis, nihil videbat : » quia homini ad Christum converso, et luce ejus illuminato, nihil videtur esse terrenum.[14] « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Et qui sic expeditus surgit, potest per viam perfectionis sequi, ut possit dicere illud *Job*[15] : « Vestigia ejus secutus est pes meus. » Et velociter hæc fecit; sciebat enim, quod nocuit differre paratis. Unde nolebat facere contra illud *Proverbiorum*[16] : « Nec dicas amico tuo : Vade, et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare. » Secundum illud *Proverbiorum*[17] : « Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit. »

Verumtamen hic arguit eum Porphyrius hæreticus, quia statim sine deliberatione secutus est Dominum, tanquam stultus. Ad quod respondet Glossa[18], quod non levitate aliqua, sed virtute operum ductus, secutus est eum : viderat enim Christi miracula. Unde ibidem dicitur, quod « fulgor divinitatis occultæ, quæ in humana facie Christi relucebat, extemplo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide et succinis hæc vis esse dicitur, ut annulos, et stipulas, et ferrum sibi copulent, quanto magis creaturarum Dominus ad se trahere poterat quos volebat! » Juxta quod dicit sponsa in *Canticis*[19] : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. »

Tertio vero ostenditur vocatio perfecta ex parte devoti obsequii subsequentis in ministrando, cum dicitur (v. 29) : *Et fecit convivium magnum Levi in domo sua.* Faciebat secundum propositum Sapientis, qui dice-

[1] *Matth.*, XIX, 27. — [2] *Hebr.*, XII, 1. — [3] *Prov.*, XXVIII, 13. — [4] *Tob.*, II, 3. — [5] *Gen.*, XXXIX, 12. — [6] III *Reg.*, XIX, 20. — [7] *Matth.*, IV, 20. — [8] I *Tim.*, VI, 9. — [9] *Eccli.*, XXVIII, 2. — [10] *Jerem.*, XLVIII, 28. — [11] Ibid., XII, 7. — [12] *Prov.*, IX, 6. — [13] *Act.*, IX, 8. — [14] *Ephes.*, V, 14. — [15] *Job*, XXIII, 11. — [16] *Prov.*, III, 28. — [17] Ibid., XXII, 29. — [18] Ex Hieron., *in Matth.* c. IX. — [19] *Cant.*, I, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* perfectum.— (*b*) *Item* Tobia.— (*c*) *Item* Paulus.

bat[1] : « Proposui hanc adducere mihi ad convivandum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis. » Jam in eo impletum erat desiderium Christi, secundum illud[2] : « Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, » etc. Magnum etiam est gaudium Patris æterni, de quo infra[3] : « Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. »

Et quoniam magnitudo convivii requirit multitudinem convivantium, ideo subditur : *Et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes.* Invitaverat enim illos Matthæus, ut sicut fuerant socii in culpa, sic et essent in pœnitentia, secundum illud[4] : « Qui audit, dicat : veni.»[5] « Videbant publicani eum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse pœnitentiæ; et ob id etiam ipsi non desperant salutem. » Attendebant autem, quod « melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio, » ut dicitur in *Proverbiis*[6].

Hæc autem turba publicanorum, ad convivium Christi vocata, designat illud implendum, quod dicitur[7] : « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. » Unde[8] : « Publicani et meretrices præcedent vos in regnum cœlorum. » Et in hujus figuram dicitur infra[9], quod « mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror, nomine Maria. » Sed huic videtur obviare illud[10] : « Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere. » Sed illud dicitur infirmis, ne ex mala communicatione corrumpantur, quia dicitur[11] : « Qui communicat superbo, induet superbiam. » Vel certe dicitur de publicanis obstinatis et convictis, secundum quod dicit Glossa.

Hi autem poterant et volebant ad bonum, propter præsentiam Christi, trahi. Unde Hieronymus[12] : « Ibat Jesus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter ad convivia pergere describatur, nihil aliud invenitur, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit : et ut humilitas Domini eundo ad peccatores, et potentia doctrinæ ejus in conversione pœnitentium demonstraretur. »

30. *Et murmurabant*, etc. Supra egit de vocatione peccatorum ; in hac parte agit de confutatione superborum, quoniam, sicut dicit Apostulus[13] : « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Describitur ergo confutatio Pharisæorum, superbientium de propriis meritis, et cæteros contemnentium, hoc ordine : nam primo eorum superbia detegitur; secundo, retecta redarguitur; tertio, redarguta dejicitur.

Detegitur ergo primo ex murmure loquacitatis propriæ; et hoc notatur, cum dicitur : *Et murmurabant Pharisæi, et scribæ eorum*, contra consilium Sapientis[14] : « Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ. » Quod isti non faciebant; unde subditur : *Dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* Unde non poterant mordere in proprio peccato, mordebant tamen ex alieno. Hoc est enim hominis iniqui[15] : « Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. » In hoc manifestatur Pharisæorum superbia, qua se non reputabant peccatores. Unde Glossa : « Dupliciter peccant, et quia se putant esse

[1] *Sap.*, VIII, 9. — [2] *Apoc.*, III, 20. — [3] *Luc.*, XV, 32. — [4] *Apoc.*, XXII, 17. — [5] Hieron., *in Matth.* c. IX. — [6] *Prov.*, XV, 17. — [7] *Matth.*, VIII, 11, 12. — [8] *Matth.*, XXI, 31. — [9] Inf., X, 38, 39. — [10] 1 *Cor.*, V, 11. — [11] *Eccli.*, XIII, 1. — [12] Hieron., loc. jam cit. — [13] 1 *Cor.*, I, 27, 28. — [14] *Sap.*, I, 11. — [15] *Eccli.*, XI, 33.

justos, cum sint superbi; et illos reos, cum jam pœniteant.» Unde erant similes illi Pharisæo, de quo infra[1] : « Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. » Et ideo infra dicebat Dominus[2] : « Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra. » De talibus Isaias[3] : « Qui dicunt : Recede a me, non appropinques (*a*) mihi, quia immundus es. » Propter talium verba et oblocutiones non debet homo devitare opera misericordiæ. Unde dictum est[4] : « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est. » Hieronymus : « Non potest fieri, ut absque morsu hominum hujus vitæ curricula quis pertranseat. Malorum solatium est bonorum vitam carpere, et de peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. »

Redarguitur vero secundo ex lumine veritatis perspicuæ, cum additur (v.31): *Respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent, qui sani sunt, medico; sed qui male habent.* Hoc est per se notum, quia, secundum quod dicitur[5] : « Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. » Si medicina est propter ægritudinem, igitur non est redarguendus ægrotus, qui confugit ad medicum, nec medicus, qui accedit ad ægrotum; sed magis illi redarguendi sunt qui hoc redarguunt. Vocat autem Christus peccatores infirmos, quoniam peccatum infirmum facit, secundum illud[6] : « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea. » De tali infirmo dicitur[7] : « Infirmum autem in fide assumite. » Et item[8] : « Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere. »

Se autem vocat medicum, quia[9] : « Livore ejus sanati sumus. » Et alibi[10] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus : » et subditur : « Ut mederer contritis corde. » Et in *Actis*[11] (*b*) : « Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. »

Dejicitur autem tertio ex rectitudine æquitatis fraternæ, quia magis condescendit humili peccatori, quam superbo justo, et ideo subdit : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam;* justos, id est, qui se reputant justos. Glossa : « Qui justitiæ suæ confidunt. » Unde Beda[12] : « Sanos autem et justos appellat eos, qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti; qui ex lege præsumentes, Evangelii gratiam non quærunt. » Tales enim non venit vocare, sed magis justo judicio excæcare. Unde in *Joanne* (*b*)[13] : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. » Venit autem Dominus omnes vocare ad pœnitentiam, quia, sicut dicitur[14] : « Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. » Unde ibidem[15] : « Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. » Et ideo a pœnitentia incœpit prædicare, secundum quod dicit Matthæus[16] : De hac vocatione dicit Isaias[17] : « Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, » etc. Sed hanc vocem non audierunt, qui se reputabant justos; contra quos *Job*[18] : « Si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendere, pravum me comprobabit. » Sed hanc audiunt peccatores quam plurimi, infra[19] : « Et omnis populus audiens, et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. » Et sic patet, quomodo in hoc facta est confutatio superborum : unde divino judicio pejores reputantur illis, quos despiciunt.

[1] Inf., XVIII, 11. — [2] Inf., XVI, 15. — [3] *Isa.*, LXV, 5. — [4] 1 *Mach.*, II, 62. — [5] *Eccli.*, XXXVIII, 1. — [6] *Psal.* XXXVII, 8. — [7] *Rom.*, XIV, 1. — [8] Ibid., XV, 1. — [9] *Isa.*, LIII,5. — [10] Ibid., LXI, 1. — [11] *Act.*, X, 38. — [12] Bed., lib. I *in Marc.*, c. II. — [13] *Joan.*, IX, 39. — [14] *Rom.*, III, 10-12. — [15] Ibid., 23. — [16] *Matth.*, IV, 17. — [17] *Isa.*, XXII, 12. — [18] *Job*, IX, 20. — [19] Inf., VII, 29, 30.

(*a*) *Cæt. edit.* appropinquas.— (*b*) *Item* contritos.— (*c*) Cæt edit. *Joannes.*

33. *At illi dixerunt ad eum*, etc. Postquam descripta est vocatio peccatorum, et confutatio superborum, subjungitur hic tertio consolatio infirmorum, in hoc, quod non imponuntur ipsis discipulis onera gravia, et difficultates jejuniorum. Introducitur ergo consolatio discipulorum manuductoria, ut dissonans severitati legalis observantiæ, ut (*a*) consonans benignitati divinæ præsentiæ, ut expediens ruditati imperfectionis humanæ. Primo ergo introducitur ut dissonans severitati legalis observantiæ in quæstione Pharisæorum, cum dicitur : *At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejunant frequenter et obsecrationes faciunt, similiter autem et Pharisæorum*, etc. Dicitur autem [1], quod hoc discipuli Joannis quæsierunt ; sed, ut dicit Augustinus, *de Concordantia Evangelistarum* [2], non est contrarietas, quia utrique quæsierunt ; sed discipuli Joannis volebant discere veritatem, Pharisæi vero volebant eorum explorare libertatem, sicut illi de quibus dicitur [3] : « Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram. » Hoc autem non quærebant, quia discipulos Joannis approbarent, sed ut comparatione eorum Christi discipulos reprehenderent. Unde et subditur : *Tui autem edunt et bibunt*. Et ideo conquerebatur Dominus Deus [4] : « Venit Joannes neque manducans, neque bibens ; et dicunt : Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens ; et dicunt : Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. » Et ideo spernebant Pharisæi discipulos Domini tanquam discordes a legali et populari observatione ; sed male, quia in (*b*) *Isaia* dicitur [5] : « Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester : numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam ? Numquid contorquere, » etc. Et ad *Romanos* [6] : « Is qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet ; » quia, sicut ibidem subditur, « non est regnum Dei esca et potus. »

Secundo vero introducitur ut conveniens benignitati divinæ præsentiæ in dissolutione objectorum, cum dicitur (v. 34) : *Quibus ipse ait : Non possunt filii sponsi jejunare*, etc. Secundum Bedam [7] hæc est littera : *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare ?* Sponsus iste Christus est, de quo in *Joanne* (*c*) [8] : « Qui habet sponsam sponsus est ; » ut in *Psalmo* [9] : « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Filii sponsi sunt apostoli ; unde in *Isaia* (*d*) [10] : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus. » Et in *Psalmo* [11] : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, » etc. Isti non possunt, nec debent nunc jejunare jejunium mœroris et afflictionis, quamdiu cum illis est sponsus, quia tunc est tempus gaudii ; propter quod dicitur [12] : « Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua. » Et in *Isaia* (*d*) [13] : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus. »

Unde tunc erat tempus gaudii, non mœroris, quia, sicut dicitur [14] : « Amicus, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. » Et ideo discipulorum consolatio est conveniens præsentiæ sponsi Christi, sicut desolatio absentiæ ; propter quod subdit (v. 35) : *Venient autem dies, et cum ablatus fuerit ab illis sponsus*, scilicet per mortem et passionem. *Oseas* [15] : « Vadent ad quærendum Dominum, et non invenient : ablatus est ab eis. » *Tunc jejunabunt in illis*

Spon Chris tus. F Spon apost

[1] *Matth.*, IX, 14. — [2] Aug., *de Consens. Evang.*, lib. II, c. XXVII, n. 62. — [3] *Gal.*, II, 4. — [4] *Matth.*, XI, 18, 19. — [5] *Isa.*, LVIII, 4, 5. — [6] *Rom.*, XIV, 3, 17. — [7] Bed., lib. II, *in Luc.* c. V. — [8] *Joan.*, III, 29. — [9] *Psal.* XVIII, 6. — [10] *Isa.*, VIII, 18. — [11] *Psal.* XLIV, 17. — [12] *Cant.*, III, 11. — [13] *Isa.*, LXI, 10. — [14] *Joan.*, III, 29. — [15] *Ose.*, V, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* et. — (*b*) *Item* ab. — (*c*) Item *Joannes*. — (*d*) Item *Isaias*.

diebus, eo scilicet tempore, quia [1] : « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.» Et tunc erit tempus mœroris et jejunii. Unde in *Tobia* [2] : « Manducavit panem cum luctu et tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam [3] : « Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. » In *Threnis* [4] : « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus a me consolator, convertens animam meam. »

Tertio autem introducitur ut expediens ruditati imperfectionis humanæ, cum dicitur (v. 36) : *Dicebat autem et similitudinem ad illos ;* ubi ostendit discipulos ad jejunium non esse arctandos, tum propter vetustatem conversationis, tum propter fragilitatem carnis, tum etiam propter dissuetudinem affectionis. Hanc discipulorum consolationem exprimit Evangelista sub tripartita metaphora, scilicet veteris vestis, veteris viri, et veteris vini. Expediens igitur erat rudes adhuc discipulos fovere, non jejuniis aggravare, propter vetustatem conversationis ; propter quam subdit : *Quia nemo commissuram*, id est, particulam quæ conjungit, *a vestimento novo*, scilicet ablatam, *immittit in vestimentum vetus ;* quia duplex sequitur inconveniens ; et ideo addit : *Alioquin et novum rumpit,* quod est damnosum. *Et veteri non convenit commissura a novo,* quia indecorum. Sic spiritualiter intelligendum, quod non sunt imponendæ novæ observantiæ, convenientes novæ conversationi, quandiu homo non est priora exutus, uti non est exutus mox in principio adhuc suæ conversionis. Et ideo dicebat Apostolus [5] : « Edocti estis, » etc. Sequitur : « Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. » Et postea : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Item ad *Colossenses* [6] : « Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, » etc. Alioquin erit monstruosum. Et ideo, in figura hujus, prohibita est in lege commixtio diversorum [7] : « Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est ; » quia hinc contemnitur. Dominus ait [8] : « Numquid avis discolor hæreditas mea mihi ? »

Secundo, ipsum erat expediens propter fragilitatem carnis ; propter quam dicit (v. 37) : *Et nemo mittet vinum novum in utres veteres ;* quia ex hoc sequitur duplex inconveniens, scilicet effusio vini, propter quod dicit : *Alioquin rumpet vinum novum utres, et vinum effundetur.* Aliud inconveniens, perditio est utris ; unde addit : *Et utres peribunt.* Et ideo novo vino est novum vas providendum ; propter quod dicit (v. 38) : *Sed vinum novum in utres novos mittendum est ; et utraque conservabuntur.* Sic spirituales observantiæ sunt spiritualibus, non carnalibus imponendæ, qui designantur per utres veteres, secundum illud *Psalmi* [9] : « Factus sum sicut uter in pruina. » Unde designantur per utres Gabaonitarum ruptos et solutos [10] : « Utres vini novos implevimus ; nunc rupti sunt, atque soluti ; » et ita ad continendum vinum inepti. Et ideo ad *Corinthios* [11] : « Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo. Lac vobis potum dedi, non escam. » Antequam ergo eis spiritualia injungantur, necesse est ut corda eorum renoventur, juxta illud *Ezechielis* [12] : « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri. » Quia Apostolus ait [13] : « In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium ; sed nova creatura. » Et ideo petit David [14] : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rec-

[1] *Joan.*, XVI, 20. — [2] *Tob.*, II, 6, 5. — [3] *Amos*, VIII, 10. — [4] *Thren.*, I, 16. — [5] *Ephes.*, IV, 21, 22, 24. — [6] *Coloss.*, III, 9, 10. — [7] *Deut.*, XXII, 11. — [8] *Jerem.*, XII, 9. — [9] *Psal.* CXVIII, 83. — [10] *Jos.*, IX, 13. — [11] I *Cor.*, III, 1, 2. — [12] *Ezech.*, XXXVI, 26. — [13] *Gal.*, VI, 15. — [14] *Psal.* L, 12.

tum innova in visceribus meis, » etc. Quod fit in viris spiritualibus [1] : « Licet is, qui foris est, noster homo corumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. »

Hoc etiam ipsum inchoantibus expediens erat, propter dissuetudinem affectionis; propter quam designandam dicit (v. 39) : *Et nemo bibens vetus, statim vult novum.* et rationem hujus reddit per judicium sensus, cum ait : *Dicit enim : Vetus melius est.* In quo per simile, in delectatione potus vini vult ostendere, quod affectus noster non statim delectatur in novis servandis, nisi paulatim manuducatur. Et ideo dicebant quidam [2] : « Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non poteritis salvari. » Hanc autem affectionem innovat charitas, secundum illud [3] : « Mundatum novum do vobis, ut diligatis invicem. » Hæc facit nova sapere, ut vetera. Unde [4] : « Non mandatum novum scribo vobis; sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio : mandatum vetus est verbum, quod audistis. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est, et in ipso, et in vobis. » Vere hoc est novum mandatum, quod vetera evacuat, et quod facit sapere nova. « Si qua ergo in Christo nova creatura [5], vetera transierunt ; ecce facta sunt omnia nova. » Quia, sicut dicitur [6] : « Vetera novis supervenientibus projicietis. » Sic ergo, propter ruditatem discipulorum, tum ex parte conversationis, tum ex parte carnis, tum ex parte mentis, erant discipuli benigne tractandi, nondum ad jejunium arctandi, maxime ad jejunium exultationis ; quod non convenit, nisi renovatis per gratiam Spiritus sancti. Unde ex præmissis colligitur, quod discipuli Christi non erant arctandi : nec ad jejunium mœroris, propter præsentiam sponsi; nec exultationis, propter absentiam Spiritus sancti : et ita erant benigne consolandi, tanquam adhuc tenelli et infirmi. Ex præmissis igitur sufficienter apparet, quomodo a Domino sunt peccatores misericorditer vocati, et superbi rationabiliter confutati, et infirmi suaviter consolati.

Discipuli Christi non erant arctandi ad jejunium.

CAPUT VI.

1. *Factum est autem in sabbato,* etc. Supra egit Evangelista de discipulorum vocatione; in parte ista agit de ipsorum defensione, quia boni pastoris est non solum oves congregare, sed etiam a lupis defendere. Et habet hæc pars duas : in prima defendit eos testimonio Scripturæ; in secunda vero miraculo potentiæ, ibi (v. 6) : *Factum est autem et in alio sabbato.* Ipse enim Christus est [7] « Dei virtus, et Dei sapientia; » unde discipuli vocabant eum [8] « Magister et Domine : » et ideo defendit, ut Magister, per testimonium authenticum; secundo, ut Dominus, per opus miraculosum. Circa primum modum defendendi, tria introducuntur : primum est criminandi occasio; secundum est criminis objectio; tertium est criminatorum confutatio. Criminandi igitur occasionem dedit discipulorum necessitas, propter quam vellebant spicas in sabbatis. Et hanc notat, cum dicit : *Factum est in sabbato secundo primo,* id est, sabbato a primo, id est immediate sequente sabbatum præcedens, de quo habitum est supra [9], cum curavit dæmoniacum; vel, sicut dicit Chrysostomus [10], in sabbato secundo primo, id est, bis primo, sive principali, propter duplicem solemnitatem concurrentem, quia sabbatum ex se solemne erat, et etiam ratione neomeniarum, quæ tunc erant; vel, secundum Bedam [11], *secundo primo* est una dictio composita ex integro et corrupto, ut secundo primum dicatur, hoc est secundo prælatum, id est, superius et dignius illo sabbato legali, quia jam tunc incipiebat sabbatum novum, in quo feriandum est a vitiis, non ab operibus necessariis.

[1] II *Cor.*, IV, 16. — [2] *Act.*, XV, 1. — [3] *Joan.*, XIII, 34. — [4] I *Joan.*, II, 7, 8. — [5] II *Cor.*, V, 17. — [6] *Levit.*, XXVI, 10. — [7] I *Cor.*, I, 24. — [8] *Joan.*, XIII, 13. — [9] Sup., IV, 32. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. XL, al. XXXIX, n. 1. — [11] Bed., lib. II, *in Luc.* c. VI.

Et hoc patet per ipsorum discipulorum exemplum, de quibus subditur : *Cum transiret per sata*. Pertransibat, scilicet ipse Christus, quia viator erat. Unde [1] : « Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos. » Transitu autem suo designat omnia esse transitoria, secundum illud [2] : « Cœlum et terra transibunt. » Transibat autem, non manebat; et discipuli ejus similiter, ut ipsi etiam hoc confiterentur, quia [3] « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Quia vero per hæc transeundo non debemus immorari, sed indigemus sustentari; ideo addit : *Vellebant discipuli ejus spicas, et manducabunt, confricantes manibus*. Vellebant, id est, avellebant, a stipula discerpentes, secundum quod dicitur [4] : « Armentarius ego sum vellicans sycomoros. » *Vellebant*, dicit, non metebant; quia illud secundum legem erat concessum, hoc inhibitum [5] : « Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, et manibus conteres; falce autem non metas. » Et hoc quidem faciebant, famis necessitate compulsi; sicut [6] : « Discipuli ejus esurientes, cœperunt vellere spicas, et manducare ; » et *Marcus* [7] : « Discipuli cœperunt progredi, et vellere spicas. » Pharisæi autem dicebant [8] : « Ecce, quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet? » Nec mirum, quia in *Proverbiis* scriptum est [9] : « Anima saturata calcabit favum; et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. » Et *Job* [10] : « Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. » Unde humana necessitas excusabat, quæ hoc facere compellebat; et hanc rationem assignat Beda [11] : « Non habentes, inquit, discipuli spatium manducandi propter importunitatem turbarum, esuriebant ut homines; sed vellentes spicas, inediam consolabantur. » Alia ratio est necessitas paupertatis, quia assumptæ : adeo erant inopes, ut nec sufficienter haberent panem, ut apertissime liquet ex *Joanne* [12], ubi cum convenissent quinque millia virorum, aut circiter, absque mulieribus et parvulis, inter universos apostolos non est inventa vel mica panis; sed tantum erat puer unus in medio turbarum, qui habebat quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Unde Apostolus [13] : « In fame, et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. » Tertia ratio est austeritatis exemplum, quo docebant nos, sicut dicit Ambrosius, non præparatas escas, sed simplices quærere cibos. *Isaias* [14] : « Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem. » Quarta ratio est ut ostendant, quod non ad litteram, sed spiritualiter debemus legale sabbatum observare, contra hæreticos postea futuros [15] : « Relinquitur sabbatismus populo Dei. » Quinta ratio est spiritualis intelligentia : per sabbatum enim intelligitur otium divinæ contemplationis [16] : « Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, » etc. Spicæ sunt purgationes dulcedinis internæ, quæ asperitatibus sunt permixtæ; et ideo manibus confricantur, ut granum purum eliciatur, sicut Ruth, quæ [17] « colligebat spicas post terga metentium. » Sexta ratio est ex parte dulcedinis verbi Christi, qua fortiter illecti obliviscuntur manducare; unde [18] : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. » Et apud *Joannem* [19] : « Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. »

Sabbatum legale spiritualiter est observandum.

Spicæ.

Criminis vero objectionem intulit Pharisæorum perversitas, qua libenter insultabant discipulis. Quod notat, cum dicit (v. 2) : *Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis?* Quia præceptum erat in lege [20], sabbatum

Pauperitas.

[1] *Act.*, x, 38. — [2] *Matth.*, xxiv, 35. — [3] *Hebr.*, xiii, 14. — [4] *Amos*, vii, 14. — [5] *Deut.*, xxiii, 25. — [6] *Matth.*, xii, 1. — [7] *Marc.*, ii, 23. — [8] Ibid., 24. — [9] *Prov.*, xxvii, 7. — [10] *Job*, vi, 7. — [11] Bed., lib. II, c. xix, *in Luc.*, c. vi. — [12] *Joan.*, vi, 5 et seq. — [13] II *Cor.*, xi, 27. — [14] *Isa.*, xxx, 20. — [15] *Hebr.*, iv, 9. — [16] *Isa.*, lviii, 13. — [17] *Ruth.*, ii, 3. — [18] *Psal.* cxviii, 103. — [19] *Joan.*, iv, 64. — [20] *Exod.*, xvi, 26; xx, 8; xxxv, 3; *Levit.*, xxiii, 3 et seq.

diligentissime observari. Et ideo arguebant eos, tanquam legis divinæ transgressores; sicut etiam Magistrum eorum [1] : « Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. » Unde eos morte dignos reputabant, quia, secundum illud [2] : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur. » Et maxime quantum ad mandatum de sabbato, quod erat præcipue observandum. Unde ille, qui inventus est colligere ligna in sabbato, interfectus est, sicut dicitur [3] : « Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. » Hæc autem criminatio partim veniebat ex ignorantia legis, partim ex superbia mentis, partim ex simulatione hypocrisis, partim ex superstitione traditionis. Ex ignorantia legis, quia non prohibebatur sumptio necessitatis, sed occasio servitutis. Et ideo de talibus dicitur [4] : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. » Ex superbia mentis, quia reliquos despiciebant, sicut infra dicitur de Pharisæo, qui seipsum jactabat dicens [5] : « Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, » etc. Ad *Romanos* [6] : « Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. » Ex simulatione hypocrisis, secundum illud [7] : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. » Ex superstitione traditionis, in qua majorem vim faciebant, quam in lege; unde dicitur [8] : « Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? » Hæc autem criminatio potissime veniebat ex ignorantia legis, ex qua inflammabatur Pharisæorum perversitas.

Cur Pharisæi discipulos Domini criminati sint.

Criminatorum autem confutationem subjecit veritatis auctoritas; et hanc notat cum subdit: *Et respondens Jesus ad eos, dixit,* etc. Confundit autem Pharisæos, et defendit discipulos auctoritate Scripturæ, et etiam propria. Per auctoritatem Scripturæ ostendit, quod mandatum de sabbato non obligabat in casu necessitatis; et hoc ostendit exemplo David, quod insinuat, cum dicit : *Nec hoc legistis*, et si legistis, non intellexistis. *Job* [9] : « Quia nullus intelligit, in æternum præibunt. » Vel, si legistis, non meministis, secundum illud [10] : « Peribit lex a sacerdote, et consilium a senioribus ejus : » quasi diceret : Vos, qui estis legis æmulatores, deberetis legisse, non ignorare, ne posset vobis dici illud [11] : « Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? » Et vere debebant legisse, quia valde erat notabile factum. *Quod fecit David cum esurisset ipse, et qui cum illo erant.* Sed contrarium hujus dicti videtur illud [12] : « Quare tu solus, et nullus tecum ? » Sed dicit, quia non habebat nobilem societatem, cum esset gener regis, et magnus ejus princeps. Unde subditur ibidem [13] : « Fuerunt vasa puerorum sancta. » Societatem igitur habuit, licet non ita magnam vel notabilem. Et illi fuerunt socii ejus in facto, ut non possint dicere factum esse privilegii specialis. Unde addit (v. 4) : *Quomodo intravit in domum Dei,* id est, in tabernaculum, quia domus Dei, id est templum, nondum erat ædificata [14] : « Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel de Ægypto usque in diem hanc. » Nec tantum in domum, id est tabernaculum, introivit; sed quod plus est, *panes propositionis sumpsit*, scilicet a sacerdote, *et manducavit.* Et de iis panibus dicitur [15] : « Panes super mensam pones propositionis in conspectu meo semper : » qui ideo propositionis dicuntur, quia per singula sabbata super mensam proponebantur. Et quod plus est, *manducavit ipse, et qui cum eo erant;* sicut dicitur [16] : « Dedit sacerdos David sanc-

[1] *Joan.*, IX, 16. — [2] *Hebr.*, X, 28. — [3] *Num.*, XV, 35. — [4] *Matth.*, XXII, 29. — [5] Inf., XVIII, 11. — [6] *Rom.*, X, 3. — [7] *Matth.*, XXIII, 23. — [8] Ibid., XV, 3. — [9] *Job*, IV, 20. — [10] *Jerem.*, XVIII, 18. — [11] *Joan.*, III, 10. — [12] I *Reg.*, XXI, 1. — [13] Ibid., 5. — [14] I *Paral.*, XVI, 4, 5. — [15] *Exod.*, XXV, 30. — [16] I *Reg.*, XXI, 6.

tificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis. » Unde dicitur[1] : « Inquilinus sacerdotis et mercenarius non vescentur ex eis. » Sed alio loco dicitur de panibus propositionis[2] : « Eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo. » Si ergo David non peccavit, quia necessitas eum excusavit ab illo præcepto; pariter et ii, qui sunt necessitate compulsi, non sunt reprehendendi, quia per necessitatem famis sunt excusati. Et ne quid desit auctoritati Scripturæ, subjungit suam auctoritatem, per quam cum eis voluit et poterat totaliter dispensare. Quod notat, cum subdit (v. 5): *Et dicebat illis : Quia dominus est filius hominis etiam sabbati.* Vocat autem se filium hominis, quantum ad humilitatem humanitatis assumptæ; et dicit se dominum sabbati et legis, quantum ad sublimitatem divinitatis occultæ. Unde in *Apocalypsi* dicitur, quod[3] « habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. » Et ideo dicit in *Psalmo*[4] : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Dicitur hoc de Filio hominis, paululum minorato ab angelis propter ignominiam passionis. Et ideo, tanquam dominus, cum eis dispensabat ad tempus, qui postmodum observantiam eorum ablaturus erat.

6. *Factum est autem, et in alio sabbato,* etc. Supra defendit discipulos, ut magister, auctoritate sive testimonio Scripturæ; hic defendit, ut dominus, virtute potentiæ in miraculo, in quo, sanando hominem in sabbato, ostendit se dominum esse sabbati, et quod non oportet in sabbato ab omni opere abstinere, sed a malo solum. Circa hujus miraculi descriptionem tria insinuantur : primum est opportunitas miraculosi operis; secundum est sublimitas miraculi operatoris, ibi (v. 8) : *Ipse autem sciebat cogitationes eorum,* etc.; tertium est perversitas miserabilis plebis, ibi (v. 11) : *Ipsi autem repleti sunt insipientia.* Quantum autem ad opportunitatem miraculosi operis, notandum quod ipsa colligitur ex tribus, scilicet ex confirmatione doctrinæ propriæ, ex relevatione humanæ miseriæ, et ex confirmatione judaicæ perfidiæ. Primum erat sapientiæ; secundum, clementiæ; tertium, justitiæ : quæ sunt in Christo omnipotente. Erat igitur doctrina propria primo confirmanda, quam publicabat sabbatis; propter quod dicit : *Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam et doceret*; quia, sicut dicit[5] : « Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt. » Quia illud *Isaiæ* debebat in Christo impleri[6] : « Ponam omnes filios tuos doctos a Domino. » Unde hic erat, de quo in *Ecclesiastico*[7] : « Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. » Docebat enim justitiam, quæ est communis virtus. Unde *Oseas*[8] : « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. »

Erat humana miseria relevanda propter penuriam infirmitatis, ob quam dicit : *Et erat ibi homo, et manus ejus dextera erat arida,* et ideo ineptus erat ad omnia opera, quia fortiorem manum et melius membrum amiserat. Unde iste vere erat homo ille, de quo *Job*[9] : « Brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. » Unde jam in isto impletum erat illud *Zachariæ*[10] : « Brachium ejus ariditate siccabitur. » Et ideo jam potuit gemere et dicere Domino[11] : « Aruit tanquam testa virtus mea : » et propterea relevanda per divinam potentiam.

Erat nihilominus Judaica perfidia confutanda propter observantiæ malignitatem, ratione cujus dicit (v. 7): *Observabant autem Scribæ et Pharisæi, si in sabbato curaret.* Unde impletum est in eis illud *Psalmi*[12] : « Adversum me omnes cogitationes eorum

[1] *Levit.*, XXII, 10. — [2] Ibid., XXIV, 9. — [3] *Apoc.*, XIX, 16. — [4] *Psal.* VIII, 8. — [5] *Joan.*, XVIII, 20. — [6] *Isa.*, LIV, 13. — [7] *Eccli.*, XXXIX, 11. — [8] *Ose.*, X, 12. — [9] *Job*, XIV, 5. — [10] *Zach.*, XI, 17. — [11] *Psal.* XXI, 16. — [12] *Psal.* LV, 6, 7.

in malum; inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt. » Observatio ista erat insidiosa: quod spectat ad malignum animum, juxta illud [1] : « In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. » Et ideo subditur : *Ut invenirent unde accusarent eum.* Unde isti intra se dicebant illud Babyloniorum [2]: « Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. » In hac igitur die præcipue eum observabant, sicut dicit Beda [3], « ut si non curaret, crudelitatis vel imbecillitatis; si autem curaret, transgressionis arguerent. » Sed certe neutrum inveniunt, quia, dum curat, ostendit se misericordem et justum. Unde [4] : « Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. » Et ideo apud *Hieremiam* (*a*) [5] : « Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt se a me? » quasi diceret: Nihil; quia ipse est de quo [6] : « Peccatum nec fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. » Propterea dicebat ipse [7] : « Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? »

Christus mirabilis opifex.

8. *Ipse vero sciebat cogitationes eorum.* Post opportunitatem miraculosi operis, subditur hic sublimitas mirabilis operatoris, scilicet quantum ad tria : quantum ad sapientiam discernendi in corde, prudentiam interrogandi in sermone, et efficaciam curandi in operatione. Primo igitur per sapientiam in corde deprehendit eorum cogitationes: quod notat (*b*), cum dicit : *Ipse vero sciebat cogitationes eorum.* Et vere, quia Dominus sapientissimus; unde in *Psalmo* [8] : « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. » Et ideo oculis Dei erant cogitationes eorum apertæ; propter quod dicitur [9] : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Unde et *Joannes* [10] : « Dicebant et discipuli : Nunc scimus, quia scis omnia, et non est opus tibi, ut quis te interroget. » Nec mirum, quia ipse est ille, de quo apud *Hieremiam* (*a*) [11] : « Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam. » In cujus rei testimonium, ut ostendat se cognitorem cordium, jubet hunc curandum surgere in medium, cum subdit: *Et ait homini, qui habebat manum aridam,* propter quem illi cogitationes superbas cogitabant, ita ut posset eis dici illud [12] : « O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia et dolositate illius? » *Surge, et sta in medium,* ut omnes cognoscant cogitatus suos esse deprehensos, juxta illud [13] : « Ne accesseris ad illum duplici corde, » etc.; et postea : « Ne revelet Deus abscondita tua, et in medio synagogæ elidat te: » quia, secundum quod dicitur [14] : « Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio. »

Et surgens stetit, non timens indignationem Pharisæorum. Dicebat enim illud *Job* intra se [15] : « Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. » Et rursus illud [16] : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Unde ad Domini imperium stetit securus et confortatus. Nec mirum, quia ipsi recte potest dici illud [17] : « Ecce docuisti multos et manus lassas roborasti : vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. » Unde poterat hic dicere illud *Danielis* [18] : Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi : Loquere, Domine mi, quia confortasti. »

Secundo vero per prudentiam in sermone declinabat eorum machinationes : propter quod additur (v. 9) : *Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos.* Sed contrarium hujus videtur dici a Matthæo, qui dicit [19], quod ipsi « interrogabant Dominum, si licet sabbatis curare? » Ad quod respondet Augustinus,

[1] *Jerem.*, IX, 8. — [2] *Dan.*, VI, 5. — [3] Bed., lib. II, c. XX, *in Luc.*, c. VI. — [4] *Joan.*, IX, 33. — [5] *Jerem.*, II, 5. — [6] I *Petr.*, II, 22. — [7] *Joan.*, VIII, 46. — [8] *Psal.* XCIII, 11. — [9] *Isa.*, I, 16. — [10] *Joan.*, XVI, 10. — [11] *Jerem.*, XVII, 10. — [12] *Eccli.*, XXXVII, 3. — [13] Ibid., I, 36, 39. — [14] *Prov.*, XXVI, 26. — [15] *Job*, XVII, 3. — [16] *Psal.* XXVI, 3. — [17] *Job*, IV, 3. — [18] *Dan.*, X, 19. — [19] *Matth.*, XII, 10.

(*a*) Cæt. edit. *Heremias.* — (*b*) *Item* note.

de Concordia Evangelistarum[1], quod primo ipsi interrogaverunt, et Dominus eis replicavit. Vel potest esse, quod cogitationem interiorem sequitur interrogationis forma. Matthæus itaque intelligit quod in auribus Dei, cogitare est loqui, et dubitare est interrogare. Proinde proponit Dominus interrogationis formam, et dicit: *Si licet sabbatis bene facere, an male? animam salvam facere, aut perdere?* Hoc quærit non tanquam dubium, sed tanquam indubitanter verum, ut altera pars concedatur. Constat enim, quod licet sabbatis benefacere, vel non benefacere; salvare animam, vel non salvare; quia inter contradictionem oppositam non est medium. Sed non benefacere, cum est locus et opportunitas, est negligere bonum; et hoc est malefacere. Igitur hoc ipsum disjunctum est certum et evidens, cujus necesse est concedere alteram partem. Sed hanc non possunt concedere: Licet malefacere, vel animam perdere. Restat ergo ex hac interrogatione ipsos esse convictos, quod licet sabbatis benefacere et curare, et sic non poterant respondere. Unde impletum est[2]: « Si repente interroget, quis respondebit ei? aut quis dicere ei potest; Cur ita facis? » Et ideo ad *Romanos*[3]: « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? » Unde Job dicit[4], quod « non poterit ei respondere unum pro mille. » In Matthæo[5] autem istud disjunctum non sic proponitur; sed altera pars quæritur et probatur a minori per liberationem ovis a fovea: multo igitur fortius liberandus est homo, de quo in *Psalmo*[6]: « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, » etc.

Tertio autem per efficaciam in opere dejiciebat eorum præsumptiones; propter quod subjungitur (v. 10) *Et circumspectis omnibus*, tanquam jam confusis, ut jam posset dicere illud *Job*[7]: « Omnes igitur vos convertimini, et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem. » Et quia nullus poterat contradicere, ad veritatis confirmationem subditur: *Dixit homini: Extende manum tuam*, etc. Et quoniam « sermo ejus potestate plenus est, » sicut dicit *Ecclesiastes*[8], ideo subditur: *Et extendit, et restituta est manus ejus*. In quo ostendebat Dominus se esse legis et sabbati dominum. Nam ipse erat, qui[9] Moysi sanavit manum per solum imperium. Ipse etiam erat, qui Jeroboam idololatræ regis Israel manum siccavit, et iterum sanavit, sicut dicitur.[10] Ipse, inquam, est ille, de quo Job dicit[11], quod « vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt. » De quo in *Psalmo*[12]: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. » Et hoc solo sermone, ut manifestetur, quod ipse est ille solus de quo in *Sapientia*[13]: « Neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia. » Sicut et Pater per Verbum increatum omnia fecit, ita per Verbum incarnatum, ut dicit Augustinus, omnia refecit.

11. *Ipsi autem repleti sunt insipientia.* Hic tertio tangitur perversitas miserabilis plebis, quæ inde obstinata est in malo, unde debuit relevari ad bonum. Hæc autem perversitas ostenditur in tribus, scilicet in excæcatione cordis, conspiratione oris, et persecutione operis. Quantum ad excæcationem cordis, dicitur: *Ipsi autem repleti sunt insipientia.* Et hoc, cæcitate malitiæ[14]: « Hæc cogitaverunt, et erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum. » Hac quippe fuerunt repleti, et stulti facti sunt justo judicio Dei, secundum illud[15]: « Tradidit illos Deus in reprobum sensum, » etc. Sequitur: « Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate. » Hac quippe invidia erant excæcati, quia sapiens est ille, cui sapiunt res prout sunt: invidus autem aliena felicitate torquetur. Tales erant ii;

[1] Aug., *de Concord. Evang.*, lib. II, c. XXXV, n. 82. — [2] *Job*, IX, 12. — [3] *Rom.*, IX, 20. — [4] *Job*, IX, 3. — [5] *Matth.*, XII, 11. — [6] *Psal.* VIII, 8. — [7] *Job.*, XVII, 20. — [8] *Eccle.*, VIII, 4. — [9] *Exod.*, IV, 7. — [10] III *Reg.*, XIII, 6. — [11] *Job*, V, 18. — [12] *Psal.* CII, 3. — [13] *Sap.*, XVI, 12 — [14] *Sap.*, II, 21. — [15] *Rom.*, I, 28 et seq.

unde eis competebat illud *Baruch* [1] : « Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. » Hæc autem plenitudo insipientiæ est vera vacuitas, quia divitiæ salutis sapientia, et scientia. Igitur ab oppositis, insipientia est inopia. Et ideo dicitur [2] : « Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua, et insipiens. »

Quantum autem ad conspirationem oris, additur : *Et colloquebantur ad invicem,* mutuo sermone seipsos provocantes ad malum. Sic fecerunt [3] : « Collegerunt Pontifices et Pharisæi consilium, et dicebant : Quid facimus, » etc. Hæc conspiratio figuraliter præcessit in fratribus Joseph [4] : « Mutuo loquebantur : ecce somniator venit ; venite, occidamus eum, » etc. Hoc consilium erat impium : ideo [5] : « In consilium eorum non veniat anima mea. » *Hieremias* [6] : « Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem : ne propitieris iniquitatibus eorum. »

Quantum ad persecutionem operis subditur : *Quidnam facerent Jesu*, id est, quomodo eum morti tradere possent ; quod et fecerunt, licet non statim, secundum illud [7] : « Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. » Sed tantum post fecerunt, sicut dicitur [8] : « Petistis virum homicidam donari vobis ; auctorem vero vitæ interfecistis. » Unde ipse Salvator dicere poterat illud [9] : « Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi : tu ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi ; quia cogitaverunt consilia, dicentes : « Mittamus lignum in panem ejus. »

Ariditas in anima

Spiritualiter autem intelligendum, quod ariditas in anima est defectus vigoris propter absentiam gratiæ, secundum illud [10] : « Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet. » Hæc autem ariditas septem de causis introducitur, secundum septem capitalia peccata. Unde nota, quod est ariditas superbiæ, sive ex superbia proveniens [11] : « Radices gentium superbarum arefecit Deus. » Secundo est ariditas invidiæ [12] : « Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum. » Et in *Psalmo* [13] : « Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit. » Tertio est ariditas iræ, de qua Marcus de dæmoniaco, qui [14] « spumat, et stridet dentibus suis, et arescit. » Quarto est ariditas acediæ [15] : « Spiritus tristis exsiccat ossa. » Et in *Numeris* [16] : « Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man. » Quinto est ariditas avaritiæ [17] : « Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam. » Sexto est ariditas gulæ [18] : « Quia sicut spinæ se invicem complectuntur ; sic convivium eorum pariter potantium, consumentur, quasi stipula ariditate plena. » Septimo est ariditas luxuriæ ; *Psalmus* [19] : « Ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum ; quia oblitus, » etc. [20] « Omnis caro fœnum, » etc. Et *Job* [21] : « Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. » Sic igitur ex septem causis accipitur ariditas spiritualis, quæ etiam est septiformis.

Est enim ariditas cordis ad bene cogitandum [22] : « Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me. » Est ariditas oris ad desiderandum [23] : « Sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. » Est verbi ad docendum [24] : « Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. » Est brachii ad operandum [25] : « Brachium ejus ariditate siccabitur. » Est ariditas manus ad largiendum [26] : « Antequam dies ejus impleantur, peribit ; et manus ejus arescent. »

[1] *Bar.*, III, 28. — [2] *Prov.*, XIX, 1. — [3] *Joan.*, XI, 47. — [4] *Gen.*, XXXVII, 19. — [5] *Gen.*, XLIX, 6. — [6] *Jerem.*, XVIII, 23. — [7] *Joan.*, VII, 30. — [8] *Act.*, III, 14, 15. — [9] *Jerem.*, XI, 18, 19. — [10] *Joan.*, XV, 6. — [11] *Eccli.*, X, 18. — [12] *Jac.*, I, 11. — [13] *Psal.* CXXVIII, 6. — [14] *Marc.*, IX, 17. — [15] *Prov.*, XVII, 22. — [16] *Num.*, XI, 6. — [17] *Eccli.*, XIV, 9. — [18] *Nah.*, I, 10. — [19] *Psal.* CI, 4, 5. — [20] *Isa.*, XL, 6. — [21] *Job*, XXX, 30. — [22] *Isa.*, XXI, 4. — [23] *Judith.* VII, 17. — [24] *Osee*, IX, 14. — [25] *Zach.*, XI, 17. — [26] *Job*, XV, 32.

Est cutis ad conversandum [1] : « Cutis mea aruit, et contracta est. » Et postremo ariditas virtutis ad sustinendum [2] : « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis ; et in pulverem mortis deduxisti me, » etc.

Hic autem ægrotus, habens manum aridam, significat ariditatem avaritiæ ; quæ sanatur divino imperio, cum manus extenditur ad eleemosynam largiendam, secundum illud [3] : « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. » Et illa extensio impetrat vigorem gratiæ, secundum illud [4] : « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis, quasi pupillam conservabit. » Exemplum autem et experimentum apparet manifeste in quodam rege Angliæ, qui faciebat eleemosynas largas, cujus manus et brachium adhuc manet integrum et incorruptum, dicente sibi quadam die quodam episcopo, cum extendisset manum suam ut daret pauperi scutellam argenteam, quam ante se habebat, nunquam manum ejus esse siccandam ; quod verbum impletum dicitur esse usque in præsentem diem.

Rex Angliæ eleemosynarius

12. *Factum est autem in illis diebus, exiit*, etc. Postquam ostensa est doctrinæ Christi auctoritas, et discipulorum vocatio determinata, hic subditur tertia pars, in qua fit vocatorum instructio. Et quoniam discipulorum instructio duplex est, scilicet communis, et specialis ; communis scilicet in doctrina eorum, quæ requiruntur ad salutem omnium ; specialis in doctrina mysterii Scripturarum : ideo pars ista habet duas partes, in quarum prima parte erudiuntur apostoli in veritate explicata, et præceptis apertis ; in secunda instruuntur in explicandis parabolis et parabolice dictis (inf., VII, 11) : *Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat*, etc. Prima pars habet duas ; in prima exprimitur veritas doctrinæ ; in secunda vero, ad confirmationem doctrinæ declaratur sublimitas in doctore (inf., VII, 1.) : *Cum autem implesset omnia verba sua*, etc. Prima pars, quæ continet præsens capitulum, habet tres : quia enim doctrina non debet communicari indignis et fastidiosis, sed idoneis et studiosis ; ideo primo præmittitur segregatio discipulorum ; secundo vero, attentio auditorum, ibi (v. 17) : *Et descendens cum illis de monte* ; tertio vero explicatio documentorum, ibi (v. 20) : *Et ipse elevatis oculis*, etc.

Discipulorum Christi instructio.

Circa segregationem autem discipulorum, quatuor introducuntur, quæ ipsam perficiunt : scilicet oratio divina impetrativa doni ; electio insinuativa meriti, institutio impositiva officii, denominatio discretiva consortii. Præmittitur ergo divina oratio impetrativa doni ipsis discipulis eligendis, cum dicitur : *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare*, etc. *Exiit*, scilicet de civitate et consortio turbarum, ut esset ejus oratio quieta. Hinc dicitur de Judith, quod petiit [5] « ut daretur ei copia nocte et ante lucem egrediendi foras ad orationem et deprecandi Dominum. » Et de Christo dicitur, quod plus est, nempe quod exiit in montem, scilicet ascendendo, ut ostenderet, quod oratio debet esse elevata, et orans elevatus a terrenis ; quia, sicut dicit Damascenus [6], « oratio est ascensus mentis in Deum. » Hujus figura præcessit in Moyse, ut est in *Exodo*, ubi dicitur [7], quod « Moyses et Aaron et Hur ascenderunt in verticem collis ; cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel. » De his duobus, scilicet de recessu a turbis, et ascensu in montem, dicitur [8], quod « dimissa turba, ascendit in montem solus orare. » Horum duorum figura præcessit in Abraham, de quo dicitur, quod dixit ad pueros suos [9] : « Expectate hic cum asino (scilicet in valle) ; ego autem et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. » Per hunc etiam modum debet adorare anima

Oratio debet esse solitaria et elevata.

[1] *Job*, VII, 5. — [2] *Psal.* XX, 16. — [3] *Prov.*, XXXI, 20. — [4] *Eccli.*, XVII, 18. — [5] *Judith*, XII, 5. — [6] Damasc., *Fide Orthod.*, lib. III, c. XXIV. — [7] *Exod.*, XVII, 10 et seq. — [8] *Matth.*, XIV, 23. — [9] *Gen.*, XXII, 5.

sancta; cujus informatio apparet in Judith, de qua dicitur [1], quod « exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ, et ut ascendebat, orabat ad Dominum Deum Israel. » Et quia non sufficit oratio quantumcumque devota, nisi etiam sit assidua, ideo subditur : *Et erat pernoctans in oratione Dei ;* ita ut posset dicere cum David [2] : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Unde et Moyses [3] ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Per hunc modum debent spirituales viri facere, juxta quod dicitur [4] : « Consurge, lauda in nocte; in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. » Hinc est, quod dicitur [5] de illa Sara devota, quod « perrexit in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum. »

Oratio debet esse assidua.

Secundo vero subditur electio insinuativa meriti in discipulis promovendis, cum subditur (v. 13) : *Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis.* In die vocat, quia, sicut dicitur [6] : « Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt, » scilicet Christum, qui est [7] « lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. » Et alibi [8] : « Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. » Nota, quod discipulos vocat, ut eligat; quia discipuli Christi digni erant honorari, secundum illud *Psalmi* [9] : « Nimis honorificati sunt amici tui Deus; » et hoc, quia discipuli. Ad discipulatum enim Christi requiritur perfecta humilitas [10] : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Item perfecta paupertas, infra [11] : « Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Item perfecta charitas [12] : « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » Et nota, quod duodecim elegit, ad significandum abundantem perfectionem meriti, quia duodecimus numerus est primus numerus abundans. Unde Christus ait [13] : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Hic autem numerus designatur in duodecim filiis Jacob [14]; in duodecim lapidibus [15]; in duodecim [16] principibus plebis Israel; in duodecim [17] exploratoribus missis a Moyse; in duodecim [18] fontibus aquarum; in duodecim lapidibus [19] de Jordane extractis; in duodecim [20] bobus sustentantibus mare æneum; in duodecim [21] horis diei; in duodecim [22] fundamentis civitatis. Fuerunt enim apostoli figuris plurimis designati propter multiplicem dignitatem : fuerunt enim patriarchæ, filiorum spiritualium procreatione; lapides pretiosi, virtutum varietate; principes multitudinis, prælationis sublimitate; exploratores, contemplationis subtilitate; fontes aquarum, sapientiæ profunditate; lapides Jordanis, fidei fundatione; boves, prædicationis exercitatione; horæ diei, exemplorum honestate; fundamenta civitatis, totius Ecclesiæ supportatione.

Tertio adjungitur institutio impositiva officii in electis, cum subditur : *Quos et Apostolos nominavit*, id est, missos. In quo auctoritatem dedit præcipuam prædicandi [23] : « Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? » Unde conqueritur Dominus de malis prophetis [24] : « Non mittebam prophetas, et ipsi currebant : non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. » At non tales fuerunt apostoli, de quibus dicitur [25] : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. » Hos autem misit ad Ecclesiam Dei fundandam, et civitatem

[1] *Judith*, XII, 7. — [2] *Psal.* CXVIII, 62. — [3] *Exod.*, XXIV, 13 et seq. — [4] *Thren.*, II, 19. — [5] *Tob.*, III, 10, 11. — [6] *Joan.*, XI, 9. — [7] Ibid., I, 9. — [8] I *Petr.*, II, 9. — [9] *Psal.* CXXXVIII, 17. — [10] *Matth.*, XI, 29. — [11] Inf., XIV, 26. — [12] *Joan.*, XIII, 35. — [13] *Matth.*, V, 20. — [14] *Gen.*, XXXV, 22. — [15] *Exod.*, XXVIII, 21. — [16] *Num.*, I, 44. — [17] *Deut.*, I, 23. — [18] *Exod.*, XV, 27. — [19] *Jos.*, IV, 3. — [20] III *Reg.*, VII, 25. — [21] *Joan.*, XI, 9. — [22] *Apoc.*, XXI, 14. — [23] *Rom.*, X, 15. — [24] *Jerem.*, XXIII, 21. — [25] *Matth.*, X, 16.

construendam super illum lapidem, de quo *Isaias*[1] : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. » Unde in *Apocalypsi*[2] : « Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni. » Et ideo dicitur[3] : « Vos estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum, et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. »

Quarto subjungitur denominatio discretiva consortii in apostolis jam promotis; quod notatur, cum dicitur (v. 14) : *Simonem quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus*, etc. Nominat apostolos binos et binos, secundum quod Dominus associavit eos. Unde infra subditur[4], quod « misit eos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. » Et nota, quod hic ponit nomina omnium; sed non omnium ponit cognomina, sed illorum, qui habent nomina æquivoca, ut Simonis Petri, et Simonis Zelotis, et Judæ Jacobi, et Judæ Iscariothæ. Et nota, quod associat fratrem fratri, ut Petrum Andreæ, et Joannem Jacobo, ad commendandam concordiam et fraternitatem mutuam, secundum illud *Ecclesiastici*[5]: « In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. » Nam, sicut dicitur[6] : « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Postremo autem apostolo, scilicet Judæ, addit non solum cognomen, sed etiam crimen, cum dicit : *Qui fuit proditor*. In quo designatur, quod Dominus, in eligendo eum, non ignoravit qualis futurus erat. Unde[7] : « Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem de Juda Simonis Iscariothæ : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim. »

Apostoli binos dominus misit.

Licet autem hic esset futurus pessimus, tamen eum Dominus elegit, quia hoc competebat suæ humilitati, quæ ex hoc elucebat, quod non recusarit consortium sui proditoris; et suæ benignitati, quia non solum bonis, sed etiam malis benignum se ostendebat. Unde et fecit eum dispensatorem suum, sicut dicitur[8] : « Fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. » Congruebat etiam statui præsentis Ecclesiæ, in qua mali permiscentur bonis, secundum illud *Matthæi*[9] : « Sinite utraque crescere usque ad messem. » Et « simile est, » sicut dicitur[10], « regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genero piscium congreganti : quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. » Expediebat etiam hoc eruditioni nostræ, ut non diffidamus, si quos, qui videntur stare, cadere videamus; et ne propter aliquot malos bonorum consortium despiciamus, juxta illud quod dicitur[11] : « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. » Ut etiam non præsumamus, si ad dignitates eligamur. Unde Bernardus, in epistola ad Coloniensem Archiepiscopum, sic ait[12] : « Si cunctos, qui vocantur ad ministerium, constat eligi ad regnum, profecto securus est Coloniensis Archiepiscopus. Quod si etiam et Saulem in regno et Judam in sacerdotio legitur elegisse non alius quam ipse Deus, et reprobasse, et non potest solvi Scriptura quæ hoc asserit, timeat necesse est et Coloniensis Archiepiscopus. » Unde valde terribile est illud *Matthæi*[13] : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi; » et ideo

Cur Dominus Judam elegerit.

[1] *Isa.*, XXVII, 16. — [2] *Apoc.*, XXI, 14. — [3] *Ephes.*, II, 19-22. — [4] Inf., X, 1. — [5] *Eccli.*, XXV, 2. — [6] *Prov.*, XVIII, 19. — [7] *Joan.*, VI, 71, 72. — [8] *Joan.*, XII, 6. — [9] *Matth.*, XIII, 30. — [10] Ibid., 47, 48. — [11] I *Joan.*, II, 19. — [12] Bern., *ad Colon. Arch.*, epist. IX. — [13] *Matth.*, XXII, 14.

ad *Romanos* dicitur[1] « Noli altum sapere, sed time, » etc.

Spiritualis sensus.

Spiritualiter per has sex combinationes duodecim apostolorum, intelliguntur sex gradus profectus virtutum, quibus pervenitur usque ad charitatem perfectam, vel usque ad pacem, vel usque ad sapientiam.

De primis sex gradibus, quibus ad charitatem pervenitur, dicitur[2]: « Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. » Et illi sex gradus recte correspondent istis combinationibus, si nominum interpretationes attendantur. De gradibus quibus pervenitur ad pacem, dicitur[3] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » De gradibus vero quibus ad sapientiam pervenitur, dicitur[4] : « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini; » ubi incipit a supremo horum, et descendit usque ad ultimum gradum. Horum figura pulcherrima est in throno Salomonis, ubi dicitur[5], quod erant sex gradus, et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc et inde. Per leonem intelligitur potestatis auctoritas; per sex gradus, sex combinationes, spiritualibus gradibus aptissime correspondentes.

Moralis sensus.

Moraliter etiam per nomina apostolorum sic combinata insinuatur perfectio prælatorum, specialiter episcoporum, qui cæteros debent præcellere in tribus : in vita, in doctrina, in exemplo, sive conversatione bona. Unde Apostulus instruens Timotheum dicit[6] : « Præcipe hæc, et doce : » ecce doctrina. « Nemo adolescentiam tuam contemnat : » ecce vita. « Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate : » ecce exemplum seu conversatio bona. Idem Titum instruens dicit[7] : « Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam : » ecce doctrina. « Nemo te contemnat : » ecce vita. « In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, » etc. : ecce exemplum seu conversatio bona. Unde Hieronymus dicit : « Si episcopi tantum sit sancta vita, sibi potest prodesse, sic vivens. Porro si doctrina et sermone fuerit eruditus, potest se cæterosque instruere; et non solum instruere et docere suos, sed adversarios repercutere : qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda pervertere. »

Quatuor ergo prima nomina designant perfectionem vitæ; quatuor alia perfectionem doctrinæ; alia vero quatuor perfectionem exempli, sive conversationis bonæ. Dicit ergo Evangelista (v. 14) : *Simonem*, supple *vocavit*, qui interpretatur obediens. *Quem cognominavit Petrum*, qui interpretatur agnoscens. In quo designatur virtus prudentiæ, quæ cognominari debet Petrus, id est, agnoscens ex Simone : quia ex humilitate debet procedere cognominatio prudentiæ, ut secundum quod dicitur in *Proverbiis*[8], « prudentiæ suæ ponat modum, » et[9] « ne innitatur prudentiæ suæ. » Et sic non erit prudens apud semetipsum, quod Paulus[10] optat. Sed in omnibus se prudenter habebit; unde de David dicitur[11] : « In omnibus viis suis David prudenter agebat, et

[1] *Rom.*, XI, 20. — [2] II *Petr.*, I, 5-7. — [3] *Matth.*, V, 3-9. — [4] *Isa.*, XI, 2. — [5] III *Reg.*, X, 19. — [6] I *Tim.*, IV, 11, 12. — [7] *Tit.*, II, 1, 15, 7. — [8] *Prov.*, XXIII, 4. — [9] Ibid., III, 5. — [10] *Rom.*, XII, 16. — [11] I *Reg.*, XVIII, 5.

Andreas Dominus erat cum eo. » *Et Andream*, qui interpretatur virilis : in quo exprimitur virtus justitiæ. Alioquin [1] « noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas (*a*) faciem potentis, et ponas scandalum in agilitate tua. » *Et Jacobum*, qui interpretatur supplantator, vel luctator. Per hoc insinuatur virtus fortitudinis, quæ fortiter aggreditur adversa, et contra vitia reluctatur. Unde ad *Ephesios* [2] : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » Sic episcopus debet esse [3] « leo fortissimus bestiarum, ut ad nullius paveat occursum ; » etiam contra Deum, ut ei dicatur illud, quod Jacob dictum est [4] : « Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? » *Et Joannem*, qui interpretatur in quo est gratia : per quam intelligitur virtus temperantiæ, sive continentiæ, quæ ex gratia Dei est, secundum illud [5] : « Non possum esse continens, nisi Deus det : » maxime quia Joannes virgo a Domino est electus, et virgo in ævum permansit. Et in *Ecclesiastico* [6] : « Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. » Per mulierem potest spiritualiter intelligi anima secundum configurationem istarum quatuor virtutum. Vidit *Ezechias* [7] species « quatuor animalium, et manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus, et facies et pennas per quatuor partes habebant ; junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum, » in præfiguratione quatuor virtutum, quæ exiguntur ad regimen prælatorum, quia [8] « his utilius nihil est in vita hominibus. »

Jacobus. Episcopus qualis. Joannes.

Apostolorum nomina ad doctrinam

Sequitur de nominibus apostolicis, quæ pertinent ad doctrinam, cum dicit : *Philippum*, qui interpretatur os lampadis. In quo insinuatur, quod doctrina episcopalis debet esse lucida, quantum ad intellectum audientium, ut sit aspectus eorum, id est, episcoporum docentium, « quasi [9] aspectus lampadarum : » ut ponatur lampas super candelabrum, non sub modio, ut dicitur infra [10] ; sed sicut de Elia dicitur [11] : « Verbum ipsius, quasi facula ardebat. » *Et Bartholomæum*, qui interpretatur filius suspendentis aquas. In quo intelligitur doctrina devota quantum ad affectum, ut ex devotione suspendat et elevet lacrymas usque ad oculum, de quo dicit Dominus ad Job [12] :« Numquid elevabis ad nebulam vocem tuam? » scilicet in devotione, seu compunctione in docendo. « Et impetus aquarum operiet te, » in lacrymando, quod facit Dominus, qui [13] « ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ ; » et [14] « fulgura in pluviam facit, » id est, comminationes. (v. 15). *Matthæum*, qui interpretatur donatus. Per quod insinuatur, quod doctrina debet esse ædificatoria ad operandum. Nam post habitam devotionem, quod quis verbum salutis auditum impleat per bonam operationem, hoc est ab illo specialiter, a quo [15] « omne datum optimum, et omne donum perfectum. » Ipsum enim verbum prædicatoris confert virtutem, sive gratiam prædicationis et ædificationis. Unde *Isaias* [16] : « Primus ad Sion dicet : Ecce adsum, et Jerusalem evangelistam dabo. » *Et Thomam*, qui interpretatur abyssus. Per quod intelligitur profunditas eruditionis credendorum, ut sit [17] « consilium illius in abysso magna, » ut dicitur. Unde quæritur a Job [18] : « Numquid in novissimis abyssi deambulasti? » Et Apostolus ad *Romanos* exclamat, dicens [19] : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus. » Quia, ut dicitur in *Psalmo* [20] : « Judicia tua abyssus mul-

pertinentia. Bartholomæus. Matthæus. Thomas.

[1] *Eccli.*, VII, 6. — [2] *Ephes.*, VI, 12. — [3] *Prov.*, XXX, 30. — [4] *Gen.*, XXXII, 28. — [5] *Sap.*, VIII, 21. — [6] *Eccli.*, XXVI, 19. — [7] *Ezech.*, I, 5, 8, 9. — [8] *Sap.*, VIII, 7. — [9] *Ezech.*, I, 13. — [10] Inf., XI, 33. — [11] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [12] *Job*, XXXVIII, 24. — [13] *Jerem.*, X, 13. — [14] *Psal.* CXXXIV, 7. — [15] *Jac.*, I, 17. — [16] *Isa.*, XLI, 27. — [17] *Eccle.*, XXIV, 39. — [18] *Job*, XXXVIII, 16. — [19] *Rom.*, XI, 33. — [20] *Psal.* XXXV, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* extremiscas.

ta. » Et hæc quatuor pertinent ad doctrinam, ut sic sint quatuor rotæ, quæ [1] « per quatuor partes earum euntes, ibant, et non revertebantur cum ambularent, » ut dicit Ezechiel.

Nomina ad exemplum pertinentia. Jacobus.

Sequitur de illis nominibus, quæ pertinent ad exemplum : *Jacobum*, qui interpretatur Luctator; *Alphæi*, qui interpretatur fugiens. In quo exprimitur exemplum perfectæ paupertatis. Unde Gregorius [2] : « Qui ad certamen, inquit, cum diabolo properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? » Unde volentem in paupertate luctari, oportet temporalia contemnere et fugere, secundum quod dicitur [3] : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » Sic Elias in figura [4] fugit a facie Jezabel, qui interpretatur fluxus sterquilinii, per quod designatur temporalium fluxibilitas. *Et Simonem*, qui interpretatur obediens ; *qui vocatur Zelotes*, id est, æmulator. In quo exemplum exponitur perfectæ humilitatis, cum æmulatione ordinatæ charitatis. Unde dicitur [5] : « Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius. » Et *Ecclesiasticus* [6] : « Filii sapientiæ, ecclesia justorum, et natio illorum obedientia et dilectio. »

Simon.

Judas.

(v. 16) *Et Judam*, qui interpretatur confitens, *Jacobi*, ut sit in exemplum fraternitatis in agendo [7] : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. » Hinc apud *Tobiam* (*a*) [8] : « Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. » Hinc est, quod in benedictione Judæ dicitur [9] : « Manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit. » Unde ipse ascendit ante alios in prælium. *Et Judam Iscariotem*, qui interpretatur memoria mortis : in quo intelligitur exemplum mortificationis carnis. Unde beatus Gregorius dicit [10] : « Nihil adeo valet ad domanda carnis vitia, quam cogitare qualis caro nostra post mortem sit futura. » Et hoc debent facere, ne cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur, secundum quod dicit Apostolus [11] : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » Propter quod dicitur infra [12] : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. » Sed quia multi decipiuntur et trahuntur (*b*) occasione mortificatæ carnis, quia inde gloriantur, ut hypocritæ, qui [13] « ore confitentur se nosse Deum, factis autem negant, » secundum quod ad Titum dicitur; caveant, ne cum proditore Juda numerentur, de quo hic subditur : *Qui fuit proditor*. Hinc est quod dicit Apostolus [14] : « In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi. » Et sequitur : « Proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. » Et hæc pertinent ad exemplum, et hi sunt quatuor [15] paralytici portitores. Et in hunc modum nominum apostolicorum designatur mysterium; et sic terminatur hæc pars.

17. *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri*, etc. Post discipulorum segregationem, subjungit hic Evangelista auditorum attentionem; quam describit Evangelista quantum ad quatuor : quantum ad discipulos comitantes, quantum ad populos concurrentes, quantum ad causas incitantes, et quantum ad efficacias subsequentes.

Quantum ad discipulos comitantes, dicitur : *Et descendens cum illis*, id est, duodecim jam electis, qui ipsum semper comitabantur, secundum quod infra dicitur [16] :

[1] *Ezech.*, I, 12. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXII. — [3] *Psal.* LIV, 8. — [4] III *Reg.*, XIX, 3. — [5] I *Petr.*, I, 22. — [6] *Eccli.*, III, 1. — [7] *Matth.*, V, 16. — [8] *Tob.*, XII, 6. — [9] *Deut.*, XXXIII, 7. — [10] Greg. *Moral.*, lib. III, c. XVII. — [11] I *Cor.*, IX, 27. — [12] *Luc.*, XII, 35. — [13] *Tit.*, I, 16. — [14] II *Tim.*, III, 1 et seq. — [15] *Marc.*, II, 3. — [16] *Luc.*, XXII, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* Hinc *Tobias*. — (*b*) *Il m* traduntur.

« Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. » *Stetit in loco campestri*, id est plano et communi, ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam, et dicere illud Psalmistæ[1] : « Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. » Et sic impletum est illud[2] : « Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam : in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua. »

Ad hujus sapientiæ clamorem attrahebantur præcipue discipuli. Unde subditur : *Et turba discipulorum ejus*, scilicet stetit cum eo. Hoc dicit quantum ad alios discipulos, apostolis inferiores. Nam perfectis discipulis fecerat sermonem in montis cacumine, sicut dicitur[3] : « Videns Jesus turbas, ascendit in montem ; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. » Istis vero tanquam imperfectis condescendens, sermonem fecit in descensu montis ; unde dicuntur *turba*, quia multi erant, multi etiam propinqui. Multiplicabantur enim discipuli Christi, sicut dicitur[4] : « Audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes. » Istis non erant omnia secreta communicanda, quia imperfecti ex auditu secretorum scandalizantur. Unde dicitur[5], quod ex verbo, quod dixerat, « multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire ? » cum istis scilicet discipulis. Dicitur Jesus stare, sed cum aliis perfectis sedere ; in quo ostendit, quod nos[6] « firmi debemus imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. » *Et descendit cum illis*, ad exemplum humilitatis, secundum illud[7] : « Rectorem te posuerunt ? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. » Unde sua benignitate omnes attrahebat et adjuvabat, sicut gallina pullos suos[8] : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ! » Nec immerito, quia de ipso dictum est[9] : « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis : circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

Quantum ad populos concurrentes, subditur : *Et multitudo copiosa plebis*, scilicet stetit cum eo : qui scilicet ex diversis locis convenerant : convenerant autem tam de locis propinquis, quam remotis. De propinquis dicit : *Ab omni Judæa, et Samaria, et Jerusalem*, quæ intra regnum Israel erant. Judæa nomen est regni ; Samaria, principalior civitas in regno decem tribuum ; et Jerusalem, principalior in regno duarum tribuum. Ab his omnibus confluebant ad Christum, secundum illud *Isaiæ*[10] : « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles : et fluent ad eum omnes gentes, » etc. De locis autem remotis subdit : *Et maritima, et Tyri, et Sidonis*. Et debet iterari « multitudo copiosa plebis maritima, et multitudo copiosa *Tyri*, » id est de Tyro, *et Sidonis*, id est de Sidone. Et hæc erant loca remota, sicut dicit Beda[11] in glossa, quod *maritima* non a proximo mari Galilææ, sed a mari magno cognominatur.[12] « Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. » Hoc autem præfiguratum fuit in Salomone, de quo dicitur[13], quod « omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus. »

Judæa, Samaria, Hierusalem.

Quantum ad causas incitantes, subjungitur (v. 18) : *Qui venerant, ut audirent eum*, quantum ad illustrationem veritatis in mente ; *Ut sanarentur a languoribus suis*, scilicet quantum ad curationem salutis in carne. Et

[1] *Psal.* CXXXI, 6. — [2] *Prov.*, I, 20, 21. — [3] *Matth.*, V, 1. — [4] *Joan.*, IV, 1. — [5] Ibid., VI, 67, 68. — [6] *Rom.*, XV, 1. — [7] *Eccli.*, XXXII, 1. — [8] *Matth.*, XXIII, 37. — [9] *Deut.*, XXXII, 10, 11. — [10] *Isa.*, II, 1. — [11] Bed., *in Luc.* c. VI. — [12] *Isa.*, LX, 5. — [13] II *Paral.*, IX, 23.

hæc erat recta intentio, secundum illud *Oseæ* [1] : « Venite, et revertamur ad Dominum : quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos. » Et post [2] : « Et vivemus in conspectu ejus : sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. » In hoc ostendebant isti, quod erant de ovibus Christi, quia ad ipsum concurrebant, ad veritatem et salutem percipiendam. [3] « Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis. » Amor igitur veritatis intelligendæ et sanitatis obtinendæ attrahebat eos, ut venirent ad Christum, sicut ad magistrum et ad medicum. Ad primum invitat Salvator, et *Psalmista* [4] : « Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos. » Ad secundum [5] : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. »

Quantum ad efficacias sequentes subinfertur : *Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.* In quo tangitur efficacia sanitatis, respectu spirituum immundorum [6] : « Spiritum immundum auferam de terra. » Isti spiritus immundi vexant eos, quos possident. In *Matthæo* (*a*) [7] : «Filia mea male a dæmonio vexatur. » Hæc vexatio compellebat eos fugere ad Christum, quia, secundum quod dicitur [8] : « Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. » Secundum quod dicit Gregorius [9] : « Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. » Certe cum ad Deum compellunt, ad bonam dispositionem deducunt, secundum illud *Sapientiæ* [10] : « In paucis vexati, in multis bene disponentur. » Nec tantum efficacia erat in animam, sed et in corpus per ipsius Christi corpus; quod notatur, cum subditur (v. 19) : *Et omnis turba quærebat eum tangere*, ex fide scilicet et devotione, sicut illa mulier, de qua dicitur [11] : « Si tetigero tantum vestimentum ejus, salvaero. » Et merito devoti erant; unde subditur : *Quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes*, id est, operatio virtutis [12] : « Ego novi virtutem de me exiisse. » Tunc virtus exit, quando latens in se, manifestatur in opere, secundum illud *Sapientiæ* [13] : « Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus. » Tunc etiam exit, quando aliis communicat, secundum illud *Isaiæ* [14] : « Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. » Et magna erat hæc virtus, quæ in omnes poterat, secundum illud *Sapientiæ* [15] : « Potens es ex omnibus salvare (*b*). » [16] « Qui conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem. » Et hoc maxime attrahebat omnes ad Christum, sicut dicitur [17] : « Sequebatur eum multitudo magna : quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. »

Spiritualiter nota hic, quod auditores qui veniunt ad Christum, attrahuntur de sex locis, de tribus scilicet Judæorum, et tribus gentilium. Per loca Judæorum signantur justi ; per loca gentilium, peccatores. Tria autem ponuntur loca Judæorum secundum statum triplicem justorum. *Judæa* enim interpretatur confitens, et signat statum activorum, qui Christum bonis operibus confitentur [18] : « Arabit Judas, et confringet sibi sulcos Jacob. » Apud *Tobiam* (*c*) [19] : « Confitemini illi, regemque sæculorum exaltate in operibus vestris. » *Samaria*, quæ interpretatur custodia, signat statum prælatorum ; nam illis dicitur [20] : « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. » *Jerusalem*, quæ interpretatur visio pacis, signat statum contemplativorum [21] : « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. » Apud *Tobiam* dicitur de Jerusalem [22] : « Beati omnes qui diligunt te, et gaudent in pace tua. »

Spiritualis sensus

Judæa

Samaria

[1] *Ose.*, VI, 1, 2. — [2] Ibid., 3. — [3] *Joan.*, X, 27, 28. — [4] *Psal.* XXXIII, 12. — [5] *Matth.*, XI, 28. — [6] *Zach.*, XIII, 2. — [7] *Matth.*, XV, 22. — [8] *Isa.*, XXVIII, 19. — [9] Greg., *Regist.*, lib. VI, epist. XXVII. — [10] *Sap.*, III, 5. — [11] *Matth.*, IX, 21. — [12] Inf., VIII, 46. — [13] *Sap.*, XII, 17. — [14] *Isa.*, XL, 29. — [15] *Sap.*, XIV, 4. — [16] Ibid., XVI, 7. — [17] *Joan.*, VI, 1. — [18] *Ose.*, X, 11. — [19] *Tob.*, XIII, 6. — [20] III *Reg.*, XX, 39. — [21] *Isa.*, LX, 1. — [22] *Tob.*, XIII, 18. — (*a*) Cæt. edit. *Matthæus*.— (*b*) *Item* sanare. — (*c*) Item *Tobias*.

Tria etiam ponuntur loca gentilium, secundum triplicem statum peccantium. *Maritima* enim, quæ ventosa est, et frequenter turbulenta, signat vanitatem, et turbulentiam superborum [1] : « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » *Tyrus*, quæ interpretatur angustia, signat anxietatem et angustiam cupidorum [2] : « Inter medium venditionis et emptionis, angustiabitur peccatum (*a*) . » Ideo in *Ecclesiastico* [3] : « Noli esse anxius in divitiis injustis. » *Sidon*, quæ interpretatur venatio, signat desiderium et concupiscentiam carnalium. Unde in *Psalmo* [4] : « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. » Omnes hi concurrunt ad Christum ; sed justi tanquam ad magistrum, ut doceantur sapientiam, quia, secundum illud [5] : « Doce justum, et festinabit accipere. » Et in *Deuteronomio* [6] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Sed peccatores, ut ad amicum, ut assequantur misericordiam [7] : « Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum. » A quibus primo ejiciuntur dæmones per culpæ expulsionem; secundo sanantur in tactu per curationem sequelæ, juxta quod dicitur in *Psalmo* [8] : « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. »

Tyrus.

Sidon.

20. *Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos.* Post electionem discipulorum et auditorum attentionem, subditur hic explicatio documentorum. Est autem pars ista tripartita, secundum tria quorum notitia est ad salutem necessaria, scilicet præmiorum, suppliciorum, præceptorum. Prima igitur pars est de præmiis; secunda de suppliciis, ibi (v. 24) : *Verumtamen væ vobis divitibus;* tertia de præceptis, ibi (v. 27) : *Sed vobis dico, qui auditis.* Prima pars continet promissiones præmiorum ; secunda, comminationes pœnarum, sive suppliciorum; tertia vero leges præceptorum. In promissis præmiis docemur, quid sperandum; in comminatis suppliciis, quid timendum; in præceptis vero, quid operandum.

Circa promissionem autem beatitudinum, nota quod quatuor promittit, scilicet regnum, quod consistit in participatione divinæ potestatis; secundo saturitatem, quæ consistit in gustu divinæ bonitatis; tertio risum, qui consistit in contemplatione divinæ veritatis; et quarto mercedem multam, quæ consistit in duratione æternitatis. Et hæc quatuor designantur in Epistola ad *Ephesios* [9] : « Ut possitis, inquit comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profunditas. » Longitudo, scilicet æternitatis; latitudo, bonitatis; sublimitas, potestatis; et profunditas, sapientiæ sive veritatis. Hæc autem quatuor promittit quatuor generibus meritorum erigentium nos ad Deum, et rectificantium liberum arbitrium nostrum. Regnum enim opulentiæ promittitur contemnentibus bona temporalia : cujusmodi sunt pauperes. Convivium abundantiæ, desiderantibus spiritualia : et hi sunt esurientes. Risus jucunditatis, detestantibus mala culpæ : et hi sunt flentes. Multitudo mercedis, sustinentibus mala pœnæ : et hi sunt patientes. In his quatuor clauditur perfecta operatio (*b*) voluntatis humanæ respectu duplicis boni, et respectu duplicis mali. Primo ergo promittit Dominus pauperibus regnum opulentiæ propter contemptum temporalium ; et tales erant discipuli ; et ideo dicit : *Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes.* Elevando oculos dicit beatos, quia [10] : « Oculi Domini super justos, » et maxime super pauperes : [11] « Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate, et oculus Dei respexit

Paupertas.

[1] *Isa.*, LVII, 20. — [2] *Eccli.*, XXVII, 2. — [3] Ibid., V, 10. — [4] *Psal.* LVIII, 7. — [5] *Prov.*, IX, 9. — [6] *Deut.*, XXXIII, 3. — [7] Ibid., XV, 1. — [8] *Psal.* CII, 3. — [9] *Ephes.*, III, 18. — [10] *Psal.* XXXIII, 16. — [11] *Eccli.*, XI, 12, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* peccatis. — (*b*) *Item* oratio.

illum in bono. » Ideo autem vocat beatos hos pauperes, quia sunt ad beatitudinem præparati. Et ideo addit : *Quia vestrum est regnum Dei.* Quod quidem est valde magnum. Nam dicitur in *Psalmo* [1] : « Regnum tuum, regnum omnium sæculorum. » Hoc dicit esse pauperum, quia illius pauperes hæredes, secundum illud [2] : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites fide et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? » [3] « Melior est ergo pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua. » Et nota quod dicit : *Est*, de præsenti, sive propter certitudinem promissionis, sive etiam quia vere pauperes nunc quodammodo incipiunt esse reges, secundum illud [4] : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » « Altissima enim paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, » sicut dicitur [5]. Unde jam quasi felices sunt, non miseri reputandi pauperes evangelici, sive voluntarii. Seneca : « Nemo nascitur dives : quisquis exit in lucem, jussus est pane et lacte esse contentus ; et nemo in hoc pauper est. Inter quæ si quis desiderium suum clauserit, cum Jove poterit de felicitate contendere. »

Et nota, quod a paupertate incipit, quia, sicut dicit Ambrosius [6], « Paupertas est prima parens virtutum : qui contempserit sæcularia, merebitur æterna : [7] æmulus illius pauperis [8], qui « cum dives esset, factus est propter nos egenus. »

Fames justitiæ.

Secundo promittit esurientibus convivium abundantiæ, propter desiderium spiritualium ; et hoc notat, cum subdit (v. 21) : *Beati qui nunc esuritis*, scilicet cibum justitiæ, secundum quod dicitur in Glossa. *Quoniam saturabimini*, per convivium abundantiæ. Ambrosius [9] : « Qui esurit, virium quærit augmentum, » secundum illud [10] : « Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient. » Illi justitiam esuriunt, qui possunt dicere cum Jesu illud [11] : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » Illi etiam justitiam esuriunt, qui amore justitiæ libenter esuriem patiuntur. Et hi possunt dicere cum Apostolo illud [12] : « Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus. » Tales fuerunt illi sancti Patres, de quibus dicitur ad *Hebræos* [13] : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, » etc. Tales a Domino saturabuntur, quia [14] : « Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos. » Et hoc erit in divina gloria, secundum quod in *Psalmo* dicitur [15] : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » Et iterum [16] : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Et sic impletum est illud [17] : « Famelici saturati sunt. » Nec mirum, quia [18] : « Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. » Et rursus, secundum illud [19] : « Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. »

Tertio promittit flentibus risum jucunditatis propter pœnitentiam de malo culpæ, cum adjungit : *Beati qui nunc fletis*, scilicet pro malis commissis, sicut Ezechias « conversus ad parietem flevit fletu magno, » sicut dicitur [20] ; sicut et Petrus, de quo post negationem dicitur [21], quod « egressus foras flevit amare. » Et Job [22] : « Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. » Vel pro peccatis alienis, sicut David [23] super Saulem. Sic Christus super Jerusalem, infra [24] : « Videns civitatem, flevit super illam. » Vel *Qui nunc fletis*, scilicet pro alienis miseriis. *Job* [25] : « Flebam

[1] *Psal.* CXLIV, 13. — [2] *Jac.*, II, 5. — [3] *Prov.*, XIX, 1. — [4] II *Cor.*, VI, 10. — [5] Ibid., VIII, 2. — [6] Ambros., *in Luc.*, lib. V, n. 50. — [7] Ibid., n. 53. — [8] II *Cor.*, VIII, 9. — [9] Ambros., lib. cit., n. 56. — [10] *Eccli.*, XXIV, 29. — [11] *Joan.*, IV, 34. — [12] I *Cor.*, IV, 11. — [13] *Hebr.*, XI, 37. — [14] *Apoc.*, XVI, 17. — [15] *Psal.* XVI, 15. — [16] *Psal.* XXXV, 9. — [17] I *Reg.*, II, 5. — [18] *Isa.*, XXV, 6. — [19] *Psal.* LXXX, 17. — [20] *Isa.*, XXXVIII, 2. — [21] *Matth.*, XXVI, 75. — [22] *Job*, XXX, 31. — [23] II *Reg.*, I, 12. — [24] Inf., XIX, 41. — [25] *Job*, XXX, 35.

quondam super eo, qui afflictus erat. » Ad *Romanos*[1] : « Flere cum flentibus. » Vel *Qui nunc fletis*, pro evadendis peccatorum tentationibus et sequelis; unde dicitur[2], quod « cum loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevaverunt vocem suam, et fleverunt : et vocatum est nomen loci illius, flentium et lacrymarum. » Et hic locus est status vitæ præsentis, qui non durat nisi ad nunc. Et ideo dicit : *Qui nunc fletis.* [3] « Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, » etc. Vel *Qui nunc fletis,* scilicet desiderio æternorum; et hic est proprius intellectus.[4] « Plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » Et in *Psalmo* [5] : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? » Istis dicit : *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis* risu spirituali, qui consistit in joconditate mentis, propter contemplationem veritatis. *Job*[6] : « Impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. » Et sicut dicitur in *Proverbiis*[7] : « Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. » Hic risus erit de bonis propriis et alienis, secundum quod dicitur de Sara [8] : « Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi. »

Risus spiritualis.

Quarto vero promittit patientibus magnitudinem mercedis propter tolerantiam in malo pœnæ, cum subdit (v. 22) : *Beati eritis, cum vos oderint homines,* scilicet quantum ad actum cordis. Optime dicit *Homines,* id est, animales et bestiales, quia[9] « homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Et ad *Corinthios*[10] : « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Secundum illum videlicet hominem, de quo dicitur [11] : « Homo homini reservat iram. » Isti oderunt servos Christi [12] : « Fratres hominis pauperis oderunt eum. » Et in *Matthæo*[13] : « Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. » Quantum ad actum operis addit : *Et cum separaverint vos,* scilicet ejiciendo extra synagogas, secundum illud [14] : « Jam enim conspiraverant Judæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret; » et ita in opprobrium separaretur ab aliis, etiam ab ipsis domesticis. Quod quidem prædicabat Dominus venturum esse suis discipulis [15] : « Veni separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus. » Quantum ad actum oris, subjungit : *Et exprobaverint,* vobis convitiando; *et ejecerint nomen vestrum tanquam malum,* detrahendo [16] : « Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. » [17] « Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? » Quia bonum dicunt malum, secundum illud [18] : « Et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. » Et quia martyrem non facit qualiscumque hæc pœna, nisi adsit debita causa, ideo subdit : *Propter filium hominis.*[19] « Si quid patimini propter justitiam, beati » eritis, id est propter Christum, qui [20] « factus est nobis sapientia et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Sic volebat pati Paulus[21] : « Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. » Sic patientes lætificat per præmium, cum subdit (v. 23) : « *Gaudete in illa die, et exultate : ecce merces vestra multa est in cœlo.* Gaudete, scilicet ob retributionem bonam, ad *Romanos*[22] : « Spe gaudentes, in tribulatione patientes. » Quod impletum est[23] :

Tolerantia.

Pœna non facit martyrem.

[1] *Rom.*, XII, 15. — [2] *Judic.*, II, 4, 5. — [3] I *Petr.*, I, 6. — [4] *Joan.*, XVI, 20. — [5] *Psal.* XLI, 4. — [6] *Job*, VIII, 21. — [7] *Prov.*, XXXI, 25. — [8] *Gen.*, XXI, 7. — [9] *Psal.* XLVIII, 14, 21. — [10] I *Cor.*, III, 3. — [11] *Eccli.*, XXVII, 3. — [12] *Prov.*, XIX, 7. — [13] *Matth.*, X, 22. — [14] *Joan.*, IX, 22. — [15] *Matth.*, X, 35. — [16] I *Petr.*, IV, 14. — [17] *Jac.*, II, 7. — [18] *Matth.*, V, 11. — [19] I *Petr.*, III, 14. — [20] I *Cor.*, I, 30. — [21] *Act.*, XXI, 13. — [22] *Rom.*, XII, 12. — [23] *Act.*, V, 41.

« Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Ad hæc autem inducit mercedis consideratio[1] : « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo. » *Merces*, inquam, *multa est*, quia[2] : « Pax multa diligentibus legem tuam. » Et perpetua, quia in *cœlo*[3] : « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. » Et hoc est, quod dicit Beda[4] : « Inter odia cordium, inter probra linguarum, inter manus persequentium, æquali, imo lætiori corde versemini intuitu supernæ mercedis. » Et quia hoc opus est arduissimum, scilicet gaudere in tribulationibus; ideo non solum spondet præmium, sed adjungit exemplum, cum subdit : *Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.* Secundum quod dicitur[5] : « Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. » Et in *Actis*[6] : « Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (*a*) : sicut patres vestri, et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi. » Hos proponit in exemplum propter ipsorum constantiam[7] : « Exemplum accipite, fratres, laboris et patientiæ (*b*) prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. » Qui a veritate propter flagella non movebantur ; unde de Elisæo[8] : « In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum, nec superavit illum verbum aliquod. » Hæc omnia mala sufferebant prophetæ, propter mercedem quam aliis promittunt[9] : « Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur. » Unde eximius ille propheta Joannes post omnes tribulationes Ecclesiæ subjungit in persona Christi[10] : « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. » Unde nota quod divina Scriptura insinuat nobis differentias præmiorum secundum diversitates meritorum. Unde invenitur merces salva, merces magna, digna, plena, temporanea, festina, fidelis, copiosa, perpetua. Merces salva est, angelis ministrantibus nobis; magna datur prælatis, sive præsidentibus ; digna obedientibus ; plena contemplantibus; temporanea datur operantibus ; festina proficientibus ; fidelis perficientibus ; multa sive copiosa patientibus ; sed perpetua perseverantibus.

Unde de salva mercede angelorum, quia, ob ministerium quod habent erga nos, a suo præmio non fraudantur, dicitur[11] : « Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua. »

De mercede magna præsidentium a Domino dicitur ad Abraham, qui typum gerit prælatorum[12] : « Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » De mercede digna obedientium dicitur[13] : « In posterum cognoscantur omnes, qui Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem. » De mercede plena contemplantium dicitur ad Ruth, quæ typum gerit contemplativorum, quæ cuncta reliquit propter Deum, et interpretatur ovis, vel videns, ut ovis dicatur propter mititatem affectus anima contemplativa, sed videns propter illuminationem intellectus : unde dicit ei Booz[14] : « Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. » De mercede temporanea operantium dicitur[15] : « Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. » De mercede festina proficientium dicitur[16] : « Benedictio Dei in mercedem justi festinat. » De mercede fideli perfectorum, ut prædicantium, vel talium, dicitur[17] : « Seminanti justitiam merces fidelis. » De mercede patientium copiosa sive multa, dicitur

[1] *Jerem.*, XXXI, 16. — [2] *Psal.* CXVIII, 165. — [3] *Sap.*, V, 16. — [4] Bed., lib. II, c. XXII, *in Luc.*, c. VI. — [5] *Matth.*, XXIII, 31. — [6] *Act.*, VII, 51, 52. — [7] *Jac.*, V, 10. — [8] *Eccli.*, XLVIII, 13. — [9] Ibid., XXXVI, 18. — [10] *Apoc.*, XXII, 12. — [11] *Tob.*, V, 4. — [12] *Gen.*, XV, 1. — [13] *Esth.*, XVI, 23. — [14] *Ruth*, II, 12. — [15] *Eccli.*, LI, 38. — [16] Ibid., XI, 24. — [17] *Prov.*, XI, 18. — (*a*) *Cæt. edit.* restitistis. — (*b*) *Cæt. edit add.* per.

hic, et apud *Matthæum*[1] : « Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. » De mercede vero perpetua, quæ congruit perseverantibus[2] : « Non verearis (*a*) usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. » Sic ergo secundum diversitates meritorum appropriantur differentiæ præmiorum, et sic[3] « reddet Deus justis mercedem laborum suorum. »

24. *Verumtamen væ vobis divitibus.* Post promissiones beatitudinum, subjungit comminationes suppliciorum : et quia contra bonum est malum, quatuor ponit comminationes, quatuor beatitudinibus ex opposito respondentes, scilicet desolationem in amissione boni temporalis, esuriem in amissione boni spiritualis, fletum in afflictione mali corporalis, confusionem in passione opprobrii sempiternalis. Et hæc sunt quatuor væ, quæ comminatur quatuor generibus hominum, oppositis viris evangelicis prædeterminatis, scilicet, cupidis, gulosis, lascivis, et vane gloriosis. Cupidis ergo comminatur væ sempiternæ desolationis, cum dicit : *Verumtamen væ vobis divitibus.* Adversative dicit *divitibus*, id est divitias amantibus, quia tales inhiant ad divitias congregandas[4] : « Væ ei, qui multiplicat non sua, » id est, bona terrena, quæ non sunt nostra, quia nec nobiscum veniunt, nec nobiscum recedunt : terreni tamen homines reputant esse sua.[5] « Væ, væ, væ habitantibus in terra. » Tales sunt cupidi, contra quos dicit Dominus[6] : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur. » Quoniam ad divitiarum istarum multiplicationem necesse est sequi inopiam, et ad consolationem sequi desolationem. Ideo subdens rationem, dicit : *Quia habetis consolationem vestram*, scilicet de præsenti, sed non de futuro. Unde[7] : « Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. » Ideo consolatio ista vana et falsa est, quia desolationem inducit[8] : « Somniatores locuti sunt frustra, et vane consolabantur. » Vere frustra, quia[9] : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Et præterea etiam cum propheta David[10] : « Renuit consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum. »[11] « Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat : » ut per desolationem viæ perveniatur ad consolationem patriæ, de qua[12] : « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. » Hanc debemus expectare, non præoccupare[13] : « Expectemus humiles consolationem ejus. »

Gulosis comminatur væ perpetuæ famis, cum subdit (v. 25) : *Væ vobis, qui saturati estis*, etc., vacando scilicet crapulæ et ebrietati[14] : « Cui væ ? cujus patri væ ? cui rixæ ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffossio oculorum ? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis ? »[15] « Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. » Et ideo subditur : *Quia esurietis.* Saturitas hæc inducet perpetuam famem, secundum illud[16] : « Cum satiatus fuerit, arctabitur ; æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. » Et apud *Isaiam* (*b*)[17] : « Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. » Unde de malis dicitur[18] : « Manducaverunt, et saturati sunt nimis. »

Lascivis comminatur væ sempiterni fletus, cum dicit : *Væ vobis, qui ridetis nunc : quoniam lugebitis, et flebitis*, id est, in hoc momento temporis[19] : « Gaudium hypocritæ ad instar puncti. » Et in *Proverbiis*[20] : « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupabit. » Melius est certe, quod fletus risum antecedat, quam e contrario ; et propterea dicitur[21] : *Tempus flendi*, scilicet prius

[1] *Matth.*, v, 12. — [2] *Eccli.*, XVIII, 22. — [3] *Sap.*, x, 17. — [4] *Habac.*, II, 6. — [5] *Apoc.*, VIII, 13. — [6] *Matth.*, VI, 19. — [7] *Jac.*, v, 1. — [8] *Zach.*, x, 2. — [9] *Psal.* LXXV, 6. — [10] *Psal.* LXXVI, 3. — [11] *Job*, VI, 10. — [12] *Isa.*, LXVI, 13. — [13] *Judith*, VIII, 20. — [14] *Prov.*, XXIII, 29. — [15] *Isa.*, v, 22. — [16] *Job*, XX, 22. — [17] *Isa.*, LXV, 13. — [18] *Psal.* LXXVII, 29. — [19] *Job*, XX, 5. — [20] *Prov.*, XIV, 13. — [21] *Eccle.*, III, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* veneris. — (*b*) *Item* Et *Isaias.*

in hoc tempore, *et tempus ridendi* post, in æternitate. Sed fatuus non vult nunc continere a risu[1] : « Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacite ridebit. » Imo *Ecclesiastes* (*a*) [2] : « Risum reputavi errorem; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? » Stulti ergo sunt qui nunc rident, et sapientes qui nunc lugent, secundum illud [3] : « Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia. » Propter quod dicitur stultis et mundanis [4] : « Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis; » scilicet in inferno [5] : « Ibi erit fletus, et stridor dentium. »

Contra vane gloriosos.

Vane gloriosis comminatur væ sempiterni contemptus, cum subdit (v. 26) : *Væ vobis, cum benedixerint vobis omnes homines*, vanis scilicet laudibus extollendo [6] : « Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit. » Quia, sicut dicitur [7] : « Erunt qui beatificant populum istum seducentes; et qui beatificantur, præcipitati. » Præcipitantur enim ex vanis laudibus in opprobrium sempiternum, dum ex illis extolluntur, secundum illud *Job* [8] : « Elevasti me, et (*b*) quasi super ventum ponens, » scilicet vanæ laudis, « elisisti valide. » Et quia difficile est hujusmodi laudes vitare, subjungit exemplum : *Secundum hæc* (*c*) *enim faciebant prophetis patres eorum*; prophetis, inquam, non veris, sed falsis. Unde Glossa : « Benedicebant pseudoprophetis, qui ad captandum favorem vulgi de corde suo prophetabant [9] : « Stupor et mirabilia facta sunt in terra : prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia. » In hoc ergo quod ostendit malos homines laudari a pseudoprophetis, ostendit omnino contemnendum esse favorem popularem [10] : « Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent : confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. » Hoc autem dictum est non de his, qui bona exempla et laudabilia populis ostendunt ad Deum glorificandum, cum dicatur [11] : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est; » sed de his, qui propriam gloriam in placendo hominibus et in eorum laudibus quærunt, dicitur [12] : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. »

Nota hic de diversitate inter Matthæum et Lucam, quod Lucas ponit promissiones et comminationes; Matthæus autem solas promissiones ponit. Propter quod videtur, vel quod alter dixerit diminute, vel alter superflue. Sed certe potest responderi secundum quod Glossa innuit, et Augustinus dicit, quod alius fuit sermo hic, et alius apud Matthæum. Cujus diversitas ex locis colligitur, et personis, et præceptis : nam ille factus est discipulis, iste turbis : ille sedendo, iste stando : ille in monte, iste in loco campestri : ille plura documenta continet, quam iste : ille septem beatitudines, iste quatuor. Ex quibus omnibus colligitur quod fuit alius, atque alius. Nec immerito, quia aliis, et aliis personis, aliter et aliter est loquendum. Discipulis enim tanquam perfectioribus perfectiori modo debuerunt mandata evangelica explicari; turbæ vero non possunt ad altiora conscendere. Ideo non adeo perfecte explicatur verbum Dei turbis, sicut apostolis. Et quia perfecti moventur amore, imperfecti vero non solum amore, sed simul comminationis timore : ideo in sermone apostolorum ponuntur beatitudines et non væ; in sermone turbarum, et beatitudines, et væ. Rursus quia perfecti conformes efficiuntur Christo per septiformem spiritum, qui [13] requievit super eum; ideo septem ponuntur beatitudines, septem donis Spiritus sancti scilicet concordantes. Hic notantur quatuor

[1] *Eccli.*, XXI, 23. — [2] *Eccle.*, II, 2. — [3] Ibid., VII, 5. — [4] *Isa.*, LXV, 14. — [5] *Matth.*, VIII, 12. — [6] *Prov.*, XXVII, 14. — [7] *Isa.*, IX, 16. — [8] *Job*, XXX, 12. — [9] *Jerem.*, V, 31. — [10] *Psal.* LII, 6. — [11] *Matth.*, V, 15. — [12] *Gal.*, I, 10. — [13] *Isa.*, XI, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* in Ecclesiastico. — (*b*) *Cæt. edit. deest* et. — (*c*) Edit. Vat. *hunc;* edit. Ven. *hunc.*

beatitudines correspondentes quatuor virtutibus cardinalibus, ut habetur in Glossa : paupertas, temperantiæ; esuries boni spiritualis (*a*), justitiæ; fletus, prudentiæ; passio malorum, fortitudini, sive patientiæ, sicut dicit glossa Bedæ [1]. In his tamen quatuor aliæ continentur implicite. Unde non ita exprimit Lucas spiritualem intellectum in hujusmodi promissionibus, ut Matthæus. Dicit enim : « Beati pauperes spiritu ; » hic solum : « Beati pauperes. » Ille : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur ; » hic autem : « Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. » Et iterum in Matthæo proponuntur pluraliter in tertia persona, quia alloquitur intelligentes ; in Luca particulariter et in secunda persona, quia alloquitur sensuales. Ex his colligi possunt rationes aliarum diversitatum, quia pro diversitate audientium diversimodus est sermo doctorum, secundum illud Apostoli [2] : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oportet vos unicuique respondere. » Et hoc faciebat ille doctor gentium [3] : « Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. » Post sequitur : « Sapientiam autem loquimur inter perfectos. » Sic faciebat Salvator, qui turbis loquebatur in parabolis ; seorsum autem, discipulis suis disserebat omnia, quia, sicut dicitur [4], eis « datum erat nosse mysteria regni cœlorum. »

27. *Sed vobis dico qui auditis*, etc. Post promissiones præmiorum, et comminationes suppliciorum, subdit hic tertio evangelici præceptoris leges, sive documenta dirigentia ; et habet partes duas, in quarum prima ponit documenta propria et expressa ; in secunda vero, similitudinaria et translata, ibi (v. 39) : *Dicebat autem illis et similitudinem*, etc. Circa prima documenta auditoribus commendanda, hoc modo procedit Christi doctrina. Primo namque promulgat legem evangelicam sub perfectione conveniente ; secundo vero probat ex conditione deficiente, ibi (v. 32) : *Et si diligitis eos, qui vos diligunt*, etc. ; tertio vere resumit cum ratione movente, ibi (v. 35) : *Verumtamen diligite inimicos vestros ;* quarto concludit per retributionem sufficientiæ, ibi (v. 36) : *Estote ergo misericordes*. Circa documentorum promulgationem notandum est, quod ad hoc, quod homo sit perfectus, necesse est ipsum esse benevolum, perfecte pacificum et perfecte beneficum. Primum respicit affectionem ; secundum vero passionem, et tertium operationem. Dat ergo primo mandatum perfectæ benevolentiæ, cum ait : *Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros*. Hoc namque mandatum est auditoribus, id est credentibus et obedientibus proponendum, in quibus habitat Deus, quia dicitur [5] : « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Et talis audit mandatum charitatis, non solum aure corporis, sed cordis, secundum illud [6] : « Qui ex Deo est, verba Dei audit. » Hunc auditum Dominus excitabat [7] : « Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me, audite, et vivet anima vestra. » Vivet utique per mandatum dilectionis, quia sicut dicitur [8] : « Qui non diligit, manet in morte. » Et ante illud : « Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. » Ad hanc Apostolus invitat [9] : « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. » [0] « Quoniam cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus. » Et ita nos debemus inimicos diligere. Et quoniam non sufficit diligere verbo neque lingua solum, sed opere et veritate, ideo subdit : *Benefacite his, qui oderunt vos*, ut sit dilectio sine simulatione [11] :

[1] Bed., lib. II, c. XXII, *in Luc.*, c. VI. — [2] *Coloss.*, IV, 6. — [3] I *Cor.*, II, 1, 6. — [4] *Matth.*, XIII, 11. — [5] I *Joan.*, IV, 16. — [6] *Joan.*, VIII, 47. — [7] *Isa.*, LV, 2, 3. — [8] I *Joan.*, III, 14. — [9] *Ephes.*, V, 2. — [10] *Rom.*, V, 10. — [11] *Prov.*, XXV, 21. — (*a*) *Cæt. edit.* spiritualiter.

« Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitiverit, da ei aquam bibere. » Idem dicitur ad *Romanos* [1]. Et quia verbum melius est quam datum, et sermo declarat affectum, ideo subdit (v. 28) : *Benedicite maledicentibus vobis*, in sermone publico ; *et orate pro calumniantibus vos*, in sermone privato. *Benedicite*, inquam, sermone manifesto. Ad hoc hortatur Apostolus [2] : « Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. » Et [3] : « Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes. » *Orate* etiam in sermone secreto, exemplo illius, de quo *Isaias* dicit [4] : « Pro transgressoribus oravit; » et exemplo illius protomartyris [5] : « Positis autem genibus clamavit voce magna : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Sed huic contrariari videtur quod Elisæus iratus legitur pueris irridentibus [6], Elias [7] quinquagenariis, et Paulus [8] sacerdoti summo. Ad quod respondet Beda, quod ista non sunt vota optantium, sed prædictiones (*a*) futurorum ; vel non irascebantur contra naturam, sed contra vitium. Ut enim dicit Augustinus, « sic homines sunt diligendi, ut tamen eorum non diligantur errores. » Sic igitur dat mandatum perfectæ benevolentiæ, quæ non solum consistit in corde, sed et opere et sermone indicari debet. Unde Gregorius : « Ad dilectionem Conditoris lingua, mens et manus requiritur. » De hoc autem mandato benevolentiæ in summa notandum est, quod quantum ad affectum, astringit universos; quantum ad signum astringit perfectos, non imperfectos ; quantum ad affectum, in articulo necessitatis omnes astringit. Citra (*b*) necessitatem non astringit imperfectos, nisi quantum requirit debitum alicujus præcepti ; perfectos autem a statu prælationis astringit, quantum requirit debitum officii assumpti ; perfectos a statu perfectionis, quantum requirit debitum boni exempli ; perfectos autem a perfectione virtutis, quantum requirit unio charitatis.

Secundo dat mandatum de perfecta patientia, cum subdit (v. 29) : *Et qui te percutit in maxillam unam*, inferendo scilicet injuriam in persona. Et ponit maxillam pro parte corporis nobiliori, quæ cum percutitur, præcipua injuria irrogatur [9] : « Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam ; satiati sunt pœnis meis. » De tali ac tanta injuria non est exigenda vindicta, sed exhibenda patientia. Unde subdit : *Præbe illi et alteram*, scilicet maxillam, id est, paratus sis aliam percussionem sustinere, exemplo Magistri, de quo [10] : « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. » Dabit utique non invitando ad percussionem, sed non opponendo defensionem, secundum illud [11] : « Non vosmetipsos defendentes, carissimi ; sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. » Unde in hoc mandato prohibetur libidinosa defensio; sed non charitativa correptio, cum dicatur [12] : « Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum, » etc. Et exemplum hujus in Christo [13] : « Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici ? » Et subdit : « Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis ? » Unde Augustinus in quodam sermone de verbis Domini ait [14] : « Si injuriam pateris, et taces, et proximum non corripis, plus peccas negligendo, quam ille affligendo. » Per hoc etiam mandatum non arcentur personæ sæculares laicæ a sui

[1] *Rom.*, XII, 20. — [2] *Rom.*, XII, 14. — [3] I *Petr.*, III, 9. — [4] *Isa.*, LIII, 12. — [5] *Act.*, VII, 59. — [6] IV *Reg.*, II, 23 et seq. — [7] Ibid., I, 9 et seq. — [8] *Act.*, XXIII, 3 et seq. — [9] *Job*, XVI, 11. — [10] *Thren.*, III, 30. — [11] *Rom.*, XII, 19-21. — [12] *Matth.*, XVIII, 15. — [13] *Joan.*, XVIII, 22, 23. — [14] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XVI, al. serm. LXXXII, c. IV, n. 7, quoad sensum.

(*a*) *Cæt. edit.* prædicationes. — (*b*) *Item* Circa.

vel aliorum defensione. Unde Paulus [1] petiit milites, ut illæsus servaretur. Unde Augustinus, primo de *Civitate Dei,* exponens illud præceptum *Exodi* [2] : « Non occides, » dicit [3] quod contra hoc præceptum non fecerunt qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum ejus leges, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Unde canon [4] dicit, et est verbum Ambrosii [5] : « Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitiæ est. » Ista præcepta patientiæ sunt semper in cordis præparatione continenda : ipsa namque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in cordibus voluntate complenda est. Agenda autem sunt multa cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius est utilitati consulendum, quam voluntati. Sic igitur intelligendum est mandatum de exhibenda patientia injurianti ipsi personæ. Exhibenda est patientia etiam injurianti in re possessa; propter quod additur : *Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum,* scilicet exterius per injuriam, sicut illi de quibus ait Job [6] : « Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. » Et Michæas [7] : « Desuper tunicam pallium sustulistis. » Tali sic injurianti exhibenda est patientia; unde subdit : *Etiam tunicam noli prohibere,* scilicet rixando, vel contradicendo, exemplo Salvatoris, de quo in *Psalmo* [8] : « Diviserunt sibi vestimenta mea, » etc.; sine repugnantia scilicet et contradictione. In hoc etiam mandato intelligendum est, prohiberi contentionem vel libidinem vindicandi. Unde Augustinus ad Marcellinum [9] : « Cavendum est ne vindicandi cupiditate amittatur ipsa patientia : quæ pluris habenda est, quam omne bonum, quod potest inimicus inimico auferre. » In summa hic tenendum est de præcepto patientiæ, quod non prohibetur hic correptio proximi, seu impeditio vel prohibitio mali, vel punitio sceleris perpetrati, ab eo qui potest et debet præpedire, cujusmodi est legis minister; sed prohibetur et cohibetur hic ulciscendi libido, et quantum ad manum, et quantum ad signum, et quantum ad animum. Unde hic addit Evangelista super legem, quam perficit et consummat secundum spiritualem intelligentiam.

Supra egit de mandato benevolentiæ, et de mandato patientiæ; hic tertio dat mandatum de perfecta beneficentia, cum subjungit (v. 30) : *Omni autem petenti te tribue.* Hoc est mandatum generale respectu omnis personæ, et omnis dati, sive obsequii, sive mutui, sive alterius muneris. Est proximo dandum munus exterioris relevationis, secundum illud [10] : « Ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi. » Et in *Exodo* [11] : « Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. » Est et munus internæ compassionis [12] : « Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. » Et ad *Colossenses* [13] : « Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem continuam habete, quod est vinculum perfectionis : et pax Christi exultet in cordibus vestris. » Et etiam munus dulcis locutionis [14] : « Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius, quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum ? et utraque cum ho-

Beneficentia.

[1] *Act.*, XXIII, 17 et seq. — [2] *Exod.*, XX, 13. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. XXI. — [4] XXIII, q. III, c. *Fortitudo*. — [5] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XXVII, n. 129. — [6] *Job*, XXIV, 7. — [7] *Mich.*, II, 8. — [8] *Psal.* XXI, 19. — [9] Aug., *ad Marcellin.*, epist. V, al. CXXXVIII, n. 12. — [10] *Deut.*, XV, 11. — [11] *Exod.*, XXIII, 5. — [12] *Isa.*, LVIII, 10. — [13] *Coloss.*, III, 12-15. — [14] *Eccli.*, XVIII, 16, 17.

A quibus, et quibus dari debeat eleemosyna.

mine justificato. » Ad duo subsequentia omnes obligantur. Ad primum autem obligantur præcipue divites, sive qui habent unde possint alienam necessitatem relevare; unde dicitur [1] : « Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum ; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere , communicare , thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum , ut apprehendant veram vitam. » Obligat etiam respectu omnis personæ, considerata natura et necessitate, non autem pensato vitio ; unde non contrariatur ei quod dicitur [2] : « Da bono , et non receperis peccatorem. » Benefac humili, et non dederis impio. Hoc dicit in quantum peccator, vel impius. Unde non dandum histrionibus, ratione sui ministerii, quia Hieronymus dicit : « Mimis et histrionibus dare, nihil aliud est, quam dæmonibus immolare. » Si tamen in necessitate sint constituti , dandum est eis, quia sunt ad imaginem Dei creati , et quia fratres nostri. Unde dicitur [3] : « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere , et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » Et quia hoc mandatum beneficentiæ se extendit ad omnes sine exceptione , ideo specificat etiam de injuriantibus , cum subjungit : *Et qui aufert quæ tua sunt , ne repetas*, Glossa : « Cum litigio vel contentione, quæ venit ex cupiditate. » Unde dicitur [4] : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, et ad contentiones jejunatis. » Et alibi [5] : « Verba improperii non dicas illi , » scilicet proximo : « et non premas illum in repetendo. » Maxime autem tunc premit, quando coram judice alieno vel infideli in causam trahit. Propter quod dicitur [6] : « Frater cum fratre judicio contendit : et hoc apud infideles ! Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? quare non magis fraudem patimini ? » Hoc autem dicit, non quia nullo modo liceat repetere ; sed ut ostendat, quod magis debemus diligere proximum , et ejus salutem , quam rem temporalem. Unde Gregorius : « Cum pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, apparet, quod plus res quam proximus amatur. » Unde hic nota , quod repetere contingit tripliciter, scilicet ex cupiditate, ex zelo justitiæ, ex timore casus. Primum est malorum, non justorum charitatem habentium, secundum illud [7] : « Charitas non quærit quæ sua sunt. » Glossa : « Non repetit ablata, scilicet ex amore cupiditatis ad rem. » Secundo contingit repetere zelo justitiæ : et hoc modo licet perfectis, qui habent proprium in communi, nomine communitatis. Perfectis vero, qui nec in communi , nec in speciali habent proprium , non licet eis repetere; sed eis solum licet, qui habent proprietatem illarum rerum , quarum ipsi usum habent. Ille zelo justitiæ repetit, qui intendit consulere saluti rapientis , et refrenationi cupiditatis alienæ , et paci universalis Ecclesiæ. Unde Gregorius : « Non solum debet esse cura, ne nostra rapiant; sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. » Ille zelo justitiæ repetit, qui intendit jus suum defendere , vel personæ , vel Ecclesiæ, seu alicujus communitatis adjunctæ, maxime cum illud ex causa teneatur defendere. Est tertio repetere timore casus , scilicet ne propter paupertatem et indigentiam cadat in culpam ; et sic spectat ad infirmos. Unde orabat Sapiens in persona talium [8] : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus, furer, et perjurem nomen Dei mei. » Vult ergo in hoc mandato dicere, quod homo sit paratus ad benefaciendum

[1] I *Tim.*, VI, 17, 18. — [2] *Eccli.*, XII, 5. — [3] I *Joan.*, III, 17. — [4] *Isa.*, LVIII, 3, 4. — [5] *Eccli.*, XXXI, 42. — [6] I *Cor.*, VI, 6, 7. — [7] I *Cor.*, XIII, 5. — [8] *Prov.*, XXX, 8, 9.

omnibus, non tantum benefactoribus suis, sed etiam prævaricatoribus (*a*). Ad perfectionem etiam benevolentiæ exigitur, quod homo benefaciat in omnibus. Unde subditur (v. 31) : *Et prout vultis ut vobis faciant homines, et vos facite illis similiter.* Et nota, quod non dicit, « prout faciunt, sed prout vultis, » quia quilibet vult, cum indiget, sibi benefieri, et in omni necessitate relevari [1] : « Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundum opus suum. » In hoc mandato est conservatio legis naturalis, cujus altera pars, videlicet negativa, ponitur et implicatur hic, scilicet [2] : « Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. » Vult ergo, quod semper bonum, quando possumus, cuilibet faciamus, sicut prompti sumus pro nobis bona recipere, secundum illud [3] : « Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maxime autem ad domesticos fidei. » Et nota, quod non dicit : Facite prout volunt homines; sed : *prout vultis :* tum quia voluntas nostra nobis notior est; tum etiam quia magis nos movet consideratio nostri; tum etiam quia loquitur ad eos, qui voluntatem habent ordinatam, et secundum illam est operandum. In summa tenendum est de præcepto beneficentiæ in generali, quod tantum astringit, quantum explicatur per speciales obligationes præceptorum. Et ideo supra legem naturæ addita est lex scripta, ut per eam sciret homo ad quid astringeretur ex justitia.

32. *Et si diligitis eos, qui vos,* etc. Postquam promulgavit leges evangelicas sub perfectione conveniente; hic secundo probat ex conditione deficiente, ubi ostendit quod præcipere debuit secundum modum præmissum; alioquin nullum est meritum apud Deum. Unde ostendit hic tria, scilicet quod non sufficit ad meritum esse benevolum respectu amantium, nec beneficum solum respectu retribuentium, nec communicativum respectu recompensantium. Et in hoc ostendit, quod perfecta benevolentia et beneficentia non tantum debet se extendere ad amicos, verum etiam ad adversarios, juxta formam superius promulgatam. Est ergo primo notandum, quod non sufficit esse benevolum solum respectu diligentium, quia hoc est peccatorum, propter quod ait : *Et si diligitis, qui vos diligunt :* id est quia vos diligunt. *Quæ vobis est gratia?* id est, quod meritum retributione dignum? quasi diceret : nullum. Et rationem reddit : *Nam et peccatores diligentes se diligunt;* qui nullum habent meritum apud Deum, hoc enim est naturale, secundum illud [4] : « Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. » Vel etiam carnale diligit simile sibi [5] : « Sodalis amico conjucundabitur in oblectationibus; et in tempore tribulationis adversarius erit. Sodalis amico condolet causa ventris ; et contra hostem accipiet scutum. » Talis dilectio apud Deum non habet meritum, quia non impenditur propter Deum. Si enim propter Deum impenderetur, utique diligeret Deus diligentes se, secundum illud [6] : « Ego diligentes me diligo. » Minus etiam diligentibus plus dilectionis rependeret, secundum illud [7] : « Ego autem libentissime impendam, et surperimpendar ego ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligart. » Item nullo modo etiam diligentes diligeret, secundum illud [8] : « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum ; sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis. » Et ad *Romanos* [9] : « Commendat autem charitatem suam Deus

Dilectio quænam sit non habens meritum apud Deum.

[1] *Prov.*, XXIV, 29. — [2] *Tob.*, IV, 16. — [3] *Gal.*, VI, 9, 10. — [4] *Eccli.*, XIII, 19, 20. — [5] *Eccli.*, XXXVII, 2, 4. — [6] *Prov.*, VIII, 17. — [7] II *Cor.*, XII, 15. — [8] I *Joan.*, IV, 10. — [9] *Rom.*, V, 8, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* prædicatoribus.

in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. » Unde quando dilectio solum ad diligentes extenditur, non est dilectio divina nec gratuita, sed mercenaria et humana, ac per hoc nec retributione digna.

Non sufficit etiam esse beneficum respectu retribuentium, quia hoc etiam est ipsorum mundanorum; propter quod subdit (v. 33): *Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt :* Glossa : « Id est, ideo quia benefaciunt; » *quæ vobis est gratia* ? Id est, quod meritum, quasi diceret : Nullum : et ratio redditur : *Siquidem et peccatores hoc faciunt.* Beneficium namque ob recompensationem factum, non est gratuitum, sed relatum; et ideo nec acceptabile est. Unde in *Ecclesiastico* [1] : « Datus insipientis non erit utilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt : exigua dabit, et multa improperabit, et apertio oris illius inflammatio est. Hodie fœneratur quis, et cras expetit; et odibilis est homo hujusmodi. » Illud autem quod liberaliter, et hilariter datur, hoc acceptatur, secundum quod dicitur [2] : « Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. » Si ergo benefacere benefacientibus, solum est debitum; benefacere non benefacientibus, gratuitum : videtur, quod malefacere benefacientibus, est impium et crudelissimum; quod porro peccator facit, cum Deum offendit. Juxta quod dicitur de Ezechia [3] quod « non juxta beneficia quæ receperat a Deo, retribuit; quia elevatum est cor ejus.» Unde Christus potuit dicere illud *Psalmi* [4] : « Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. » Et peccator potest dicere Christo illud [5] : « Tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. » Et eo ipso si vult Domino reconciliari (*a*), oportet quod ipse benefaciat non tantum benefacienti, sed etiam adversanti; et tale est beneficium charitatis secundum illud [6] : « Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, » etc.

Non sufficit etiam communicativum esse respectu recompensantium, quia hoc est ipsorum fœneratorum. Unde et subjungit (v. 34): *Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere,* scilicet recompensationem, *quæ gratia est vobis ?* Quasi diceret: Nulla. Et hoc ostendit : *Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur,* id est, commodant ad usuram; unde subdit : *ut recipiant æqualia*, scilicet pro servitio, non solum pro debito. Et quia mercedem accipiunt, non habent meritum apud Deum. Unde in *Psalmo* dicitur [7] : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? » etc. Et subditur : « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes non accepit. » Alioquin in monte Domini non ascendet. Unde apud *Ezechielem* (*b*) ille justificatur, de quo ibidem dicitur [8] : « Qui ad usuram non commodaverit (*c*), et amplius non acceperit; » et ille e contrario qui amplius accipit, reprobatur ut injustus. Unde talibus potest dici illud [9] : « Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus; » quia dicitur [10] : « Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Tales fœneratores inter peccatores computantur, quia sunt oppressores aliorum; unde in *Proverbiis* [11] : « Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. » Et propterea inhibetur [12] : « Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. » Sed contrarium hujus videtur dici [13] : « Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. » Sed intelligendum est, quod hoc est malum secundum se; sed permisit hoc illis lex, sicut

[1] *Eccli.*, XX, 14, 16. — [2] II *Cor.*, IX, 7. — [3] II *Paral.*, XXXII, 25. — [4] *Psal.* XXXIV, 12. — [5] I *Reg.*, XXIV, 18. — [6] I *Cor.*, XIII, 4. — [7] *Psal.* XIV, 1, 5. — [8] *Ezech.*, XVIII, 8, 13. — [9] *Agg.*, I, 9. — [10] *Psal.* LXXV, 6. — [11] *Prov.*, XXII, 7. — [12] *Exod.*, XXII, 25. — [13] *Deut.*, XXIII, 19.

(*a*) *Cæt. edit.* reconciliare. — (*b*) *Cæt. edit.* Unde *Ezechiel* : Ille, etc.— (*c*) *Item* accommodaverit.

et libellum repudii, propter vitationem majoris mali. Ratio autem hujus prohibitionis est multiplex : tum quia pecunia propter accommodationem non deterioratur ; tum quia de se non fructificat, sed tota ratio utilitatis est ex parte utentis ; tum quia continue consumit et devastat, et ita commodum mutui convertitur in commodum damni ; tum quia in mutuatione pecuniæ transit rei mutuatæ dominium, quia non tenetur eamdem numero reddere ; tum quia totum transfertur periculum in eum qui fuerat mutuatus ; tum etiam quia in tali modo mutuandi plus diligitur nummus, quam proximus, dum nummos proximo accommodat non ex amore proximi, sed ex amore nummi.

Cur usura prohibeatur.

35. *Verumtamen diligite inimicos*, etc. Hic post promulgationem et probationem, resumit mandata approbata cum ratione movente. Sunt autem tria quæ debent nos movere ad prædicta facienda, scilicet auctoritas præcepti, immensitas præmii, et sublimitas exempli. Primum movet irascibilem ; secundum, concupiscibilem ; tertium vero, rationalem. Resumit ergo prædicta documenta per modum præcepti, cum ait : *Verumtamen diligite inimicos vestros, et benefacite*, scilicet ut[1] « non diligatis verbo neque lingua, sed opere et veritate. » Et hoc imperando dicit, quia, sicut dicitur[2] : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » Ipse autem dilexit non solum affectu, sed etiam effectu, sine aliqua spe retributionis. Ideo additur : *Et mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet recompensationis[3] : « Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingrederis possidendam : » id est, non quæras retributionem de hoc ab homine, sicut usurarii, qui propter spem usuræ perdunt spem vitæ æternæ. Contra quos Apostolus ait[4] : « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. » Tales sunt divites qui in divitiis sperant ; talium « vacua est spes, et labores sine fructu, » ut dicitur[5]. Et ideo dicitur[6] : « Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Qui est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. » Nota, quod spes in mutuo potest esse ad consimile obsequium, vel ad lucrum : primo modo licet ; secundo modo potest esse dupliciter, vel expressa per pactum, et hæc simpliciter est prohibita, quia facit usurarium ; vel est tacita et in corde, et hoc modo dupliciter : vel ut principaliter movens ad mutuum, et hæc similiter est prohibita, quia contra mandatum divinum ; vel est non principaliter movens, sed quasi annexa, quia licet non faciat propter commodum principaliter vel lucrum, credit tamen accipientem non fore sibi ingratum, et eo facit libentius. Hic vero non est talis spes commodi, quæ est contra divinum mandatum.

Spes lucri ex mutuo quando damnanda.

Secundo subdit rationem motivam ex parte præmii, cum adjungit : *Et erit merces vestra multa ;* quia dicitur[7] : « Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et (*a*) si non ab ipso, certe a Domino. » Et dicitur retributio multa et magna, quia æterna merces omnia bona continet in excellentia, secundum illud[8] : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. » Et vere magna et multa ; sed promissa, quia scriptum est[9] : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. »

Tertio subjungit rationem motivam ex parte exempli, cum subdit : *Et eritis filii Altissimi*, scilicet per imitationem, secun-

[1] I *Joan.*, III, 18. — [2] *Joan.*, XV, 12. — [3] *Deut.*, XXIII, 20. — [4] I *Cor.*, XV, 19. — [5] *Sap.*, III, 11. — [6] *Eccli.*, XXXI, 8. — [7] Ibid., XII, 2. — [8] *Psal.* XXX, 20. — [9] I *Cor.*, II, 9 ; *Isa.*, LXIV, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* ut.

dum illud ad *Ephesios*[1] : « Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. » Debemus autem sicut filii Deum imitari, quia accepimus gratiam fidei ab eo, de qua dicitur[2] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. » Accepimus etiam ab eo spiritum adoptionis filiorum, secundum illud[3] : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. » Et ideo debemus imitari Deum, sicut filii patrem, secundum illud[4] : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. » Et propterea ad exemplum ejus debemus vivere; quod adjungit, cum ait : *Quia ipse benignus est super ingratos et malos*, secundum illud[5] : « Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. » Et hæc benignitas se ad ingratos et malos extendit, quia dicitur[6] : « Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thezaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet (*a*) unicuique secundum opera ejus. » Et propterea dicitur[7] : « Mali autem homines et seductores proficient (*b*) in pejus, errantes, et in errorem mittentes. » Et alibi dicitur[8] : « Etenim quia non profert cito contra malos sententiam, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. » Ab his malis omnibus liberat et salvat divina benignitas, excedens nostram malitiam. Unde *ad Titum* dicitur[9] : « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. »

Debemus Deum, ut filii patrem, imitari.

36. *Estote misericordes*, etc. Postquam evangelicas leges promulgavit, probavit, et resumpsit cum ratione movente; hic tandem Salvator noster concludit per retributionem consequentem : quam quidem retributionem ostendit sequi bona et virtuosa opera nostra in sententia judiciali, in gloria cœlesti, et in pœna inferni : in judicio quidem respectu universorum; in prœmio, respectu bonorum; et in supplicio, respectu peccatorum. Concludit igitur primo quod debemus præmissa mandata implere secundum formam præscriptam, prædicendo judicialem sententiam, cum dicit : *Estote ergo misericordes*, scilicet in exhibendo vos proximis benevolos, pacificos et beneficos; in quo tangit mandatorum prædictorum substantiam : *Sicut et pater vester misericors est :* in quo tangit formam, sive circumstantiam, quia ipse non tantum amicis, sed adversariis condescendit. Hoc quippe necessarium est secundum illud[10] : « Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? » Unde illam misericordiam exiget, quam ipse impendit; et secundum illam quam impendimus in judicio, rependet, secundum illud[11] : « In judicando esto pupillis misericors, ut pater; et pro viro, matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater. » Et Jacobus[12] : « Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. » Et ideo addit retributionem judicii, correspondentem operibus meriti, secundum quadruplicem differentiam actus, scilicet judicandi, condemnandi, dimittendi, et donandi : quorum primus est æquitatis, secundus severitatis, tertius pietatis, quartus liberalitatis. Retributionem per actum judicandi describit primo, cum subditur (v. 37) : *Nolite judicare, et non judicabimini.*[13] « In quo judicio judicaveritis, judicabimini. » Et quia non intelligit de quocumque judicio, sed de eo quod a pietate deviat in crudelitatem; ideo adjungit : *Nolite condemnare, et non condemnabimini.*[14] « In quo enim judicas alterum, teipsum

[1] *Ephes.*, v, 1. — [2] *Joan.*, i, 12. — [3] *Rom.*, viii, 15. — [4] *Joan.*, viii, 39. — [5] *Joel.*, ii, 13. — [6] *Rom.*, ii, 4-6. — [7] II *Tim.*, iii, 13. — [8] *Eccle.*, viii, 11. — [9] *Tit.*, iii, 4, 5. — [10] *Matth.*, xviii, 33. — [11] *Eccli.*, iv, 10, 11. — [12] *Jac.*, ii, 13. — [13] *Matth.*, vii, 2. — [14] *Rom.*, ii, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* reddit. — (*b*) *Item* proficiunt.

condemnas. » Quia, sicut dicitur [1] : « Et qui justificat impium, et condemnat justum, abominabilis uterque est apud Deum. » Unde revocat a judicio iniquitatis, et hortatur ad beneficium pietatis, quod consistit in dimittendo injurias, et in dando indulgentias, vel in dimittendo mala commissa, et in dando bona concessa. Quantum ad dimissionem malorum, adjungit : *Dimittite, et dimittetur vobis* (*a*). Alioquin non salubriter oratis. [2] « Dimitte nobis debita nostra, » etc. Et post : « Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra, » etc. Unde dicitur [3] : « Relinque proximo nocenti te; et tunc deprecanti tibi peccata sua solventur. » Quantum ad collationem bonorum operum, subditur (v. 38) : *Date, et dabitur vobis,* scilicet in judicio, in quo dicetur illud [4] : « Date ei de fructu manuum suarum, » etc.; quia [5] : « Omni habenti dabitur, et abundabit. » Illa enim sola habebit secum, quæ pro Domino dedit, secundum illud [6] : « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit, et postea resurget, et retribuet illis retributionem. » Et ideo hoc attendens Zachæus dicebat [7] : « Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, » etc. In summa nota hic, quod non prohibetur hic judicium, quod deliberatum est et justum; sed usurpatum, et temerarium, et iniquum. Usurpatum dico, quando non officium nec auctoritas imminet; temerarium, quando est de re quæ non constat, sed procedit ex sola suspicione; iniquum, quando est contra jus divinitus approbatum : et tale judicium hic prohibetur, non primum.

Quomodo judicium prohibeatur a Scriptura.

Secundo, promittendo supercœlestem gloriam secundum mensuram perfectam, cum adjungit : *Mensuram bonam;* et nota, quod ponit hic quatuor dictiones secundum quatuor conditiones beatitudinis : quarum prima est in gaudio interiori in beatitudine animæ, propter quam dicit : *Mensuram bonam,* quia secundum *Psalmum* [8], tunc « replebitur in bonis desiderium tuum. » Dices cum Petro [9] : « Domine, bonum est nos hic esse : » quia eadem erit [10] « mensura hominis tunc, quæ est angeli. » Secunda ex gaudio inferiori, in glorificatione corporis; propter quod dicit : *Et confertam* [11] : « Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus in tempore suo. » Tertia ex gaudio exteriori, scilicet ex societate sanctorum, et renovatione omnium creaturarum; propter quod addit : *Et coagitatam.* [12] « Argentum et aurum tuum coacervabitur tibi, » id est imperfecti et perfecti in meritis omnes colligentur in unum gaudium. Quarta est ex gaudio superiori, in visione Dei, propter quod dicit : *Et superefluentem.* [13] « Tunc super Omnipotentem deliciis afflues. » Et de hoc quadruplici gaudio in præmio æterno, potest exponi illud [14] : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo » gaudii interioris, « latitudo » exterioris, « sublimitas » superioris, « et profunditas » (*b*) inferioris : hanc quippe mensuram *dabunt in sinum vestrum*, illi scilicet, quibus misericordiam facitis in præsenti, secundum quod infra dicitur [15] : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, » etc. Et tales sunt pauperes, quos fecit Dominus judices [16] : « Judicium pauperibus tribuit. » *Dabunt in sinum*, id est, in animæ capacitatem stabilem et intrinsecam [17] : « Reposita est hæc spes mea in sinu meo. » Quam si vis habere, fac consilium sapientis [18] : « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. »

Quatuor beatitudinis partes.

Tertio, comminando infernalem pœnam secundum æquiparantiam ad culpam, cum adjungit : *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis*, scilicet nocendo, vel male

[1] *Prov.*, XVII, 15. — [2] *Matth.*, VI, 12, 14. — [3] *Eccli.*, XXVIII, 2. — [4] *Prov.*, XXXI, 16. — [5] *Matth.*, XXV, 29. — [6] *Eccli.*, XVII, 19. — [7] Inf., XIX, 8. — [8] *Psal.* CII, 5. — [9] *Matth.*, XVII, 4. — [10] *Apoc.*, XXI, 17. — [11] *Job*, V, 26. — [12] Ibid., XXII, 25. — [13] Ibid., 26. — [14] *Ephes.*, III, 17, 18. — [15] Inf., XVI, 9. — [16] *Job*, XXXVI, 6. — [17] Ibid., XIX, 27. — [18] *Eccli.*, XXIX, 15.

(*a*) *Vulg.* dimittemini. — (*b*) Vulg. *profundum.*

agendo, sive demerendo, *remetietur vobis*, juxta illud [1]: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus. » Et in *Apocalypsi* [2]: « Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Et hoc est quod comminatur Dominus [3]: « Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. » Retribuet autem Dominus in mensura æquali, pensato reatu; sed in majori, pensata duratione: quia cito transit delectatio, sed sempiterna manet punitio. [4] « Sicut consumitur nubes, et pertransit; sic qui descenderit ad inferos non ascendet; nec revertetur ultra in domum suam. » In minori vero mensura, pensata offensa; quia qui contra omne bonum peccavit, omni bono debet privari, secundum illud [5]: « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. » Rursus qui peccat in bonum infinitum intensive et extensive, deberet utroque modo infinite puniri: et quia creatura non potest habere infinitatem intensionis, suscipit alteram, scilicet infinitatem durationis cum firmitate acerbitatis. Unde Augustinus [6]: « Non actus temporalis facit, ut peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circumstantia illius, in quem peccatur: qui cum sit æternus, implentibus mandata, bona æterna promittit; peccantibus vero, pœnam comminatur æternam. » Et ideo idem dicit: « Dignus est malo æterno, qui in se perimit bonum, quod posset esse æternum. » Et Gregorius dicit hoc ipsum esse justum: « Qui æternaliter peccato perfrui voluit, æternaliter pœnam inveniet (*a*); et quorum voluptas non habuit finem peccandi, non habebit finem torquendi. » Licet igitur pœna sit major voluptate, et minor quam offensa; attamen æquatur reatui obligationis necessario. Nec mirum, si actionem temporalem comitatur reatus perpetuus, quia in contractu temporalis est actio, et tamen jus perpetuum acquiritur ab emptore; vulneratio etiam temporalis ad mortem ducit perpetuam, et bellum diurnum acquirit perpetuam servitutem, et temporale peccatum exilium sempiternum.

39. *Dicebat autem illis et similitudinem*, etc. Post præcepta propria et expressa, subjungit hic Evangelista documenta Domini similitudinaria et translata: in quibus Dominus quadrupliciter nos informat. Primo namque retrahit a vanitate possidendi; secundo vero revocat a temeritate judicandi, ibi (v. 41): *Quid autem vides festucam*, etc.; tertio informat ad prudentiam discernendi, ibi (v. 43): *Non est enim arbor bona*, etc.; quarto vero invitat ad diligentiam operandi, ibi (v. 47): *Omnis, qui venit ad me*, etc. Primo ergo retrahit a vanitate possidendi ex consideratione triplici, scilicet ex consideratione periculi declinandi, et vitii detestandi, et exempli imitandi. Declinandum namque est ruinæ periculum, quod imminet præsidenti superbe; propter quod dicit: *Numquid potest cæcus cæcum ducere*? quasi diceret: Non potest sane, propter periculum ruinæ, quod adjungit: *Nonne ambo in foveam cadunt?* Sed homo præsumptuosus cæcus est, secundum illud [7]: « Dicis: Dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. « De tali ad *Romanos* [8]: « Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, » etc. Et subditur: « Qui ergo alium doces, » etc., quasi dicat: Cæcus es. Et ideo qui ambit, et præsumit aliis præferri, cum sit cæcus, se et alios in præcipitium demergit. Unde *Hieremias* [9]: « Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos. » Et ratio hujus redditur: « Stulte egerunt pastores, et Dominum non requisierunt: propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est. » Et ideo subdit: *Ambo in foveam cadunt*. Et hoc est quod dicit Gregorius: « Dum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est ut grex in

[1] *Deut.*, XXV, 2. — [2] *Apoc.*, XVIII, 7. — [3] *Joel.*, III, 4. — [4] *Job*, VII, 9, 17. — [5] *Thren.*, III, 22. — [6] Aug., *Epist.* XLIX, al. CII, *ad Deogr.*, q. 3. — [7] *Apoc.*, III, 17. — [8] *Rom.*, II, 19, 21. — [9] *Jerem.*, L, 6, 17. — (*a*) *Al.* inveniat.

præcipitium trahatur. » Et tales maledictionem Domini merentur, secundum illud [1] : « Maledictus qui errare facit cæcum. » Tales ductores cum illis, quos ducunt, in foveam cadunt; sicut et Lucifer qui voluit aliis præesse, et qui ei adhæserunt omnes corruerunt in foveam, secundum illud [2] : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. »

Detestandum etiam est superbiæ vitium, quod adjacet volenti præsidere; propter quod subdit (v. 40); *Non est discipulus supra magistrum*, scilicet secundum rectum ordinem; qui ergo magistro subjacente cupit præesse, magistrum suum contendit præcedere. Unde Bernardus : « Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo: et tunc non sapio quæ Dei sunt. » Et hoc est quod dicit Dominus discipulis [3] : « Amen, amen dico vobis, non est servus major domino suo, neque apostolus major eo, qui misit illum. » Qui ergo vult aliis superefferri, ignorat doctrinam Christi, qui dicit [4] : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Aut si aliud novit, in apostasiam cadit, juxta illud quod dicit Gregorius : « Quoties pastor aliis præesse delectatur, toties in apostasiæ crimen dilabitur. » Desinit autem esse discipulus, dum vult dominari et magister aliorum vocari, contra illud [5] : « Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum, » etc.

Imitandum etiam est vitæ perfectæ exemplum, quod consistit in volendo subjacere; propter quod dicit [6] : *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus*, Christus scilicet, qui « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis. » Et ideo dicitur infra [7] : « Qui major est in vobis, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator. » Et ratio additur : « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Et hoc ipse ostendit eis per exemplum : postquam lavit pedes, subditur [8] : « Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros, » etc. Et post subditur : « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » Et ad hoc perfectum exemplum invitat Apostolus [9] : « Nihil, inquit, per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. » De quo subdit, quod « semetipsum humiliavit, formam servi accipiens, » etc.

41. *Quid autem vides festucam*, etc. Hic revocat a temeritate judicandi : quod quidem facit ostendendo eum, qui temere judicat, iniquum in cogitatione, indiscretum in locutione, inordinatum in operatione. Ostendit ergo primo temere judicantem iniquum esse in cogitatione, quia non judicat æqualiter; propter quod dicit : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*? Tu scilicet qui judicas. Festucam vocat leve peccatum, quod quis reprehendit in alio, magnum negligens in seipso; ideo addit : *Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras;* trabem, id est magnum peccatum; ex quo colligitur, quod sic judicantis iniquum est judicium, quia, sicut dicitur (*a*) [10] : « Abominatio est apud Dominum pondus et pondus : statera dolorosa non est bona. » Non habet æquale pondus, qui magis ponderat culpam in alio quam in se. Et talis dicitur abominabilis, quia dupliciter peccat: et seipsum, cum sit superbus et impius, justificando, et suum proximum condemnando. Unde in *Proverbiis* [1] : « Qui justificat impium, et condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. » Ergo (*b*) sa-

Festuca.

Trabs.

[1] *Deut.*, XXVII, 18. — [2] *Isa.*, XIV, 12. — [3] *Joan.*, XIII, 16. — [4] *Matth.*, XI, 29. — [5] Ibid., XXIII, 10, 11. — [6] Ibid., XX, 28. — [7] Inf., XXII, 26, 27. — [8] *Joan.*, XIII, 12-15. — [9] *Philipp.*, II, 3-8. — [10] *Prov.*, XX, 10. — [11] Ibid., XVII, 15.

(*a*) *Cœl. edit.* dicit.— (*b*) *Item* Et ergo.

num est consilium, aliis indulgere, et semetipsum dijudicare, secundum illud[1] : « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris : nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. » Et ideo talis trabem habet in oculo, id est, superbiam excæcantem, sicut Balaam[2] : « Dixit homo cujus obturatus est oculus ; » cujus obturatio est valde gravis in judicando iniqua[3] : « Nequius oculo quid creatum est ? » Et merito, quia, sicut dicitur infra[4] : « Si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. »

Secundo ostendit indiscretum esse in locutione, quia non loquitur rationabiliter ; propter quod subditur (v. 42) : *Aut quomodo potes dicere fratri tuo*, exterius scilicet ipsum alloquendo : *Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo*, in reprehendendo et corrigendo ; *ipse in oculo tuo trabem non videns*, peccatum gravissimum in te non attendendo ? Quasi dicat : Non potes hoc rationabiliter dicere. Potest enim tibi dici[5] : « Qui alium judicas, teipsum non judicas ; » et illud[6] : « Medice, cura teipsum. » Unde talis monitio merito potius despicitur, quam audiatur, secundum illud Gregorii : « Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, quia turpe est doctori, dum culpa redarguit ipsum. » Chrysostomus : « Quare in alienis vides tam parva peccata, et in te tam magna transcurris ? »[7] « Ab immundo quid mundabitur ? et a mendace quid verum dicetur ? » Et ideo in *Psalmo*[8] : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? »

Cato in Paræ-nesi.

Tertio vero ostendit inordinatum in operatione, quia postponit illud ad quod tenetur principaliter ; propter quod dicit : *Hyprocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.* Hypocritam vocat talem judicem temerarium, qui in judicando alios, ostendit et prætendit zelum justitiæ, et seipsum non judicando, habet vitium intus latens superbiæ. Unde Gregorius[9] : « Hypocrita cæteros reprehendit, ut in aliorum comparatione ipse sanctior videatur. » Vel hypocritam vocat qui exteriora ponderat, interiora negligit ; quæ sunt magis ponderanda, secundum illud[10] : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, etc. » Et ideo recte nunc dicit : *Ejice primum*, quia circa hoc principaliter insistendum, ut trabs, id est grave peccatum, de interiori oculo ejiciatur[11] : « Purificate corda, duplices animo ; » quoniam, sicut dicitur[12] : « Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ? » Debet enim charitas esse ordinata, ut primo intendat sibi, et post alii, secundum illud[13] : « Attende tibi et doctrinæ ; insta in illis : hoc enim facies, et te ipsum salvum faciens, et eos qui te audiunt. » Unde subditur : *Et tunc perspicies*, id est perfecte aspicies, oculo jam mundato, *ut educas festucam de oculo fratris tui.*[14] « Obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. » Unde glossa[15] : « Non est prius doctor idoneus alii mederi, qui nondum se sanavit. » Unde in omnibus talibus est ordo præcipue attendendus : stultus enim est et hypocrita, qui sollicitius curat aliena facta, quam propria. Exemplum de *Collationibus Patrum*[16] est de eo qui posuit arenam in sacco, quem superponens humero, habens posterius arenæ multum, et anterius modicum : et interpretatus est illud multum, peccata esse propria, et illud modicum, peccata esse aliena : sic enim facit hypocrita.

Hypocrita.

43. *Non est enim arbor bona*, etc. Post-

[1] *Gal.*, VI, 1-3. — [2] *Num.*, XXIV, 3. — [3] *Eccli.*, XXXI, 15. — [4] Inf., XI, 34. — [5] *Rom.*, II, 1. — [6] Sup., IV, 23. — [7] *Eccli.*, XXXIV, 4. — [8] *Psal.* XLIX, 6. — [9] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXIV, n. 00. al. XX. — [10] *Matth.*, XXIII, 25, 26. — [11] *Jac.*, IV, 8. — [12] *Eccli.*, XIV, 5. — [13] I *Tim.*, IV, 16. — [14] *Job*, XXVI, 13. — [15] Gloss., interlin. in hoc caput. — [16] Cassian., *Collation. Patr.*

quam retraxit a temeritate judicandi, hic informat ad prudentiam discernendi; quod quidem facit hoc ordine : primo enim proponit similitudinem metaphoricam; secundo elicit eruditionem explicitam; tertio vero ex hoc redarguit simulationem deceptoriam. Proponitur ergo metaphorica similitudo, cum dicitur : *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos. Enim* non est hic causale, sed continuativum. Arborem vocat, non voluntatem quæ est a Deo, sic enim est bona; sed voluntatem, quæ non est bona, cum facit malum; nec etiam est mala, cum facit bonum; quod addit : *Neque arbor mala faciens fructum bonum.* Conformis est enim voluntas operi, sicut arbor fructui [1] : « De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei; » quia, sicut dicitur [2] : « Excidetur, et in ignem mittetur. » Unde spiritualiter arbores fructibus privantur per gelicidium iniquitatis, secundum illud Judæ in canonica sua de malis [3] : « Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ. » Tunc autem fructibus replentur, cum appropinquant calori charitatis, secundum illud [4] : « Videte ficulneam et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. » Unde prudens considerator arbores discernit per fructum. Propterea adjungit (v. 44) : *Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur.* Et hoc est, quod dicitur [5] : « Ex fructibus eorum cognoscetis eos, » quia, sicut dicitur [6] : « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, » etc. « Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, » etc. Unde de viro justo dicitur [7] : « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. » Nec mirum; quia [8], « bonorum laborum gloriosus est fructus, » sed malorum nullus [9] : « Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? » Et ideo dicitur de avaro [10] : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. » Et quod arbor discernatur per fructum, probatur per sensibile experimentum, cum subditur : *Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.* Duos ponit fructus præcipue laudabiles, scilicet ficus et uvas. Unde alibi introducuntur (*a*) ficus et vitis (*b*) per prosopopœiam loquentes. Ficus sic [11] : « Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos? » Et vitis sic [12] : « Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines? » Duo etiam arbusta ponit pessima, scilicet rubum et spinam, quæ gignit terra propter peccata humana, secundum illud [13] : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos germinabit tibi. » Sed spiritualiter per ficum dulcem intelligitur dulcedo pietatis; per spinas homines intelliguntur iracundi et schismatici, qui non possunt aliis compati. [14] « Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, et ligno lanceato. » Per uvam intelligitur perspicua cognitio veritatis; et per rubum homines hæretici, a quibus detinentur superbi, secundum illud [15] : « Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem post vepres hærentem cornibus. » Ista duo hominum genera dissipant vineam Domini exercituum, scilicet schismatici et hæretici [16] : « Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent. » [17] « Expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. » Et post [18] : « Ascendent super eam vepres et spinæ. »

Prosopopœia.

Secundo autem elicitur expressa eruditio,

[1] *Prov.*, XII, 14. — [2] Sup., III, 9. — [3] *Jud.*, 12. — [4] Inf., XXI, 29, 30. — [5] *Matth.*, VII, 16. — [6] *Gal.*, V, 19-23. — [7] *Psal.* I, 3. — [8] *Sap.*, III, 15. — [9] *Rom.*, VI, 21. — [10] *Eccle.*, V, 9. — [11] *Judic.*, IX, 11. — [12] Ibid., 13. — [13] *Gen.*, III, 18. — [14] II *Reg.*, XXIII, 6, 7. — [15] *Gen.*, XXII, 13. — [16] *Isa.*, XXXII, 13. — [17] Ibid., V, 4. — [18] Ibid., 6.

(*a*) *Cæt. edit.* introducitur. — (*b*) *Edit. Ven.* vitiis.

cum adjungitur (v. 45): *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* Ad similitudinem scilicet arboris bonæ, bonum thesaurum vocat habitum interioris perfectionis, sive in affectu, quemadmodum ad quemdam dicitur [1]: « Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo justi; » sive in intellectu, quemadmodum ad apostolos dicitur [2]: « Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. » De utroque bono thesauro bona proferuntur tam opera, quam etiam verba. Unde [3]: « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. » Et sicut bonus homo bonæ arbori comparatur, ita et malus malæ. Unde et addit: *Et malus homo de malo thesauro profert malum.* Malum thesaurum malam vocat voluntatem, et malam conscientiam; *Michæas* [4]: « Adhuc ignis in domo impii, et thesauri iniquitatis. » Et certe de malo corde procedunt mala opera et immunda verba. Unde [5]: « De corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, » etc. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et commaculant hominem; et similiter mala verba, secundum illud *Proverbiorum* [6]: « Testis fidelis non mentietur; profert autem mendacium dolosus testis. » Et rationem hujus ipse reddit, cum subjungit: *Ex abundantia enim cordis loquitur,* bonum scilicet verbum, aut malum. De bono [7]: « Lingua gratiosa in bono homine abundat. » Et alibi [8]: « Sapientiæ Dei astabit laus, et in ore fideli abundabit. » Et de malo [9]: « Mens justi meditabitur sapientiam (*a*); os impiorum redundabit (*b*) malis. » Et in eodem [10]: « Os fatuorum ebullit stultitiam. »

Tertio vero redarguitur deceptoria simulatio, cum subjungitur (v. 46): *Quid autem vocatis me, Domine, Domine?* scilicet confessione oris. *Et non facitis quæ dico,* omissione boni operis. Ostensio enim reverentiæ in ore fallax est, nisi adsit pariter exhibitio obedientiæ in opere. Unde de talibus [11]: « Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me. » Et in *Matthæo* (*c*) [12]: « Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. » Et ad *Titum* [13]: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Et ita est in eis repugnantia, quia verbum indicat bonitatem in corde, et factum ostendit malignitatem in opere: tales non decipiunt Dominum, sed fallunt semetipsos, secundum illud [14]: « Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. » Unde in *Matthæo* (*c*) [15]: « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, » etc.

47. *Omnis qui venit ad me,* etc. Postquam informavit ad prudentiam discernendi, hic invitat ad diligentiam operandi; et hoc sub duplici metaphora, in quarum prima commendat obedientes; in secunda vero vituperat negligentes, ibi (v. 49): *Qui autem audit, et non facit,* etc. Circa commendationem obedientis, primo præmittit obedientis actum, secundo modum; tertio fructum. Quantum ad actum igitur vere obedientis, dicit: *Omnis qui venit ad me,* scilicet fideliter credendo; *audit sermones meos*, devote intelligendo; *et facit eos*, scilicet opere complendo; *ostendam vobis cui similis sit.* Ex quo colligitur, quod vere obedientis est, primo per fidem venire, credendo fideliter; de quo adventu [16]: « Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. » Sic veniunt parvuli, secundum illud [17]: « Sinite parvulos venire ad me. » Deinde audire, intelligendo vivaciter [18]: « Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. » Et

[1] *Prov.*, XXI, 20. — [2] *Matth*, XIII, 52. — [3] *Jac.*, III, 13. — [4] *Mich.*, VI, 18. — [5] *Marc.*, VII, 21, 22. — [6] *Prov.*, XIV, 5. — [7] *Eccli.*, VI, 5. — [8] Ibid., XV, 10. — [9] *Prov.*, XV, 28. — [10] Ibid., 2. — [11] *Isa.*, XXIX, 13. — [12] *Matth.*, XV, 8. — [13] *Tit.*, I, 16. — [14] *Jac.*, I, 22. — [15] *Matth.*, VII, 21. — [16] *Joan.*, VI, 44. — [17] *Matth.*, XIX, 14. — [18] *Eccli.*, III, 31. — (*a*) *Vulg.* obedientiam. — (*b*) *Item* redundat. — (*c*) *Cæt. edit.* Matthæus.

Jacobus [1] : « Sit omnis homo velox ad audiendum. » Tertio vere obedientis est implere efficaciter; unde [2] : « Juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. » Alioquin non justificaberis apud Dominum, quia, ut dicitur ad *Romanos* [3] : « Factores legis justificabuntur. »

Quantum ad vere obediendi modum, adjungit documentum similitudinarium de ædificante domum, cum subdit (v. 48) : *Similis est homini ædificanti domum*, per profectum virtutum [4] : « Diligenter exerce agrum tuum, ut (*a*) postea ædifices domum tuam. » Hæc quidem domus est bona conscientia [5] : « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. » [6] « Sapiens mulier ædificat domum suam; insipiens extructam quoque manibus destruit. » Qui fodit in altum per descensum humilitatis, facit secundum præceptum Elisæi [7] : « Facite alveo torrentis hujus fossas, et fossas; » scilicet per humilitatem in intellectu pariter et affectu. Sed huic respondet superbia illius mali villici [8] : « Fodere non valeo, mendicare erubesco. » Cujus rursus contrarium redditur [9] : « Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini. » Ille enim altius fodit, qui per humilitatem magis (*b*) descendit, et hujus ædificium altius ascendit [10] : « Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » *Et posuit fundamentum supra petram*, per stabilimentum charitatis, secundum illud [11] : « In charitate radicati et fundati. » Hæc charitas fundatur super Christum, qui est petra solida, secundum illud [12] : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. » Super hunc fundat charitas, dum facit implere ejus mandata, secundum illud [13] : « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Et hic est in Christo fundatus [14] : « Fundamenta æterna super petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ. » Ambrosius [15] : « Omnium virtutum fundamentum est cœlestium obedientia mandatorum. » Hic est ergo modus vere obediendi divinis præceptis : ut sit sedulitas in profectu virtutis; sit profunditas in descensu humilitatis; sit firmitas in affectu charitatis.

Quantum ad veræ obedientiæ fructum, subjungit: *Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi*, etc. Observatio namque divinorum mandatorum firmat contra impulsum tentationum, quem (*c*) designat per inundationem quantum ad tentationem exteriorem a dæmonibus, secundum illud [16] : « Adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus. Et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus, et ibit per Judam inundans, et transiens usque ad collum veniet. » Hic aperte designat diabolum [17] : « Quoties lucerna impiorum extinguetur et superveniet eis inundatio? » Designat etiam tentationem per illisionem fluminis, cum addit: *Illisum est flumen domui illi*, quantum scilicet ad tentationem interiorem, scilicet timoris, vel doloris, vel lætitiæ, vel amoris. [18] « Portæ fluviorum apertæ sunt : » quod quidem fit, quando ingrediuntur tentationes interius, ut possit clamare cum Propheta [19] : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » Sed hæ tentationes non prævalent contra divinorum mandatorum observatores; propterea subdit : *Et non potuit eum movere.* [20] « Quasi tempestas transiens, non erit impius; justus autem quasi fundamentum sempiternum. » In *Psalmo* [21] : « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. » Hujus autem stabilitatis ratio redditur, cum subditur: *Fundata enim erat supra firmam petram.* Hinc dicitur

[1] *Jac.*, I, 19. — [2] *Deut.*, XXX, 14. — [3] *Rom.*, II, 13. — [4] *Prov.*, XXIV, 27. — [5] *Sap.*, VIII, 16. — [6] *Prov.*, XIV, 1. — [7] IV *Reg.*, III, 16. — [8] Inf., XVI, 3. — [9] *Isa.*, II, 10. — [10] Inf., XVIII, 14. — [11] *Ephes.*, III, 17. — [12] *Isa.*, XXVIII, 16. — [13] *Joan.*, XIV, 21. — [14] *Eccli.*, XXVI, 24. — [15] Ambr., *in Luc.*, lib. V, n. 82. — [16] *Isa.*, VIII, 7, 8. — [17] *Job*, XXI, 17. — [18] *Nah.*, II, 6. — [19] *Psal.* LXVIII, 1. — [20] *Prov.*, X, 25. — [21] *Psal.* XVI, 5. — (*a*) *Cæt. edit.* et. — (*b*) *Item* magis, qui per humilitatem. — (*c*) *Item* quam.

de justo[1] : « Figam illum paxillum in loco fideli. » Hæc quidem fixio est per charitatem [2] : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? » Vere igitur obedientiæ fructus est victoria tentationis exterioris et interioris per virtutem stabilis fundamenti.

49. *Qui autem audit, et non facit*, etc. Hic post commendationem vere obedientis, subjungit vituperium negligentis, præmittens negligentis vitium, addens periculum, et negligentis præcipitium. Præmittit ergo negligentis vitium, cum subdit : *Qui autem audit, et non facit*, sicut Balaam [3] : « Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi. » Hic reprehensibilis est; quod ostendit per simile, cum subdit : *Similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento*. Terram vocat locum inconstantem, et facile mobilem, secundum illud [4] : « Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. » *Isaias* [5] : « Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis. » *Job* [6] : « Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur (*a*) velut a tinea? » Et hoc est, quia non sunt in charitate radicati, sed in terrena cupiditate. [7] « Adulterinæ plantationes (*b*) non dabunt radices altas. »

Adjungit negligentis periculum in illisione fluminum, cum adjungit : *In quam illisus est fluvius*, id est, tentatio impellens, ex qua imminet periculum ruinæ. [8] « Dic ad eos qui liniunt parietem absque temperamento, quod casurus sit. Erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. » De talibus *Isaias* [9] : « Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocumque pertransierit, tollet vos. » Ii enim sunt, de quibus dicitur [10] : « Hi radices non habent, quia (*c*) ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. »

Subjungit postremo negligentis præcipitium, cum ait : *Et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.* [11] « Erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum, » id est, omnium hominum animalium, et negligentium, et impiorum. [12] « Dicit Dominus : Congregans hominem et pecus, congregans volatilia cœli et pisces maris : et ruinæ impiorum erunt : et disperdam homines a facie terræ. » Nec mirum, quia [13] : « Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » Ex periculo igitur et vituperatione negligentium, et commendatione obedientium, sufficienter innuitur diligentia agendorum, et in hoc documenta divina habent terminum.

CAPUT VII.

1. *Cum autem implesset omnia verba sua*, etc. Postquam prosecutus est doctrinæ Christi veritatem, hic ad ipsius commendationem manifestat doctoris sublimitatem, quam ostendit esse præcipuam propter tria : scilicet propter excellentiam potestatis; et propter evidentiam veritatis, ibi (v. 17) : *Et exiit hic sermo*, etc.; et propter affluentiam pietatis, ibi (v. 36) : *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis*, etc. Excellentia ostenditur in operando magna miracula; evidentia veritatis, in approbando vera testimonia; affluentia pietatis, in condonando peccata. Quantum ad primum, intelligendum quod prima pars habet duas partes secundum duo miracula, quorum primum est curatio pueri morituri; secundum est resuscitatio adolescentis jam mortui, quæ ibi describitur (v. 11) : *Et factum est, deinceps ibat Jesus*, etc. In sana-

[1] *Isa.*, XXII, 23. — [2] *Rom.*, VIII, 35. — [3] *Num.*, XXIV, 4. — [4] *Psal.* I, 4. — [5] *Isa.*, XXIV, 19. — [6] *Job*, IV, 19. — [7] *Sap.*, IV, 3. — [8] *Ezech.*, XIII, 11, 12. — [9] *Isa.*, XXVIII, 18, 19. — [10] Inf., VIII, 13. — [11] *Zach.*, XII, 15. — [12] *Sophon.*, I, 2, 3. — [13] *Prov.*, IV, 19.

(*a*) *Vulg.* consumentur. — (*b*) *Item* sparia vitulamina. — (*c*) *Item* qui.

tione namque morituri, ostenditur Dominus vitæ, qui potest vitam pereuntem salvare; in suscitatione mortui, Dominus mortis, qui potest mortem superare. Item in sanatione corporis morituri ostenditur Dominus corporum, qui potest corpus reparare; in suscitatione mortui, Dominus animarum, qui potest animas ad corpora revocare. Quantum igitur ad sanationem pueri ægrotantis, tria introducit Evangelista ad explicationem miraculi facientia: primum est opportunitas faciendi miraculum; secundum est dignitas impetrandi remedium, ibi (v. 3): *Cum audisset de Jesu, misit*, etc.; tertium est congruitas accelerandi beneficium, ibi (v. 6): *Et cum jam non longe esset*, etc. Opportunitas igitur faciendi miraculum colligitur ex tribus, scilicet ex temporis commoditate, ex loci congruitate, et ex morbi necessitate. Primo igitur, quantum ad commoditatem corporis, dicitur: *Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis*, id est, post tempus prædicationis perfectæ et completæ, quæ proprie spectat ad illum doctorem, secundum illud *Ecclesiastici* [1]: « Multa dicemus, et deficiemus in verbis; consummatio sermonum ipse est in omnibus. » Ipse scilicet abbreviatus in carne, secundum illud *Isaiæ* [2]: « Consummatio abbreviata inundabit justitiam. » Et [3]: « Consummationem et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum. » Hoc dicebat in præsentia (*a*) populi audientis Christum, ad quem Christus dixit [4]: « Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris, » scilicet Judæorum.

Secundo, quantum ad cognitionem loci, subditur: *Intravit Capharnaum*, ubi miracula facere consueverat, secundum illud quod dicitur [5]: « Quanta audivimus facta in Capharnaum, » etc. Unde apud *Matthæum* (*b*) dicit [6]: « Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? » Quod dicit propter multas virtutes, quas ibi fecit. Ratio hujus est, quia hæc civitas Galilææ erat in confinio gentium; et per hoc ostenditur Christus lapis angularis, secundum illud ad *Ephesios* [7]: « Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. » Et in hoc impleta est prophetia *Isaiæ* [8]: « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium, » etc.

Tertio, quantum ad morbi necessitatem, adjungitur (v. 2): *Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus*, ita gravem habebat morbum, secundum illud *Matthæi* [9]: « Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. » Centurionem autem vocat eum, quia præerat centum militibus: quod faciebant ex industria in præliis, ut scirent facilius numerum bellatorum. Unde erant ibi tribuni, decuriones, quinquagenarii, et decani: qui denominantur a numero eorum, quibus præsunt. Tribunus autem dicitur qui præest mille. Et hoc ad exhortationem (*c*) populi constituere consulebat Jetro Moysi in *Exodo* [10]: « Constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore. » Hic centurio, licet plures haberet servos, hunc charum habebat inter alios; ideo subdit: *Qui illi erat pretiosus*, id est affectuosius dilectus, secundum illud *Ecclesiastici* [11]: « Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; » quia, secundum illud *Proverbiorum* [12]: « Servus sapiens dominabitur filiis stultis. » Unde servus hic, licet esset infirmus, non tamen erat suo domino onerosus, sed charus propter domini sui pietatem [13]: « Novit justus jumentorum suorum animas. »

3. *Et cum audisset de Jesu*, etc. Post opportunitatem faciendi miraculum, subdit hic Evangelista dignitatem impetrandi remedium, quemadmodum colligit Evange-

[1] *Eccli.*, XLIII, 29. — [2] *Isa.*, X, 22. — [3] Ibid., XXVIII, 22. — [4] Sup., IV, 21. — [5] Ibid., 23. — [6] *Matth.*, XI, 23. — [7] *Ephes.*, II, 15. — [8] *Isa.*, IX, 1. — [9] *Matth.*, VIII, 6. — [10] *Exod.*, XVIII, 21. — [11] *Eccli.*, XXXIII, 31. — [12] *Prov.*, XVII, 1. — [13] Ibid., XII, 10.

(*a*) *Legendum fortasse* persona. — (*b*) *Cæt. edit.* Unde Matthæus. — (*c*) *Leg.* gubernationem.

lista ex tribus, scilicet ex centurionis reverentia in supplicando, ex seniorum confidentia in postulando, et ex Salvatoris clementia in condescendendo. Quæ tria in unum concurrentia, dignum faciunt servum ægrotum ad inveniendum remedium sanitatis. Quantum igitur ad Centurionis reverentiam supplicantis præmittit : *Et cum audisset de Jesu*, non solum aure corporis, sed et aure cordis, secundum illud ad *Romanos* [1] : « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. » Et quia fides facit cum reverentia accedere, dum admirabilem Dei prædicat majestatem, ideo subdit : *Misit ad eum seniores Judæorum*, quasi ipse non esset dignus accedere, nec auderet, sicut filii Israel tempore dationis legis dixerunt ad Moysen [12] : « Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. » Et hanc causam ipse reddit infra, eodem (v. 7) : « Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te. » Et ideo illos misit, non tanquam nuntios inferiores, sed tamquam digniores. Et ideo mittebat seniores, quia ipsi sunt pro ætate et sapientia reverendi et audiendi [3] : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Unde per eos Dominum interpellabat : quod notatur, cum subditur : *Rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus*, secundum illud *Ecclesiastici* [4] : « In tua infirmitate ne despicias teipsum; adora Dominum, et ipse curabit te. » Similiter et alium propter te, quia [5] : « Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus. » Sed videtur huic contrariari Matthæus, qui dicit [6], quod centurio ipse *accessit* ad Dominum. Sed non est contrarietas, quia, sicut dicit Beda [7], Matthæus loquitur de accessu per fidem; Lucas narrat ordinem rei gestæ. Augustinus etiam dicit [8] quod secundum communem modum dicitur accedere, qui incipit ire; dicitur etiam rogare qui per alium facit. Unde nulla est contrarietas : sed tunc esset, si diceret Matthæus quod corporaliter ad eum pervenisset in propria persona, quod non dicit; sed quod dicit, stat cum dicto Lucæ, et unus alterum explicat et confirmat.

Quantum autem ad seniorum confidentiam intercedentium, subdit (v. 4) : *At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite*, quia hoc faciebant ex amore et confidentia [9] : « Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes. » Et quia potissima ratio impetrandi est meritum ejus, pro quo petitur, ideo additur : *Dicentes ei : Quia dignus est ut hoc ei præstes*, et sic jam invenisti quem quæris, secundum illud quod de sapientia dicitur [10] : « Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendet se illis hilariter, et in omni providentia occurret illis. » Et ad hujus dignitatis comprobationem adjungit (v. 5) : *Diligit enim gentem nostram*, cum tamen sit alienigena. Et ideo tu qui es de gente nostra, debes eum rediligere, secundum quod dicis de te [11] : « Ego diligentes me, diligo. » Nec tantum diligit ore vel lingua, sed opere et veritate; unde addunt : *Et synagogam ipse ædificavit nobis*; quod quidem magnum beneficium fuit, et signum magni amoris. Unde Gregorius de charitate dicit, quod amor operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. Et quoniam magnam præstitit (*a*) eleemosynam, dignus est ut magnam ei facias gratiam, ut cognoscas illud esse verum [12] : « Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino; » quasi dicant : Ostende te dominum populi nostri, ut facias huic sicut obstetricibus quæ fecerunt misericordiam cum Hæbræis, de quibus dicitur [13] : « Quia timue-

[1] *Rom.*, x, 17. — [2] *Exod.*, xx, 19. — [3] *Job*, xii, 12. — [4] *Eccli.*, xxxviii, 9. — [5] *Jac.*, v, 15. — [6] *Matth.*, viii, 5. — [7] Bed., lib. II, c. xxv, *in Luc.*, c. vii. — [8] Aug., *de cons.Evang.*, lib. II, c. xx, n. 49. — [9] *Rom.*, xii, 11-13. — [10] *Sap.*, vi, 17. — [11] *Prov.*, viii, 17. — [12] *Eccli.*, xii, 2. — [13] *Exod.*, i, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* præstet.

runt obstetrices Deum, ædificavit illis domos. »

Quantum ad Salvatoris clementiam condescendentis, subditur (v. 6) : *Jesus autem ibat cum illis*, omnino satisfaciens petitioni eorum. Maluit autem Dominus petitioni eorum satisfacere, quam petitioni reguli dicentis [1] :« Domine, descende priusquam moriatur filius meus » : sive propter majorem fidem et humilitatem centurionis, cui Dominus magis condescendebat, secundum illud [2] : « Domine, oculi tui (*a*) respiciunt fidem; » sive ad commendandam humilitatem, secundum quod dicit Ambrosius [3] : Ad filium reguli ire noluit, ne divitias honorare videretur; ad servum vero centurionis vadit, ne servilem conditionem sprevisse putaretur. Elucet quidem fides in operibus, dum sanat; sed plus operatur humilitas in affectibus, dum vadit. Vel hoc facit ad excludendam personarum acceptionem, secundum quod dicitur [4] : « Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. » Unde in *Actis* [5] : « In veritate comperio (*b*), quia non est personarum acceptor Deus. » Et ideo Jacobus [6] : « Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. » Quod fit, quando dives præfertur pauperi, sicut dicitur ibidem.

Et cum jam non longe esset, etc. Post opportunitatem faciendi miraculum, et dignitatem impetrandi remedium, subditur hic modo congruitas accelerandi beneficium : quæ quidem consistit penes meritum fidei excellentis, cujus excellentia triplex comprobatur : prima scilicet ex humilitate confessionis devotæ; secunda ex auctoritate testificationis divinæ, ibi (v. 9) : *Quo audito,* etc.; tertia ex celeritate curationis optatæ, ibi (v. 10) : *Et reversi qui missi fuerant*, etc. Quantum ad humilitatem devotæ confessionis, nota quod Centurio excellentiam divinæ potestatis primo insinuat; secundo explicat verbo; tertio probat argumento. Insinuat autem, cum non audet eum suscipere; explicat verbo, cum dicit eum omnia posse; et probat argumento, quod omnia debent ei obtemperare, propter quod ait : *Et cum jam non longe esset a domo;* prope enim erat domui corporali, sed propior domui mentali, juxta illud *Psalmi* [7] : « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. » Diversum dicitur de malis [8] : « Prope es tu ori eorum, longe a renibus eorum. » Non talis erat iste : cujus signum erat præcipua humilitas quam ostendit, primo confitendo suam indignitatem, cum dicit : *Misit ad eum Centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari;* quasi diceret : Non sum talis quod propter me debeas laborare et corporaliter fatigari : quia laboriosum erat illi illuc ire, secundum illud [9] : « Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. » Quod non dicebat, quia recusaret præsentiam Christi corporalem, sed propter suam indignitatem; unde et addit : *Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres*; quod dicit consideratione suæ immunditiæ, et peccati, sicut et Petrus supra [10] :« Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. » Dixit Areuna regi [11] : « Quid causæ est, ut veniat Dominus meus rex ad servum suum ? » Et hæc indignitas non latebat eum per superbiam; sed nota erat ei per humilitatem præcipuam. Ideo adjungit (v. 7) : *Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te :* signum est humilitatis, secundum illud [12] : « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. » Hoc arbitrium erat in Apostolo per veram humilitatem, qui dicebat [13] : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » Ambrosius [14] : « Militari tumore deposito, reverentiam sumit, ad fidem facilis, ad honorificentiam promptus. » Et hoc quidem

[1] *Joan.*, IV, 49. — [2] *Jerem.*, V, 3. — [3] Ambr., *in Luc.*, lib. V, n. 84, quoad sensum. — [4] *Sap.*, VI, 8. — [5] *Act.*, X, 34. — [6] *Jac.*, II, 1. — [7] *Psal.* CXLIV, 18. — [8] *Jerem.*, XII, 2. — [9] *Joan.*, IV, 6. — [10] Sup., V, 8. — [11] II *Reg.*, XXIV, 21. — [12] *Philip.*, II, 3. — [13] I *Cor.*, XV, 9. — [14] Ambr., *in Luc.*, lib. V, n. 85.

(*a*) *Cæt. edit.* sui. — (*b*) *Vulg.* comperi.

facit vera humilitas, secundum illud [1] : « Magna potentia Dei solius : et ab humilibus honoratur. » Unde iste non solum honorificabat Dominum confitendo scilicet suam indignitatem, sed et proferendo divinæ virtutis sublimitatem, cum addit : *Sed dic verbo, et sanabitur puer meus*, quasi diceret : Non est apud te impossibile omne verbum : tu es enim illud Verbum [2] per quod omnia facta sunt; tu es ille sermo [3] qui sanas omnia, qui [4] potestate plenus es, qui [5] es vivus et efficax, etc. *Dic* ergo *verbo, et sanabitur puer meus*. Et quod sufficiat, id ostendit a minori, cum adjungit (v. 8) : *Nam et ego sum homo sub potestate constitutus;* et ita aliis me recognosco subjectum, secundum illud [6] : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit » : sic tamen subditus, quod et aliis præpositus; propterea dicit : *Habens sub me milites*, qui scilicet verbo meo obediunt. Unde addit : *Et dico huic : Vade; et vadit; et alii : Veni; et venit* sine contradictione, secundum illud [7] : « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. » Et hoc dicit quantum ad majora ministeria; et quantum ad minora, addit : *Et servo meo*, scilicet dico : *Fac hoc*; *et facit*. Infra (XII, 43) : « Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem, » scilicet sicut præcepit. Ex quo colligit, cum ipse sub nulla sit potestate, et innumerabiles habeat subditos, quod potest sanare solo verbo. In quo confitetur Jesum Dominum omnium, de quo [8] : « Omnia in omni necessitate obediunt ei. »

Quantum autem ad auctoritatem divinæ testificationis, subditur (v. 9) : *Quo audito, Jesus miratus est*, id est, ad modum admirantis se habuit; non quia hoc esset sibi ante incognitum vel magnum, sed ut signo ostenderet fidem gentilis hominis esse magnam, sicut illius mulieris gentilis [9] : « O mulier, magna est fides tua. » Et hoc manifestat verbo, cum addit : *Et conversus, sequentibus se turbis dixit*, maxime discipulis, ad quos per benignitatem convertebatur, ut doceret, secundum illud [10] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » [11] « Qui sectatur sapientem, sumet sapientiam. » Et dixit : *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni :* ubi major deberet inveniri, quia ipsi habent eam quasi per hæreditatem ab Abraham, de quo dicitur [12] : « Credidit Abraham Domino, et reputatum est illi ad justitiam. » Ipsi etiam habent per legem [13] : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit; si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? » Sed quomodo potest illud intelligi, cum beata Virgo de Israel fuerit, cui dicitur supra (I, 45) : « Beata quæ credidisti? » Et etiam apostoli. Sed hoc de centurione dicitur, non quia major est simpliciter, sed respectu habito ad personam. Unde Chrysostomus : « In modico sermone sapientiæ plus laudatur rusticus, quam in magno philosophus. » Et puer si dicat aliqua sapienter, laudatur, ubi sapientior vel perfectior non auditur : sic et in proposito intelligendum est. Vel potest dici quod intelligitur quantum ad reverentiam quæ exterius exhibetur ; vel quod in hoc intelligitur fides gentium.

Quantum ad celeritatem optatæ curationis, subjungitur (v. 10) : *Et reversi qui missi fuerant domum*, quasi spe de salute impetrata per verbum Christi, quod dixit. Et Matthæus exprimit, licet Lucas taceat [14] : « Sicut credidisti, fiat tibi : et sanatus est puer ex illa hora. » Quod tacet Lucas, quia satis potest colligi ex præmissis, quia, ut dicit Beda [15] : « Mos est beati Lucæ plena ab aliis (*a*) exposita breviare, vel etiam de industria præterire ; quæ autem brevius dicta (*b*) ab aliis, vel omissa, sollicitius diluci-

[1] *Eccli.*, III, 21. — [2] *Joan.*, I, 3. — [3] *Sap.*, XVI, 12. — [4] *Eccle.*, VIII, 4. — [5] *Hebr.*, IV, 12. — [6] *Rom.*, XIII, 1. — [7] *Hebr.*, XIII, 17. — [8] *Eccli.*, XLII, 24. — [9] *Matth.*, XV, 28. — [10] *Deut.*, XXXIII, 3. — [11] *Prov.*, XXI, 11. — [12] *Gen.*, XV, 6. — [13] *Joan.*, V, 46, 47. — [14] *Matth.*, VIII, 13. — [15] Bed., *in Luc.*, lib. V, ad c. VII.

(*a*) *Cæt. edit.* ab aliis plena.— (*b*) *Leg.* attacta.

dare. » Et ideo tacet verbum Domini quod alii dicunt; et dicit nuntiorum reversionem, ut exprimat miraculi celeritatem, quod insinuat cum adjungit : *Invenerunt servum, qui languerat, sanum.* Ante ergo pervenit virtutis operatio, quam nuntiorum reversio, ut sic verum esse comprobetur, quod in *Psalmo* dicitur [1] : « Velociter currit sermo ejus. » Nec mirum, quia idem est apud eum dicere et facere, sicut Centurio fideliter credidit, et ore confessus est. [2] « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Et ideo credendo et confitendo, quod subito solo verbo potest facere, hoc merito fidei impetravit, ut sic impleta ostendatur dominica promissio [3] : « Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. » Et sic sufficienter expressit Evangelista mirabilem curationem servi.

Curatio gentium

Spiritualiter hic secundum allegoriam intelligitur curatio populi gentilis; quod colligitur ex persona ægrotante, et ex persona interveniente, et ex curationis ordine. Persona namque ægrotans erat servilis conditionis; sic et populus gentilis ante adventum Christi, quia serviebat peccato, secundum illud [4] : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. » Et ratio hujus dicitur [5] : « A quo quis superatus est, hujus et servus est. » Et propter peccatum specialiter idololatriæ, propter quod erant servi infimarum (*a*) rerum [6] : « Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. » Et post : « Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? » Ad Galatas loquitur, qui fuerant gentiles. Ex persona interveniente : quia fuerunt seniores Judæorum, per quos intelliguntur apostoli, secundum illud [7] : « Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus. » Isti sunt apostoli, quibus dicitur [8] : « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, » etc. Horum interventione gentilis populus est curatus, secundum illud [9] : « Euntes docete omnes gentes. » Et per hos conversi sunt ad fidem Christi, per quem illuminati et salvati sunt, secundum illud [10] : « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium. » Ex curationis ordine, quia per fidei magnitudinem, quæ præfertur fidei magnitudini israeliticæ [11] : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, ut sic omnis Israel salvus fieret. » In *Actibus* [12] : « Elegit Deus per os meum, dicit Petrus, audire gentes verbum Evangelii, et credere. » Et postea : « Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. » [13] « Non est distinctio Judæi et Græci, » etc. Sequitur : « Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. »

Tropologia.

Spiritualiter autem secundum tropologiam designatur hic curatio viri peccatoris, ad quam tria concurrunt, scilicet hæc : primum est recognitio infirmitatis propriæ, quia primo requiritur ut homo cognoscat delictum. Ad quod hortatur [14] : « Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris. » Alioquin non poterit (*b*) justificari; sicut ibidem subditur [15] : « Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi. » Hoc attendens anima pœnitens, dicit [16] : « Converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, » etc. Secundum est interventio auctoritatis apostolicæ, quia dictum est Petro [17] : « Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit

[1] *Psal.* CXLVII, 15. — [2] *Rom.*, X, 10. — [3] *Marc.*, XI, 24. — [4] *Joan.*, VIII, 34. — [5] II *Petr.*, II, 19. — [6] *Gal.*, IV, 3, 9. — [7] *Isa.*, III, 14. — [8] *Matth.*, XIX, 28. — [9] Ibid., XXVIII, 19. — [10] *Isa.*, XLIX, 6. — [11] *Rom.*, XI, 25. — [12] *Act.*, XV, 7, 9. — [13] *Rom.*, X, 12, 13. — [14] *Jerem.*, II, 23. — [15] Ibid., 35. — [16] Ibid., XXXI, 18, 19. — [17] *Matth.*, XVI, 19.

(*a*) *Edit. Ven.* infirmarum. — (*b*) *Cæt. edit.* non poteris.

solutum et in cœlis. » Et omnibus apostolis dicitur [1] : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » etc. Ideo dicitur in *Levitico* (*a*) [2] : « Orabit pro eo sacerdos, et remittetur ei. » Unde ad *Hebræos* [3] : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » Tertium est condescensio potestatis divinæ appropinquans ad domum ægroti per gratiæ infusionem, secundum illud cantici Zachariæ [4] : « Ad dandam scientiam salutis, etc., per viscera misericordiæ Dei nostri. » Domini autem gratia maxime appropinquat humilibus, secundum illud [5] : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » [6] « Excelsus » enim « Dominus, et humilia respicit, » etc. Unde in *Psalmo* [7] : « Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. » Sicut dicitur infra (*b*) Zachæo pusillo [8] : « Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. » Quoniam libenter humilibus condescendit : Augustinus [9] : « Altus est Deus : humilias te, et venit ad te; exaltas te, et fugit a te. » Et nota quod se aliter humiliavit Zachæus, aliter centurio : Zachæus suscipiendo, centurio non audendo suscipere. Utroque enim modo fit Domino reverentia. Unde bene facit, qui propter reverentiam corpus dominicum suscipit frequenter in Sacramento ; et bene etiam facit, qui propter reverentiam cessat : utrique enim salus datur, sicut centurionis servo, et ipsi Zachæo. Sic intelligendum est in proposito.

11. *Et factum est, deinceps*, etc. Post miraculum de curatione morituri, subditur hic miraculum de suscitatione mortui : in quo expressius fit demonstratio excellentiæ Salvatoris. Ad hujus autem miraculi explicatam descriptionem tria introducuntur ab Evangelista : primum est ratio movens respectu miraculi faciendi; secundum est causa efficiens respectu miraculi in fieri, et hoc notatur ibi (v. 13) : *Quam cum vidisset Dominus*, etc.; tertium est efficacia subsequens respectu miraculi jam perfecti, ibi (v. 15) : *Et resedit qui erat mortuus*. Ratio autem movens Dominum ad mirabiliter resuscitandum mortuum, duplex ostenditur in littera : scilicet documentum ignorantium in intellectu, et solatium mœrentium in affectu. Et secundum hæc, duo genera hominum introducuntur in prima parte, scilicet comitantium in via, ut dirigantur per ejus doctrinam ; et occurrentium in porta, ut consolentur per ejus gratiam. Primo ergo, quantum ad comitatum multitudinis erudiendæ, dicitur : *Et factum est, deinceps ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim*. Ibat, scilicet ad docendum, secundum illud [10] : « Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum; » et quia volentes discere comitantur doctorem, ideo addit : *Et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa*. Sciebant enim illud esse verum [11] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius; » et illud [12] : « Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. » Et idcirco dicitur [13] : « Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare ; ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus. » Et ideo turbæ comitantur Dominum et discipulos ejus, secundum illud [14] : « Accedite ad eum, et illuminamini. »

Secundo, quantum ad occursum multitudinis consolandæ, subjungitur (v. 12) : *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ :* de quo erat mœror et luctus, quia mortuus, secundum illud [15] : « Super mortuum plora, defecit enim lux ejus. » Major etiam erat luctus, quia erat unigenitus ; de quo fit planctus tanto amarior, quanto erat

[1] *Joan.*, xx, 23. — [2] *Levit.*, v, 6. — [3] *Hebr.*, v, 1. — [4] Sup., i, 77, 78.— [5] *Jac.*, iv, 6. — [6] *Psal.* cxxxvii, 6. — [7] *Psal.* xxxiii, 17. — [8] Inf., xix, 5. — [9] Aug., *in Psal.* lxxiv, *Enarr.*, n. 2, quoad sensum. — [10] *Matth.*, iv, 23. — [11] *Deut.*, xxxiii, 3. — [12] *Prov.*, xiii, 20. — [13] *Eccli.*, viii, 9. — [14] *Psal.* xxxiii, 6. — [15] *Eccli.*, xxii, 10.— (*a*) *Cæt. edit.* Leviticis.— (*b*) *Cæt. edit. add.* de.

charior[1] : « Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. » Et David lugens Jonathan mortuum[2] : « Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam. » Maximus autem erat luctus, quia mater erat omnino desolata; propter quod dicitur : *Et hæc vidua erat :* et ita jam omnino desolata, carens tam solatio filii, quam mariti. Quod allegat illa mulier Thecuitis ad misericordiam impetrandam[3] : « Heu, mulier vidua ego sum. » Et ideo plangebat Jeremias viduitatem Jerusalem[4] : « Quomodo sedet sola civitas plena populo, » etc. Et propterea multi ei compatiebantur. Unde addit : *Et turba civitatis multa cum illa*, scilicet ad condolendum et consolandum, quia hic erat mos Judæorum, secundum illud[5] : « Multi ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. » Ad quos omnes poterat hæc vidua dicere[6] : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. » Et post parum : « Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam (*a*). » Et ideo egebat consolatione.

13. *Quam cum vidisset Dominus*, etc. Hic tangitur causa efficiens respectu miraculi in fieri; quæ quidem fuit duplex, scilicet : affectus pietatis in corde, inclinans ad miserendum; et virtus majestatis in sermone, imperans ad resurgendum. Primum respicit naturam assumptam ; secundum vero æternam. Quantum ad affectum pietatis in corde, dicitur : *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam*, scilicet quantum ad cordis affectum, ut posset dicere illud[7] : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat. » Et illud[8] : « Ab infantia mea crevit mecum miseratio. » Et quia misericordia latens in affectu, apparet in affatu, *dixit* : *Noli flere*, benigno sermone eam consolando, secundum illud[9] : « Cor viduæ consolatus sum. » Et *Jeremias*[10] : « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis. » Et quia affectum cordis et affatum oris comitari decens est effectum operis, ideo addit (v. 14) : *Et accessit, et tetigit loculum*, ut omnibus ostenderet suam benignitatem, qua non despicit mortuos, cum secundum legem tangens mortuum immundus esset, sicut dicitur, *Levitici*, XI, 26; et ut portantes humiliter sistere faceret tangendo, non imperando. Unde subditur : *Hi autem qui portabant, steterunt*, scilicet miraculum expectantes, secundum quod ipsi Job dicitur[11] : « Ausculta hæc, Job : sta, et considera mirabilia Dei. »

Quantum autem ad imperium majestatis in sermone, subditur : *Et ait : Adolescens, tibi dico, surge.*[12] « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Ut sic verificetur illud[13] : « Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. » Quæ quidem est vox imperans, et potens mortuos suscitare ratione suæ virtutis, secundum illud[14] : « Dabit voci suæ vocem virtutis. » Et recte, quia dicit Augustinus[15] : « Nemo tam facile dormientem excitat in lecto, quam facile Christus revocat in sepulchro. » Dirigit autem hunc sermonem ad mortuum, non solum ut excitativum, sed ut auditus reparativum, ut ostendat verum esse illud[16] : « Principium, qui et loquor vobis ; » principium scilicet interius operando, qui loquor exterius excitando. Unde in Christo, quia caro juncta est Verbo æterno, vox exterior juncta est illi dicere interiori, quod est principium omnis conditionis, sicut patet in operibus sex dierum. Est etiam principium omnis reparationis[17] : « Tuus, Domine, sermo qui sanat omnia. »

15. *Et resedit, qui erat mortuus*, etc. Hic tertio notatur efficacia subsequens, respectu miraculi jam perfecti. Quæ quidem duplex est, secundum duplicem finem, scilicet ope-

[1] *Jerem*, VI, 26. — [2] II *Reg.*, I, 26. — [3] Ibib., XIV, 5. — [4] *Thren.*, I, 1. — [5] *Joan.*, XI, 19. — [6] *Thren.*, I, 12, 13. — [7] *Job*, XXX, 25. — [8] Ibid., 18. — [9] Ibid., XXIX, 13. — [10] *Jerem.*, XXXI, 16. — [11] *Job*, XXXVII, 14. — [12] *Ephes.*, V, 14. — [13] *Joan.*, V, 28. — [14] *Psal.* LXVII, 34. — [15] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XLIV, al. XCVIII, n. 2. — [16] *Joan.*, VIII, 25. — [17] *Sap.*, XVI, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* desolatum..... confectum.

ris, et intentionis. Prima efficacia est suscitatio mortui : secunda vero promotio fidei. Primo ergo determinatur suscitatio mortui ut nota plebi assistenti, cum dicit : *Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui.* In quo apparet manifeste quod vivebat; quia dupliciter vita dignoscitur, scilicet per spiritum, et motum. Non est dubium quin loqueretur verba divinæ laudis; quod quidem non est mortuorum, sed viventium, secundum illud Psalmistæ [1] : « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc, et usque in sæculum. » Et nota, quod suscitatio puellæ probatur manducatione, quia jussit [2] dari illi manducare; suscitatio Lazari, ambulatione; dicitur quod Christus dixit : « Solvite, et sinite abire; » suscitatio adolescentis, locutione, ut hic. Et respicit manducatio actum vegetabilis; ambulatio actum sensibilis; locutio actum rationalis : ut hac triplici probatione Christus ostendatur Dominus animæ, secundum omnem sui potentiam et virtutem. Nec tantum erat nota plebi assistenti, sed grata matri desideranti. Unde subdit : *Et dedit illum matri suæ :* in quo ostendit se illum suscitasse ad matris consolationem. Unde ipsa poterat dicere illud Annæ [4] : « Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, qua postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus. » Et sequitur : « Et adoraverunt ibi Dominum. » Sic Elias tradidit puerum resuscitatum matri suæ, et ait illi [5] : « En vivit filius tuus. » Sed ille tradidit, iste dedit; quia ille fuit minister suscitationis, iste vero dator vitæ et salutis.

Secundo vero designatur promotio fidei, quantum ad reverentiam Creatoris, cum dicitur (v. 16) : *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum*; timor scilicet reverentiæ magnificantis. [6] « Timebunt eum viri, et non audebunt contemplari, omnes qui sibi videntur esse sapientes. » Et [7] : « Timebunt qui ab occidente nomen Domini; et qui ab ortu solis, gloriam ejus. » Et sic timentes, corde glorificabunt, et magnificabunt. [8] « Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude. » Et subjungitur : « Quis videbit eum et enarrabit? Et quis magnificabit eum, sicut est ab initio? » Sed non sufficit promotio fidei ad reverentiam Creatoris, sine intelligentia Mediatoris. Et ideo quantum ad illam, adjungitur : *Dicentes quia propheta magnus surrexit in nobis,* id est, Christus mediator, secundum illud [9] : « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me ; ipsum audietis. » *Et quia Deus visitavit plebem suam,* scilicet per Christum redemptorem, secundum illud Zachariæ [10] : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. » Et hoc, secundum illud *Genesis* [11] : « Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham. » Quod intelligitur de visitatione per mediatorem Christum. Et sic apparet ex prædictis quo modo manifestatus est quantum ad excellentiam potestatis suæ.

Secundum spiritualem intelligentiam, nota quod triplex status in prosecutione hujus miraculi designatur, scilicet : status justitiæ, in comitatu dominico; status injustitiæ, in adolescente mortuo; et status pœnitentiæ, in eodem resuscitato. Status quidem justitiæ designatur in Christo et comitatu suo : nam triplex est status justorum, scilicet contemplationis, prælationis, et actionis. Status prælatorum, in Christo, de quo dicitur a Joanne [12] : « Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam dat pro

Sensus spiritualis.

[1] *Psal.* CXIII, 17, 18. — [2] *Marc.*, V, 43. — [3] *Joan.*, XI, 44. — [4] I *Reg.*, I, 27, 28. — [5] III *Reg.*, XVII, 23. — [6] *Job*, XXXVII, 24. — [7] *Isa.*, LIX, 19. — [8] *Eccli.*, XLIII, 32, 33, 35. — [9] *Deut.*, XVIII, 18; *Act.*, III, 22. — [10] Sup., I, 68. — [11] *Gen.*, L, 24. — [12] *Joan.*, X, 11.

ovibus suis. » Ubi in se ostendit formam rectæ prælationis. Status contemplativorum, in discipulis qui admittuntur in montem in transfiguratione Domini, secundum illud [1] : « Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum : et transfiguratus est ante eos. » Et infra [2] : « Conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. » Hoc dicitur contemplativis. Status activorum designatur in turba, quæ versatur in fluctibus mundi, infra [3] : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. » Unde [4] : « In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. » De hoc triplici statu justitiæ dicitur in figura [5] : « Si fuerint in medio ejus Noe, Daniel et Job; ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus, » etc. Per Noe intelliguntur prælati; per Danielem, cui data est intelligentia visionum, contemplativi; per Job, activi. Status vero culpæ designatur in adolescente mortuo, cujus triplex est gradus : primus in interiori affectione; secundus in exteriori operatione; tertius vero in consuetudine sive obstinatione.

Tres mortui suscitati a Domino quid.

Hi tres status per tres mortuos a Domino suscitatos designantur, tum ratione locorum, tum ratione ætatum. Nam status peccantium in corde designatur per puellam mortuam in domo, de qua habetur apud Marcum [6]. Status peccantium in opere, per adolescentem, qui ad portam civitatis inventus est, quia jam processit peccatum, de quo hic. Status peccantium per consuetudinem et obstinationem, per Lazarum [7] jam in virili ætate jacentem quatriduanum mortuum et fœtidum in sepulcro. His tribus respondent tres mortui suscitati in veteri testamento, scilicet puerulus [8] ab Elisæo filius mulieris Sunamitis; adolescens [9] filius mulieris Sareptanæ suscitatus ab Elia; et vir [10] ab Elisæo mortuo : in quibus designantur tres prædicti status. Possunt etiam in iis tribus tres radices peccatorum designari, quia unus mortuus est ex languore ægritudinis, in quo concupiscentia carnis; alius ex fervore sitis, in quo cupiditas mundi; tertius invisibiliter, in quo superbia vitæ.

Status autem pœnitentiæ designatur in adolescente resuscitato, de quo dicitur, quod *resedit, et cœpit loqui, et redditus est matri.* Resedit quidem per contritionem, quæ levat caput a terra [11] : « Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. » Hieremias [12] : « Solus sedebam, quoniam amaritudine replevisti me. » Cœpit loqui per confessionem; Job [13] : « Loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo : Noli me condemnare. » Et item [14] : « Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. » Redditus est matri Ecclesiæ per satisfactionem, quia satisfacere est debitum reddere, non tantum Deo Patri, sed etiam matri Ecclesiæ. In cujus figura dicitur [15] : « Tolle puerum istum, et duc eum ad matrem suam. » Et sicut mater libenter suscipit filium suscitatum, sic Christus et Ecclesia gaudenter peccatorem pœnitentem. Unde infra [16] : « Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit. »

Pœnitentiæ status.

17. *Et exiit hic sermo,* etc. Postquam ostensa est sufficienter excellentia potestatis in Christo per magnitudinem duplicis miraculi, hic secundo ostenditur evidentia veritatis in eodem per certitudinem veritatis testimonii, quod quidem fuit testimonium Præcursoris. Ad hujus autem testimonii certificationem dupliciter procedi potest et debet : aut per probationem veritatis ipsius in se; aut per approbationem virtutis in testificante. Primum respicit Præcursoris doctrinam; secundum vero respicit Præcursoris vitam : quorum utrumque facit ad

[1] *Matth.*, XVII, 1. — [2] Inf., X, 23. — [3] Ibid., 41. — [4] *Joan.*, XVI, 33. — [5] *Ezech.*, XIV, 24. — [6] *Marc.*, V, 35, et seq. — [7] *Joan.*, XI, 1 et seq. — [8] IV *Reg.*, IV, 32 et seq. — [9] III *Reg.*, XVII, 23. — [10] IV *Reg.*, XIII, 21. — [11] *Psal.* CXXVI, 2. — [12] *Jerem.*, XV, 17. — [13] *Job*, X, 1. — [14] Ibid., VII, 11. — [15] IV *Reg.*, IV, 19. — [16] Inf., XV, 32.

approbationem testimonii. Primo ergo in hac parte ostenditur Præcursoris testimonium esse verum; secundo vero testificantis meritum esse magnum, ibi (v. 24) : *Et cum discessissent nuntii Joannis*, etc. Circa primum autem, scilicet veritatem testimonii, comprobandum, duo introducuntur : primum est quæstio Præcursoris; secundum est responsio Salvatoris, ibi (v. 21) : *In ipsa autem hora curavit multos*. Quærit autem Joannes id ex eo cui testimonium perhibuerat, non propter dubium amovendum, sed propter testimonium approbandum per infallibile argumentum. Proponitur autem quæstio ipsius hoc ordine : primo enim introducitur quæstionis occasio; secundo, quæstionis demandatio; tertio vero, quæstionis demandatæ denuntiatio. Introducitur ergo primo quærendi occasio ex nominis Christi præconio; quantum ad hoc dicitur : *Et exiit hic sermo*, scilicet de suscitatione mortui, *in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem*, ita ut possent omnes dicere illud [1] : « Auribus nostris audivimus famam ejus. » Et illud *Josue* [2] : « Audivimus famam potentiæ ejus, » scilicet Dei vestri. Unde et Matthæus dicit [3], quod « abiit opinio ejus in totam Syriam. » Cujus figura præcessit in Ozia rege [4] : « Egressum est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset eum. » Hoc autem famæ præconium, licet esset multis causa credendi, erat tamen aliquibus occasio invidendi, sicut discipulis Joannis, propter quos additur (v. 18) : *Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his*. Beda [5] :« Non simplici corde, sed invidia stimulante (*a*), sicut apud *Joannem*, ubi querulantur, dicentes [6] : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » De talibus ad *Philippenses* [7] : « Quidam ex contentione Christum annuntiant, non sincere. » Ex hoc ergo sumpta est occasio quærendi, utrum ipse esset quem Joannes prænuntiaverat, tum propter discipulorum invidiam extirpandam, tum propter contentionem consopiedam, tum propter ipsorum dubitationem amovendam, tum propter ipsam veritatem jam clarius divulgandam.

Subducitur secundo quæstionis demandatio ex Joannis officio, cum dicitur (v. 19) : *Et convocavit duos de discipulis Joannes, et misit ad Jesum*. Hoc enim spectat ad officium Præcursoris, missio discipulorum ad Christum. Præcursoris enim officium est mittere ad Christum, verbo et opere potentem, tam scilicet prædicando quam baptizando, secundum quod dicitur [8] : « Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent. » Unde Glossa [9] : « Misit eos ad Jesum, ut hac occasione signa videant, et correcti credant in eum. » Et Ambrosius [10] : « Misit discipulos ad Christum, ut supplementum scientiæ assequantur quia plenitudo legis est Christus. Et (*b*) quia plerumque nutant dicta sine factis, et fides plenior gestorum testificationibus, quam verborum sponsionibus exhibetur : » ideo mittebat eos ad Veritatem, ut ipsi certificarentur per Veritatem, et certificati redderent testimonium veritati : et ideo duos misit secundum illud *Joannis* [11] : « In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. » Quia tamen adhuc dubitabant, ideo formam quærendi eis dat, dum addit (v. 20) : *Dicens, tu es, qui venturus est?* id est, quem ego prædixi venturum : « Post me venturus est qui ante me factus est, » ut habetur in *Joanne* [12] et in cæteris aliis Evangeliis. *An alium expectamus?* quasi diceret : Si tu es ille, jam alius non est expectandus, ne forte si alium expectemus, suscipiamus non jam Christum, sed antichristum. De quo dicit Dominus ad Judæos

[1] *Job*, XXVIII, 22. — [2] *Jos.*, IX, 9. — [3] *Matth.*, IV, 24. — [4] II *Paral.*, XXVI, 15. — [5] Bed., lib. II, c. XXVI, *in Luc.*, c. VII. — [6] *Joan.*, III, 26. — [7] *Philip.*, I, 17. — [8] *Act.*, XIX, 4. — [9] Gloss. in hunc loc. — [10] Ambros., *in Luc.*, lib. V, n. 95. — [11] *Joan.*, VIII, 17. — [12] Ibid., I, 30.

(*a*) *Al.* stimulato.— (*b*) *Item Ambr.* Christus : ut.

incredulos [1] : « Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis (*a*) me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. »

Subjungitur autem tertio demandatæ quæstionis relatio discipulorum ministerio, cum subditur (v. 20) : *Cum autem venissent ad eum viri,* etc. Isti duo viri designati sunt per duos exploratores [2] missos ultra Jordanem. Et dicuntur viri, quia viriliter et fideliter impleverunt quod eis fuerat imperatum. Unde subditur : *Dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te,* ut scilicet nos in persona sua quæreremus a te. Quod notat, cum subdit : *Dicens : Tu es qui venturus est, an alium expectamus?* Unde nota quod quæstio ista proponitur a discipulis in persona Joannis, ut ostendatur, quod discipuli ferunt intra se animum dubium, sed per Joannem diriguntur (*b*) ad Christum. Unde Joannes non per se quæstionem proposuit, quia non in se, sed in discipulis dubitavit. Et hoc est, quod dicit Chrysostomus [3] : « Qui a Spiritu didicerat, qui vocem Patris audierat, qui cæteris prædicaverat, qui testimonium perhibuerat, quomodo post multa miracula, per quæ aliis innotuerat, dubitabat? » Numquid timidior propter incarcerationem factus fuerat? Absit, cum eum Dominus dicat non esse arundinem vento agitatam. Unde non dubitavit; sed verba dubitantis proposuit ad certitudinem discipulorum; sicut Dominus [4] : « Ubi posuistis eum? » Et [5] : « Unde ememus panes? » Gregorius tamen vult [6] quod dubitaverit, et quæsiverit non de primo adventu, de quo certus erat, sed de descensu ad inferos, quo Christum adhuc præcedere debebat. Ambrosius vero vult [7] quod dubitaverit, non ex infidelitate, aut tarditate, ut discipuli, sed quadam pietate, sicut dicitur in Glossa.

21. *In ipsa autem hora,* etc. Post propositam quæstionem subdit quæstionis solutionem ad discipulorum dubium removendum, et Joannis testimonium confirmandum. In qua Dominus perfectissime respondet, scilicet quæstioni, et quærenti, et omni contradicenti. Primum quidem respondet quæstioni, faciendo miracula per quæ probatur ipsum esse Christum, sive Messiam; et ob hoc dicitur : *In ipsa autem hora,* scilicet adventus discipulorum. Quæ quidem erat hora propalandæ veritatis, secundum illud [8] : « Hora est jam nos de somno surgere, » etc. In hac ergo, ad veritatem propalandam, *curavit multos*; in cujus figura dicitur de Simone filio Oniæ [9] : « Curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. » Et quia virtus miraculorum non solum attenditur in multitudine curatorum, et ex parte personarum, sed etiam ex parte morborum ; ideo subditur quod a multiplici ægritudine curavit, scilicet *a languoribus suis,* quoad morbi prolixitatem [10] : « Languor prolixior gravat medicum; brevem languorem præcidit medicus : » ut sic impleretur illud [11] : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » *Et plagis,* quantum ad morbi acerbitatem, secundum illud *Hieremiæ* [12] : « Plaga inimici percussi te castigatione crudeli. » Ab his curavit Dominus, sicut in Psalmo petitur [13] : « Amove a me plagas tuas. » *Et spiritibus malis,* quantum ad impetum alienæ violentiæ, qui fit per spiritum malum [14] : « Exagitabat Saul spiritus nequam a Domino. » *Et cæcis multis donavit visum.* In quo notatur defectus intrinsecæ potentiæ; ut sic impleatur illud *Isaiæ* [15] : « De tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. » Et per hæc manifestat se esse illum, qui erat venturus [16] : « Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati. » Et subditur : « Ego autem habeo testimonium majus Joanne. » Et postea : « Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. »

[1] *Joan.*, v, 43. — [2] *Jos.*, ii, 1. — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. xxxvii, al. xxxvi, n. 1. — [4] *Joan.*, xi, 34. — [5] Ibid., vi, 5. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. vii. — [7] Ambr., *in Luc.*, lib. v, n. 98. — [8] *Rom.*, xiii, 11. — [9] *Eccli.*, l, 4. — [10] *Eccli.*, x, 11. — [11] *Isa.*, liii, 4. — [12] *Jerem.*, xxx, 14. — [13] *Psal.* xxxviii, 11. — [14] I *Reg.*, xvi, 14. — [15] *Isa.*, xxix, 18. — [16] *Joan.*, v, 33, 34, 36.

(*a*) *Vulg.* accipitis. — (*b*) *Cæt. edit.* dirigantur.

Secundo respondet quærenti, denuntiando prodigia discipulis visa et audita; propter quod dicit (v. 22) : *Et respondens dixit illis : Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis;* quia, sicut dicitur [1] : « Opera Dei revelare et confiteri, honorificum est. » Mandat eis denuntiare quæ viderunt et audierunt, quia isti duo sensus plurimas nobis differentias ostendunt; ut in hoc ostendatur perfectior fides Joannis qui credidit solo auditui, quam istorum qui viderunt et crediderunt, secundum illud *Joannis* de Thoma, cui dicitur [2] : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt. » Præcipit autem eis narrare prodigia, quæ quidem sunt præcipua miracula, propter impossibilitatem respectu virtutis creatæ, sicut est restitutio visus, rectificatio gressus, mundatio corporis totius, reparatio auditus, restitutio vitæ, et sublimatio inopiæ. Quantum ad restitutionem visus, dicit : *Quia cæci vident.* [3] « Tunc aperientur oculi cæcorum, » scilicet in adventu Christi. « A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. » Quantum ad rectificationem gressus, dicitur : *Claudi ambulant.* [5] « In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem; et eam quam ejeceram, colligam. » *Isaias* [6] : « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Quantum ad mundationem corporis totius, dicitur : *Leprosi mundantur*, sicut infra [7] leguntur decem leprosi esse mundati, et sicut dicit *Job* [8] : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? » Tu ergo qui hæc facis, es ille qui venturus es? Quantum ad apertionem auditus subditur : *Surdi audiunt.* [9] « Aures surdorum patebunt, » scilicet in adventu Christi, secundum illud [10] : « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. » Quantum ad reparationem vitæ, dicitur : *Mortui resurgunt*, secundum illud [11] : « Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus; et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis; » et hoc est in adventu Christi [12] : « Quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei. » Postremo, quantum ad sublimationem inopiæ, subditur : *Pauperes evangelizantur*, id est per Evangelium prædicantur et exaltantur; quod patet, quia sermo Domini incœpit a commendatione pauperum [13] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » ut habetur supra. Et hoc erat certum signum adventus Christi, secundum illud [14] : « Pauperes homines in sancto Israel exultabunt, » quia dicitur *Isaiæ* [15] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu? » Et *Jacobus* [16] : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, » etc. Quia de ipso Christo dictum est in *Psalmo* [17] : « Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet. » Et post : « Et honorabile nomen eorum coram illo. » Et illud erat magnum prodigium, quia honorabile fuerat (*a*), et amabile, et prædicabile nomen pauperum; quod non fuit nisi per Jesum, qui se fecit pauperem ad nos pauperes ditandos et honorandos [18] : « Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi; quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » Et nota quod magis dicit : *Pauperes evangelizantur*, quam *virgines* vel *obedientes*; quia paupertas fundamentum est evangelicæ perfectionis.

Sicut fundamentum civitatis Babylonis est avaritia, secundum illud [19] : « Radix enim omnium malorum est cupiditas; » et « initium omnis peccatis est superbia, » secundum quod dicitur [20] : sic paupertas spiritus, quæ includit oppositum utriusque, scilicet paupertatem et humilitatem, est fundamentum

[1] *Tob.*, XII, 7. — [2] *Joan.*, XX, 29. — [3] *Isa.*, XXXV, 5. — [4] *Joan.*, IX, 32. — [5] *Mich.*, IV, 6. — [6] *Isa.*, XXXV, 6. — [7] Inf., XVII, 14. — [8] *Job*, XIV, 4. — [9] *Isa.*, XXXV, 5. — [10] *Marc.*, VII, 37. — [11] *Ezech.*, XXXVII, 13. — [12] *Joan.*, V, 28. — [13] *Matth.*, V, 3; *Luc.*, VI, 20. — [14] *Isa.*, XXIX, 19. — [15] *Isa.*, LXVI, 2. — [16] *Jac.*, II, 5. — [17] *Psal.* LXXIII, 19, 20. — [18] II *Cor.*, VIII, 9. — [19] I *Tim.*, VI, 10. — [20] *Eccli.*, X, 15. — (*a*) *Leg.* fecerat

perfectionis evangelicæ ; est et consummatio ejusdem, secundum illud ad *Corinthios* [1] : « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. »

Et nota, quod paupertas est evangelizanda et prædicabilis propter decem excellentissimas dignitates. Primo, propter intelligentiam infirmitatis propriæ [2] : « Ego vir videns paupertatem meam, » etc. Contrarium dicitur de divite [3] : « Dicis : Dives sum et locupletatus, et nullius egeo ; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, » etc. Secundo, propter excellentiam virtutis gratuitæ : « Altissima paupertas, » etc., ut superius [1]. [4] « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. » Tertio, propter affluentiam jucunditatis internæ [5] : « Pauperes homines in sancto Israel exultabunt. » In *Psalmo* [6] : « Videant pauperes, et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra. » Quarto, propter copiam abundantis sufficientiæ [7] : « Sufficiebat nobis paupertas nostra (*a*), » etc. Et item in *Proverbiis* [8] : « Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane. » Contrarium dicitur in *Ecclesiastico* [9] : « Insatiabilis oculus cupidi. » Quinto, propter custodiam protectionis supernæ [10] : « Non facias violentiam pauperi, quia pauper est ; neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos qui confixerunt eum. » *Job* [11] : « Salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. In *Psalmo* [12] : « Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. » Sexto, propter complacentiam acceptationis divinæ [13] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, » etc. ? In *Psalmo* [14] : « Oculi ejus in pauperem respiciunt. » Et in *Ecclesiastico* [15] : « Est homo marcidus, egens recuperatione. » Et subditur : « Et abundans paupertate, et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius. » Septimo, propter condescendentiam pietatis supernæ, id est, paternæ [16] : « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. » Et iterum [17] : « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam. » Rursus [18] : « Parcet pauperi et inopi. » Octavo, propter eminentiam auctoritatis judiciariæ ; *Job* [19] : « Non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit. » In *Matthæo* (*b*) [20] : « Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, » etc., sequitur : « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Nono, propter evidentiam perfectionis probatæ [21] : « Elegi te in camino paupertatis. » In *Apocalypsi* [22] : « Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam ; sed dives es : et blasphemaris ad his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Decimo et ultimo, propter excellentiam regalis præsidentiæ [23] : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? » In *Matthæo* (*b*) [24] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Si igitur despectissimum est genus pauperum, et excellentissimum genus divitum ; excellentissimum miraculum est, quod pauperes, ut reges, evangelizantur.

Tertio respondet omni contradicenti, comprimendo judicia temeraria, quæ præcipitant homines in diversa scandala. Ideo dicit (v. 23) : *Et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me*, id est, qui non judicaverit me hominem purum, et non Deum, in consideratione infirmitatis assumptæ ; quod quidem erat valde difficile, imo impossibile non credenti. Unde [25] :

[1] II *Cor.*, VIII, 2. — [2] *Thren.*, III, 1. — [3] *Apoc.*, III, 17, 18. — [4] *Gen.*, XLI, 52. — [5] *Isa.*, XXIX, 19. — [6] *Psal.* LXVIII, 33. — [7] *Tob.*, V, 25. — [8] *Prov.*, XII, 9. — [9] *Eccli.*, XIV, 9. — [10] *Prov.*, XXII, 22. — [11] *Job*, V, 15. — [12] *Psal.* IX, 10. — [13] *Isa.*, LXVI, 2. — [14] *Psal.* X, 9. — [15] *Eccli.*, XI, 12. — [16] *Psal.* XXXIII, 7. — [17] *Psal.* XI, 6. — [18] *Psal.* LXXI, 13. — [19] *Job*, XXXVI, 6. — [20] *Matth.*, XIX, 28. — [21] *Isa.*, XLVIII, 10. — [22] *Apoc.*, II, 9. — [23] *Jac.*, II, 5. — [24] *Matth.*, V, 3. — [25] I *Cor.*, I, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* vestra. — (*b*) *Item* Matthæus.

« Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. » Sed quidam scandalizati sunt propter infirmitatem, sicut discipuli [1] : « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. » Quidam autem ex malignitate, sicut Scribæ et Pharisæi, secundum illud [2] : « Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? » Unde generale documentum est hoc omnibus volentibus nosse Christum, ut videant, ne propter infirma quæ passus est, incurrant scandalum, secundum illud *Isaiæ* [3] : « Dominum exercituum ipsum sanctificate, » etc. Et subjungitur : « Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et petra scandali duabus domibus Israel, et in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. » Et ideo talem vocat recte beatum, qui vitat periculum erroris, et pervenit ad lucem veritatis, sicut Petrus, cui dicitur [4] : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelabit tibi, » etc.

Spiritualiter hic nota, quod ex curatione morborum præsentialiter exhibita intelligitur perfecta curatio ab originali; sed ex curatione morborum denuntiata Joanni, perfecta curatio ab actuali.

Sensus spiritualis. Quatuor mala infixa sunt homini per peccatum originale.

Quantum ad curationem ab originali, nota quod ad hoc quod perfecte curetur, oportet quod fiat curatio et sanatio a quatuor, quæ fuerunt propter originale peccatum inflicta, scilicet a concupiscentia, impotentia, malitia, et ignorantia. Et hæc quatuor designantur per curationem quatuor generum ægritudinum. Nam concupiscentia intelligitur per languorem propter adhærentiam universalem, secundum illud [5] : « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. » Impotentia, per plagam [6] : « Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. » Per spiritum malignum intelligitur nequitia [7] : « Exagitabat Saul spiritus nequam. » Per cæcitatem, ignorantia [8] : « Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus; impegimus meridie quasi in tenebris : » Et alibi [9] : « Speculatores ejus cæci omnes. » In curatione ergo hujus quadruplicis ægritudinis, intelligitur perfecta curatio originalis.

In consummatione impietatis sunt gradus.

Quantum ad curationem perfectam ab actuali, nota quod, in consummatione impietatis, in actuali peccato quinque sunt gradus. Primus est deviatio in eligendo, et hoc per cæcitatem designatur [10] : « Erraverunt cæci in plateis; » quia [11] « error et tenebræ peccatoribus concreata sunt; qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. » Secundus est deordinatio in prosequendo, quæ intelligitur per claudos [12] : « Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. » Unde [13] : « Usquequo claudicatis in duas partes, » etc. Tertius, contagium in conversando, quod intelligitur per lepram [14] : « Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ; sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes. » *Ezechiel* [15] : « Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Quartus est obduratio in perdurando, quæ per surditatem intelligitur, secundum illud [16] : « Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas. » Quintus est desperatio in contemnendo, quia [17] « impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. » Quæ intelligitur per mortem [18] : « Percussimus fœdus cum morte. » Et hoc est peccatum ad mortem, de quo dicitur in *Joanne* [19]. Ab omnibus curat virtus Christi per gratiam suam, quæ designata fuit in piscina, de qua Joannes dicit [20], quod « angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. » Et hæc est « virtus, quæ de illo exibat, et sanabat omnes, » id quod dicitur supra [21].

[1] *Matth.*, XXVI, 31. — [2] Ibid., XV, 12. — [3] *Isa.*, VIII, 13, 14. — [4] *Matth.*, XVI, 17. — [5] *Isa.*, I, 5. — [6] *Jerem.*, X, 19. — [7] I *Reg.*, XVI, 14. — [8] *Isa.*, LIX, 10. — [9] Ibid., LVI, 10. — [10] *Thren.*, IV, 14. — [11] *Eccli.*, XI, 16. — [12] *Psal.* XVII, 46. — [13] III *Reg.*, XVIII, 21. — [14] *Deut.*, XXIV, 8, 12. — [15] *Ezech.*, XXXVI, 25. — [16] *Psal.* LVII, 5. — [17] *Prov.*, XVIII, 1. — [18] *Isa.*, XXVIII, 15. — [19] I *Joan.*, V, 17. — [20] *Joan.*, V, 4. — [21] Sup., VI, 19.

Divisio. 24. *Et cum discessissent,* etc. Supra comprobavit testimonium Joannis per evidentiam virtutis in se; hic secundo comprobat per evidentiam virtutis in Joanne testificante. Et habet hæc pars duas partes, in quarum prima multipliciter extollitur prærogativa virtutis in Joanne; in secunda vero redarguitur perfidia incredulitatis in plebe, ibi (v. 31): *Cui ergo similes dicam homines*, etc. Prærogativa autem virtutis ostenditur fuisse quadruplex in Joanne: primo scilicet quantum ad meritum vitæ; secundo, quantum ad officium doctrinæ, ibi (v. 25): *Sed quid existis videre? prophetam?* etc.; tertio, quantum ad donum gratiæ, ibi (v. 28): *Dico enim vobis, major inter natos mulierum,* etc.; quarto, quantum ad præconium famæ, ibi (v. 29): *Et omnis populus audiens,* etc. Quantum ad primum, notandum quod meritum vitæ dupliciter commendatur in Joanne: primo, quantum ad constantiam respectu difficilium; secundo vero, quantum ad abstinentiam respectu delectabilium. Introducitur ergo primo commendatio constantiæ Joannis in absentia discipulorum, propter quod dicit: *Et cum discessissent nuntii Joannis*, solutione quæstionis obtenta, revertentes tanquam boni nuntii ad eum a quo missi fuerant: de quibus *Job* [1]: « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? » In horum absentia laudari debebat Joannes, ut ostendatur laus esse vera, non adulatoria; ideo dicitur: *Cœpit de Joanne dicere ad turbas.* Cœpit utique ipsum turbis laudare, ne videretur Joannes ex dubitatione discipulos ad Christum transmisisse. Ideo incipit eum de constantia commendare dicens: *Quid existis in deserto videre: arundinem vento agitatam?* quasi dicat: Non est Joannes similis arundini, ut quolibet impulsu trepidet et concutiatur; sed fortis et fixus in fide, in omni bonitate. Juxta quod *Jacobus* [2]: « Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. » Sequitur: « Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. » Talis vero est arundo; non talis erat Joannes, cum esset sanctissimus, de quo [3]: « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur. » Tales sunt omnes sancti, secundum illud [4]: « Non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, » etc. Ideo rogabat Paulus [5]: « Rogamus vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, » etc.; subditur: « Ut non cito moveamini a vestro sensu. »

Joannis constantia.

Hanc autem constantiam qui vult adipisci, debet relinquere mundum, et exire ad Joannem in desertum, secundum quod dicitur [6]: « Exclamavit Matathias voce magna in civitate, dicens: Omnis qui habet zelum legis, statuens testamentum, exeat post me: » et sequitur, « quod multi exierunt in desertum. »

Joannis abstinentia.

Secundo vero subditur commendatio abstinentiæ Joannis, respectu delectabilium; propter quod dicit: *Sed quid existis videre,* id est considerare? *Hominem mollibus vestimentis indutum?* quasi dicat: Non. Joannes enim sanctissimus ab omni mollitie carnalitatis erat alienus; et sicut dicitur [7]: « Joannes autem habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erant locustæ. » Hic vere erat de numero virorum evangelicorum, in quorum persona dicitur [8]: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. » *Quibus tegamur*, dicit, non quibus ornemur. Bernardus ad Eugenium: « Apostoli fortes fuerunt in bello, non molles in serico; quod si filius es apostolorum et prophetarum, et tu fac similiter. » Sed qui hoc vult facere, oportet ut deserat mundum, et cum Joanne exeat in desertum. Unde additur: *Ecce qui in pretiosa veste sunt et deliciis, in domibus regum sunt;* quasi dicat:

Contra vestium mollitiem.

[1] *Job,* XXXVIII, 35. — [2] *Jac.,* I, 6, 8. — [3] *Eccli.,* XXVII, 12. — [4] *Ephes.,* IV, 14. — [5] II *Thess.,* II, 1, 2. — [6] I I *Mach.,* II, 27, 29. — [7] *Matth.,* III, 4. — [8] I *Tim.,* VI, 8.

Vestis pretiosa et vita deliciosa sunt hominum mundanorum, non virorum spiritualium et christianorum. Unde dicitur de mulieribus [1] : « Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. » Super quo Gregorius [2] : « Nemo putet in cultu pretiosarum vestium deesse peccatum. Pensate quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiæ etiam fœminas prohibere. Hujusmodi namque vestimenta pretiosa sunt carnalia et deliciosa. In deliciis autem periclitatur spiritualis vita. » Unde [3] : « Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est. » [4] « Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? » Hujusmodi enim vestes pretiosæ et deliciosæ consueverunt esse vanæ gloriæ occasio. Et ideo addit : *In domibus regum sunt*. De quo in *Ecclesiastico* [5] : « In vestitu ne glorieris unquam; nec in die honoris tui extollaris, » etc.

26. *Sed quid existis videre?* Postquam commendavit Salvator Joannem quantum ad meritum vitæ, hic commendat quantum ad oficium doctrinæ; et recto ordine, quia prior debet esse vita bona, quam doctrina authentica. Commendatur autem officium doctrinæ in Joanne dupliciter, scilicet quantum ad limpiditatem in cognoscendo, et quantum ad auctoritatem in docendo : quæ duo perfectum reddunt doctoris officium. Primo, quantum ad limpiditatem in cognoscendo divinum mysterium, dicitur : *Sed quid existis videre? prophetam?* cui scilicet Dominus revelet futura, secundum illud [6] : « Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum ad servos suos prophetas. » Huic autem non solum futura prædixit; sed etiam se præsentialiter ostendit. Ideo addit : *Utique dico vobis, et plusquam prophetam.* De quo Ambrosius [7] : « Quia multi cupierunt videre, quem iste prophetavit, quem iste conspexit, quem iste baptizavit; » ideo ostendendo Christum digito, et videndo oculis, aliis prophetis fuit excellentior et beatior, secundum illud [8] : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis : dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. » Et ideo quia excellentius fuit ejus officium quam prophetarum; ideo ipse Baptista, Pharisæis quærentibus [9] : « Propheta es tu? » respondit : « Non sum, » sed « vox clamantis in deserto. » Nec est aliqua contradictio, sed consonantia, quia propheta prædicit futura et absentia, sed vox patefacit præsentia.

Officium doctrinæ in Joanne.

Secundo, quantum ad auctoritatem in docendo per divinum mandatum, dicitur (v. 27) : *Hic est de quo scriptum est*, ubi loquitur Pater ad Filium [10] : « Ecce mitto angelum meum, » id est nuntium authenticum, Joannem, qui angelus dicitur non simplicitate naturæ, sed auctoritate doctrinæ, secundum illud [11] : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Ideo autem Joannes dicitur nuntius ad modum angeli, quia sicut angeli vident faciem Patris in deitate, sic ipse vidit faciem Christi, et monstravit in carne. Propter quod addit : *Ante faciem tuam*, id est, apparitionem in carne, de qua [12] : « Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus. » Et hanc faciem desiderabat Isaias in persona patrum [13] : « Utinam dirumperes cœlos et descenderes : a facie tua montes defluerent. » Et quia non erant parati ad istam faciem recipiendam, nisi præmunirentur, ideo dicitur : *Qui præparabit viam tuam* (a) *ante te*, scilicet nascendo, conversando, baptizando, prædicando. Omnibus enim modis manu ducebat ad Christum, sicut vox ad Verbum. Ideo recte de ipso dictum est in *Isaia* [14], et supra [15] resumptum est, et etiam in *Joanne* [16] : « Ego vox clamantis in deser-

Joannes Angelus.

[1] I *Petr.*, III, 3. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. VI, circa med. — [3] I *Tim.*, V, 6. — [4] *Jerem.*, XXXI, 22. — [5] *Eccli.*, XI, 4. — [6] *Amos*, III, 7. — [7] Ambr., *in Luc.*, lib. V, n. 109. — [8] Inf., X, 23, 24. — [9] *Joan.*, I, 21-23. — [10] *Mal.*, III, 1. — [11] Ibid., II, 7. — [12] *Psal.* LXXIX, 4. — [13] *Isa.*, LXIV, 1. — [14] *Isa.*, XL, 3. — [15] Sup., III, 4. — [16] *Joan.*, I, 23.

(a) *Cæt. edit.* suam.

to : Parate viam Domini : » ut impleatur illud [1] : « Erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. »

28. *Dico enim vobis, major,* etc. Hic tertio commendat Christus suum præcursorem, quantum ad donum gratiæ divinæ, quia fuit « magnus coram Domino, » secundum quod dicitur [2]. Et quoniam donum gratiæ in Joanne prærogativam habuit in gradu, et mensuram sanctitatis in statu, ideo hic duo insinuat, cum donum gratiæ commendat in Joanne. Primo enim commendat Joannem quantum ad prærogativam doni gratuiti, respectu hominis puri, cum dicit : *Dico enim vobis, major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* Cum ergo non sit inter homines in gradu gratiæ infimo vel medio, necesse est quod sit in supremo. Unde non solum ex hoc dicitur quod sit magnus, sed etiam ita magnus, quod possit de eo dici illud quod dicitur de Josue [3] : « Qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. » Quia enim magnam habuit gratiam, ideo Joannes [4] vocatus est. Magnus enim fuit per vitæ meritum, major per doctrinæ magisterium, maximus per gratiæ privilegium. Non autem dicitur major omnibus, ut omnibus præferatur; sed quod alius non fuerit major eo. Nec dicitur de omnibus universaliter præteritis et futuris, sed tunc præteritis. Non dicitur etiam respectu utriusque sexus, sed tantum virilis. Unde non includitur Virgo Maria, quæ exaltata est super choros angelorum, nullam puram creaturam habens superiorem, nec etiam æqualem, secundum illud [5] : « Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. »

Baptista inter natos mulierum maximus.

Secundo vero insinuat doni illius mensuram respectu hominis Christi; unde dicit : *Qui autem minor est in regno Dei, major est illo.* Regnum Dei hic vocat Ecclesiam, secundum quod exponit Gregorius [6] illud *Matthæi* [7] : « Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala. » Minor in hoc regno dicitur humilior; hic autem est Christus, de quo in *Psalmo* [8] : « Minuisti eum paulominus ab angelis, » etc. Quia enim dicitur [9] : « Humiliavit semetipsum, factus (*a*) obediens usque ad mortem. » Sequitur : « Exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Et sic verificatum est illud [10] : « Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. » Et hæc est lex divina quam ipse tulit [11] : « Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. » Sic itaque, imo plus per omnem modum humiliavit se Christus. Infra [12] : « Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Unde Gregorius : « Humilia te quantumcumque potes, adhuc Christus erat humilior. » Posset tamen exponi de bonis angelis, quod minor bonorum angelorum major esset Joanne, pro statu illo : est enim [13] « ignis charitatis in Sion, et caminus in Jerusalem. »

29. *Et omnis populus audiens,* etc. Hic quarto, ut nihil desit commendationi Joannis, commendatur a Domino quantum ad præconium famæ. Et quoniam fama bonorum salutifera est electis, et perniciosa reprobis, secundum illud [14] : « Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam; » ideo commendat dupliciter præconium famæ in Joanne : primo, ostendendo ipsum salutiferum credentibus; secundo, mortiferum despicientibus. Primis enim videbatur Joannes laudabilis; secundis vero contemptibilis. Primi erant humiles; secundi, superbi. Primo ergo introducit commendatio-

[1] *Isa.*, XXXV, 8. — [2] Sup., I, 15. — [3] *Eccli.*, XLVI, 2. — [4] Joannes apud Hebræos interpretatur *gratia Dei.* — [5] *Cant.*, VI, 8. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XXII, post med. — [7] *Matth.*, XIII, 41. — [8] *Psal.* VIII, 6. — [9] *Philip.*, II, 8, 9. — [10] *Isa.*, LX, 22. — [11] *Matth.*, XVIII, 4. — [12] Inf., XXII, 27. — [13] *Isa.*, XXXI, 9. — [14] II *Cor.*, II, 15, 16.

(*a*) *Cæt. edit. add.* est.

nem Joannis ab humilibus assentientibus, cum dicit : *Et omnis populus audiens*, Joannem scilicet prædicantem. *Et publicani justificaverunt Deum*, id est, justum esse dixerunt, seipsos ostendendo injustos, peccata confitendo, secundum illud [1] : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. » Peccator enim, dum confitetur peccata, Dominum dicit justum, et seipsum justificat [2] : « Narra, si quid habes, ut justificeris. » Alia translatio [3] habet : « Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. » Et hoc modo fecerunt publicani et peccatores audientes Joannem, secundum illud [4] : « Exibat ad eum Jerosolyma et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem; et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. » Hæc enim duo requiruntur ad justificationem peccatorum, scilicet pœnitentia et baptismus. Et ideo subdit : *Baptizati baptismo Joannis.* [5] « Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus? » Unde signo et verbo approbant Joannem tanquam Dei angelum, et gloriosum habebant nomen ejus. Unde cum Dominus quæreret a Pharisæis [6] : « Baptismus Joannis unde erat; e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes : Si dixerimus, e cœlo, dicet nobis : Quare non credidistis illi? si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam; omnes enim habebant (*a*) Joannem sicut prophetam. » Unde ibidem subditur [7] : « Publicani et meretrices præcedent vos in regnum cœlorum. »

Secundo subditur contemptus Joannis a Pharisæis superbientibus, cum dicit (v. 30): *Pharisæi autem*, in quibus fastus sanctitatis; *et legis periti*, in quibus arrogantia notitiæ veritatis, *consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo*, quia, secundum illud [8] : « Qui vos spernit, me spernit. » Unde qui spreverunt Joannem Dei nuntium, spreverunt divinum consilium. Tales fuerunt Pharisæi, ut posset eis Sapientia Dei improperare [9] : « Despexistis omne consilium meum. » Et verificatum sit in eis illud [10] : « Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. » Et ideo consuluit Apostolus [11] : « Spiritum nolite extinguere, » etc. In hoc autem divinum consilium spreverunt, quia baptismum semper recusaverunt, per quod divina sapientia consuluit humanæ saluti : cujus figura præcessit in arca Noe in diluvio fabricata. Ideo dicitur a Petro [12] : « Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma. » Et nota quod Pharisæi spreverunt consilium Dei in semetipsos, propter sex rationes. Primo, quia prætulerunt statuta humana divinis [13] : « Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? » etc. Secundo, quia prætulerunt justitiam legis justitiæ fidei [14] : « Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes, » etc. Tertio quia prætulerunt apparentiam veritati [15] : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis; intus autem pleni estis rapina et immunditia. » Quarto quia affluentiam paupertati [16] : « Audiebant omnia hæc Pharisæi qui erant avari, et deridebant illum. Et ait illis : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. » Quinto, quia vanam gloriam hominum humilitati [17] : « Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei, » etc. Sexto, quia commodum honestati [18] : « Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debitor est. Stulti et cæci : quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? »

31. *Ait autem Dominus : Cui ergo similes*

[1] *Psal.* L, 6. — [2] *Isa.*, XLIII, 26. — [3] Juxta LXX. — [4] *Matth.*, III, 5, 6. — [5] Sup., III, 12. — [6] *Matth.*, XXI, 25, 26. — [7] *Matth.*, XXI, 31. — [8] Inf., X, 16. — [9] *Prov.*, I, 25. — [10] *Isa.*, I, 2. — [11] I *Thess.*, V, 19. — [12] I *Petr.*, III, 21. — [13] *Matth.*, XV, 2. — [14] *Rom.*, X, 3. — [15] *Matth.*, XXIII, 25. — [16] Inf., XVI, 14, 15. — [17] *Joan.*, XII, 43. — [18] *Matth.*, XXIII, 16, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* habent.

dicam, etc. Postquam Salvator noster extulit prærogativam virtutis in Joanne, hic redarguit perfidiam incredulitatis in plebe, cujus incredulitatem redarguit quadrupliciter : notat enim eos de infidelitate, de duritia, de detractione, et de blasphemia. Primo ergo, quantum ad notam infidelitatis in cognitione, dicitur : *Cui ergo similes dicam homines generationis hujus, et cui similes sunt ?* qui scilicet noluerunt credere Joanni propter mentis cæcitatem, hujus, inquam, generationis incredulæ, secundum illud [1] : « Generatio enim perversa est, et infideles filii. » Et in *Matthæo* (*a*) [2] : « O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum ? usquequo patiar vos ? » [3] « Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava, et exasperans ; generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus. » Et ideo dicitur [4] : « Considerate vehementer, » etc.; subditur : « Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii. Populus vero mutavit gloriam suam in idolum. »

Secundo, quantum ad notam duritiæ in affectione, subdit (v. 32) : *Similes sunt pueris.* Addit similitudinem per quam ostendit duritiam eorum, quia nec moti sunt ad cantum promissionum, nec ad lamentum comminationum, sicut pueri stulti in foro non respondent aliis, nec cantantibus, nec lamentantibus : quos introducit per modum similitudinis ; ideo dicit : *Similes sunt pueris sedentibus in foro.* Similiter competit eis dici, et improperari, quod improperant pueri sedentes in foro suis coætaneis, cum dicit : *Et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis*, scilicet promissa Dei concrepando ; *et non saltastis*, proficiendo. Et recta est comparatio, quia prædicator tibicini comparatur, secundum illud *Isaiæ* [5] : « Clama, ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. » *Jeremias* [6] : « Loquimini, et canite tuba in terra ; clamate fortiter, et dicite : Congregamini, et ingrediamur civitates munitas, levate signum in Sion. » Nec immerito, quia [7] « tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. » Ad hæc, duri corde non moventur, nec saltant per profectum bonorum operum; de quo saltu in *Malachia* [8] : « Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum. » Et de hac Ambrosius [9] : « Honesta saltatio, qua tripudiat animus, et bonis operibus corpus elevatur. » Unde qui ad cantum promissionum moti non fuerint, duri sunt corde, sed opere duriores, quia nec ad comminationes suppliciorum ; propter quod addit : *Lamentavimus*, scilicet per comminationem pœnæ [10] : « Scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. » Et *Jeremias* [11] : « Contemplamini, et vocate lamentatrices, ut veniant ; et ad eas quæ sapientes sunt, mittite, et properent, festinent, et assumant super nos lamentum. » Apud *Joelem* (*b*) [12] : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu : et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. » Sed tamen ad hoc moti non sunt ; unde addit : *Et non plorastis*, per compunctionem pœnitentiæ [13] : « Vocavit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium, et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, bibere vinum. » Cum tamen dicat Apostolus [14] : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. »

Tertio, quantum ad detractionis notam in locutione, quia bonum pervertitur in malum, dicitur (v. 33) : *Venit autem Joannes Baptista neque manducans panem, neque*

[1] *Deut.*, XXXII, 20. — [2] *Matth.*, XVII, 16. — [3] *Psal.* LXXVII, 8. — [4] *Jerem.*, II, 10, 11. — [5] *Isa.*, LVIII, 1. — [6] *Jerem.*, XX, 13. — [7] *Eccli.*, XL, 21. — [8] *Malach.*, IV, 3. — [9] Ambr., *in Luc.*, lib. VI, n. 8. — [10] *Ezech.*, II, 9. — [11] *Jerem.*, IX, 17, 18. — [12] *Joel.*, II, 12, 13. — [13] *Isa.*, XXII, 12, 13. — [14] *Rom.*, XII, 15.

(*a*) *Cæl. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* Joel.

bibens vinum, scilicet (*a*) in via securitatis (*b*) et justitiæ, sicut dicitur [1] : « Venit ad vos Joannes in via justitiæ. » Unde, quia venit cum austeritate pœnitentiæ; ideo venit sicut lamentans et gemens propter salutem populi, sicut *Daniel* [2] : « Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. » Sed tamen per eum non est emollita eorum duritia ad plorandum; sed aucta malitia ad detrahendum. Unde subditur : *Et dicitis : Dæmonium habet*, quia dissimilis est vitæ alienæ. Sic dicebant Salvatori [3] : « Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis? » Unde opera virtutum, quæ sunt a Spiritu sancto, ipsi ex nequitia cordis attribuebant diabolo, sicut infra dicebat [4] : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. » Et sic verificatum est illud in eis [5] : « Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. » Et propterea væ eis, secundum illud [6] : « Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, » etc.

Quarto, quantum ad notam blasphemiæ in obduratione contra ipsum Christum, subditur (v. 34) : *Venit Filius hominis manducans et bibens*, et ita in via clementiæ, quasi medicus, et tanquam sponsus, sicut supra [7] : « Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? » Et tamen non sunt moti ad exultandum, sed depravati ad blasphemandum. Ideo subditur : *Et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum.* Hoc dicitur quantum ad superfluitatem victus, quasi dicant : Non potest esse sapiens; secundum illud *Proverbium* [8] : « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. » *Amicus publicanorum et peccatorum*, quantum ad inhonestatem convictus; quasi dicat : Non potest esse bonus, quia, sicut dicitur [9] : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. » Sed maledicunt, quia in *Jeremia* (*c*) ait [10] : « Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. » Et in *Matthæo* (*d*) [11] : « Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores, » scilicet ad pœnitentiam. Et quia blasphemia Judæorum aggravatur ex vera prædicatione apostolorum, ideo subditur : *Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Sapientiam namque Evangelista vocat Christum, secundum illud [12] : « Qui factus est nobis sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Filii istius sapientiæ sunt apostoli, per verbum istius sapientiæ regenerati et per Spiritum sanctum justificati, secundum illud [13] : « Sapientia filiis suis vitam inspirat, » ut Christus apostolis. Unde et Petrus dicebat [14] : « Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; et nos credidimus (*e*), et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. » Isti justificaverunt, id est, Christum justum reputaverunt, dum ejus verba per justitiam et obedientiam impleverunt, secundum illud [15] : « Filii sapientiæ, ecclesia justorum; et natio illorum obedientia et dilectio. » Ad quorum exemplum Pharisæi debuerunt moveri; sed tamen propter pertinaciam suam remanserunt in fæcibus suis. Unde ipsis dicebat [16] : « Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt: » quia ipsi justi reputantur a sapientia, quam justificant; et Pharisæi injusti et reprobi reputantur ab eadem sapientia, quam Pharisæi condemnant per pertinaciam et blasphemiam.

36. *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis*, etc. Supra ostendit Evangelista sublimitatem Domini nostri Salvatoris quantum ad excellentiam potestatis, et quantum ad evi- Divisio.

[1] *Matth.*, XXI, 32. — [2] *Dan.*, X, 2. — [3] *Joan.*, X, 20. — [4] Inf., XI, 15. — [5] *Eccli.*, XI, 3. — [6] *Isa.*, V, 20. — [7] Sup., V, 34. — [8] *Prov.*, XX, 1. — [9] *Eccli.*, XIII, 1. — [10] *Jerem.*, XV, 19. — [11] *Matth.*, IX, 13. — [12] I *Cor.*, I, 30. — [13] *Eccli.*, IV, 12. — [14] *Joan.*, VI, 69, 70. — [15] *Eccli.*, III, 1. — [16] *Matth.*, XII, 27.

(*a*) *Loco* scilicet, *cæt. edit. habent* vita. — (*b*) *Forte leg.* severitatis. — (*c*) *Cæt. edit.* Jeremias. — (*d*) *Item* Matthæus. (*e*) *Item* credimus.

dentiam veritatis; hic tertio ostendit quamdam affluentiam pietatis. Ostenditur autem hic pietatis affluentia in Domino Jesu magna in peccatricis susceptione; major, in approbatione; sed maxima, in absolutione : suscepit enim accedentem, commendavit diligentem, et absolvit pœnitentem. Introducitur ergo primo in hac parte benigna susceptio peccatricis accedentis; secundo, benignior probatio diligentis, ibi (v. 40) : *Et respondens Jesus dixit ad illum*, etc.; tertio vero, benignissima absolutio pœnitentis ac confitentis, ibi (v. 48) : *Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata.* Quantum ad primum, notandum quod susceptio peccatricis ad Dominum accedentis ostenditur esse magnæ pietatis et misericordiæ, tum propter solemnitatem convivii, in quo eam suscepit; tum propter familiaritatem obsequii, ad quam eam admisit; tum propter temeritatem alieni judicii, ob quod tamen eam non abjecit. Primo ergo, quantum ad solemnitatem convivii, in quo peccatrix fuit pie a Domino suscepta, dicitur : *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo*; non est dubium, quia Dominum Jesum : et recte, secundum consilium et propositum Sapientis [1] : « Proposui hanc, » scilicet sapientiam, id est Christum, « adducere mihi ad convivendum : sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. » Hic autem Pharisæus, jam non est a Domino divisus, sed magis unitus. Et ideo secure Dominum rogabat, et ad convivium invitabat, secundum illud [2] : « Si reversus fuerit ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. » Et post sequitur : « Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. » Quod et iste assecutus (*a*) est; unde subditur : *Et ingressus domum Pharisæi discubuit.* Resedit ad manducandum, et sic implevit illud visibiliter, quod spiritualiter promittit in *Apocalypsi* [3] : « Si quis audiverit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. » Nec mirum, quia, sicut ipse dicit [4] : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Hoc dicit quantum ad nimietatem charitatis, propter quam homo factus est, et humanas indigentias libenter suscepit, et pertulit inter homines, secundum illud [5] : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Hæc ergo introducta sunt propter solemnitatem convivii.

Pietatis affluentia in Christo.

Quantum ad familiaritatem obsequii, ad quod fuit admissa, subditur (v. 37) : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, cujus fama innotuerat toti civitati, ita ut possit ei dici illud [6] : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, et noluisti erubescere. » Hæc est illa mulier, de qua dicitur [7] : « Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius : qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa. » Et hoc, quia fornicaria manifesta. Et sicut dicit Ravennas [8] : « Infamia illius totam læserat civitatem (*b*), » ita ut (*c*) impletum esset in ea, quod comminatur Dominus per Amos ad Amasiam sacerdotem [9] : « Uxor tua in civitate fornicabitur. » Et ideo merito dicitur peccatrix, et ratione infamiæ, et ratione requentiæ, secundum illud [10] : « Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjecit ad peccandum. » [11] « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Non solum autem simpliciter, sed diversis modis peccaverat. Unde dicitur [12], quod ejecerat Christus de Maria septem dæmonia. Gregorius [13] : « Per septenarium recte universitas designatur. » Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ uni-

[1] *Sap.*, VIII, 9. — [2] *Job*, XXII, 23, 27. — [3] *Apoc.*, III, 20. — [4] *Prov.*, VIII, 31. — [5] *Baruc.*, III, 38. — [6] *Jerem.*, III, 3. — [7] *Eccle.*, VII, 27. — [8] Petr. Chrysol., serm. XCIII. — [9] *Amos*, VII, 17. — [10] *Eccli.*, III, 29. — [11] *Apoc.*, XXII, 11. — [12] Inf., VIII, 2. — [13] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIII, non procul a princ.

(*a*) *Cæt. edit.* secutus.— (*b*) *Bibl. Patr. Lugd.*, tom. VII, p. 919 : Famam totius tetigerat civitatis : sicque jam non peccatrix solum, sed ipsius civitatis facta fuerat ipsa peccatum. — (*c*) *Cæt. edit.* uti.

versis vitiis plena fuit. Quoniam ergo sic erat peccatrix et immunda, merito deberet repelli, maxime de loco convivii; et tamen propter pietatem Domini, quam cognovit, attracta fuit. Ideo subditur : *Ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti,* id est pyxidem, seu vas alabastri, quod est quoddam genus marmoris, in quo incorrupta servantur unguenta. Hoc attulit peccatrix ad domum Pharisæi, in qua Christum cognovit esse, et a quo suscepta fuit, secundum illud [1] : « Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam. » Attulit, inquam, unguentum humilitatis, ubi Christus accubuit, ut impleretur illud [2] : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. » Hæc autem aromata, sive unguenta, quæ attulit Magdalena Christo, designata sunt secundo *Paralipomenon* [3] : « Non fuerunt aromata talia, qualia hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. » Magdalena etiam attulit Salvatori unguenta ad impendendum familiare obsequium, ad quod admissa fuit, scilicet ad exhibendum Christo ex devotione, quod carni suæ exhibuerat ex libidine, hoc est, ad abluendum, detergendum, deosculandum, et ungendum sacratissimam et mundissimam carnem Christi : ad quod admissa fuit propter affectum pœnitentiæ et benevolentiæ. Quantum ad affectum pœnitentiæ, dicitur (v. 38) : *Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus,* scilicet per dolorem. In pœnitente enim anima debet esse pudor, timor et dolor. Pudor erat, quia stabat retro; timor, quia secus pedes; dolor, quia lacrymis rigabat, sicut in illo Publicano, infra [4] : « Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum dicens : Deus propitius esto mihi peccatori. » *Hieremias* [5] : » Converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui : quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. » Ubi tanguntur tria præmissa. Quantum autem ad effectum benevolentiæ, additur : *Et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat;* ubi ostenditur dilectio benevolentiæ pura, affectuosa et devota. Debet enim charitas procedere de corde puro. Magis autem curabat de infima parte corporis Domini, quam de suprema. Jam enim non quærebat placere mundo, sed soli Christo, ut posset dicere illud [6] : « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? » Et in his duobus consistit perfecta conversio ad Christum. Sicut enim in peccato est conversio per concupiscentiam, et aversio per superbiam; sic in remedio est aversio a peccato per pœnitentiam, et conversio ad Deum per benevolentiam. Et vere hæc mulier fuit perfecte conversa et reversa, ut dicit Gregorius [7], quia quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Solent enim peccatrices mulieres in his quatuor maxime delinquere, scilicet in nutibus oculorum; *Isaias* [8] : « Nutibus oculorum ibant et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis et composito gradu incedebant. » In capillorum superflua præparatione [9] : « Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. » In voluptatibus osculorum [10] : « Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur. » Sequitur : « Egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, et reperi. » In suavitatibus unguentorum, sicut dicitur [11], quod « puellæ regis ungebantur oleo myrrhino, » etc. Et ideo perfecte pœnitentis oculi serviebant ad lacrymandum, ita ut Christus ei posset dicere illud [12] : « Audivi orationem tuam : vidi lacry-

Tria in vero pœnitente.

[1] *Psal.* XLVII, 4. — [2] *Cant.*, I, 11. — [3] II *Paral.*, IX, 9. — [4] Inf., XVIII, 13. — [5] *Jerem.*, XXXI, 18, 19. — [6] *Cant.*, VIII, 1. — [7] Greg., loc. mox cit. — [8] *Isa.*, III, 16. — [9] I *Petr.*, III, 3. — [10] *Prov.*, VII, 13, 15. — [11] *Esth.*, II, 15. — [12] IV *Reg.*, XX, 5.

mas (*a*) tuas; ecce sanavi te. » Capilli serviebant ad tergendum, ut sic posset ei dici illud [1] : « Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. » Os ad osculandum, ita ut posset illi dici a Christo illud [2] : « Favus distillans labia tua. » Unguenta serviebant ad ungendum, ut posset sibi dici illud [3] : « Curremus in odorem unguentorum tuorum. »

Tertio, quantum ad temeritatem judicii, propter quod tamen non fuit repulsa, dicit (v. 39) : *Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum,* ad convivium scilicet; videns, inquam, oculo non simplici, sed nequam, et vere nequam, quia, secundum illud [4] : « Bona in malum convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. » Item *Ecclesiasticus* [5] : « Memento, quoniam malus est oculus nequam. » Et sequitur : « Nequius oculo quid creatum est? » Et ideo tale convivium non est multum acceptandum [6] : « Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibum ejus : quoniam in similitudinem arioli et conjectoris æstimat quod ignorat. Comede et bibe, dicit tibi : et mens ejus non est tecum. » Et talis erat iste Pharisæus; quod patet per illud quod subditur : *Ait intra se, dicens,* scilicet cogitando sicut hypocrita, de quo *Job* [7] : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos. » Unde sequitur judicium : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum.* Et ita judicabat eum non esse prophetam, sed hominem ignorantem, dicens in corde suo illud [8] : « Signa nostra non vidimus, jam non est propheta. » Sed huic potest dici illud [9] : « An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis : Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat. » Sed certe « ipse novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, » sicut dicitur [10]. Et nota quod hoc modo ex vero cadebat in falsum. Manifestum est enim quod Deus et homo divinus novit occulta non solum bonorum, sed etiam malorum [11] : « In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. » Sed in hoc errabat, quia hoc credebat Christum ignorare, dum se permittebat a muliere peccatrice contingi. Unde etiam de ipsa male judicabat dicendo : *Quia peccatrix est,* quasi dicat : Non admitti, sed repelli deberet. Hic erat de illis de quibus *Isaias* [12] : « Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. » Sic etiam alter Pharisæus dicebat de Publicano [13] : « Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, » etc. Hic perverse et male judicabat; et tamen Christus propter ejus malum judicium non dimisit facere misericordiam. De quo supra dixit Pharisæis [14] : « Non egent qui sani sunt, medico; sed qui male habent. Non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. » Magna ergo misericordia Christi fuit ostensa in susceptione peccatricis accedentis ad Christi contactum inter epulas convivantium, et versutias judicantium. In quo simul commendatur Christi clementia et peccatricis pœnitentia. Unde Gregorius [15] : « Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Super convivantes ingressa est, inter epulas lacrymas fudit; quid ergo miramur? Mariam venientem, vel Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed melius, suscipientem et trahentem, quia nimirum ille per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. » Et est hic moraliter notandum, quod in his sex quæ dicuntur de hac peccatrice pœnitente, scilicet quod retro stabat secus pedes, jacebat, lacrymis rigabat, capillis tergebat, osculabatur et

Quæ verus pœnitens habere debeat.

[1] *Cant.*, IV, 9. — [2] Ibid., 11. — [3] Ibid., I, 3. — [4] *Eccli.*, XI, 33. — [5] Ibid., XXXI, 14, 15. — [6] *Prov.*, XXIII, 6, 7. — [7] *Job*, XV, 35. — [8] *Psal.* LXXIII, 9. — [9] *Job*, XXII, 12, 13. — [10] *Dan.*, II, 22. — [11] *Prov.*, XV, 3. — [12] *Isa.*, LXV, 5. — [13] Inf., XVIII, 11. — [14] Sup., V, 31, 32. — [15] Greg., loc. proxime cit.

(*a*) *Cæt. edit.* lacrymam tuam.

ungebat, intelliguntur quæ debent esse in vero pœnitente, scilicet : Pudor erubescentiæ; quod notat cum dicit : *Stans retro.* [1] « Publicanus a longe stans nolebat, » etc. Timor reverentiæ notatur ibi : *Secus pedes ejus.* [2] « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. » Dolor pœnitentiæ, ibi : *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* [3] « Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem. » Amor pudicitiæ, ibi : *Et capillus capitis sui tergebat.* [4] « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Ardor benevolentiæ, ibi : *Et osculabatur pedes ejus.* Infra [5] : « Osculum mihi non dedisti, » etc., usque « quoniam dilexit multum. » Dulcor devotionis internæ, ibi : *Et unguento ungebat.* [6] « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. » Bonum unguentum compunctionis; melius, compassionis; sed optimum, devotionis. Primo pedes, secundo corpus, sed tertio ungitur caput. Et ideo Magdalena ter legitur [7] venisse ad Dominum ungendum.

Trifarium unguentum quid.

40. *Et respondens Jesus, dixit,* etc. Post benignam susceptionem accedentis, subditur hic benignior approbatio diligentis. Approbat Dominus hanc peccatricem diligentem et ejus dilectionem : primo perquirens generale judicium; secundo assumens speciale propositum, ibi : *Et conversus ad mulierem,* etc.; tertio vero, concludens principale intentum, ibi : *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei,* etc. In perquirendo autem generale judicium, procedit hoc ordine : excitat enim Pharisæi attentionem, insinuat quæstionem, et approbat responsionem. Primo ergo excitat Pharisæi attentionem, ut a falsitate revocetur, cum dicit : *Respondens Jesus dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere.* In quo excitat eum, ut attendat. Et nota quod dicitur respondere Pharisæo, cum tamen non dicatur aliquid quæsivisse a Christo; ut ostendatur quod ipse audiebat ejus cogitationem, ut ejus judicium refellatur, quo credebat Christum ignarum, secundum illud [8] : » Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet : aut qui fixit oculum, non considerat? » In hoc quod quasi respondendo alloquitur, excitat ad cogitandam Christi sapientiam; in hoc vero quod spondet aliquid dicturum se, excitat ad percipiendum doctrinam, sicut et discipulis dixit [9] : « Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. » Et quoniam efficaciter eum excitavit, ideo subditur ejus attentio, cum dicitur : *At ille ait : Magister, dic.* In qua responsione profitetur scientiam, et petit doctrinam, juxta consilium sapientis [10] : « Fili, si attenderis mihi, disces; et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. » Et sequitur : « Et si videris sensatum, evigila ad eum. » Hic est Christus Dominus, quem recte vocat Magistrum, secundum illud [11] : « Magister vester unus est, Christus. » Et in *Joanne* (*a*) : « Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis : sum etenim. »

Secundo autem insinuat Pharisæo quæstionem, ut ad veritatem dirigatur, ibi (v. 41) : *Duo debitores erant cuidam fœneratori,* etc. Casum proponit in generali per istos debitores, dans intelligi peccatores qui magnis debitis sunt astricti, secundum illud [12] : « Dimitte nobis debita nostra, » id est, peccata notra, « sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » etc. Per fœneratorem intelligimus Christum, secundum illud [13] : « Serve male et piger, sciebas quia meto, ubi non semino; et congrego, ubi non sparsi : oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. » Et quia non omnes æqualiter peccant, nec æqualiter obligantur, ideo additur : *Unus debebat denarios quingentos.* In quo ostenditur plena obligatio, propter

[1] Inf., XVIII, 13. — [2] *Psal.* XCVIII, 5. — [3] *Thren.*, II, 18. — [4] *Isa.*, I, 16. — [5] Inf., 45-47. — [6] *Cant.*, I, 2. — [7] *Joan.*, XII, 3; *Matth.*, XXVI, 7; *Marc.*, XIV, 3. — [8] *Psal.* XCIII, 8, 8. — [9] *Joan.*, XVI, 12. — [10] *Eccli.*, VI, 33, 36. — [11] *Matth.*, XXIII, 8; *Joan.*, XIII, 13. — [12] *Matth.*, VI, 12. — [13] Ibid. XXV, 26, 26.

quinqueformem (*a*) transgressionem perfectionis evangelicæ : completio enim intelligitur per centenarium. *Et alius quinquaginta :* hoc dicitur quantum ad semiplenam obligationem, quæ est in transgressione quinqueformis (*b*) ipsius decalogi. Sed quia Deus miseretur omni generi peccatorum qui ad ipsum convertuntur, ideo subditur (v. 42) : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque*, scilicet ex misericordia condolente, sicut dicitur [1] : « Misertus autem Dominus servi illius, dimisit illum et debitum dimisit ei. » Et hoc compassione nostræ miseriæ, qua impotentes sumus solvere. Omnia enim quæ habemus etiam sine obligatione peccati, Deo debemus [2] : « Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ? » Et *Paralipomenon* [3] : « Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. » Si ergo remittit peccata, oportet quod liberaliter et misericorditer remittat, quia nullum possumus rependere beneficium. Obligamur tamen ad dilectionis affectum, de quo requirit propter collatum beneficium. *Quis ergo eum plus diligit?* cum uterque diligere teneatur. Unde sic quærebat Dominus a Petro post condonationem sui peccati [4] : « Simon Joannis, diligis me plus his ? » Et rationabiliter quærit, quia inæqualitatem beneficiorum sequi debet inæqualitas affectionum, secundum quod dicit Gregorius [5] : « Cum augentur dona, rationes etiam, crescunt donorum. Tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque esse debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. »

Tertio vero Pharisæi approbat responsionem, ut in veritate confirmetur ; propter quod addit (v. 43) : *Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is cui plus donavit*, quod scilicet amplius diligit ; ut verificetur illud [6] : « Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia. » Et quoniam, sicut dicitur [7] : « Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet ; » ideo subditur : *At ille dixit ei : Recte judicasti.* Hoc enim solum judicium approbat Veritas Christus, quod justum est, secundum illud [8] : « Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. » Unde qui falsum judicium fecerat ex propria æstimatione, rectum nunc profert ex divina manuductione. Et quia male judicaverat prius intra se, unde Beda (*c*) [9] : « Sua sententia Pharisæus convincitur, quia sicut phreneticus funem portat, ex quo ligetur. » Et nota quod commendatur hic Pharisæi judicium, nec tamen ille qui amplius peccaverat, amplius commendatur ; sed ostenditur ratione obligationis quæ venit ex diverso, quod amplius ad diligendum obligatur. Unde intelligenda est hæc sententia cum reduplicatione, quantum scilicet ad obligationem, et supposita gratia et rectitudine in voluntate, quia multi ad magnas gratias tenentur, qui paucas aut nullas reddunt. Unde Gregorius (*d*) [10] : « Super omnes plus offendit, qui plus debuit ; sed per misericordiam dominicam omnis causa mutatur, ut amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen gratia consequatur. »

44. *Et conversus ad mulierem*, etc. Post generale judicium, assumit speciale propositum, in quo ostendit peccatricem majorem affectum habuisse ad Christum, quam Pharisæum, proponendo triplex dilectionis judicium, scilicet fletum, osculum, et ablutionem pedum : in quibus mulier præcellit Pharisæum. Primo ergo præponit (*e*) peccatricem Simoni propter fletum, quod erat expressum indicium contritionis ; et hoc notat, cum dicit : *Et conversus ad mulierem*, propter ejus contritionem et pœnitentiam, secundum illud [11] : « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos. » Hoc autem fit, cum diligimus et rediligimur, secun-

[1] *Matth.*, XVIII, 27. — [2] 1 *Cor.*, IV, 7. — [3] 1 *Paral.*, XXIX, 14. — [4] *Joan.*, XXI, 15. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. IX. — [6] *Rom.*, V, 20. — [7] *Eccli.*, XXI, 18. — [8] *Joan.*, VII, 24. — [9] Bed., *in Luc.*, lib. III. — [10] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIII. — [11] *Zach.*, I, 3. — (*a*) *Edit. Vat.* quinquiformem. — (*b*) *Item* quinquiformis. — (*c*) *Cæt. edit.* Gregorius. — (*d*) *Item* Beda. — (*e*) *Item* proponit.

dum illud [1] : « Dilectus meus mihi, et ego illi. » Et alibi [2] : « Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. » Ideo autem se corporaliter convertit ad mulierem, ut in ipsa erudiret Simonem, ad quem loquebatur; et ideo subditur : *Dixit Simoni : Vides hanc mulierem?* Ideo quærit utrum videret, quia licet videret corporaliter ejus facta, non approbavit, sed reprobavit ejus merita; et licet videret peccatricis fletum, non tamen attendebat ejus affectum. Et ideo a Domino commonetur, et ex comparatione illius arguitur in hoc quod sequitur : *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Ex quo reprehensibilis ostenditur, quia non fuit imitator Abrahæ [3] : « Loquebatur viris transeuntibus : Laventur pedes vestri (*a*), et requiescite. » Sed e contra hæc est commendabilis; ideo additur : *Hæc enim lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit,* id est, lacrymas magna copia fudit ad modum fontis et rivuli, secundum quod dicitur [4] : « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? » Et in hoc significatur mirabilis affectus mulieris, et gratia interior, quæ ita in lacrymas profluebat exterius, ut impleretur illud [5] : Posuit desertum in stagna aquarum, terram sine aqua in exitus aquarum. » Et *Isaias* [6] : « Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. » Et in hoc præponitur Pharisæo, quantum ad fletum et luctum, in quo est expressum signum compunctionis.

Secundo vero præponit eam Pharisæo quantum ad osculum, quod erat signum dilectionis, ibi (v. 45) : *Osculum mihi non dedisti,* in signum amoris, secundum Apostolum [7] : « Salutate invicem in osculo sancto. » Et discipuli [8] osculati sunt Paulum. Sed e contra de hac dicitur : *Hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* In quo signatur fervens dilectio, et permanens. Ideo non cessabat ab osculo, quia non cessabat ab interiori desiderio. Nam de ipsa dicit Gregorius [9], quod amoris ejus, id est Christi, igne succensa ardebat desiderio. Sicut autem dicitur [10] : « Fortis est ut mors, dilectio : dura sicut infernus, æmulatio : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum : » unde sicut ignis semper urit, sic charitas incessanter accendit, ut enim dicit Gregorius [11] : « Nunquam est amor Dei otiosus. »

Tertio præponit eam quantum ad unctionem pedum, quod erat signum devotionis, ibi (v. 46) : *Oleo caput meum non unxisti :* quod erat moris tunc temporis in signum lætitiæ et exultationis. [12] « Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. » *Hæc autem unguento unxit pedes meos :* quod est pretiosius oleo. Unde pretiosiora offerebat hæc mulier Christo, secundum illud [13] : « Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. His ergo tribus dilectionis indiciis probat Dominus quod peccatrix verius et ferventius dilexit. »

47. *Propter quod dico tibi,* etc. Hic post generale judicium et speciale propositum, concludit principale intentum, quod est commendatio mulieris, consequens ex præmissis. Commendatur autem hæc mulier peccatrix a Domino commendatione plena, scilicet ut purgata a peccato propter dilectionis affectum, ut perfecta in merito propter dilectionis effectum, ut præposita Pharisæo propter dilectionis excessum. Unde approbat hic Dominus dilectionem ejus : primo, quia dilectio eam a peccato purgavit; unde dicit : *Propter quod dico tibi,* id est, propter nunc præmissa dilectionis indicia, assero tibi : *Remittuntur ei peccata multa.* Et ita jam a te non debet condemnari, sed magis

[1] *Cant.*, II, 16. — [2] Ibid., VII, 10. — [3] *Gen.*, XIX, 2. — [4] *Jerem.*, IX, 1. — [5] *Psal.* CVI, 35. — [6] *Isa.*, XXXV, 7. — [7] *Rom.*, XVI, 16. — [8] *Act.*, XX, 37. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XXV. — [10] *Cant.*, VIII, 6. — [11] Greg., *in Evang.*, hom. XXX. — [12] *Matth.*, VI, 17. — [13] *Joan.*, XII, 3.

(*a*) *Vulg.* Lavate pedes vestros.

beatificari, quia in *Psalmo* scriptum est[1] : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Et ad *Romanos*[2] : « Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. » Unde in ista impletum est illud[3] : « Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. »

Secundo, quia dilectio in merito profecit, propter quod addit : *Quoniam dilexit multum*. Magnitudo enim dilectionis amplificat meritum, et expellit peccatum[4] : « Charitas operit multitudinem peccatorum. » Et in *Proverbiis*[5] : « Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas. » Unde et in Glossa dicitur[6] : « Ardor charitatis in ea rubiginem peccatorum consumpsit. » Nec solum purgat a peccato, sed etiam conservat in merito, secundum illud[7] : « Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis : et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. »

Tertio vero approbat, quia dilectio eam Pharisæo præposuit. Unde ait : *Cui autem minus dimittitur*, scilicet Pharisæo, *minus diligit*, quam ista, cui dimissa sunt multa. Et ita ex hoc concluditur, quod longe plus, quam Pharisæus, Dominum amavit ; et ideo amplius Deo accepta fuit ; et propterea laudavit eam vir ejus, quasi dicens sibi illud[8] : « Multæ filiæ congregaverunt divitias ; tu supergressa est universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. » Patet igitur quomodo in hac quæstione concluditur perfecta commendatio et approbatio diligentis, contra judicium Pharisæi ipsam contemnentis : quia reputabat eam plenam peccatis et vacuam meritis, et sic venisse in conspectum superni Judicis ; quod totum exsufflatum est in hac conclusione, cum ipsa ostenditur justificata a peccato, multiplicata in merito, et præposita Pharisæo. Et nota quod in hac conclusione infertur commendatio dilectionis Christi respectu remissionis peccati per modum causæ, et per modum effectus. Unde remissio peccati præmittitur, et remissio peccati postponitur, et dilectio interponitur. Est enim remissio quoad pœnam, et hæc causatur a dilectione ; et quoad culpam, et hæc inducit dilectionem. Unde dilectio duplex est : altera effectus, et hanc introducit remissio peccati quoad culpam, secundum quod supra ostensum est ex Pharisæi judicio ; altera est dilectio affectus, et hæc inducit peccati remissionem quoad pœnam, secundum quod colligitur ex triplici dilectionis indicio. Unde ista conclusio, quantum ad primam partem, respondet inductioni factæ in bonis operibus ; quantum ad secundam, respondet quæstioni de duobus debitoribus ; et respondet simul omnibus præmissis. Super hæc advertenda est Christi sapientia in comprobando peccatricem pœnitentem, quam Pharisæus condemnaverat. Approbat autem eam ex datis a Pharisæo, et ex concessis, deinde ex manifestis indiciis : primo, quasi syllogizando ; secundo, quasi inducendo : primo, in generali ; secundo, in speciali : primo, parobolice ; secundo, expresse : ad hæc omnia respondet illatio conclusionis ibidem præmissæ.

Dilectio duplex.

48. *Dixit autem ad illam*, etc. Post benignam susceptionem accedentis, et benigniorem approbationem diligentis, subjungitur hic tertio benignissima absolutio confitentis : circa quam primo introducitur divinæ largitatis donum plenarium ; secundo, humanæ impietatis judicium perversum ; tertio, devotæ credulitatis meritum perfectum. Primo ergo, quantum ad divinæ largitatis donum plenarium, dicitur : *Dixit autem ad*

[1] *Psal.* XXXI, 1 ; *Rom.*, IV, 5. — [2] *Rom.*, IV, 5, 6. — [3] *Psal.* XXXI, 5. — [4] I *Petr.*, IV, 8. — [5] *Prov.*, X, 12. — [6] Gloss. in hunc loc., ex Greg., *in Evang.*, hom. XXXIII. — [7] *Coloss.*, III, 14, 15. — [8] *Prov.*, XXXI, 29, 30.

illam etc. Non est dubium, quin dixerit Christus ad peccatricem : *Remittuntur tibi peccata,* non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, secundum quod petebat Manasses[1] : « Peto rogans te, Domine, remitte mihi, remitte mihi : ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reserves mala mihi. » Hanc remissionem Christus facit sua virtute[2] : « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. » Et in *Actibus*[3] : « Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. »

Secundo, quantum ad humanæ impietatis judicium perversum, subditur (v. 49) : *Et cœperunt, qui simul accumbebant dicere intra se,* scilicet male judicando, et ipsum despiciendo : *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Quasi dicant : Quum sit parvus et nullus, quomodo sibi attribuit, quod potest solus Deus, juxta illud[4] : « Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. » Et sic verificatum est illud[5] : « Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum. » Sic etiam in cordibus suis, qui simul manducabant, dolum cogitabant, ut impleretur illud[6] : « Si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, » etc. Unde isti male judicando de sanitate illius, infirmabantur, sicut dicit Beda[7] : « Ecce, inquit, ea quæ ad medicum venerat ægra, sanata; sed de salute ejus alii ægrotant. » Et sic verificatum est illud[8] : « Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ; qui operati sunt mendacium. » Et sequitur : « Væ eis, quoniam recesserunt a me; vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia, » etc.

[1] *Orat. Manass.* inter apocr. Bibl. — [2] *Matth.*, IX, 6. — [3] *Act.*, X, 43. — [4] *Isa.*, XLIII, 25. — [5] *Eccli.*, XIII, 29. —

Tertio, quantum ad devotæ credulitatis meritum perfectum, subditur (v. 50) : *Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit,* scilicet a peccatis; fides, inquam, Christi, de qua[9] : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Et hoc per fidem[10] : « Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est in fide Jesu Christi. » Et quia justitia facit pacem cum Deo et cum conscientia, ideo subdit : *Vade in pace.*[11] « Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. » Et *Isaias* inquit[12] : « Veniat pax, requiescat in cubili (*a*) suo; » ut sic de illa possit dici illud[13] : « In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. »

CAPUT VIII.

1. *Et factum est deinceps,* etc. Supra posita est instructio communis discipulorum, in doctrina eorum quæ requiruntur ad salutem omnium; in parte vero ista subditur instructio spiritualis, in doctrina mystica Scripturarum. Et quoniam hæc doctrina turbis proponitur in parabolis, et aperitur discipulis, et confirmatur miraculis; ideo pars ista habet tres partes : in quarum prima ponitur instructio parabolica in occultis mysteriis; in secunda, informatio apostolica in apertis eloquiis, ibi (v. 11) : *Est autem hæc parabola,* etc.; in tertia vero, ejus confirmatio authentica in manifestis miraculis, ibi (v. 22) : *Factum est autem in una dierum,* etc. Circa doctrinam parabolicam, quæ communiter omni hominum generi proponitur audienda, et apostolis intelligenda, introducuntur tria : primum est coadunatio multitudinis ad audiendum; secundum est proportio similitu- Divisio.

[6] *Psal.* LIV, 13 et seq. — [7] Bed., lib. III, c. XXVIII, *in Luc.*, c. VII. — [8] *Ose.*, VII, 1, 13. — [9] *Matth.*, I, 21. — [10] *Rom.*, III, 26. — [11] Ibid., V, 1, 2. — [12] *Isa.*, LVII, 2. — [13] *Malach.*, II, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* cubiculo.

dinis ad manifestandum, et hoc ibi (v. 5): *Exiit qui seminat*, etc.; tertium; est excitatio Apostolicæ sollicitudinis ad intelligendum, ibi: *Hæc dicens, clamabat*, etc. Quantum ad primum, notandum quod ad doctrinam Christi erat concursus multitudinis ex quadruplici causa, secundum quod ex littera potest conjici. Quidam enim comitabantur Christum ratione suscepti officii (*a*), ut apostoli; quidam ratione accepti beneficii, ut infirmi curati; quidam ratione impendendi ministerii, ut mulieres honestæ; quidam ratione audiendi verbi divini, ut multitudo turbæ. Et quatuor genera enarrat Evangelista concurrisse ad Christi doctrinam. Primo ergo, quantum ad apostolos, comitantes Christum ratione suscepti officii, præmittitur: *Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella*, id est, per loca ubi habitant minores et majores, secundum quod dicitur [1]: « Quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus, » maxime quantum ad ea quæ sunt salutis; ideo dicit: *Prædicans et evangelizans regnum Dei:* secundum illud [2]: « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. » Et quia verbum frustra proponitur, nisi sit auditor, ideo additur: *Et duodecim cum illo*, qui scilicet sequebantur illum ex suscepto officio, ad quod elegit eos [3]: « Elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. » Unde ipsi apostoli et evangelistæ circuibant, ut cum ipso in Evangelio collaborarent (*b*), secundum quod hortatur Apostolus [4]: « Sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum. » Quia [5]: « Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. »

Secundo, quantum ad curatos comitantes ratione accepti beneficii, subditur (v. 2): *Et mulieres aliquæ*, scilicet cum eo iter faciebant, et hoc ratione accepti beneficii. Unde adjungit: *Quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus:* ideo comitabantur eum tanquam suum salvatorem et medicum, secundum consilium Sapientis [6]: « Da locum medico, etenim illum Dominus creavit; et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. » Unde supra [7]: « Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Et nota quod licet curaverit utrumque sexum, magis tamen specificat de fœmineo, quia sexus infirmior, secundum illud [8]: « Infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem: » sive quia mulier clementior est, quam vir, respectu infirmitatis alienæ, secundum illud de bona muliere [9]: « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem; » sive quia inter personas curatas erant nobiliores. Ideo exprimit aliquas nominatim, cum ait: *Maria quæ vocatur Magdalene*, a Magdalo, oppido secundo milliario (*c*) a Tiberiade. Et hæc erat notabilis ratione enormitatis peccati. Unde addit: *De qua septem dæmonia exierant*, id est, universa vitia. Gregorius [10]: « Septem dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit. » Hæc dæmonia exierunt, quando peccata dimissa fuerunt, secundum quod dicitur infra [11]: « Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem. » Remissa autem ei fuerunt: hæc enim est illa peccatrix de qua supra [12] sermonem fecit, sicut dicit Beda in Glossa. Erat alia (*d*) ratione nobilitatis viri; unde ait: *Et Joanna uxor Chusæ procura-*

Magdalum.

[1] *Sap.*, VI, 8. — [2] *Isa.*, LII, 7, 8. — [3] Sup., VI, 13. — [4] II *Tim.*, I, 8, 9. — [5] *Joan.*, XV, 16. — [6] *Eccli.*, XXXVIII, 11. — [7] Sup., VI, 18, 19. — [8] I *Petr.*, III, 7. — [9] *Prov.*, XXXI, 20. — [10] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIII. — [11] Inf., XI, 24. — [12] Sup., VII, 37-50.

(*a*) *Cæt. edit.* beneficii. — (*b*) *Item* collaboraret. — (*c*) *Suppl.*, distante. — (*d*) *Item* notabilis.

toris Herodis, qui erat persona nobilis. Erat et alia nobilis et seipsa, de qua sine cognomine adjungit: *Et Susanna.* Has tres nominat, ut commendet castitatem, secundum triplicem differentiam, in comitatu Christi, scilicet vidualem, conjugalem, et virginalem. Prima dicitur fuisse peccatrix, secunda conjugata, de tertia tacetur utrumque. Vel ut in hoc ostendatur curatio a triplici ægritudine, scilicet animæ, et carnis, et utriusque. Ideo tres personas curatas exprimit, scilicet Mariam, Joannam, et Susannam.

Tertio, quantum ad comitantes ratione impendendi obsequii, sive ministerii, additur: *Et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis,* sicut illa Sunamitis Elisæo [1]: « Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? » Sic et socrus Simonis de qua *Matthæus* [2]: (Postquam curata est), « surrexit et ministrabat eis. » Hoc enim antiquitus consueverat esse officium mulierum, sicut dicit Beda in Glossa [3]: « Consuetudinis Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent. » Hoc, quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abjecisse memorat [4]: « Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri apostoli? » etc. Et ideo illud nunc non debet in consequentiam trahi, propter scandalum vitandum, et etiam propter periculum. In hoc tamen erudimur, quod prædicatori licet accipere stipendium pro labore [5]: « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? » [6] « Dignus enim est operarius cibo suo. » Et infra [7]: « Dignus est enim operarius mercede sua. » Et rursus in hoc erudimur, quod prædicare et laborare actus est virilis et perfectorum; sed ministrare, imperfectorum, utpote mulierum. Unde [8]: « Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. »

Quarto, quantum ad concurrentes ratione verbi divini audiendi, adjungitur (v. 4): *Cum autem turba plurima conveniret,* scilicet ad audiendum doctrinam, secundum illud [9]: « Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. » Et sic impletur illud *Isaiæ* [10]: « Et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi. » Unde congregabantur in multitudine, et conveniebant in promptitudine; ideo subdit: *Et de civitatibus properarent ad eum,* scilicet audiendum. *Dixit per similitudinem,* scilicet parabolicam per apertas res, quibus assueti erant: et ideo ad audiendum cum desiderio properabant. Unde Chrysostomus: « Commiscens parabolas cum ampliori mitigatione attrahebat auditores, et de area, et de vinea, et de agro. » Unde ad hanc doctrinam parabolicam omnes invitantur, secundum illud [11]: « Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem. » Et post subditur: « Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam: » Et rursus [12]: « Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio. » Et sic facta est exercitatio multitudinis.

5. *Exiit qui seminat,* etc. Post congregationem multitudinis, additur hic secundo propositio similitudinis. Et quia doctrina debet esse secundum exigentiam auditorum; ideo similitudo proposita quatuor habet differentias membrorum, congruentes quatuor differentiis auditorum. Quidam enim audiunt, sed non retinent, ut obliviosi. Quidam audiunt et retinent, sed non faciunt, ut desidiosi. Quidam audiunt et retinent et faciunt, sed non complent, ut negotiosi. Quidam autem audiunt, retinent, faciunt et complent, et hi sunt studiosi et virtuosi. Hæc quatuor genera hominum sunt quatuor differentiæ terrarum, quarum prima semen recipit, sed non retinet; et quantum ad illam

Audi res ve divini quadr plic sunt d ferent

[1] IV *Reg.*, IV, 13. — [2] *Matth.*, VIII, 15. — [3] Bed., lib. II, c. XXIX, *in Luc.*, c. VIII. — [4] I *Cor.*, IX, 5. — [5] Ibid., 11. — [6] *Matth.*, X, 10. — [7] *Luc.*, X, 7. — [8] *Act.*, VI, 2. — [9] *Joan.*, XVIII, 20. — [10] *Isa.*, II, 1, 2. — [11] *Psal.* XLVIII, 2,5. — [12] *Psal.* LXXVII, 2.

dicitur : *Exiit qui seminat seminare semen suum. Exiit*, scilicet de domo ad agrum, hoc est, e (*a*) quiete ad laborem [1] : « Exiit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam. » Et hic labor, vel est in opere justitiæ, vel misericordiæ : qui recte designatur per seminationem, secundum illud *Ecclesiastæ* [2] : « Mane semina semen tuum (*b*), et vespere ne cesset manus tua. » *Isaias* [3] : « Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Vel est etiam in sermone doctrinæ ; unde de Paulo prædicante dicitur [4] : « Quid vult seminiverbius hic dicere ? » Et isto semine multiplicata est Ecclesia, secundum illud [5] : « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in æternum. » Et de hac seminatione intelligit hic : sed hæc licet de se semper sit bona et fructuosa, variatur tamen secundum differentiam terræ suscipientis. Quædam enim suscipit, sed non retinet ; unde ait : *Et dum seminat, aliud*, id est alia pars seminis, *cecidit secus viam*, per quam scilicet est decursus ; et non est in ea status retentionis, sed oblivionis propter strepitum multitudinis, quod signatur infra [6], ubi dicitur quod « cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans : » et dum clamaret, « turbæ increpabant eum ut taceret. » Unde hic non est locus fructificationis, quia non est in eo retentio seminis.

Ideo adjungit : *Et conculcatum est*, scilicet a pedibus hominum. *Et volucres cœli comederunt illud ;* in quo intelliguntur morsus dæmonum, secundum illud [7] : « Consumentur fame et devorabunt eos aves morsu amarissimo. » Et in *Matthæo* (*c*) [8] : « Nolite dare sanctum canibus ; neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. » Ex quo intelligimus duo esse quæ expellunt de corde hominis semen verbi divini, scilicet malæ suggestiones hominum, et tentationes dæmonum. Et ideo dicit Apostolus [9] : « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim, gratia stabilire cor, non escis ; quæ non proferunt ambulantibus in eis. » Et ideo necesse est cor nostrum elongari ab hujusmodi decursibus [10], « ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. » Et *Hieremias* [11] : « Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam ? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis ? »

Duo sunt quæ pellunt verbum Dei de cordibus nostris.

Secunda vero differentia terræ est quæ recipit, et quodam modo retinet, sed non fovet ; et quantum ad hanc, subdit (v. 6) : *Et aliud cecidit supra petram*, id est supra cor durum, de quo *Zacharias* [12] : « Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba quæ misit Dominus. » Et *Job* [13] : « Cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. » Et hæc, quamvis semen retinere possit, non tamen potest fovere, deficiente humore. Ideo addit : *Et natum aruit, quia non habebat humorem*, scilicet vegetantem et foventem. Et in tali terra statim nascitur, et statim moritur, quia parum habet alimenti, sicut fœnum tectorum, de quo [14] : « Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit. » Et *Isaias* [15] : « Ante messem totus effloruit, et immatura protectio germinabit. » Et hoc est propter defectum humoris gratiæ, secundum quod *Isaias* dicit [16] : « Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. » Et hoc contingit propter multitudinem petrarum, quæ non sunt aptæ ad semen divini verbi percipiendum ; propter quod dicit *Amos* [17] : « Numquid currere queunt in petris equi ? » id est prædicatores ; et hoc propter defectum aquarum [18] : « Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. » Contrarium dicit *Hieremias* [19] : « Et erit quasi lignum quod trans-

[1] *Psal.* CIII, 23. — [2] *Eccle.*, XI, 6. — [3] *Isa.*, XXXII, 20. — [4] *Act.*, XVII, 18. — [5] I *Petr.*, I, 23. — [6] Inf., XVIII, 35, 39. — [7] *Deut.*, XXXII, 24. — [8] *Matth.*, VII, 6. — [9] *Hebr.*, XIII, 9. — [10] *Ephes.*, IV, 14. — [11] *Jerem.*, II, 18. — [12] *Zach.*, VII, 12. — [13] *Job*, XLI, 14. — [14] *Psal.* CXXVIII, 6. — [15] *Isa.*, XVIII, 5. — [16] Ibid., XV, 6. — [17] *Amos*, VI, 13. — [18] *Job*, XII, 15. — [19] *Jerem.*, XVII, 8.

(*a*) *Cæt. edit. deest* e. — (*b*) *Cæt. edit.* sementem tuam. — (*c*) *Item* Matthæus.

plantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. »

Tertia differentia terræ est, quæ etsi aliquo modo retineat et foveat, non tamen complet, nec fructum profert : ideo subdit (v. 7) : *Et aliud cecidit inter spinas,* id est, inter mundanas sollicitudines, in quibus multi libenter conversantur. *Job* [1] : « Esse sub sentibus delicias computabant filii stultorum et ignobilium. » Et istis spinis repleta est terra, secundum illud *Isaiæ* [2] : « Vepres enim et spinæ erunt in universa terra. » Et hoc, merito maledictionis primæ [3] : « Maledicta terra in opere tuo. » Et sequitur : « Spinas et tribulos germinabit tibi. » Et in hac terra semen etsi oriatur, non tamen consummatur; unde subdit : *Et simul exortæ spinæ,* scilicet cum semine; *suffocaverunt illud,* quia plus in cordibus proficiunt et crescunt cogitationes carnales, quam spirituales, et eis prævalent. In *Isaia* (*a*) [4] : « Super humum populimei vepres et spinæ ascendent. » Et hoc est, quia non curant de spiritualibus [5] : « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti. » Et sequitur : « Operuerant superficiem ejus spinæ. » Unde spinæ totum occupant, ut fructus cum eis nasci non possit. Et ideo dicitur [6] : « Novate vobis novale, et nolite serere super spinas : » quia, sicut dicitur [7] : « Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. »

Quarta differentia terræ est quæ recipit et retinet, fovet, et fructum profert; ideo addit (v. 8) : *Et aliud cecidit in terram bonam,* id est mentem docilem et benignam, de qua [8] : « Vidi afflictionem populi mei. » Et sequitur : « Et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam. » Hæc est terra bona, quæ habet quatuor conditiones prædictas, secundum illud [9] : « Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis quibus colitur, accipiet benedictionem a Deo, » secundum illud [10] : « Benedixisti, Domine, terram tuam. » Hæc benedictio est in completione fructus; ideo additur : *Et ortum fecit fructum centuplum,* id est, fructum perfectum. Et sic impletur illud [11] : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. » Et *Genesis* [12] : « Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum. » Et hoc Matthæus expressius dicit, secundum tres gradus [13] : « Alia ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. » Et hoc, secundum tres status continentiæ, vel tres gradus justitiæ. Beatus vero Lucas tangit differentiam supremam, in hac includens alias. Et nota quod tres ponit terræ infructuosæ differentias, et unam tantum bonam, quia, secundum quod dicitur [14] : « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » Et propterea conqueritur Dominus [15] : « Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. » Et ratio hujus redditur, cum dicitur [16] : « Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! »

Hæc dicens clamabat, etc. Hic post congregationem multitudinis, et propositionem similitudinis, subjungitur tertio excitatio apostolicæ sollicitudinis. Circa hujus autem excitationem quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet admonitio magistralis, interrogatio disciplinalis, præelectio familiaris, et reprobatio judicialis. Primum excitat, secundum rectificat, tertium confortat, et quartum humiliat. Primo ergo, quantum ad magistralis admonitionis solli-

[1] *Job*, XXX, 7. — [2] *Isa.*, VII, 24. — [3] *Gen.*, III, 18. — [4] *Isa.*, V, 6. — [5] *Prov.*, XXIV, 31. — [6] *Jerem.*, IV, 3. — [7] *Hebr.*, VI, 8. — [8] *Exod.*, III, 8. — [9] *Hebr.*, VI, 7. — [10] *Psal.* LXXXIV, 2. — [11] Ibid., 13. — [12] *Gen.*, XXVI, 12. — [13] *Matth.*, XIII, 8. — [14] Ibid., XXII, 14. — [15] *Mich.*, VII, 1. — [16] *Matth.*, VII, 13, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* Isaias.

citudinem excitantem, dicitur : *Hæc dicens clamabat*, ut suo clamore excitaret auditorum attentionem, sicut Joannes dicit[1], quod « in novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. » Hoc est enim prædicatoris officium[2] : « Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum ; » ut ex ipso modo dicendi excitet audientes, nec tantum ex modo dicendi, sed etiam ex sensu verbi ; propter quod adjungit : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Gregorius[3] spiritualiter hæc verba intelligit. Et Beda[4] : « Ubicumque hæc admonitio interponitur, mysticum esse quod dicitur, et attentius considerandum ostenditur. » Et hoc signat ipsa multiplicatio actus audiendi ; sicut *Isaias*[5] : « Auribus percipite, et audite vocem meam. Attendite et audite eloquium meum. » Unde ad hanc exhortationem potest dicere vere intelligens illud[6] : « Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. » Et illud *Job*[7] : « Auditu auris audivi te ; nunc autem oculus meus videt te. » Et sic tangit audiendi usum, quia tres sunt gradus : primus in audiendo exterius ; secundus in credendo ; tertius vero in intelligendo.

Tres auscultationis gradus.

Secundo, quantum ad disciplinalem interrogationem rectificantem, subditur (v. 9) : *Interrogabant autem eum discipuli ejus*, ut scilicet dirigerentur ab eo, secundum illud[8] : « Qui interrogationem manifestat, parabit verbum : et sic deprecatus exaudietur, et conservabit disciplinam, et tunc respondebit. » Hoc autem dicitur non quia statim interrogarent, sed quia ad verbum Christi conceperunt voluntatem interrogandi. Unde *Marcus*[9] : « Et cum esset singularis, interrogaverunt eum. » Et quia interrogatio est de occultis et mysticis, ideo additur : *Quæ esset hæc parabola*, id est, quid significaret, ut per ejus interpretationem possent intellectum capere, secundum illud[10] : « Audiens sapiens, sapientior erit ; et intelligens gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam, et interpretationem. » Et in *Ecclesiastico*[11] : « Sapiens occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. »

Tertio, quantum ad familiarem præelectionem confortantem, subditur (v. 10) : *Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, id est intelligentiam Scripturæ, quæ regnum Dei dicitur, secundum illud[12] : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » Dicitur autem Scriptura regnum Dei, quia ipsum prædicat, et ostendit, et promittit, et obedientem ipsi ad regnum Dei perducit, secundum illud[13] : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » De his autem dicit beatus Lucas specialiter et discretive : *Vobis datum est*, quia ipsi ad hoc electi fuerunt[14] : « Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis. » Et signanter dicit datum, non venditum, ut gratiam cognoscamus[15] : « Gratis accepistis, gratis date. » Datum, et non mutuatum, infra[16] : « Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere et resistere omnes adversarii vestri. » Datum, et non acquisitum[17] : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. » In hoc ergo quod dicit eos familiariter præelectos, confortat eos, ne deficiant ab inquirendo, infra[18] : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. »

Scriptura regnum Dei dicitur.

Quarto vero, quantum ad judicialem reprobationem humiliantem, subjungit : *Cæteris autem in parabolis*, scilicet datum est

[1] *Joan.*, VII, 37. — [2] *Isa.*, LVIII, 1. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XV. — [4] Bed., lib. III, c. XXIX, *in Luc.*, c. VIII. — [5] *Isa*, XXVIII, 23. — [6] Ibid., L, 4. — [7] *Job*, XLII, 5. — [8] *Eccli.*, XXXIII, 4. — [9] *Marc.*, IV, 10. — [10] *Prov.*, I, 5, 6. — [11] *Eccli.*, XXXIX, 2. — [12] *Matth.*, XXI, 43. — [13] *Joan.*, V, 39, 40. — [14] Ibid., XV, 15. — [15] *Matth.*, X, 8. — [16] Inf., XXI, 15. — [17] *Jac.*, X, 17. — [18] Inf., XII, 32.

nosse, quod potius (*a*) est ignorare [1] : « In loquela enim labii, et in lingua altera loquetur ad populum istum. » Et hoc facit justo suo judicio, quo non vult sancta communicare immundis, secundum illud [2] : « Nolite dare sanctum canibus, » etc. Et propterea subdit : *Ut videntes non videant. Ut* non est ibi causale, sed consecutivum, sicut dicitur [3] : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. » Et hoc judicium prædictum est [4] : « Claudet Dominus oculos vestros : prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati. » Et non est contradictio in hoc quod dicit : *ut videntes non videant*, quia primum refertur ad visum exteriorem, secundum ad interiorem, secundum illud *Isaiæ* [5] : « Educ foras populum cæcum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt. » Et explicatur sequens clausula : *Et audientes non intelligant* : [6] « Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude. » Unde dicitur [7] : « Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. » Et hoc factum est divino judicio, secundum illud [8] : « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. » Et debet omnis se humiliare, secundum quod ibidem dicitur [9] : « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. » Et hæc humilitas est opportuna et præambula ad intelligentiam mysteriorum, quia dicitur [10] : « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

11. *Est autem hæc parabola, etc.* Postquam præmissa est hæc instructio parabolica in occultis mysteriis, sequitur secunda pars capituli, in qua describitur informatio apostolica in apertis eloquiis. Hæc autem pars habet duas particulas, in quarum prima erudiuntur ad intellectum parabolæ; in secunda invitantur ad communicationem doctrinæ, ibi (v. 16) : *Nemo autem lucernam accendens*, etc. Quantum ad explicationem parabolæ, attendendum quod primo explicat eam generaliter, deinde specialiter, ibi (v. 12) : *Qui autem secus viam*, etc. Dicit ergo primo, quasi generalem quamdam intentionem parabolæ præmittens : *Est autem hæc parabola*, id est, hic est intellectus parabolæ ; ut posset dicere illud *Joannis* [11] : « Hæc in proverbiis locutus sum vobis. » *Semen est verbum Dei*, quia per illud renascimur, ut fiamus sancti et divini [12] : « Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis. » Juxta hæc quatuor membra in parabola præmissa, quatuor distinguit auditorum genera, in quibus diversimode suscipitur semen divinorum eloquiorum : ita quod unum semen accipit dispositionem, ut sit in aliis conculcatum, in aliis arefactum, in aliis suffocatum, et in aliis multiplicatum. Primo ergo, quantum ad explicationem seminis conculcati, quod est verbum Domini in corde oblivioso, dicit (v. 12) : *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt*, etc. Quod non refertur ad semen susceptum, sed ad personas recipientes semen, quia et ipsi dicuntur semen, secundum illud [13] : « Seminabo domum Israel et domum Juda, semine hominum, et semine jumentorum, » id est, perfectorum et imperfectorum. Illi ergo qui audiunt, semen sunt; sed ideo infructuosi, quia non retinent, propter quod addit : *Deinde venit diabolus*, scilicet per suggestionem; *et tollit verbum de corde eorum*, id est de recordatione. Et hoc signatum fuit in libro *Judicum*, ubi dicitur [14] : « Cumque sævisset Is-

[1] *Isa.*, XXVIII, 11. — [2] *Matth.*, VII, 6. — [3] *Joan.*, IX, 39. — [4] *Isa.*, XXIX, 10, 11. — [5] Ibid., XLIII, 8. — [6] Ibid., VI, 9, 10. — [7] II *Cor.*, III, 15. — [8] *Rom.*, XI, 25. — [9] Ibid., 20, 21. — [10] *Matth.*, XI, 25. — [11] *Joan.*, XVI, 25. — [12] *Jac.*, I, 18. — [13] *Jerem.*, XXXI, 27. — [14] *Judic.*, VI, 3, 4. — (*a*) *Suppl.* cæteris.

rael, ascendebat Madian et Amalech. » Sequitur : « Sicut erant in herbis, cuncta vastabant. » Unde ipse libenter destruit principia bonitatis. Et quia nostræ saluti insidiatur, adjungit : *Ne credentes salvi fiant.* Sicut enim scriptum est [1] : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. » Ipse autem nihil quærit nisi damnationem nostram, tanquam jam damnatus [2] : « Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.»

Secundo, quantum ad explicationem seminis arefacti in corde desidiosi, subditur (v. 13) : *Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum.* Et hoc quidem est laudabile, secundum illud [3] : « Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas. » Sed tamen in hoc sunt reprehensibiles, quia non fovent, nec volunt laborare. Ideo subdit : *Et hi radices non habent*, id est firmitatem charitatis, de qua Apostolus [4] : « In charitate radicati et fundati : » sed potius amorem libidinosum, sive adulterinum; et ideo non proficiunt [5] : « Adulterinæ plantationes (*a*) non dabunt radices altas, nec stabile firmamenteum collocabunt. » Quia [6] : « Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. » Et quod isti non habebant radices confirmatas, ostendit cum ait : *Qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*, scilicet a Deo, secundum illud [7] : « Recessit a Deo salutari suo. » Sed hoc competit hujusmodi desidioso, secundum illud [8] : « Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus! et non permanebit in illa excors. » Sed, sicut dicitur [9] : « Væ eis, quoniam recesserunt a me. » Diversum dicit Job [10] : « Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. » Et ideo hortatur [11] : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. »

Tertio autem, quantum ad expositionem seminis suffocati in corde negotioso, subditur (v. 14) : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt*, id est, illi signantur per illud. Et nota quod auditus attribuitur omnibus, ut nullus se possit excusare [12] : « Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Sed tamen non omnes faciunt fructum spiritualem, quia impediuntur a curis carnalibus. Ideo subditur : *Et a sollicitudinibus*, scilicet intra; *et divitiis*, scilicet extra; *et voluptatibus vitæ*, scilicet infra. In quo tangitur triplex bonum commutabile, scilicet interius, exterius, inferius. *Euntes suffocantur*, id est vitam spiritualem perdunt; quia, secundum quod dicitur [13] : « Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. » Ideo merito suffocari dicuntur. Et ideo perdendo vitam interiorem, perdunt (*b*) per consequens efficaciam exteriorem. Et ideo subditur : *Et non referunt fructum.* Scribitur enim [14] : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; » quia, sicut dicitur [15] : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Et ad *Romanos* [16] : « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? » quasi dicat : nullum. Unde merito divitiæ et voluptates comparantur spinis, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt, tum etiam quia habentem affligunt, secundum illud [17] : « Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo. Sed et hoc vanitas est et cassa sollicitudo mentis. [18] Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive mul-

Divitiæ et voluptates cur spinis comparentur.

[1] *Marc.*, XVI, 16. — [2] *Apoc.*, XII, 10. — [3] *Act.*, XVII, 11. — [4] *Ephes.*, III, 17. — [5] *Sap.*, IV, 3. — [6] *Ose.*, IX, 16. — [7] *Deut.*, XXXII, 15. — [8] *Eccli.*, VI, 21. — [9] *Ose.*, VII, 13. — [10] *Job*, XXVII, 5. — [11] *Eccli.*, II, 1. — [12] *Rom.*, X, 18. — [13] *1 Tim.*, VI, 9. — [14] *Eccle.*, V, 9. — [15] *Psal.* LXXV, 6. — [16] *Rom.*, VI, 21. — [17] *Eccle.*, II, 26. — [18] *Eccle.*, V, 11.

(*a*) *Vulg.* Spuria vitulamina.— (*b*) *Cæl. edit.* perdit

tum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire. » Unde quasi super spinas jacet; propter quod dicit Beda[1] : « Divitiæ etsi delectare videantur, tamen possessoribus suis spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, » quæ avide quæruntur, et sollicite servantur.

Quarto, quantum ad interpretationem seminis multiplicati in corde fructuoso, additur (v. 15) : *Quod autem in bonam terram*, scilicet cecidit.[2] « Terra, quam circumivimus, valde bona est. » *Hi sunt qui in corde bono*, quoad cognitivam[3] : « Cor boni consilii statue tecum. » Et in *Ecclesiastico*[4] : « Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis. » *Et optimo*, quoad affectivam; dicitur[5] : « Optimum est gratia stabilire cor. » *Audientes verbum retinent*, quoad memorativam : *Proverbiorum*[6] : « Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. » *Et fructum afferunt*, quoad operativam[7] : « Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra; et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis. » *In patientia*, quoad passionem passivam et supportativam, in qua est consummatio meriti boni[8] : « Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. » Unde ipsa est quæ perducit ad fructum[9] : « Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. » Et ad *Hebræos*[10] : « Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. » Iterum[11] : « Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. » Ad istius tamen seminis explanationis evidentiorem manifestationem, notandum quod semen est verbum Dei, primo, quia tenet rationem principii activi[12] : « Principium, qui et loquor vobis. » Et in *Matthæo* (*a*)[13] : « Qui seminat bonum semen, est filius hominis, » qui scilicet est principium omnis boni. Secundo, quia tenet rationem principii propagativi[14] : « Pater meus usque modo operatur : et ego operor. » Ideo apud Marcum (*b*) dicit[15] : « Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte ac die, » etc.[16] « Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum, » etc. Tertio, quia tenet rationem principii multiplicativi; apud *Joannem* (*c*)[17] : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. »[18] « Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. » Hujusmodi autem semen est Verbum Dei increatum, ut inspiratum, ut incarnatum, ut prædicatum, et ut exemplatum.

16. *Nemo autem lucernam accendens*, etc. Postquam eruditi sunt apostoli ad intellectum parabolæ, hic secundo invitantur ad communicationem doctrinæ; ad quam invitantur apostoli quadrupliciter : primo congruitate generalis exempli; secundo necessitate superni judicii, ibi (v. 17) : *Non est enim occultum*, etc.; tertio utilitate proprii meriti, ibi (v. 18) : *Videte ergo quomodo audiatis*, etc.; quarto immutabilitate divini beneplaciti, ibi (v. 19) : *Venerunt autem ad illum*, etc. Circa congruitatem generalis exempli, duo sunt attendenda : primum est dissonantia in opposito; secundum (*d*) convenientia in proposito. Primo, quantum ergo ad dissonantiam in opposito, dicitur : *Nemo autem lucernam accendens*. Lucerna est verbum Dei, juxta illud[19] : « Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. »[20] « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lu-

[1] Bed., *in Luc.*, c. VII, lib. III, c. XXIX. — [2] *Num.*, XIV, 7. — [3] *Eccli.*, XXXVII, 17. — [4] Ibid., III, 32. — [5] *Hebr.*, XIII, 9. — [6] *Prov.*, III, 1. — [7] *Isa.*, XXX, 23. — [8] *Jac.*, I, 4. — [9] Ibid., V, 7. — [10] *Hebr.*, X, 36. — [11] Ibid., XII, 11. — [12] *Joan.*, VIII, 25. — [13] *Matth.*, XIII, 37. — [14] *Joan.*, V, 17. — [15] *Marc.*, IV, 26. — [16] *Gen.*, I, 11. — [17] *Joan.*, XII, 25. — [18] I *Cor.*, XV, 36. — [19] *Prov.*, VI, 23. — [20] *Psal.* CXVIII, 105.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* Marcus. — (*c*) *Item* Joannes. — (*d*) *Item* sed.

men semitis meis. » Tunc enim lucerna accenditur, quando cordi humano intelligentia divini verbi tribuitur. Unde dicitur [1] : « Ille erat lucerna ardens et lucens. » *Operit eum vase.* Lucerna hæc non est operienda vase carnalis immunditiæ ; *Oseas* [2] : « Israel nunc factus est in nationibus, quasi vas immundum. » Sed non est tale vas Paulus, de quo [3] : « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. » Hoc fuit vas apertum quod illuminavit mundum; in *Ecclesiastico* [4] : « Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi. » *Aut subtus lectum ponit.* Per lectum autem acedia designatur [5] : « Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. » Hinc est quod reprehenditur servus ille, qui « abscondit pecuniam Domini sui. » Contra illud [7] : « Perde pecuniam propter fratrem et amicum ; et non abscondas illam sub lapide in perditionem. » Vult ergo dicere quod sicut inconveniens est lucernam accensam abscondere sub vase vel lecto, sic etiam divinam intelligentiam occultare. Et hoc est quod dicitur [8] : « Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam. » Hoc autem intelligitur, quando habet tempus et locum ; nam in *Psalmo* dicitur [9] : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. » Et alibi [10] : « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me : obmutui, et humiliatus sum. »

Secundo vero, quantum ad congruitatem in proposito, subjungit : *Sed super candelabrum ponit.* Quantum ad apparitionem virtutis : *Ut intrantes videant lumen,* per apertionem veritatis, secundum illud [11] : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » Et ad *Philippenses* [12] : « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. » Illud autem lumen non vident, nisi qui per fidem intrant, quia *Isaias,* secundum Septuaginta, dicit [13] : « Nisi credideritis, non intelligetis (*a*). » Et de hoc fidei ingressu dicitur [14] : « Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur ; » introierit scilicet per fidem, quia [15] « qui crediderit, salvus erit. » Isti intrantes per fidem, mediante doctrina Sanctorum, perveniunt ad intelligentiam sacramentorum, secundum illud [16] : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde » [17]. « Qui ad justitiam erudiunt multos, sunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Ideo Dominus dicebat discipulis [18] : « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. »

17. *Non est enim occultum,* etc. Hic secundo invitat eosdem ad communicationem doctrinæ, necessitate superni judicii, dupliciter, tum propter futuram manifestationem omnis boni, tum propter futuram revelationem omnis mali. Primo ergo, quantum ad futuram manifestationem omnis boni, dicitur : *Non est enim occultum,* scilicet bonum, *quod non manifestetur,* scilicet per futurum judicium. Unde [19] : « Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. » Hoc autem erit in judicio, de quo dicitur [20], quod « illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. » Et hoc, quia lux habet proprietatem manifestativam, secundum illud [21] : « Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur. » Unde etiam bona veritas fidei et morum, tanquam lux, quærit manifestari, non occultari, secundum illud [22] : « Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manife-

[1] *Joan.*, v, 35. — [2] *Ose.*, viii, 8. — [3] *Act.*, ix, 15. — [4] *Eccli.*, xliii, 2. — [5] *Prov.*, xxvi, 14. — [6] *Matth.*, xxv, 18. — [7] *Eccli.*, xxix, 13. — [8] Ibid., xx, 23. — [9] *Psal.* cxviii, 11. — [10] *Psal.* xxxviii, 2, 3. — [11] *Matth.*, v, 16. — [12] *Philip.*, ii, 15. — [13] *Isa.*, vii, 9. — [14] *Joan.*, x, 9. — [15] *Marc.*, xvi, 16. — [16] *Psal.* lxxv, 5. — [17] *Dan.*, xii, 3. — [18] *Matth.*, x, 27. — [19] II *Cor.*, v, 10. — [20] I *Cor.*, iv, 5. — [21] *Ephes.*, v, 13. — [22] *Joan.*, iii, 21.

(*a*) *Vulg.* non permanebitis.

stentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. » Et hoc fiet potissime in judicio, quando lux illa manifestabitur [1]: « Qui sedes super Cherubim, manifestare. » Et sursus [2]: « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit.

Secundo vero, quantum ad revelationem omnis mali, dicitur : *Nec absconditum*, scilicet peccatum vel malum, quod homo libenter abscondit, secundum illud [3] : « Si abscondi quasi homo peccatum meum. » Et sequitur : « Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens ? » *Quod non cognoscatur, et in palam veniat*, id est in judicio, secundum illud [4] : « Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio. » Unde in *Ecclesiastico* [5] : « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. » Et sequitur : « Ne forte revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te, » etc. Quia, sicut dicitur [6] : « Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non absconditur. » [7] « Ipse enim est qui revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, » etc. Quia ergo omnia oportet manifestari, stultum est ad tempus abscondere; ac per hoc necesse est doctrinam acceptam aliis aperire.

18. *Videte ergo, quid audiatis*, etc. Hic tertio invitantur apostoli ad idem, utilitate proprii meriti; et hoc, quia ejus habitus facit opulentum, privatio vero reddit egenum. Prædicanda est ergo divina doctrina : primo, quia habitus documenti perducit ad opulentiam, propter quod dicit : *Videte ergo quid audiatis*. Beda [8] : « Ut in vestro pectore suscipiatis, et continuo ruminetis, et alieno auditui eructare sufficiatis ; » quasi dicat : Non audiatis verba eruditionis divinæ negligenter, ut non curetis : sed diligenter, ut abundetis, et aliis tribuatis. Unde et subdit : *Qui enim habet, dabitur illi*, id est : Qui enim habet affectum, et facultatem proficiendi, dabit ei Deus intellectum, et facultatem docendi. Unde in Sapientia [9] : « Optavi, et datus est mihi sensus ; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. » Et sequitur : « Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. » Unde si quis vult quod detur abundanter, debet et ipse dare de eo, quod habet, libenter [10] : « Date, et dabitur vobis, » scilicet donum sapientiæ, secundum illud [11] : « Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, » etc. Unde nulli datur sapientiæ donum, nisi habeat desiderium [12] : « Omnes sitientes, venite ad aquas ; et qui non habetis argentum, properate, » etc.

Secundo vero per contrarium, quia ipsius privatio ducit ad inopiam. Unde adjungit : *Et quicumque non habet*, affectum scilicet divinæ doctrinæ in corde ; *etiam quod putat se habere*, per tumorem superbiæ, *auferetur ab illo*, scilicet per rigorem divinæ sententiæ [13] : « Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. » Et *Matthæo* (*a*) [14] : « Auferetur a vobis regnum, » scilicet sacræ Scripturæ, « et dabitur genti facienti fructus ejus. » Ex quo colligitur quod nullus potest pervenire ad plenitudinem divinæ sapientiæ, nisi habeat promptitudinem doctrinæ communicandæ, ut *Sapientia* [15] : « Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam, et non abscondam a vobis sacramenta Dei. » Et sequitur : « Et non præteribo veritatem ; neque quidem cum invidia tabescente iter habebo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ, » scilicet Dei.

19. *Venerunt autem ad illum mater*, etc. Hic quarto invitat apostolos ad doctrinam communicandam ex imitatione Magistri sui, scilicet Christi, qui prætulit affectum docendi affectui parentali. Unde duo hic introducuntur : primum est requisitio propinquorum ; secundum vero, præelectio discipulorum. Primo ergo, quantum ad paren-

[1] *Psal.* LXXIX, 2. — [2] *Psal.* XLIX, 3. — [3] *Job*, XXXI, 33, 35. — [4] *Prov.*, XXVI, 26. — [5] *Eccli.*, I, 37, 39. — [6] *Sap.*, I, 10. — [7] *Dan.*, II, 22. — [8] Bed., lib. III, *in Luc.*, c. VIII. — [9] *Sap.*, VII, 7, 11. — [10] Sup., VI, 38. — [11] *Jac.*, I, 5. — [12] *Isa.*, LV, 1. — [13] Inf., XIX, 24. — [14] *Matth.*, XXI, 43. — [15] *Sap.*, VI, 24, 25.

(*a*) *Al.* Matthæus.

tum requisitionem, dicitur : *Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus*, ad quos debet specialis affectus haberi ; ad matrem quidem, quoniam dicitur [1] : « Honora patrem tuum, et matrem tuam, » etc. Et Tobias [2] : « Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. » Ad fratres, id est, propinquos et cognatos; in *Levitico* dicitur [3] : « Diliges amicum tuum sicut teipsum. » Horum igitur, quibus debetur præcipua affectio, introducitur requisitio; sed non poterant pertingere per seipsos, unde additur : *Et non poterant adire eum præ turba*; et ideo requirebant per nuntium, propter quod additur (v. 20): *Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui*, quibus multam debes affectionem ratione propinquitatis, *stant foris volentes te videre*, per affectum charitatis. Et sic efficaciter requiritur, ut ad propinquos transeat, vel exeat, tum propter naturam agnoscendam, tum propter charitatem rependendam. Super hoc autem dicit glossa [4], quod hic tergiversando nuntiatum est Christo, ut sciretur si doctrinam relinqueret propter humanum, quem erga matrem et fratres haberet, affectum. Sciebant enim illud esse verum, quod dicitur [5] : « Nemo unquam carnem suam odio habuit. » Et sic volebant experiri quid amplius acceptaret, utrum affectionem parentum, an eruditionem discipulorum.

Secundo vero, quantum ad discipulorum præelectionem, subdit (v. 21) : *Qui respondens dixit ad eos: Mater mea, et fratres mei, hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.* In quo ostendit quod magis discipulorum eruditionem, quam parentum affectionem; et quod magis acceptabat discipulos, quam propinquos; et quod magis acceptat affectum doctorum ad discipulos, quam parentum ad filios. Et nota quod propter parentum affectum, et indigentiam, et requisitionem, non debet doctor intermittere eruditionem doctrinæ : in quo magis invitat facto, quam supra invitaverit verbo. Et nota quod auditores vocat matres, in quantum per documentum alios generant, secundum illud [6] : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. » Fratres vocat, in quantum per verbum generantur et filii Dei fiunt, secundum illud [7] : « Narrabo nomen tuum fratribus meis, » etc. Et ad *Hebræos* [8] : « Non confunditur fratres eos vocare : » qui enim verbum Dei suscipiunt, illi inseruntur tanquam stipiti radicali, et per consequens rigantur per humorem Spiritus sancti, et ideo efficiuntur filii Dei vivi, secundum illud [9] : « Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem. » etc. Et ideo, quantum præest spiritus carni, et gratia naturæ, et divina humanis, et æterna caducis; tantum præfertur generatio spiritualis, *quæ est verbum vitæ*, generationi carnali; et ideo huic præferenda est. Nam propter illam verus prædicator plus afficitur ad filios generatos per prædicationem, quam ad parentes carnales. Quod patet, quia apostoli pro eis confirmandis effuderunt sanguinem proprium, sicut etiam Christus fecerat, qui est Magister omnium. Et quoniam illi soli semen verbi recte suscipiunt, qui audita exequuntur; ideo recte additur: *qui verbum Dei audiunt et faciunt.* [10] « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. » Et *Jacobus* [11] : « Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. » Tales enim præfert Christus parentali cognationi suæ, infra, ubi dicitur [12] : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Hoc autem dicit, non quia matrem contemnat, cum illam præ omnibus dilexerit; sed ut exemplo ostendat quod præcipit infra [13] : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et

[1] *Exod.*, XX, 12. — [2] *Tob.*, IV, 3. — [3] *Levit.*, XIX, 18. — [4] Gloss. *in Matth.*, c. XI, sub fin. — [5] *Ephes.*, V, 29. — [6] *Gal.*, IV, 19. — [7] *Psal.* XXI, 23. — [8] *Hebr.*, II, 11. — [9] *Gal.*, IV, 6. — [10] *Rom.*, II, 13. — [11] *Jac.*, I, 22. — [12] Inf., XI, 27, 28. — [13] Inf., XIV, 26.

sorores; » adjungitur : « Non potest meus esse discipulus. »

22. *Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit*, etc. Post instructionem parabolicam in occultis mysteriis, et informationem apostolicam in apertis eloquiis, subdit hic Evangelista more suo confirmationem
Divisio. authenticam in expressis miraculis. Introducuntur autem in hac parte tria signa miraculorum, ut in ore trium testium stet omne verbum, et ut ostendatur Christus Dominus universorum. Primum est in sedatione tempestatis, ex quo ostenditur Dominus super creaturam corporalem; secundum est in expulsione dæmoniacæ legionis, ex quo ostenditur Dominus super spiritualem, ibi (v. 26): *Et navigaverunt ad regionem*, etc., tertium est in restitutione vitæ et sanitatis, ex quo ostenditur Dominus super composita ex utraque, ibi (v. 40): *Factum est autem*, etc. Circa primum miraculi genus, quod est in sedatione tempestatis, quatuor introducuntur ab Evangelista ad ejus explicationem perfectam: primum est occasio præcedens; secundum, opportunitas imminens; tertium est potestas efficiens; quartum est utilitas consequens. Occasio præcedens fuit transitus maris; opportunitas imminens, impetus tempestatis; potestas efficiens, virtus divinitatis; utilitas consequens, est profectus nostræ credulitatis. Primo ergo introducitur ab Evangelista transitus maris ; secundo impetus tempestatis, ibi (v. 23) : *Et navigantibus illis*, etc.; tertio virtus divinitatis, ibi (v. 24): *At ille surgens*, etc.; quarto profectus nostræ credulitatis, ibi (v. 25): *Dixit autem illis: Ubi est*, etc. Circa primum, notandum quod duo introducit Evangelista : primum est ascensus naviculæ ; secundum est transitus stagni. Primo ergo, quantum ad ascensionem naviculæ, dicitur: *Factum est autem in una dierum : et ipse ascendit in naviculum, et discipuli ejus*, ut scilicet per ejus obsequium veheretur, juxta illud [1] : « Exiguo ligno credunt homines animas suas. » Et nota quod Christus ascendit cum discipulis in naviculam, ut ostendat se eis esse similem in natura et indigentia, secundum illud [2] : « Debuit per omnia fratribus similari. » Et ad *Philippenses* [3] : « In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Discipuli ascenderunt cum Christo, ut ostendatur perfectio comitatus, quia nunquam deserebant Magistrum, sicut Elisæus magistro suo Eliæ dixit [4] : « Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. » Unde in persona talium, dicebat Job [5] : « Vestigia ejus secutus est pes meus; viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. » Non erant de illis [6] « qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, » et ideo ad veritatis sapientiam nunquam attingunt.

Secundo vero, quantum ad transitum stagni, subdit: *Et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt*, scilicet ut transfretarent, et ultra fretum sive mare irent; quia aqua illa, sicut habitum est [7], et mare et stagnum appellabatur. Ideo autem voluit Dominus quod discipuli ejus transfretarent cum eo, ut miracula ejus eis apparerent [8] : « Qui descendunt mare in navibus ; » et sequitur : « Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. » Vel ideo voluit ut secum ascenderent, ut ostenderet quod non possunt pervenire ad portum salutis, nisi per mare tribulationis præsentis. Unde Sapiens [9] : « Transeuntes mare, per ratem liberati sunt. » *Psalmus* [0] : « Transivimus per ignem et aquam ; et eduxisti nos in refrigerium : » quia, secundum quod dicitur [1] : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. »

23. *Et navigantibus illis*, etc. Hic secundo describitur impetus tempestatis cum importunitate periculi, et cum opportunitate refugii. Primo, quantum ad importunitatem periculi emergentis, Christo dormiente, dicitur : *Et navigantibus illis, obdormivit*. Et

[1] *Sap.*, XIV, 5. — [2] *Hebr.*, II, 17. — [3] *Philip.*, II, 7. — [4] IV *Reg.*, II, 2. — [5] *Job*, XXIII, 21. — [6] Sup., 13. — [7] Sup., p. 328, col. 2. — [8] *Psal.* CVI, 23, 24. — [9] *Sap.*, XIV, 5. — [10] *Psal.* LXV, 12. — [11] *Act.*, XIV, 21.

ipso dormiente, periculum incurrerunt in navigando, juxta illud [1] : « Qui navigant mare, enarrant pericula ejus. » Ideo subditur periculum: *Et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur*, id est, procella venti venit, et exagitabat stagnum, et implebat navem aquis, juxta illud [2] : « Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. » Et hoc factum est divina dispositione, sicut de Jona dicitur [3] : « Facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. » Unde sicut navis illa, propter Jonam fugientem a facie Domini, erat in periculo; sic et ista, propter præsentiam proditoris, secundum quod Ambrosius dicit [4] : « Merito turbabatur navis, in qua proditor erat cum bonis; et qui suis meritis firmi erant, turbabantur alienis. »

Secundo, quantum ad opportunitatem refugii succurrentis, Christo evigilante, subditur (v. 24) : *Accedentes autem suscitaverunt eum*, ut scilicet per ejus vigiliam obtinerent remedium, qui in ejus dormitione incurrerant periculum [5] : « Et excitatus est tanquam dormiens Dominus. » Suscitaverunt autem eum non ex animi audacia, sed ex indigentia patrocinii. Unde additur : *Dicentes : Præceptor, perimus*. In quo allegant Christi potentiam, et suam indigentiam : Christi potentiam in hoc, quod aiunt : *Præceptor; Job* [6] : Præcipit Soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo : qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. » Et in *Psalmo* [7] : « Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas. » Et *Sapiens* [8] : « Dedisti in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam. » Suam indigentiam allegant in hoc, quod dicunt : *Perimus*, cum tamen tu non vis aliquem perire [9] : « Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti : » et maxime prædestinatos. » Unde [10] : « Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis : et non peribunt in æternum. » Et iterum [11] : « Quos dedisti mihi, ego custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. »

At ille surgens increpavit ventum, etc. Hic tertio describitur virtus divinitatis, ut præcipiens verbo, et ut perficiens facto. Primo ergo, quantum ad præceptum in verbo, dicitur : *At ille surgens increpavit ventum et tempestatem aquæ :* in qua increpatione intelligitur majestatis imperium super utramque. Unde dicitur [12] : « Imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. » Et dicitur quod dixit mari [13] : « Tace, obmutesce. » Et in hoc ostendit se esse illum, qui fecit mare. *Job* [14] : « Circumdedi mare terminis meis, et posui vectem et ostia. Et dixi : Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. » Et *Nahum* [15] : « Dominus in tempestate et turbine; » sequitur : » Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. »

Secundo vero, quantum ad effectum in opere, subditur : *Et cessavit, et facta est tranquillitas;* cessavit scilicet ventus [16] : « In sermone ejus siluit ventus, » quia *Psalmista* dicit [17] : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. » Et sic apparet quod ipse est ille ad quem dicitur [18] : « Domine, non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis. » Et sic verum est in Christo, quod in *Psalmo* dicitur [19] : « Dixit, et stetit spiritus procellæ. »

25. *Dixit autem illis*, etc. Hic quarto determinatur profectus nostræ credulitatis dupliciter, scilicet quantum ad cognitionem in corde, et quantum ad confessionem in ore. Primo ergo, quantum ad cognitionem cor-

[1] *Eccli.*, XLIII, 26. — [2] *Marc.*, IV, 37. — [3] *Jon.*, I, 4. — [4] Gloss. in hunc loc. — [5] *Psal.* LXXVII, 65. — [6] *Job*, IX, 7, 8. — [7] *Psal.* LXXXVIII, 10. — [8] *Sap.*, XIV, 3. — [9] II *Petr.*, III, 9. — [10] *Joan.*, X, 28. — [11] Ibid., XVII, 12. — [12] *Matth.*, VIII, 26. — [13] *Marc.*, IV, 39. — [14] *Job*, XXXVIII, 9, 10. — [15] *Nah.*, I, 4. — [16] *Eccli.*, XLIII, 25. — [17] *Psal.* CXLVIII, 8. — [18] *Tob.*, III, 22. — [19] *Psal.* CVI, 25.

dis, procedentis ab hæsitatione dubietatis ad certitudinem credulitatis, dicitur : *Dixit autem illis : Ubi est fides vestra ?* Quod quidem dicit increpando dubietatem, et suadendo fidei firmitatem, quasi dicat : Quare dubitastis mergi et periclitari ? Juxta quod dixit Petro [1] : « Modicæ fidei, quare dubitasti ? » Nam dicitur [2] : « Fide filii Israel transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram. » Ideo autem discipulos arguit de pusillanimitate, ut excitaret eos, viso miraculo, ad firmitatem fidei, per quam resiliant in propriam parvitatem, et admirentur divinam immensitatem. Unde subditur : *Qui timentes mirati sunt :* jam enim cognoscebant suam parvitatem, in quam resiliebant per timorem; et divinam immensitatem, in quam excedebant per admirationem [3] : « Quis non timebit te, o rex gentium ? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes. » Et iterum [4] : « Me ergo non timebitis, ait Dominus ? » Sequitur : « Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit. » Subjungitur : « Et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. » Et quia timorem majestatis concomitatur admiratio potestatis, ideo dicitur : *Mirati sunt* [5] *:* « Mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum, quia [6] « terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. »

Secundo vero, quantum ad confessionem oris, subditur : *Ad invicem dicentes : Quis, putas, hic est ?* Quasi dicant : Nullus est huic similis [7] : « Quis similis tui in fortibus, Domine ? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia ? » Et rationem reddunt de ejus potentia : *Quia et ventis et mari imperat,* per potentiam ineffabilem ; *et obediunt ei,* per reverentiam admirabilem [8] : « Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura, quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. » Et sic verificatum est illud [9] : « In verbo ejus stetit aqua sicut congeries. » Iste ergo est ille, de quo in *Job* dicitur [10] :« Quis conclusit ostiis mare? » Ex quo enim mare et venti obediunt ei, nulla resistere possunt. In *Ecclesiastico* [11] : « In omni necessitate omnia obaudiunt ei. » Unde Beda in *Glossa* [12] : « Nota quod omnis creatura sentit Creatorem, quia majestati Conditoris sunt sensibilia, quæ apud nos sunt insensibilia. »

Spiritualiter autem exprimitur hic liberatio animæ pœnitentis a tentatione diaboli per gratiam Christi. Unde tria hic sunt spiritualiter attendenda : primum est animæ conversio, quæ designatur in ascensu naviculæ ; secundum est tentatio, quæ designatur in impetu procellæ ; tertium est animæ consolatio, quæ designatur in sedatione tempestatis. Spiritualis sensus.

Circa ascensum naviculæ designantem conversationem animæ, tria attendenda sunt : primo Christi exemplum, quia prior ascendit [13] : « Ascendet pandens iter ante eos ; » quia [14] : « Cœpit Jesus facere et docere. » Et hoc est quod dicit Ambrosius : « Christus, relictis parentibus, navem crucis ascendit, ut doceat nos, relicto amore carnali, cum ipso crucifigi. » In figura hujus dicitur [15], quod « Judas videns populum trepidantem ad transfretandum torrentem, transfretavit prior, et omnis populus post eum. » Secundo, Christi consilium, quia discipulos invitavit ut secum transirent [16] : « Transite ad me omnes qui concupiscitis me, » scilicet ex hoc mundo, qui non est nisi transitus quidam [17] : « Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. » Et ad *Hebræos* [18] : « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Beatus qui sic transit per bona temporalia, ut non amittat æterna, quia [19] : « Transeuntes mare, per

[1] *Matth.*, XIV, 31. — [2] *Hebr.*, XI, 29. — [3] *Jerem.*, X, 7. — [4] Ibid., V, 22. — [5] *Eccli.*, XI, 23. — [6] Ibid., XLIII, 31. — [7] *Exod.*, XV, 11. — [8] *Job*, XXVIII, 25. — [9] *Eccli.*, XXXIX, 22. — [10] *Job*, XXXVIII, 8. — [11] *Eccli.*, XLII, 24.— [12] Bed., lib. III, c. XXXI, *in Luc.*, c. VIII.— [13] *Mich.*, II, 13. — [14] *Act.*, I, 1. — [15] I *Mach.*, XVI, 6. — [16] *Eccli.*, XXIV, 26. — [17] *Joan.*, XIII, 1. — [18] *Hebr.*, XIII, 14. — [19] *Sap.*, XIV, 5.

ratem liberati sunt. » Tertio vero, Christi consortium, quia simul cum ipsis in navi transierunt [1] : « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. » In *Psalmo* [2] : « Cum ipso sum in tribulatione. » Et in *Matthæo* (*a*) [3] : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »

Circa impetum procellæ, in quo designatur tentatio animæ, tria sunt attendenda : primum est obdormitio Christi, quod quidem est quando Christi amor et memoria torpescit in corde, nam in se non obdormivit : in *Psalmo* [4] : « Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel : » sed in nobis ; ideo dicitur [5] : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. » Et Petrus [6] : « Sobrii estote, et vigilate, » etc. Et [7] : « Non dormiamus sicut et cæteri ; sed vigilemus et sobrii simus : qui enim dormiunt, nocte dormiunt. » Secundum est descensus procellæ venti, in quo designatur tentatio diaboli [8] : « Ventus turbinis veniebat ab Aquilone. » Hic est [9] « ventus vehemens a regione deserti, qui concussit quatuor angulos domus, » id est quatuor mentis affectus, de quo *Job* [10] : « Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. » Tertium est periclitatio navis impulsæ, quæ designat perturbationem animæ. Aqua enim ingrediens in naviculam est perturbatio intrans in animam ; et tunc imminet periculum. Unde in *Psalmo* [11] : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. » Et in *Threnis* [12] : « Inundaverunt aquæ super caput meum ; dixi : Perii. »

Circa consolationem animæ tria sunt attendenda. Primum est oratio in Christi excitatione ; quod fit per orationem [13] : « Quis vestrum habet amicum, » etc. Et *Isaias* [14] : « Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te. » Secundum est mentis devotio in tranquillitate. Tobias dicit [15] : « Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem, tranquillum facis ; et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. » Et *Sapientia* [16] : « Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas (*b*) : » et sequitur : « Subest enim tibi, cum volueris, posse. » Tertium est Dei honorificentia in hoc quod Deum venerantur, et timent, et confitentur, sicut Moyses post liberationem Israelis ab Ægyptiis cecinit canticum Domino. De his tribus dicitur in *Psalmo* [17] : « Invoca me in die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me. » Et sic patet quomodo hic spiritualiter denotatur transitus animæ pœnitentis.

26. *Et navigaverunt ad regionem*, etc. Postquam primo ostendit Evangelista Christum habere dominium super creaturam corporalem, hic secundo ostendit habere dominium super creaturam spiritualem in expulsione admirabili dæmoniacæ legionis. Unde intendit in hac parte Evangelista explicare mirabilem liberationem dæmoniaci factam per virtutem Christi. Ad hujus autem miraculi explicationem quatuor introducuntur : primum est violentia dæmonis obsidentis ; secundum est omnipotentia Dei liberantis, quod notatur ibi (v. 31) : *Et rogaverunt illum ne imperaret illis*, etc. Tertium est reverentia populi occurrentis, ibi (v. 34) : *Quod ut viderunt factum, qui pascebant*, etc. Quartum est benevolentia curati obtemperantis, ibi (v. 38) : *Et rogavit illum vir, a quo dæmonia exierant*, etc. Violentia autem diaboli obsidentis ostenditur ex quatuor, scilicet ex fremitu furoris, ex strepitu clamoris, ex impetu fortitudinis, et ex comitatu multitudinis. Primo ergo, quantum ad fremitum furoris in dæmoniaco occurrente Domino applicanti, dicitur : *Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum*. Gerasa autem, ut dicit Beda [18], civitas est Arabiæ. In quo ostenditur quod post miracula facta circa Ju-

[1] *Isa.*, XLIII, 2. — [2] *Psal.* XC, 15. — [3] *Matth.*, XXVIII, 20. — [4] *Psal.* CXX, 4. — [5] *Matth.*, XXII, 41. — [6] I *Petr.*, V, 8. — [7] I *Thess.*, V, 6, 7. — [8] *Ezech.*, I, 4. — [9] *Job*, I, 19. — [10] *Eccli.*, XLIII, 22. — [11] *Psal.* LXVIII, 2. — [12] *Thren.*, III, 54. — [13] Inf., XI, 5. — [14] *Isa.*, LXIV, 7. — [15] *Tob.*, III, 22. — [16] *Sap.*, XII, 18. — [17] *Psal.* XLIX, 15. — [18] Bed., loc. jam cit., c. XXXII.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* judica.

dæos, divina dispensatio hic requirit ut fiant in gentibus, juxta quod dicitur [1] : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, » quasi in contemptum rebellium; unde addit : *Quæ est contra Galilæam*: *Quæ* scilicet refertur ad civitatem intellectam per illam gentem, quæ scilicet est Gerasa. Illuc navigavit, ut virtutem potentiæ per miracula ostenderet, et ad se traheret in tempore. Interpretatur namque *Gerasa*, ut dicit Glossa [2], advena; et ideo designat gentes, secundum illud [3] : « Memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne. » Et sequitur : « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe facti estis prope in sanguine Christi. » Unde in hoc patet, quod [4] « idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. » [5] « Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Ideo additur (v. 27) : *Et cum de navi egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam*, ut sicut mirabilia fecerat in mari, ita et in terra faceret. Et per hoc apparet quod ipse est ille de quo *Psalmista* dicit [6] : « Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. » Et hoc ostendit in viro isto, qui merito dicitur *vir quidam* singularis passionis, qui notabilis erat persona, et notabiliter et mirabiliter obsessus. Et ideo licet duo occurrerent, secundum quod dicit Matthæus [7]; Lucas tamen non commemorat nisi occursum unius, cujus notabilem vexationem determinat ex temporis diuturnitate. Unde ait : *Qui habebat dæmonium jam temporibus multis*, ita quod jam sibi eum vendicaverat in possessionem, adeo ut posset dici de eo illud *Isaiæ* [8] : « Erit cubile draconum, et pascua struthionum. Et occurrent dæmonia, onocentaurus, et pilosus clamabit alter ad alterum. » Hoc dicitur de plene a diabolo possessis. Aggravatur etiam ex habitus deformitate; unde additur : *Et vestimento non induebatur*. Quod erat valde deforme, juxta quod comminatur Dominus [9] : « Denudabunt te vestimentis tuis, ut auferant vasa decoris tui. » Et in hoc apparet fremitus dæmonis, qui non tantum vexabat corporis membra, sed etiam laniabat vestimenta, sicut de illo dicitur [10] : « Cum invaluisset dæmonium pessimum contra duos filios Scevæ, principis sacerdotum, nudi et vulnerati effugerunt de domo. » Aggravatur etiam ex loci horribilitate; ideo addit : *Neque in domo manebat, sed in monumentis*, ubi est locus valde horribilis. Et talia loca quærunt principes tenebrarum [11] : « In desertis habitavit torrentium, et in cavernis terræ : » et ab his eripit Dominus, secundum illud [12] : « Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. »

Secundo, quantum ad strepitum clamoris in dæmone vociferante, Domino præcipiente, subditur (v. 28) : *Is ut vidit Jesum, procedit ante illum*. Et sic verificatur illud [13] : « Coram illo procident Æthiopes, » etc. Et illud [14] : « Adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. » [15] « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. » Hoc autem non faciebat humilitate devotionis, sed cum murmure et strepitu clamoris. Et ideo addit : *Exclamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi est, Jesu fili Dei altissimi?* Ecce quod non exhibebat reverentiam ex amore; sed magis abhorrebat præsentiam, exiens cum clamore : per quem ostendit gemitum et dolorem in corde, secundum illud *Isaiæ* [16] : « Clamabitis præ dolore cordis, et præ con-

[1] *Act.*, XIII, 46. — [2] Gloss. *in Matth.*, c. VIII. — [3] *Ephes.*, II, 11-13. — [4] *Rom.*, X, 12, 13. — [5] *Joel.*, II, 32. — [6] *Psal.* CXXXIV, 6. — [7] *Matth.*, VIII, 28. — [8] *Isa.*, XXXIV, 13, 14. — [9] *Ezech.*, XVI, 39. — [10] *Act.*, XIX, 16. — [11] *Job*, XXX, 6. — [12] *Psal.* LXVII, 7. — [13] *Psal.* LXXI, 9. — [14] *Isa.*, LX, 14. — [15] *Philip.*, II, 9. — [16] *Isa.*, LXV, 14.

tritione spiritus ululabitis. » Ideo autem clamat, et dolet de ejus præsentia, quia nulla erat ipsius cum Christo convenientia [1] : « Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebas? Quæ autem conventio Christi ad Belial? « In *Ecclesiastico* [2] : « Sicut communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem? » Et nota quod in hac confessione duplicem elidit errorem : unum Judæorum, qui dicebant Christum habere dæmonium, et in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia : unde Beda [3] : « Judæi dicunt in principe dæmoniorum eum ejicere dæmones, quem dæmonia negant aliquid secum habere commune. » Alium errorem, Arianorum scilicet, elidit, qui dicunt Christum creaturam, cum dæmon dicat eum Dei altissimi filium, juxta illud [4] : « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. » Hoc autem fatetur dæmon non venerando ejus dominium, sed pertimescendo ejus præceptum, juxta illud [5] : « Dæmones credunt, et contremiscunt. » Et ideo additur : *Obsecro te, ne me torqueas*, illa scilicet virtute de qua *Sapiens* [6] : « Absentes enim et præsentes similiter torquebantur. » Ideo volebat Christum confiteri, ut saltem confitendo inveniret copiam evadendi. *Sapiens* [7] : « Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt. » Sed hæc supplicatio parum sibi valuit; non erat enim voluntaria, sed coacta : ideo subjungitur (v. 29) : *Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine.* Cui præcepto non poterat resistere, secundum illud [8] : « Omnis creatura, » etc.; sequitur : « Deserviens præceptis tuis, ut pueri tui custodirentur illæsi. » Ideo autem hoc præceptum timebat, quia solatium est immundo spiritui obsidere hominem et tormentum exire, juxta illud [9] : « Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat (*a*) per loca inaquosa, quærens requiem. » Et Beda in Glossa [10] : « Tormentum est diabolo ab hominis læsione cessare; et quanto diutius possederit, tanto difficilius dimittit. » Laboret ergo læsus a diabolo, ut cito jugum disrumpat. Sed in hac petitione non meruit dæmon exaudiri, quia non erat ex affectu devotionis, sed ex impatientia et strepitu clamoris [11] : « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos. »

Tertio, quantum ad impetum fortitudinis in dæmone resistente humanæ legationi, subjungitur : *Multis enim temporibus arripiebat illum*, scilicet impetu fortitudinis, cui non poterat obsessus resistere, juxta quod dicitur de Saule [12], quod « invasit Spiritus Dei malus Saul. » Sed hunc aliter quam Saul, quia ille leniebatur cithara, hic autem non poterat detineri catena. Unde additur : *Et vinciebatur catenis*, quantum ad manus; *Et compedibus custoditus*, quantum ad pedes, quod erat retinaculum valde forte, juxta illud *Psalmi* [13] : « Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. » Et licet tam forte esset, tamen adhuc non poterat sustinere impetum diabolicæ fortitudinis; propter quod addit : *Et ruptis vinculis, agebatur a dæmonio in deserta.* In quo ostenditur superbia et audacia diaboli, qui nullis obedit, nec retinaculis teneri potest, juxta illud [14] : « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. » Sic utique faciunt superbi, imitatores diaboli, contra quos *Jeremias* loquens de principibus dicit [15] : « Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula, » scilicet divinorum præceptorum, cum tamen dicatur [16] : « Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum : subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris

[1] II *Cor.*, VI, 14, 15. — [2] *Eccli.*, XIII, 21. 22. — [3] Bed., c. XXXII, lib. III, *in Luc.*, c. VIII. — [4] *Eccli.*, XXIV, 5. — [5] *Jac.*, II, 19. — [6] *Sap.*, XI, 12. — [7] Ibid., XVI, 16. — [8] Ibid., XIX, 6. — [9] Inf., XI, 24. — [10] Bed., loc. cit. — [11] *Psal.* XVII, 42. — [12] I *Reg.*, XVIII, 10. — [13] *Psal.* CXLIX, 8. — [14] *Jerem.*, II, 20. — [15] Ibid., V, 5. — [16] *Eccli.*, VI, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* perambulat.

vinculis ejus. » Sed tolerabilius est peccatori, obsesso a diabolo, agitari in desertum, quam istis vinculis compediri. *Job* [1]: « In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream : qui inter hujusmodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.

Quarto vero, quantum ad comitatum multitudinis in dæmone respondente dominicæ interrogationi, subjungitur (v. 30) : *Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est*? Ipsius enim est interrogare, cujus est et judicare [2] : « Altissimus interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. » Et iterum [3] : « Hos tanquam pater monens (*a*) probasti; illos autem tanquam durus rex interrogans, condemnasti. » Quia [4]: « In cogitationibus impii interrogatio erit. » Interrogabat autem de nomine, non quia ignoraret, secundum quod dicunt ei discipuli [5] : « Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget (*b*); » et multo minus tu alios. Sed quærebat, ut ex responsione dæmonis appareret comitatus multitudinis; unde subditur : *At ille dixit : Legio*. Legio continet sex millia sexcenta et sexaginta sex; et ideo non respondet nomen singularis personæ, sed multitudinis; quod exponens Evangelista, adjungit : *Quia intraverant dæmonia multa in eum;* ita ut posset dicere Domino illud [6] : « Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? » Et iterum [7] : « Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. » Jam verificatum erat in isto, quod de Antiocho dicitur, qui (*c*) ascendit Jerosolymam in multitudine gravi, et intravit in (*d*) sanctificationem cum superbia. » Et sic ex quatuor præmissis apparet violentia diaboli obsidentis.

Legio quid sonet.

31. *Et rogabant* (*e*) *illum*, etc. Post violentiam dæmonis odsidentis, subjungit hic Evangelista omnipotentiam Domini liberantis. Ostenditur autem in hac parte Christus potens per omnem modum, scilicet potens in permittendo, potens in salvando, potens in imperando, potens in perdendo. Primo ergo ostenditur potens in imperando dura, in hoc quod dicitur : *Et rogabant* (*e*) *illum*, scilicet dæmones, *ne imperaret illis ut in abyssum irent*; quia mandatum ejus non poterant præterire, juxta illud [9] : « Præceptum posuit, et non præteribit. » Ideo rogaverunt eum, quia sciebant quod ipse erat ille angelus, de quo [10] : « Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, » id est, potestatem mittendi in abyssum justo suo judicio, sicut fecit Ægyptiis [11] : « Abyssi operuerunt eos : descenderunt in profundum quasi lapis. » Et in *Apocalypsi* [12] : « Judicatum est de singulis secundum opera ipsorum; et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. » Hoc judicium timebant dæmones accelerari sibi per imperium Christi, non tamquam præscii futurorum, sed per dicta prophetarum : unde Ambrosius [13] : « Sciebant dæmones per adventum Christi se aliquando in abyssum mergendos, non ipsa futura prædivinantes, sed prophetarum de se dicta recolentes. »

Secundo dicitur potens in permittendo damna, in hoc quod subditur (v. 32) : *Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte*, in quos, licet bruta essent animalia, dæmones non habebant posse nisi ex divina permissione. Nam de Christo dictum est [14] : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi. » Unde in istum gregem non poterant quidquam, nisi ex permissione divina, secundum illud [15] : « Nonne duo passeres asse veneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro, » id est, potentia Patris vestri. Et ideo subditur : *Et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi.*

[1] *Job*, XXX, 6, 7. — [2] *Sap.*, VI, 4. — [3] Ibid., XI, 11. — [4] Ibid., I, 9. — [5] *Joan.*, XVI, 30. — [6] *Psal.* III, 2. — [7] *Psal.* LXVIII, 5. — [8] I *Mach.*, I, 22, 23. — [9] *Psal.* CXLVIII, 6. — [10] *Apoc.*, XX, 2. — [11] *Exod.*, XV, 5. — [12] *Apoc.*, XX, 13, 14. — [13] Ambr., *in Luc.*, lib. VI, n. 46. — [14] *Psal.* VIII, 8. — [15] *Matth.*, X, 29.

(*a*) *Cæt. edit.* movens. — (*b*) *Cæt. edit. add.* in hoc credimus quod a Deo existi. — (*c*) *Cæt. edit.* Quis. — (*d*) *Cæt. edit. deest* in. — (*e*) Cæt. edit. *rogaverunt.*

In quo ostendunt dæmones Christi potentiam, et suam impotentiam; quia nihil possunt in bestias, nisi permissi, multo magis nec in hominem. Unde, (a) *Job*, dixit Satan [1] : « Domine, extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet. » Unde etiam in tribulatione quam facturus est diabolus Ecclesiæ, divina permissio præcedit, secundum illud [2] : « Soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. » Et iterum dicitur [3] quod « cum consummati fuerint mille anni, » solvetur Satanas de carcere suo. Et quia Dominus justo suo judicio permittit eis multa, subditur : *Et permisit illis.* In qua permissione ostendit se Dominum non solum prohibentem dæmones, sed possidentem porcos, secundum illud [4] : « Meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, et boves. » Possessores vero solum erant villici Domini Jesu; et ideo in nullo injuriatus est eis. Ostendit etiam Dominus quod magis diligit salutem unius hominis, quam millia brutorum animalium [5] : « Numquid de bobus cura est Deo ? » Et in *Sapientia* [6] : « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. » Rursus in hoc ostendit Dominus carnales homines, qui designantur per porcos, justo Dei judicio expositos esse dæmonibus [7] : « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. » Unde dicit Apostolus de isto carnali [8], quod hujusmodi « tradendus est Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. » Hoc etiam fecit, ut non solum notam faceret hominibus terræ illius potentiam suam salvandi, sed etiam occidendi, secundum illud [9] : « Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo : et non est qui de manu mea possit eruere. »

Tertio ostenditur potens in salvando infirmos, in hoc quod adjungitur (v. 33) : *Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos :* in quo exitu liberatus est homo. Exierunt autem divinæ virtutis imperio, secundum illud [10] : « Spiritum immundum auferam de terra. » Hoc dicebat ille, qui de seipso ait [11] : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. » In virtute namque Christi exibant, in cujus nomine ejiciebantur ab ejus discipulis, juxta quod dicitur quod Paulus dixit spiritui pythonico [12] : « Præcipio tibi, in nomine Jesu Christi, exire ab ea : et exiit eadem hora. » Exeuntes autem ab homine in porcos intrant, quia immundus spiritus immunda quærit habitacula. *Job* [13] : « Ingredietur bestia latibulum, et in antro suo morabitur. » Et de Behemoth dicitur [14] : « Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. » Hoc dicit quantum ad carnales, qui nihil aliud quærunt, nisi umbram et lasciviam, sicut porci.

Quarto ostenditur potens in perdendo superbos, in hoc quod subditur : *Et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est.* In quo ostenditur divina virtus eximia, quæ non permisit eos ingredi in porcos ad quietem, sed ad submersionem, ut sic impleretur in eis illud [15] : « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » In quo spiritualiter designatur submersio peccatorum, juxta illud propheticum [16] : « Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. »

Porro ex prædictis secundum litteram colligi possunt septem notabilia : primum est, quod potentia solius verbi Christi excedit virtutem infinitorum millium dæmonum; secundum est, quod maximus est furor dæmonum respectu generis humani; tertium est quod maximus est timor dæmomum respectu hominis christiani; quartum, quod dæmones sunt incorporei, cum tot fuerint in Septem notanda.

[1] *Job*, I, 11. — [2] *Apoc.*, IX, 15. — [3] Ibid., XX, 3. — [4] *Psal.* XLIX, 10. — [5] I *Cor.*, IX, 9. — [6] *Sap.*, XI, 27. — [7] *Rom.*, VIII, 13. — [8] I *Cor.*, V, 5. — [9] *Deut.*, XXXII, 39. — [10] *Zach.*, XIII, 2. — [11] Inf., XIII, 32. — [12] *Act.*, XVI, 18. — [13] *Job*, XXXVII, 8. — [14] Ibid., XL, 16. — [15] *Exod.*, XV, 10. — [16] *Mich.*, VII, 19.

(a) *Suppl.* libro.

homine uno; quintum est quod ipsi nihil possunt etiam in bruta animalia, nisi permissi; sextum est quod homines in his temporalibus possidendis non sunt nisi villici Christi; septimum est quod Deus salutem unius hominis præferendam ostendit infinitis animalibus brutis.

34. *Quod ut viderunt factum*, etc. Hic jam tertio ostendit Evangelista reverentiam populi occurrentis. Circa hujus explicationem introducuntur quatuor, scilicet denuntiatio veritatis conspectæ, indagatio veritatis auditæ, inventio veritatis inquisitæ, veneratio veritatis inventæ, quæsitæ, et denuntiatæ.

Primo ergo, quantum ad denunciationem veritatis conspectæ, dicitur : *Quod ut viderunt factum, qui pascebant, fugerunt*, scilicet ex timore, sicut veri mercenarii [1] : « Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. » Et *Zacharias* [2] : « O pastor et idolum, derelinquens gregem. » Vel fugerunt non timore humani periculi, sed timore divini judicii; de quo [3] : « Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est; et scitote esse judicium. » Fugerunt autem non ut laterent, quia scriptum est [4] : « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? » sed ut absentibus celeriter visa narrarent. Unde dicitur : *Et nuntiaverunt in civitatem et in villas*, sicut et ille nuncius *Job* dicit [5] : « Evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. » Et in hoc quasi habebant prædicatorum officium, de quibus [6] : « Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. » Hæc est annuntiatio quam acceptat Apostolus dicens [7] : « Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur : et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. » Unde bona de Christo visa non sunt reticenda, sed annuntianda, secundum illud [8] : « Dixerunt illi quatuor viri leprosi : Hæc enim dies boni nuntii est; si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur. Venite, eamus et nuntiemus in aula regis. » Sed mala non sunt annuntianda [9] : « Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis. »

Secundo vero, quantum ad indagationem veritatis auditæ, subditur (v. 35) : *Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum. Exierunt*, inquam, ad inquisitionem [10] : « Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem. » Et in *Psalmo* [11] : « Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. » Exierunt autem ad Jesum qui est Veritas, ut discerent veritatem. Nam, sicut dicit sollicitus inquisitor Job [12] : « Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus? » Sic Samaritani, audito verbo mulieris [13] : « Abiit mulier in civitatem, et dicit illis hominibus : Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. » Et notandum est valde quod dicitur, dum exeunt videre quod factum est, venerunt ad Jesum; quia factura dum videtur, ducit ad Factorem [14] : « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. » Et in *Sapientia* [15] : « A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri. » Et ideo in *Ecclesiastico* [16] : « Quam desiderabilia omnia opera ejus, et tanquam scintilla, » etc. In hoc autem apparet quod non est standum in factura, sed perveniendum usque ad Jesum. In *Ecclesiastico* [17] : « Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum. » Et in *Psalmo* [18] : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, » etc.

Tertio, quantum ad inventionem veritatis quæsitæ, subditur : *Et invenerunt hominem sedentem a quo dæmonia exierant* : et ita

[1] *Joan.*, x, 12. — [2] *Zach.*, xi, 17. — [3] *Job*, xix, 29. — [4] *Psal.* cxxxviii, 7. — [5] *Job*, i, 15. — [6] *Psal.* lxiii, 10. — [7] *Philip.*, i, 18. — [8] IV *Reg.*, vii, 9. — [9] II *Reg.*, i, 20. — [10] *Cant.*, iii, 11. — [11] *Psal.* xlv, 9. — [12] *Job*, xxiii, 3. — [13] *Joan.*, iv, 28-30. — [14] *Rom.*, i, 20. — [15] *Sap.*, xiii, 5. — [16] *Eccli.*, xlii, 23. — [17] *Eccli.*, xliii, 12. — [18] *Psal.* viii, 3.

in debito statu contra inquietationem, quia nunquam quiescebat, quamdiu diabolus eum possidebat [1] : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » E contra de eo, in quo habitat Spiritus Domini, dicitur [2] : « Sedebit solitarius, et tacebit. » Quia, secundum illud [3] : « Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. » Invenerunt etiam eum in debito habitu contra nudationem : propter quod addit : *Vestitum.* Talis enim habitus decet hominem tam corporaliter, quam spiritualiter [4] : « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, » etc. Invenerunt etiam eum in debito sensu contra insaniam. Unde subdit : *Ac sana mente.* Unde poterat dicere illud Nabuchodonosor [5] : « In ipso tempore sensus meus reversus est ad me. » Quem sensum aufert diabolus ab eis quos possidet, infatuando eorum mentes [6] : In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. » Invenerunt etiam eum in debito situ contra deordinationem; propter quod addit : *Ad pedes ejus,* tanquam intentum prædicationi ejus, secundum illud [7] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Et infra [8] : « Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. » Et per hæc indicia manifeste cognoverunt ipsum liberatum ex proprio visu. Modum autem et curationis causam cognoverunt per auditum, qui audierunt hæc facta esse per Christum. Propter quod subditur : *Et timuerunt,* scilicet Christum, attendentes ejus miram potentiam et fortitudinem, secundum illud [9] : « Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes gentium, » etc. Ad hoc inducit certum testimonium, ideo subdit (v. 36) : *Nuntiaverunt autem illis et qui viderant,* scilicet pastores, quia tales debent testificari [10] : « Et qui vidit, testimonium perhibuit. » *Quomodo sanus factus fuisset a legione,* per Christi imperium. Et tali testimonio est credendum [11] : « Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, » etc.; sequitur : « Testamur, et annuntiamus vobis : » *Psalmista* [12] : « Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit : » quia dicitur [13] : « Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. »

Quarto vero, quantum ad venerationem veritatis inventæ, subditur (v. 37) : *Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum,* etc. Postquam cognoverunt majestatis imperium, formidabant; unde rogaverunt eum, *ut discederet ab ipsis.* Quod quidem non dicebant contemptu superbiæ, sicut illi de quibus *Job* [14] : « Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus : » sed ex timore reverentiæ. Ideo subditur : *Quia magno timore tenebantur,* sicut Petrus supra [15] : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. » Et sicut Centurio supra [16] : « Domine, non sum dignus ut sub tectum meum intres. » Quia, secundum illud [17] : « Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. » Unde Ambrosius [18] : « Infirma mens non capit Dei verbum, nec potest pondus sapientiæ sustinere. » Et quoniam ad divinam cohabitationem minus erant idonei, ideo erant exauditi. Propter quod additur : *Ipse autem ascendens navim, reversus est.* Nolebat Dominus aliquibus esse onerosus. Unde in *Matthæo* (*a*) dicit [19] : « Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. » Et iterum [20] : « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Sed prudentius his fecerunt Samaritani de quibus [21] : « Cum venissent ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. » Sed stupor circumdederat

[1] *Isa.*, LVII, 20. — [2] *Thren.*, III, 28. — [3] *Psal.* LXXV, 3. — [4] *Apoc.*, XVI, 15. — [5] *Dan.*, IV, 33. — [6] II *Cor.*, IV, 4. — [7] *Deut.*, XXXIII, 3. — [8] Inf., X, 39. — [9] *Jerem.*, X, 7. — [10] *Joan.*, XIX, 35. — [11] I *Joan.*, I, 1. — [12] *Psal.* LXXVII, 4. — [13] *Act.*, IV, 20. — [14] *Job*, XXI, 14. — [15] Sup., V, 8. — [16] Sup., VII, 6. — [17] *Eccli.*, XIII, 1. — [18] Ambros., *In Luc.*, lib. VI, n. 51. — [19] *Matth.*, X, 14. — [20] Ibid., VII, 6. — [21] *Joan.*, IV, 40.

(*a*) *Cæl. edit,* Matthæus.

illos, sicut et Petrum [1]. Ideo poterant dicere illud *Job* [2] : « Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. » In hoc etiam spiritualiter datur intelligi quod Dominus repulsus abscedit [3] : « Si quæsieris eum, invenies ; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. » Insinuatur etiam quod Dominus non derelinquit nos, nisi prius eum repellamus ; quin potius se ingerit. Unde in *Apocalypsi* [4] : « Ecce sto ad ostium, et pulso, » etc.

38. *Et rogabat* (*a*) *illum vir*, etc. Hic quarto describitur benevolentia sanati obtemperantis; quam commendat Evangelista ex quatuor, scilicet ex oblatione obsequii, ex condescensione medici, ex commissione officii, et ex divulgatione beneficii : ita quod unum ad alterum disponit. Primo ergo, quantum ad oblationem obsequii, dicitur : *Et rogabat* (*a*) *illum vir a quo dæmonia exierant*, scilicet sanatus medicum, *ut cum eo esset*, ut scilicet ei cohabitaret, et serviret tanquam Domino et Salvatori, sicut dicebat Ethai Gethæus regi David [5] : « Vivit Dominus, et vivit Dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. » Sic Elisæus ad Eliam [6] : « Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. » Ideo autem volebat esse cum ipso, ut esset securior, secundum illud [7] : « Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio ; » ut etiam esset perfectior [8] : « Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque; » ut etiam esset felicior [9] : « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. » [10] « Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. » Et iterum [11] : « Volo, Pater, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem quam dedisti mihi. » Et ideo volebat ei hic cohabitare in via, ut illi cohabitare posset in cœlesti patria.

Secundo, quantum ad condescensionem medici, subditur : *Dimisit autem eum Jesus*, in omnimoda scilicet libertate, nolens (*b*) sibi aliud onus imponere, ostendens quod propter collatum beneficium non est accipiendum obsequium. Unde [12] : « Misertus dominus servi illius dimisit illum, et debitum dimisit ei. » Dimisit autem eum in quiete; unde subdit dicens (v. 39) : *Redi in domum tuam*, ut ibi requiescas, unde te dæmonia expulerant. [13] « Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. » Seneca : « Indicium mentis bene constitutæ est in se posse consistere, et secum posse morari. » Et nota quod Dominus dimittit quosdam propter infirmitatem, sicut istum cui condescendebat; quosdam admittit propter fidelitatem, sicut ipsum de quo infra [14] : « Et ait alter : Sequar te, Domine, » etc.; quosdam attrahit propter idoneitatem, ibidem [15] : « Ait ad alterum : Sequere me; » quosdam repellit propter cupiditatem, sicut illum dicentem [16] : « Magister, sequar te, quocumque ieris. Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, » etc. Hunc autem non admisit Dominus ad perfectionis discipulatum, vel quia movebat eum timor humani periculi, vel amor beneficii, vel ut ostenderet, sicut prætactum est, quod propter spirituale beneficium non est accipiendum obsequium. Unde [17] : « Gratis accepistis, gratis date. » Et exemplum hujus apparet in Elisæo [18] : Potest tamen prædicator evangelicus accipere stipendium, juxta illud [19] : « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » Sed non debet prædicare propter illud, sed propter salutem populi. Et nota hic

[1] Sup., v, 9. — [2] *Job*, XXXI, 23. — [3] I *Paral.*, XXVIII, 9. — [4] *Apoc.*, III, 20. — [5] II *Reg.*, XV, 21. — [6] IV *Reg.*, II, 2. — [7] *Eccli.*, LI, 14. — [8] *Psal.* CVIII, 8. — [9] *Philip.*, I, 23. — [10] *Joan.*, XII, 26. — [11] Ibid., XVII, 24. — [12] *Matth.*, XVIII, 27. — [13] *Eccli.*, XXXII, 15. — [14] Inf., IX, 57. — [15] Ibid., 59. — [16] *Matth.*, VIII, 19, 20. — [17] *Matth.*, X, 8. — [18] IV *Reg.*, V, 17 et seq. — [19] I *Cor.*, IX, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* rogavit. — (*b*) *Cæt. edit.* volens.

quod Dominus, secundum quod evangelica historia narrat, aliquando præcipit curatis quod nemini dicerent, sicut patet in curatione leprosi [1] : « Vide, nemini dixeris ; » et in suscitatione puellæ [2], « præcepit (*a*) parentibus ejus, ne alicui dicerent quod factum erat. » Hic autem præcipit sanato, quod divulget ; sed hoc Dominus facit ut ostendat veritatem salutarem non esse tacendam, et gloriam propriam non esse quærendam. Ideo enim aliquando præcipit quod dicatur, et aliquando quod taceatur. Unde in primo dat documentum quod veritas prædicetur ; in secundo vero, quod gloria propria non quæratur. In hoc etiam apparet quod prædicationis opus non tantum est virorum apostolicorum, verum etiam quorumcumque bonorum qui a Christo edocti sunt. Unde etiam Christus discipulis prohibentibus quemdam in nomine Christi ejicere dæmonia, qui Christum non sequebatur, dixit ad illos [3] : « Nolite prohibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est, » sicut dicitur infra. Bonus enim vir debet dicere quod dixit Moyses [4] : « Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum ? » Secundum illud [5] : « Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur ; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. »

Tertio, quantum ad commissionem officii, dicitur : *Et narra quanta tibi fecit Deus.* In quo mittit eum ad prædicandum et divulgandum divinum beneficium [6] : « Narrabo nomen tuum fratribus meis, » etc. Et in *Tobia* (*b*) [7] : « Opera autem Dei revelare honorificum est. » Hoc mandat Dominus fieri [8] : « Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. » Et illud est officium prædicatoribus injunctum.

Quarto, quantum ad divulgationem beneficii, subditur : *Et abiit per universam civitatem prædicans*, quod illi injunctum est. [9] « Surge, et vade in Ninivem civitatem magnam ; et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. » Sed Jonas prædicabat periculum ; iste vero divulgabat et prædicabat beneficium : ideo addit : *Quanta illi fecisset Jesus*, ut vere diceret illud [10] : « Venite, audite ; et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. » Ad hoc invitat Angelus Tobiæ [11] : « Benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. » Hoc autem non dicit, quia in nostra sit potestate omnia ejus opera et beneficia enarrare, cum dicatur [12] : « Quis sufficit enarrare opera illius ? » sed quia hoc debet esse in nostro desiderio et voluntate, juxta illud [13] : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua : » non quia lingua sufficiat exprimere ; sed quia gratitudo cordis de omnibus cupit laudes exolvere et prædicare.

Ex prædictis possunt elici quatuor notabilia secundum litteram : primum est quod Dominus per viles et humiles personas voluit aliis notificari, sicut per porcarios et pecorarios ; secundum, quod non omnes ad statum perfectionis sunt admittendi, sed tantum illi qui sunt idonei ; tertium, quod a prædicatione nominis Christi non sunt arcendi, quos Christus curat a vexatione diaboli ; quartum, quod ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis debemus esse promptissimi, exemplo hujus dæmoniaci, qui beneficium Dei omnibus annuntiavit.

40. *Factum est autem, cum rediisset Jesus*, etc. Supra ostendit Evangelista dominium et auctoritatem Christi super creaturam corporalem in sedatione tempestatis, et contra spiritualem in expulsione dæmonis ; hic ostendit ipsum dominium habere super creaturam compositam ex utraque in sanitate hæmorrhoissæ, et suscitatione puellæ. Habet autem hæc pars duas partes, in quarum prima, secundum quod humana natura ex Divisio.

[1] *Matth.*, VIII, 4. — [2] Inf., 56. — [3] Inf., IX, 50. — [4] *Num.*, XI, 29. — [5] *Philip.*, I, 18. — [6] *Psal.* XXI, 23. — [7] *Tob.*, XII, 7. — [8] *Psal.* LXXVII, 5. — [9] *Jon.*, III, 2. — [10] *Psal.* LXV, 16. — [11] *Tob.*, XII, 20. — [12] *Eccli.*, XVIII, 2. — [13] *Psal.* IX, 2. — (*a*) *Al.* præcipit. (*b*) *Item* Tobias.

duobus est composita, corpore videlicet et anima, ostenditur Dominus corporum in hæmorrhoissæ sanatione; in secunda, Dominus animarum in puellæ suscitatione, ibi (v. 49) : *Adhuc illo loquente*, etc. Introducitur autem explicatio utriusque miraculi ad manifestandam dignitatem virtutis Christi, quam demonstrat satis perfecte in miraculo curationis hæmorrhoissæ. Nam primo demonstratur in parte ista benignitas præsentiæ Christi desiderabilis; secundo sublimitas potentiæ admirabilis, ibi (v. 43) : *Et mulier quædam erat in fluxu*, etc.; tertio profunditas sapientiæ infallibilis, ibi [4] : *Et ait Jesus : Quis est qui me tetigit?* etc.; Benignitas autem præsentiæ Christi ostenditur desiderabilis ex plebe suscipiente cum lætitia, ex principe supplicante cum fiducia, et ex multitudine concomitante cum benevolentia. Primum respicit Christi adventum, cui plebs occurrit; secundum, Christi statum, ad quem princeps currit; tertium, Christi progressum, ad quem multitudo concurrit. Ex occursu ergo, et cursu, et concursu multitudinis, multipliciter ostenditur præsentia et adventus Christi desiderabilis. Primo ergo, quantum ad susceptionem cum lætitia factam (*a*) a plebe, dicitur : *Factum est autem, cum rediisset Jesus*, trans fretum scilicet in Galilæam, cum ad tempus corporalem subtraxerat præsentiam desideratam, juxta illud quod signatum est de Salomone [1] : « Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. » Per istum Salomonem intelligimus Christum, de quo in *Psalmo* [2] : « Speciosus forma præ filiis hominum, » etc. Et ideo dicitur : *Excepit illum turba*, scilicet cum lætitia et gaudio, ut sic impleretur illud *Isaiæ* [3] : « Addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt. » Ideo subditur : *Erant enim* (*b*) *omnes expectantes eum*, cum desiderio scilicet, quia [5] « bonum est præstolari cum silentio Salutare Dei. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. » [5] « Ipse enim erit expectatio gentium. » [6] « Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » dicit Psalmographus.

Secundo, quantum ad supplicationem cum fiducia factam a principe, subditur (v. 41) : *Et ecce venit vir, cui nomen Jairus.* Cujus nomen exprimit, quia persona erat notabilis ob principatum, juxta quod dicitur [7] : « Feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra; » vel etiam quia nomen respondebat officio et dignitati. *Jairus* enim illuminatus interpretatur, et talis debet in plebe Domini principari; unde subditur : *Et ipse princeps synagogæ erat.* [8] « Et statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum et gentis suæ, » etc. Hic autem princeps, licet esset exaltatus in gloria, ita ut ei posset competere illud [9] : « Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat; » non tamen inde est elatus per superbiam, sed humiliatus per reverentiam, attendens illud [10] : « Rectorem te posuerunt? noli extolli. » Ideo subditur : *Et cecidit ad pedes Jesu*, sciens scriptum esse [11] : « Mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. » Et in *Psalmo* [12] : « Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, » etc. Ideo autem *cecidit*, ut Christi majestatem sua honoraret reverentia [13] : « Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur; » et ut etiam imploraret pietatem cum fiducia. Unde et subdit : *Rogans eum, ut intraret in domum ejus.* Hoc faciebat cum instantia, ut posset dicere illud [14] : « Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. » Ad istam autem instantiam propellebat indigentia; quam exprimit, cum dicit (v. 42) : *Quia unica filia erat ei*, et ita multum ama- Jairus.

[1] III *Reg.*, x, 24. — [2] *Psal.* XLIV, 3. — [3] *Isa.*, XXIX, 19. — [4] *Thren.*, III, 26, 27. — [5] *Gen.*, XLIX, 10. — [6] *Psal.* XXVI, 14. — [7] II *Reg.*, VII, 9. — [8] *Eccli.*, XLV, 30. — [9] I *Reg.*, II, 8. — [10] *Eccli.*, XXXII, 1. — [11] *Isa.*, XLV, 24. — [12] *Psal.* XCIV, 6. — [13] *Eccli.*, III, 21. — [14] *Cant.*, III, 4. — (*a*) *Cæt. edit.* susceptionem lætitiæ factum.— (*b*) *Item* autem.

bilis; nam : « Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam, » dixit David [1]. Non solum autem erat amabilis, quia unica, sed etiam quia juvencula; ideo addit : *Fere annorum duodecim :* et ita revera teneriori amore amanda, secundum illud [2] : « Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum. » Et quia vita erat multum amabilis, ideo mors erat multum tristabilis. Propter quod subdit : *Et hæc moriebatur.* Quod non poterat esse sine magno dolore, qui est in luctu unicæ [3] : « Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. » Ideo Jacob dicebat de Benjamin [4] : « Non descendet, inquit, filius meus nobiscum : frater ejus mortuus est, et ipse solus remansit : si quid ei adversitatis acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. » Sic et hic dicere poterat de unica filia. Quoniam igitur Christi præsentiam adiit cum reverentia, rogavit ex confidentia, desideravit ex indigentia; ideo oratio ejus fuit exaudita, secundum illud [5] : « Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno. » Hinc est quod Dominus non reprehendit istum, qui rogabat quod iret ad domum suam, sicut regulum : quia regulus magis credebat eum infirmum posse sanare, quam mortuum suscitare; unde dixit [6] : « Domine, descende priusquam moriatur filius meus. » Hic autem credidit quod æque bene posset super utrumque : unde filiam suam quasi mortuam reputabat. Et ideo alius evangelista, scilicet Matthæus [7], introducit eum rogantem pro mortua, licet secundum Lucam et Marcum [8] aliquid superesset vitæ. Unde Augustinus, *de Concordia Evangelistarum*, dicit [9], quod Marcus et Lucas expresserunt principis verbum; Matthæus vero intellectum expressit, quia eam mortuam reputabat.

Tertio, quantum ad comitatum benevolentiæ factum a multitudine, subditur : *Et contigit dum iret, a turbis comprimebatur*, quoniam ex amoris affectu omnes volebant contingere ipsum, sicut supra [10] : « Omnis turba quærebat eum tangere. » In hoc etiam versa vice ostenditur benevolentia Salvatoris, qui etiam a multitudine vult comprimi, quasi nullum a se repellens. Ipse enim est qui dicit [11] : « Eum qui venit ad me, non ejiciam foras; » ipse [12] qui vocat Matthæum, (*a*) ait [13] : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Ipse enim est, qui ad ostium pulsat [14] : « Ecce sto ad ostium, et pulso. » Hanc compressionem facit mutuus amor, qui est copula amantis et amati; quia [15] « qui adhæret Domino, unus spiritus est. » Et in *Joanne* (*b*) [16] : « Manete in me, et ego in vobis. » Unde perfectus amor non est contentus aliquo sensu, sive contactu. Propter quod dicit sponsa [17] : « Trahe me post te, » etc. Et in *Jeremia* (*c*) [18] : « In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, » etc.

43. *Et mulier quædam erat in fluxu*, etc. Postquam ostensa est præsentia Christi desiderabilis, ostenditur potentia ejus admirabilis in mirabili curatione a fluxu sanguinis. Hanc autem curationem ostendit Evangelista processisse ex admirabili potentia : tum propter diuturnitatem morbi in muliere; tum propter impossibilitatem curandi ab arte; tum propter facilitatem remedii a Salvatore. Primo igitur, quantum ad diuturnitatem immundæ passionis in muliere, dicitur : *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Hæc erat immunda passio, et ideo cum difficultate portabilis [19] : « Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic

[1] II *Reg.*, I, 26. — [2] *Gen.*, XXXVII, 3. — [3] *Jerem.*, VI, 26. — [4] *Gen.*, XLII, 38. — [5] *Eccli.*, IV, 4. — [6] *Joan.*, IV, 49. — [7] *Matth.*, IX, 18. — [8] *Marc.*, V, 23. — [9] Aug., *de Conc. Evang.*, lib. II, c. XXVIII, n. 64. — [10] Sup., VI, 19. — [11] *Joan.*, VI, 37. — [12] *Matth.*, IX, 9. — [13] Ibid., XI, 28. — [14] *Apoc.*, III, 20. — [15] I *Cor.*, VI, 17. — [16] *Joan.*, XV, 4. — [17] *Cant.*, I, 3. — [18] *Jerem.*, XXXI, 3. — [19] *Levit.*, XV, 25. — (*a*) *Suppl.* et. — (*b*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*c*) *Item* Jeremias.

passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo. » Et erat cum difficultate sanabilis propter adhærentiam, quia jam erat inveteratus morbus [1] : « Languor prolixior gravat medicum. » Erat igitur hæc passio immunda, continua et diuturna; ideo vilis ad cohabitandum, gravis ad sustinendum, et difficilis ad sanandum. Unde poterat dicere illud [2] : « Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea. » Et illud [3] : « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea. » Hæc autem mulier secundum Ambrosium videtur fuisse Martha; ait enim : « Christus largum fluxum sanguinis siccavit in Martha, et dæmones expulit de Maria. »

Secundo, quantum ad impossibilitatem humanæ subventionis ex arte, subditur : *Quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam*, etc., propter curationis remedium, secundum consilium *Ecclesiastici* [4] : « Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. » Hoc autem dicit de honore munerum, non sermonum. Unde hæc eos honoraverat, quæ omnem substantiam expenderat. Et ideo probabile, si curabilis fuisset ægritudo, quod per artem fuisset curata : attamen ars non profuit. Unde subdit : *Nec ab ullo potuit curari.* Ita nec a natura, nec ab arte potuit ei subveniri; ut verificaretur in ea illud [5] : « Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia. » Unde nota quod natura nihil potest sine divina potentia, nec ars aliquid potest sine natura. Unde ubi natura arti non proficit, magis nocet; sicut in hac muliere, de qua dicitur [6] quod « fuerat multum perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia bona sua; nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. » Sed Lucas medicus hoc tacet, de medicis curialius loquens. Ex quo colligitur, quod medicorum ars est laudabilis, quando sequitur divinam potentiam et naturam abstractam. Unde dicitur [7] : « Da locum medico; etenim illum Dominus creavit; et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. » Sed tunc erit vituperabilis operatio medici, quando negligit considerare naturam, vel non apponit divinam potentiam, sicut dicitur de Asa [8] : « Ægrotavit etiam Asa, anno tricesimonono regni sui, dolore pedum vehementissimo : et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum; sed magis in medicorum arte confisus est. » Sequitur : « Et mortuus est, » etc.

Medicus quomodo honorandus.

Tertio, quantum ad facilitatem perfectæ curationis a Salvatore, subditur (v. 44) : *Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Accessit, quia credebat [9] : « Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. » *Retro*, quia timebat, sicut soror ejus Maria [10] : « Stans retro secus pedes Domini. » *Tetigit*, quia speravit curari; unde dicit (*a*) [11] : « Quia si vestimentum ejus tetigero, salva ero. » *Tetigit autem fimbriam vestimenti ejus*, id est, infimam partem vestimenti, reputans se immundam, et honorificans Christi potentiam, qui potest salutem dare per infima. Et quia credidit, et speravit, ideo facile obtinuit. Propterea additur : *Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.* Ex quo apparet mira Dei virtus, quæ morbum tam diuturnum et tam gravem curavit statim ad tactum unius particulæ vestimenti ipsius. Mira est ergo virtus Christi, quæ credulitate sui impossibilia facit facilia, secundum illud [12] : « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. » Et in *Joanne* (*b*) [13] : « Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. » Et in *Actibus* [14] : « Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, » etc. Si ergo

[1] *Eccli.*, x, 11. — [2] *Thren.*, iii, 4. — [3] *Psal.* xxxvii, 8. — [4] *Eccli.*, xxxviii, 1. — [5] *Sap.*, xvi, 12. — [6] *Marc.*, v, 26. — [7] *Eccli.*, xxxviii, 11. — [8] II *Paral.*, xvi, 12, 13. — [9] *Hebr.*, xi, 5. — [10] Sup., vii, 38. — [11] *Matth.*, ix, 21; v, 28. — [12] *Marc.*, ix, 22. — [13] *Joan.*, xiv, 12. — [14] *Act.*, xix, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* dicitur. — (*b*) *Item* Joannes.

tam salubre est per fidem tangere fimbriam vestimenti, quam salubre erit tenere ipsum Christum! Unde Bernardus: « Dulce satis est te, bone Jesu, quærere; dulcius tenere. » Unde sponsa [1]: « Tenui eum, nec dimittam, » etc. Dulcis utique est attactus tui, nam et ipse tactus fructu non caret. Mulier enim evangelica felici fructu attigit fimbriam Jesu; et statim stetit in illa fluxus carnalis illecebræ (*a*), carnalis delectationis, etc.

45. *Et ait Jesus: Quis est*, etc. Postquam ostensa est Christi præsentia esse desiderabilis, et potentia admirabilis, hic tertio ostenditur ejus sapientia infallibilis: et hoc tripliciter, scilicet ex deprehensione veritatis occultæ, et detectione veritatis deprehensæ, et ex approbatione veritatis detectæ. Primo ergo introducitur deprehensio veritatis occultæ a Christo per propriam inquisitionem, cum dicitur: *Et ait Jesus: Quis est qui me tetigit?* Hoc autem non dicit, ut discat; sed ut quod notum est sibi, aliis detegat, juxta quod dicitur [2]: « Palpebræ ejus interrogant filios hominum: Dominus interrogat justum et impium: » non ut ab eis aliquid addiscat; sed ut doceat quod ignorant. Unde, quia ignorant quæstionis causam, subditur: *Negantibus autem omnibus, dixit Petrus et qui cum illo erant*, id est, alii discipuli causam hujus quæstionis non intelligentes. Unde poterat eis dici illud [3]: « Adhuc et vos sine intellectu estis? » quia quæstionem illam carnaliter, non spiritualiter intelligebant: quod patet in hoc quod adducit: *Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt; et dicis: Quis me tetigit?* quasi dicat: Cum omnes te tangant indifferenter, quomodo quæris de aliquo specialiter? Unde mirantur, quomodo Christus magister et præceptor quærat quasi de dubio, quod omnibus erat in manifesto. Et ideo merito mirabantur quomodo Christus proponeret quæstionem quæ apparet stulta, cum dicatur [4]: « Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita. » Sed quia intellectum habebant carnalem, manuducendi erant ad spiritualem; propter quod addit (v. 46): *Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis*, id est aliqua persona, tactu scilicet spirituali. Et hoc probat: *Nam et ego novi virtutem de me exiisse*. Hoc dicit quantum ad effectum curationis; et sic verificatur illud [5]: « Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus. » Ostendit autem effectum egredientem ab ipso, secundum illud quod supra dicitur [6], quod « virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Nec mirum, quia dicit Apostolus [7]: « Nos prædicamus Christum, Dei virtutem, et Dei sapientiam; » et item dicit [8] quod est « portans omnia verbo virtutis suæ. »

Secundo vero adjungitur detectio veritatis deprehensæ per alienam confessionem, cum dicitur (v. 47): *Videns mulier, quia non latuit*, etc. Unde poterat dicere illud Samaritanæ [9]: « Domine, video quia propheta es tu. » Propter quod et ipsa poterat simile testimonium cum illa perhibere [10]: « Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci. » Vere iste erat alter Salomon, imo sapientior eo, de quo dicitur [11] quod « non fuit sermo qui regem posset latere; » quia ipse est de quo *Daniel* [12]: « Ipse novit in tenebris constituta, et lux cum eo est. » Et quia jam cognoverat potentiam in effectu, et sapientiam percipiebat in sermone; ideo attendebat se non posse effugere, et propterea subditur: *Tremens venit, et procidit ante pedes ejus*, ad honorificandam ejus majestatem [13]: « Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? » Et hoc cum tremore, quia solos tales respicit Deus [14]: « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » Et ideo dicitur [15]: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. » Quia vero nihil magis spectat ad honorem majestatis

[1] *Cant.*, III, 4. — [2] *Psal.* X, 5, 6. — [3] *Matth.*, XV, 16. — [4] II *Tim.*, II, 23. — [5] *Sap.*, XII, 17. — [6] Sup., VI, 19. — [7] I *Cor.*, I, 23, 24. — [8] *Hebr.*, I, 3. — [9] *Joan.*, IV, 19. — [10] Ibid., 29. — [11] III *Reg.*, X, 3. — [12] *Dan.*, I, 22. — [13] *Mich.*, VI, 6. — [14] *Isa.*, LXVI, 2. — [15] *Philip.*, II, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* illecebris.

quam manifestatio veritatis, ideo subditur : *Et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit :* quia[1] « opera Dei revelare et confiteri honorificum est. » Et ideo dicebat Angelus[2] : « Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. »

Tertio adjungitur approbatio veritatis detectæ per diffinitivam commendationem, cum subditur (v. 48) : *At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit*; quasi dicat : Juste hoc assecuta es, quia credidisti; quasi dicat : Fides fecit te salvam, secundum ilud[3] : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. » Fides etiam salvam fecit, quia[4] : « Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Unde in hoc apparet mira dispensatio nostræ salutis, quia mulier sanata totum attribuit divinæ virtuti, secundum illud[5] : « Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » Deus salvans, totum tribuit merito fidei, sicut dicitur[6] : « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. » Et quoniam inquisitione salutis per consequens fit acquisitio pacis, ideo subditur : *Vade in pace*, tanquam Dei amica et filia[7] : « Quoniam donum et pax est electis ejus. » Pax enim est illud quod Dominus omnibus optat, et omnibus optari mandat, secundum illud[8] : « In quamcumque civitatem intraveritis, » etc. Et sequitur : « Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes : Pax huic domui. » Hoc est præ aliis quod donat[9] : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » etc. Hoc est ad quod specialiter vocat[10] : « Tollite jugum meum super vos. » Et sequitur : « Et invenietis requiem animabus vestris. » Et item[11] : « Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. » De hac dicitur[12] : « Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. »

Et nota quod trium mulierum Dominus fidem commendat, quas exaudit et salvat. Commendavit Magdalenam, consimile verbum ad eam dicens[13] : « Fides tua te salvam fecit, vade in pace; » et hanc, quam hic commendat; et mulierem Chananæam, cui dixit[14] : « O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. » In his tribus mulieribus tres pœnitentiæ partes spiritualiter intelliguntur : nam prima quæ flevit, et lacrymis rigavit, dat intelligere contritionem; Chananæa, quæ clamavit, dat intelligere confessionem; hæc autem quæ tetigit vestimentum, dat intelligere satisfactionem. De Magdalena legitur[15], quod « stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare, » etc. De Chananæa dicunt discipuli[16] : « Dimitte eam, quia clamat post nos. » De ista dicitur hic quod *accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti :* per tactum autem vestimenti intelligitur imitatio sanctæ conversationis in labore. Unde nota quod legimus Christum tactum in pede a Magdalena; tactum in veste, ut hic ab hæmorrhoissa; tactum in latere, a Thoma[17] : « Affer manum tuam, et mitte in latus meum, » etc. In quo intelligitur triplex imitatio appropinquantium ad Christum, scilicet in effectu operationis bonæ, in habitu conversationis sanctæ, in tolerantia passionis acerbæ : in quibus consistit integritas satisfactionis perfectæ. Per pedum namque incessus intelligitur rectitudo operationis bonæ[18] : « Pedes eorum pedes recti. » Per vestimentum autem intelligitur honestas conversationis sanctæ[19] : « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, » etc. Talis est qui imitatur Christum[20] : « Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. » Per latus Christi vulneratum, manus et pedes

Tres pœnitentiæ partes per tres mulieres intellectæ.

[1] *Tob.*, XII, 7. — [2] Ibid., 6. — [3] *Joan.*, I, 12. — [4] *Rom.*, X, 13. — [5] Ibid., IX, 16. — [6] *Marc.*, IX, 22. — [7] *Sap.*, III, 9. — [8] *Matth.*, X, 11. — [9] *Joan.*, XIV, 27. — [10] *Matth.*, XI, 29. — [11] *Joan.*, XVI, 33. — [12] *Philip.*, IV, 7. — [13] Sup., VII, 50. — [14] *Matth.*, XV, 28. — [15] Sup., VII, 38. — [16] *Matth.*, XV, 23. — [17] *Joan.*, XX, 27. — [18] *Ezech.*, I, 7. — [19] *Apoc.*, XVI, 15. — [20] *Rom.*, XIII, 12.

perforatos, intelligitur tolerantia passionis acerbæ, secundum illud [1] : « Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea. » In iis enim Christum contingimus, cum ejus vulneribus ad tolerantiam armamur [2] : « Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. »

49. *Adhuc illo loquente*, etc. Postquam Evangelista ostendit Christum dominum corporum per sanationem hæmorrhoissæ, hic ostendit Christum dominum animarum per suscitationem puellæ. Habet autem hæc pars quatuor particulas, in quarum prima præmittitur soliditas fidei, per modum disponentis; secundo adjungitur idoneitas testimonii per modum approbantis, ibi (v. 51) : *Et cum venisset ad domum*, etc.; tertio vero sublimitas imperii per modum efficientis, ibi (v. 54) : *Ipse autem tenens manum ejus*, etc.; quarto vero notatur celebritas miraculi per modum utilitatis, ibi (v. 55) : *Et jussit illi dare manducare*. Et sic perfecte describitur miraculum quantum ad quadruplex genus causæ. Soliditas autem fidei archisynagogi describitur in duplici respectu : primo, respectu dissuasionis humanæ; et (*a*) respectu persuasionis divinæ. Per primam tentatur, et per secundam solidatur. Primo ergo, quantum ad tentationem fidei per dissuasionem humanam, dicitur : *Adhuc illo loquente*, scilicet Jesu, *venit quidam ad principem synagogæ*. Venit autem non in adjutorium, sicut Angelus bonus, ut dicitur [3] : « Ecce Michael unus de principibus primis, venit in adjutorium meum; » sed sicut malus nuntius venit ad impediendum, propter quod addit : *Dicens ei: Quia mortua est filia tua*, et ita non potet esse spes de vita. Secundum illud ait David [4] : « Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi et flevi; dicebam enim : Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivet infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejuno? numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum; ille vero non revertetur ad me. » Et ideo adjungit : *Noli vexare illum*, id est, frustra tecum ducere cum labore. Hoc quidem erat verbum non credentis Christum posse mortuum suscitare; ignorabat enim illud divinum verbum [5] : « Quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. » Unde iste nuntius non dicebat ex reverentia, sicut Centurio [6] : « Domine, noli vexari; » sed ex diffidentia, ut diceret illud *Job* [7] : « Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. »

Secundo, quantum ad roborationem fidei per suasionem divinam, subditur (v. 50) : *Jesus autem, audito hoc verbo*, quod scilicet poterat concutere mentem archisynagogi, quia secundum illud [8] : « Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima cordis : » ne ergo verbum mortis interius penetraret, opponit verbum vitæ. Et hoc est verbum solidans fidem, quia [9] : « Justus autem meus ex fide vivit; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. » Ideo additur : *Respondit patri puellæ : Noli timere*, scilicet ex diffidentia [10]; « Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. » Sic de Abraham dicitur [11] : « In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. » Et ideo subditur : *Crede tantum*, per confidentiam scilicet [12] : « Si credideris, videbis gloriam Dei. » Et ideo addit : *Et salva erit*, per divinam potentiam. Et ad hoc debebat moveri per illud quod statim ante hæc dixerat mulieri curatæ [13] : *Fides tua te salvam fecit*. Unde in hoc apparet mirabilis dispensatio Dei, quæ in miraculis suis nostram fi-

[1] *Psal.* XXI, 18. — [2] I *Petr.*, IV, 1. — [3] *Dan.*, X, 13. — [4] *Reg.*, XII, 22 et seq. — [5] *Joan.*, V, 25. — [6] Sup., VII, 6. — [7] *Job*, VII, 6. — [8] *Prov.*, XXVI, 22. — [9] *Hebr.*, X, 38. — [10] *Jac.*, I, 6. — [11] *Rom.*, IV, 20, 21. — [12] *Joan.*, XI, 40. — [13] Sup., 48.

(*a*) *Suppl.* secundo.

dem requirit ad nostrum meritum. Unde dixit cæcis petentibus illuminari [1] : « Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. » Et quia difficile erat credere mortuum suscitari ; ideo Dominus in ipso itinere miraculum fecit, per quod adjuvit fidem archisynagogi, ut sic pateat illud esse verum quod dicitur [2] : « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. »

51. *Et cum venisset*, etc. Hic secundo, post soliditatem fidei disponentis, subjungit Evangelista idoneitatem testimonii approbantis. Ad probationem autem suscitationis, requiritur testimonium de vita reddita, et de vita perdita. Ideo inducuntur testes respectu utriusque. Primo igitur, quantum ad personas idoneas ad testificandum de suscitatione miraculosa, dicitur : *Et cum venisset ad domum*, ubi scilicet puella debebat suscitari, quæ erat domus luctus, ad quam utile est ire, secundum illud [3] : « Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, » etc. Et quia non omnibus aperienda sunt Christi sacramenta, dicitur enim [4] : « Servus nescit quid faciat dominus ejus ; » ideo subditur : *Non permisit intrare secum quemquam*, secundum illud [5] : « Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. » Quia vero discipuli erant ejus amici, secundum quod dicit [6] : « Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ; » ideo non omnes excludit, sed excipit ab exclusis, cum subdit : *Nisi Petrum et Jacobum et Joannem*, qui erant discipuli principales. Unde isti assumpti sunt in transfiguratione [7] : « Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, » etc. Et quia testimonium oportet habere non tantum a domesticis, sed etiam [8] « ab his qui foris sunt, » ideo discipulis adjungit duas personas, cum dicit : *Et patrem et matrem puellæ*, ut sic [9] « in ore duorum et trium testium stet » fixum veritatis testimonium. Unde apparet quod secundum litteram est idoneitas testimonii quantum ad personas, et quantum ad numerum, quia nihil habet superfluum neque diminutum.

Secundum spiritualem intelligentiam hoc non vacat a mysterio. Nam Petrus, qui interpretatur *agnoscens*, designat fidem ; Jacobus, qui *luctator* interpretatur, designat spem ; Joannes, qui interpretatur *in quo est gratia*, charitatem : et hæ tres virtutes sunt Domino familiarissimæ, et concurrunt ad suscitationem peccatoris a morte, quæ designatur in suscitatione puellæ. Nam fides concurrit [10] : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. » Similiter spes [11] : « Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus, ut eruat a morte animas eorum. » Etiam charitas [12] : « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. » Pater autem et mater sunt legis doctores : pater, qui instruit in fide, secundum illud [13] : « In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui ; » mater, quæ fovet in moribus [14] : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. » Et de his in *Proverbiis* [15] : « Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. » Hæc autem sunt cum Christo suscitante peccatorem.

Petrus
Jacobus
Joannes

Secundo, quantum ad personas idoneas testificantes de morte naturali, subditur (v. 52) : *Flebant autem omnes, et plangebant illam tanquam mortuam*, secundum consilium *Ecclesiastici* [16] : « Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus

[1] *Matth.*, IX, 28, 29. — [2] I *Cor.*, X, 13. — [3] *Eccle.*, VII, 3. — [4] *Joan.*, XV, 15. — [5] *Eccli.*, VI, 6. — [6] *Joan.*, XV, 15. — [7] Inf., IX, 28 ; *Matth.*, XVII, 1. — [8] I *Tim.*, III, 7. — [9] *Matth.*, XVIII, 16. — [10] *Joan.*, XI, 25. — [11] *Psal.* XXXII, 18, 19. — [12] I *Joan.*, IV, 9. — [13] I *Cor.*, IV, 15. — [14] *Gal.*, IV, 19. — [15] *Prov.*, I, 8. — [16] *Eccli.*, XXXVIII, 16.

incipe plorare. » Flebant autem lacrymis, et plangebant vocibus lamentatoriis, sicut erat consuetudinis Judæorum [1] : « Contemplamini, et vocate lamentatrices, ut veniant : et ad eas quæ sapientes sunt mittite, et properent : festinent, et assumant super nos lamentum. » Vel flebant propter vitæ amissionem, et plangebant propter desperationem. Et ideo, quia excedebant, confortantur a Salvatore, cum dicit : *At ille dixit : Nolite flere :* secundum illud [2] : « Non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent. » Et ideo dicitur : *Non est mortua puella, sed dormit.* In quo non removet mortis veritatem, sed irremediabilitatem, quia poterat eam ita facile a mortuis suscitare, sicut suscitatur de somnis dormiens a vigilante. Et propterea sic dicebat [3] : « Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno exsuscitem eum ; » et sequitur : « Lazarus mortuus est, » etc. Unde Beda [4] : « Hominibus mortua, qui suscitare nequierant ; Deo dormiebat, in cujus ditione et anima recepta vivebat, et caro resuscitanda quiescebat. » Propter quod merito cantat Ecclesia in officio defunctorum : « Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus. » Et infra [5] : « Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei. » Quoniam ergo nihil Domino moritur, et præsens aderat Deus, ideo merito dicebat : « Non est mortua puella. » Sed quia [6] « animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi ; » ideo additur (v. 53) : *Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.* Qui enim certus est de aliquo, non solum non credit, sed etiam deridet persuadentem contrarium. Et quoniam divina sapientia frequenter persuadet contrarium scientiæ humanæ, hinc est quod homo per humanam scientiam irridet Deum, et sic efficitur stultus [7] : « Stultus factus est omnis homo a scientia sua. » Stulta est enim scientia, quæ deridet sapientiam [8] : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. » Et quia, secundum quod dicitur [9] : « Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus ; » ideo isti non recipiebant, sed deridebant [10] : « Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet. » Et ideo non erant idonei testes ad vitæ restitutionem, sed solum ad vitæ perditionem ; ideo fuerunt ejecti, secundum quod dicitur [11] : « Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum puellæ, » etc.

Innuit in officio mortuorum.

54. *Ipse autem tenens manum,* etc. Hic jam tertio, post soliditatem fidei et idoneitatem testimonii, subjungitur sublimitas imperii suscitantis, quantum ad potentiam præcipientem, et quantum ad efficaciam subsequentem. Primo igitur, quantum ad potentiam præcipientem, subditur : *Ipse autem tenens manum ejus,* virtutis adjutorio, secundum illud [12] : « Dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. » Et rursus poterat dicere illud [13] : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me : et cum gloria suscepisti me. » Et [14] : « Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat. » Ideo additur : *Clamavit dicens : Puella, surge,* ex imperio majestatis, sicut dicitur [15] : « Voce magna clamavit : Lazare, veni foras. » Clamor autem iste in voce exteriori designat immensitatem virtutis interioris, juxta quod in *Psalmo* dicitur [16] : « Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, » scilicet miraculi, secundum illud [17] : « Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. »

Secundo, quantum ad efficaciam subsequentem, subditur (v. 55) : *Et reversus est spiritus ejus,* per intimam conjunctionem, juxta quod dicitur [18] : « Reversa est anima pueri

[1] *Jerem.*, IX, 17, 18. — [2] I *Thess.*, IV, 12. — [3] *Joan.*, XI, 11, 14. — [4] Bed., lib. III, c. XXXIII, *in Luc.*, c. VIII. — [5] *Matth.*, XXII, 32. — [6] I *Cor.*, II, 14. — [7] *Jerem.*, X, 14. — [8] I *Cor.*, I, 20. — [9] *Prov.*, XVIII, 2. — [10] *Prov.*, XV, 5. — [11] *Matth.*, IX, 25. — [12] *Psal.* CXVII, 16. — [13] *Psal.* LXXII, 24. — [14] *Isa.*, LIX, 1. — [15] *Joan.*, XI, 43. — [16] *Psal.* LXVII, 34. — [17] I *Thess.*, IV, 15. — [18] III *Reg.*, XVII, 22.

intra eum, et revixit. » *Et surrexit continuo,* per vitalem operationem : surgere enim est operatio virtutis, sicut cadere morientis. Et nota quod puella ista in resuscitatione sua dicitur surrexisse, et adolescens [1] resedisse; Lazarus vero ligatus manus et pedes prodiisse : quia, sicut supra [2] tactum fuit, per puellam mortuam in domo, intelligitur peccatum cogitationis; per adolescentem in porta, peccatum operationis ; per Lazarum in sepulchro, peccatum consuetudinis. Et quoniam, secundum quod peccata sunt graviora, majores relinquunt sequelas ; ideo qui solum cogitatione peccavit, vivificatus continuo surgit, quia parva remanet difficultas; qui vero in opere, sedet, quia adhuc pronitas remanet; qui autem in consuetudine ligatus est, quia valde habet promptitudinem in malo ligantem, et præpedientem a bono, postquam etiam redditus fuerit vitæ, dicitur ligatus manus et pedes prodire. Secundum hoc, gravior debet imponi pœnitentia diversis.

Et jussit illi dari (*a*) *manducare.* Hic quarto et ultimo tangitur claritas miraculi manifestandi ad fidei utilitatem, et occultandi contra gloriæ vanitatem : unde primo præmittitur manifestatio utilis; secundo vero occultatio humilis. Quia, sicut Gregorius dicit [3] : « Sic debet esse opus in manifesto, ut tamen intentio maneat in occulto.» Primo ergo, quantum ad utilem miraculi ostensionem, dicitur : *Et jussit illi dari* (*a*) *manducare*, ut non phantastica, sed vera suscitatio probaretur, sicut ipse probavit suam resurrectionem infra [4] : « Habetis hic aliquid quod manducetur? » et suscitationem Lazari, quia dicitur [5] : « Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. » Ideo autem signum dat sensibus veræ suscitationis, ut mentes elevet in excelsum admirationis. Unde etiam additur (v. 56) : *Et stupuerunt parentes ejus,* quasi magnitudinem divinæ potentiæ ferre non valentes [6] : « Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo. » Stupor autem iste elevavit fidem credentium in excelso, secundum illud [7] : « Loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum : et obstupuerunt ex circumcisione fideles, » etc.

Secundo vero, quantum ad humilem occultationem, subditur : *Quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.* Volens humiliter latere, et exemplum humilitatis dare, sicut præcipit discipulis [8] : « Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Jesus dicens : Nemini dixeritis visionem, » etc. In quo ostendit nos debere velle latere in magnis factis. Unde Augustinus : « Occulta quæ agis, quantum potes; quod si ex toto non vales, sit in animo voluntas occultandi. » Et nota quod est præceptum executionis, sicut decalogus; probationis, sicut de immolando filio Abrahæ; et instructionis, sicut hic. In primo invitatur intellectus ad cognoscendum, affectus ad volendum, effectus ad exequendum; in secundo invitatur affectus, sed non effectus; in tertio tantum intellectus eruditur, non ligatur affectus, nec prohibetur effectus. Et sic intelligitur illud præceptum. Præceptum triplex.

CAPUT IX.

1. *Convocatis autem duodecim*, etc. Completis tribus partibus principalibus hujus partis, quæ est de doctrina Jesu Christi, in quibus discipuli ipsi excitati fuerunt ad audiendum, invitati ad communicandum, et instructi ad intelligendum; hic sequitur quarta pars, in qua intelligentes mittuntur ad prædicandum. Ordo autem istarum partium satis est in se manifestus. Quoniam autem quidam prædicatorum sunt in gradu superiori, quidam vero in inferiori, ideo pars ista habet duas, in quarum prima agi-

[1] Sup., VII, 15. — [2] Sup., p. 397, col. 1. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XI. — [4] Inf., XXIV, 41. — [5] *Joan.*, XII, 2. — [6] *Isa.*, XXIX, 14. — [7] *Act.*, X, 44, 45. — [8] *Matth.*, XVII, 9.

(*a*) Cæt. edit. *dare.*

tur de missione apostolorum; in secunda vero, de missione septuaginta duorum discipulorum [1] : *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos*, etc. Prima pars continet præsens capitulum, et habet tres partes, secundum tria quæ explicat Evangelista necessaria apostolis, et prælatis ad prædicandum missis : quorum primum est forma prædicandi; secundum est via proficiendi, quam explicat ibi (v. 18) : *Et factum est, cum solus esset orans*, etc.; tertium est norma præsidendi, quæ describitur ibi (v. 46) : *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum*, etc. Formam autem prædicandi dupliciter explicat : primo, sub divino præcepto; secundo vero, sub divino exemplo, ibi (v. 10) : *Et reversi Apostoli narraverunt*, etc. Quantum autem ad informationem prædicatorum per divinum præceptum, tria introducuntur ab Evangelista, scilicet auctoritas commissa, honestas injuncta, et utilitas adjuncta : ita quod primo præmittit auctoritatem tanquam præcedentem; secundo injungit honestatem quasi concomitantem, ibi (v. 3) : *Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via.* Tertio adjungit utilitatem consequentem, ibi (v. 6) : *Egressi autem circumibant*, etc. Sed quoniam verba, quantumcumque authentici prædicatoris fuerint, sunt inefficacia, nisi habeant divina testimonia, et talia sunt divina miracula : ideo in prima parte primo explicatur collatio potestatis ad miracula facienda; deinde commissio auctoritatis ad mysteria prædicanda : primum enim viam facit ad secundum. Quantum igitur ad collationem potestatis ad miracula facienda, dicit : *Convocatis autem duodecim Apostolis*, tanquam scilicet principalibus prælatis electis ex omnibus aliis, secundum quod dicitur [2] : « Vocavit Jesus discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. » Istis ergo convocatis, id est, in unum vocatis ad unitatem commendandam, datur Spiritus sanctus, secundum quod dicitur [3] : « Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, » etc. Unde [4] : « Dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, et descendam et loquar tibi; et auferam de spiritu tuo, tradamque eis. » Sic nunc facit; unde subditur : *Dedit illis virtutem, et potestatem*, ita quod virtus sit respectu spiritualium, et potestas respectu corporalium. Propter quod, ad explicationem hujus, subjungit : *Super omnia dæmonia*, ut hoc referatur ad virtutem; *et languores curarent*, ut hoc referatur ad potestatem : et per hoc haberent duplex genus testimonii secundum duplex creaturæ genus, scilicet corporalis, et spiritualis. Et hoc est quod ipsis expresse dicitur [5] : « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. » Ita ut vere impleatur illud [6] : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. »

Quantum autem ad commissionem auctoritatis ad mysteria prædicanda, subdit (v. 2) : *Et misit illos prædicare regnum Dei.* In missione namque auctoritas designatur, sine qua nullus debet prædicare; unde : « Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? » sicut scriptum est [7]. Unde et Isaias non audebat prædicare, nisi mitteretur [8] : « Ecce ego, mitte me. Et dixit Dominus : Vade, et dices populo huic, » etc. E contra de pseudoprophetis [9] : « Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. » At non tales erant Apostoli, quia ideo apostoli nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim *missus* interpretatur; missi autem fuerunt ad prædicandum, secundum illud [10] : « Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. » Fuerunt ad prædican-

[1] Inf., x, 1. — [2] Sup., vi, 13. — [3] *Act.*, ii, 1. — [4] *Num.*, xi, 16, 17. — [5] *Matth.*, x, 8. — [6] *Psal.* lxvii, 12. — [7] *Rom.*, x, 15. — [8] *Isa.*, vi, 8, 9. — [9] *Jerem.*, xxiii, 21. — [10] I *Cor.*, i, 17.

dum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet regnum Dei. Per quod potest intelligi doctrina veritatis, juxta illud [1] : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » Potest etiam dici gratia Spiritus sancti, secundum illud [2] : « Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritn sancto. » Infra [3] : « Ecce enim regnum Dei intra vos est. » Potest etiam dici gloria æterna, juxta illud [4] : « Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » Omnibus his modis Apostoli sunt missi prædicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam, et æternam gloriam. Et quia propter auctoritatem prædicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit : *Et sanare infirmos*, scilicet misit ad confirmationem veritatis prædicare secundum illud [5] : « Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Unde signum missionis spiritualis prædicationis ad prædicandum, est sanatio audientium a morbis vitiorum.

Regnum Dei.

Tria sunt signa quibus probatur, num prædicator a Deo sit missus.

Tria autem sunt signa evidentia quibus probatur utrum prædicator a Domino sit missus ad Evangelium prædicandum. Primum est auctoritas mittentis, cujusmodi est Pontificis et maxime Pontificis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi; unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona quæ mittitur, quando scilicet principaliter quærit Dei honorem et animarum salutem. Tertium est fructificatio, et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris; per secundum, Filii; per tertium, Spiritus sancti. De primo [6] : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, » etc. *Lucas* [7] : « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. » Unde dicebat Petrus Ananiæ [8] : Non es mentitus hominibus, sed Deo, » etc. De secundo [9] : « Non enim nosmetipsos prædicamus, » etc. Et item [10] : « Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. » De tertio [11] : « Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » Et qui sic mittitur, potest dicere illud [12] : « Spiritus Domini super me, eo quo unxerit me, » etc.

3. *Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via.* Post explicationem auctoritatis commissæ, subditur descriptio honestatis injunctæ. Hæc autem consistit in tribus, scilicet in paupertate victus, tenuitate vestitus, et humilitate convictus. Primo ergo, quantum ad paupertem in victu, dicitur : *Et ait illos : Nihil tuleritis in via*, occasione scilicet temporalis sustentationis, ut exemplo prædicetis illud [13] : « Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. » Et ut magis innotescat, descendit ad speciale, cum subdit : *Neque virgam*, scilicet ad sustentandum; *neque peram*, ad reponendum; *neque panem*, ad manducandum; *neque pecuniam*, ad emendum. In quo est prohibitio omnis præsidii temporalis, ut ostendatur quod prædicator ex magnitudine spei soli Deo debet inniti, secundum illud [14] : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » Unde etiam beatus Franciscus, quando mittebat fratres ad prædicandum, dicebat eis illud [15] : « Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. » In hoc autem non prohibet, ut dicit Augustinus, studiosam providentiam, sed curiosam sollicitudinem, secundum illud [16] : « Nolite solliciti esse in crastinum : crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi : sufficit diei malitia sua. » Et ideo, ad hujns præcepti rectam intelligentiam, quod unus evangelista, scilicet Lucas, negat, alter affirmat, scilicet Marcus, a quo dicitur [17] : « Et

[1] *Matth.*, XXI, 43. — [2] *Rom.*, XIV, 17. — [3] Inf., XVII, 21. — [4] *Joan.*, III, 3. — [5] *Marc.*, XVI, 20. — [6] *Psal.* XLIV, 17. — [7] Inf., X, 16. — [8] *Act.*, V, 4. — [9] II *Cor.*, IV, 5. — [10] Ibid., XII, 14. — [11] *Joan.*, XV, 16. — [12] *Isa.*, LXI, 1. — [13] I *Tim.*, VI, 7. — [14] I *Petr.*, V, 7. — [15] *Psal.* LIV, 23. — [16] *Matth.*, VI, 34. — [17] *Marc.*, VI, 8.

præcepit eis Jesus, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. » Super quo dicit Augustinus, *de Concordia Evangelistarum* [1] : Utrumque præceptum est a Domino, ut nihil nisi virgam ferrent, et ut neque virgam ferrent. Virgam non ferre est sollicitum non esse; nihil nisi virgam ferre, est uti concessa prædicatoribus accipiendi potestate, ut [2] : « In eadem domo manere, edentes et bibentes quæ apud illos sunt. » Litteralis autem observantia hujus præcepti est exemplum perfectorum prædicatorum, perfecte Christum imitantium, in quorum persona Petrus dicit [3] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » Sed spiritualis observantia ad omnes se extendit, ut prædicator veritatis sit contemptor terreneitatis; alioquin, si annuntiant verbum Dei cupidate lucri, non sunt discipuli Christi, sed Balaam harioli, secundum illud [4] : « Cor exercitatum in avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam, » id est paupertatis : « de qua hi erraverunt secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. » Unde prædicator veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis; alioquin non erit prædicator veritatis, sed adulator. Propter quod dicit Apostolus [5] : « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est. » Sciebat enim quod ex hoc iram Dei provocaret, sicut dicitur [6] : « Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, » etc. Et ob hanc causam subditur : « Sion quasi ager arabitur, » etc.

Secundo, quantum ad tenuitatem in vestitu, subditur : *Neque duas tunicas habeatis*, ut sic concordet doctrina Magistri doctrinæ Præcursoris, secundum illud [7] : « Qui habet duas tunicas, det non habenti; » et secundum illud Apostoli [8] : « Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. » In hoc autem quod non prohibet simplex vestimentum, sed duplex, concedit necessitatem, et vetat curiositatem et superfluitatem : curiositatem in imitatione, et superfluitatem in possessione. Unde Beda [9] : « Simplex vestimentum est quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci vel temporis; duplex quod est ultra necessitatem. » Et hoc manifestum est in ipso Domino, qui [0] præter tunicam inconsutilem, habuit alia vestimenta, quæ fuerunt divisa. Secundum spiritualem autem intelligentiam prohibetur duplicitas simulationis, et hypocrisis, ne aliam vestem habeant in occulto, et aliam in aperto; ne sint de illis de quibus dicitur [1] : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Hoc similiter declinans beatus Franciscus, cum infirmaretur, noluit frustum pellis ponere intrinsecus (*a*) ante pectus, nisi etiam poneret exterius (*a*). B. Franciscus.

Tertio vero, quantum ad humilitatem in convictu, subjungit (v. 4) : *Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete,* contenti scilicet existentes illo hospitio. *Et inde ne exeatis*, propter melius requirendum, quia, sicut dicitur [2] : « Vita nequam hospitandi de domo in domum, » etc. Mutatio namque hospitii testatur impatientiam, quæ pro modica causa movetur, et non potest quiescere, secundum illud [3] : « Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit, » etc. Et hoc maxime vitandum est a prædicatore, quia secundum illud [4] : « Doctrina viri per patientiam noscitur; » et ideo Ambrosius [5] : « Alienum est a prædicatore cursitare per domos, et immobilis hospitii jura violare. » Hujus autem inconstantiæ et

[1] Aug., *de Conc. Evang.*, lib. II, c. XXX, n. 71 et seq. quoad sensum. — [2] Inf., X, 7. — [3] *Matth.*, XIX, 27. — [4] II *Petr.*, II, 14, 15. — [5] I *Thess.*, II, 5. — [6] *Mich.*, III, 11, 12. — [7] Sup., III, 11. — [8] I *Tim.*, VI, 8. — [9] Bed., lib. III, *in Luc.*, c. IX. — [10] *Joan.*, XIX, 23, 24. — [11] *Matth.*, VII, 15. — [12] *Eccli.*, XXIX, 31. — [13] *Jerem.*, XIV, 10. — [14] *Prov.*, XIX, 11. — [15] Ambr., *in Luc.*, lib. VI, n. 66. — (*a*) *Forte leg. ordine inverso* exterius... intrinsecus.

impatientiæ mater est superbia, quæ cum nullo potest in pace cohabitare, secundum illud [1] : « Inter superbos semper jurgia. » Et quoniam veræ humilitatis est nullius societatem recusare, nec etiam alii onerosum esse, ideo ad perfectionem humilitatis subditur (v. 5) : *Et quicumque non receperint vos,* despiciendo scilicet vestram doctrinam, sicut illi qui etiam Dominum non receperunt [2] : « In propria venit, et sui eum non receperunt. » Et quia hoc est magnum delictum, cui non est communicandum, ideo subdit : *Exeuntes de civitate illa,* declinando scilicet eorum nequitiam, juxta illud [3] : « Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. » Et *Isaias* [4] : « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. » Et *Jeremias* [5] : « Relinquite civitates, et habitate in petra. » Et hoc, ne inquinentur sordibus alienis; propter quod addit : *Etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos*, ad ostendendum scilicet vestram innocentiam. Hoc fecerunt Barnabas et Paulus, de quibus dicitur [6], quod « excusso pulvere pedum suorum, venerunt Iconium. » Pulverem autem de pedibus excutere, est nihil de vana hominum gloria permittere suis affectibus adhærere. Vana enim gloria recte per pulverem designatur, quæ elevatur per ventum, secundum illud *Psalmi* [7] : « Erit tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. »

Pulverem pedum excutere, quid.

6. *Egressi autem circumibant,* etc. Post auctoritatem commissam et honestatem injunctam, subjungit hic tertio Evangelista utilitatem adjunctam. Quadruplex autem utilitas ostenditur ad prædicationem Apostolorum subsecuta, scilicet excitatio hominum ad audiendum, excitatio audientium ad conferendum, excitatio conferentium ad admirandum, excitatio admirantium ad conspiciendum. Primum ergo, quantum ad excitationem hominum ad audiendum, dicitur : *Egressi autem circumibant per castella evangelizantes et curantes ubique*, ita ut jam inciperet impleri illud [8] : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Licet enim non omnes doctrinam eorum caperent, tamen propter miracula volebant doctrinam audire. Unde dicitur [9] : « Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes et videntes signa quæ faciebat. » Et ideo isti non solum prædicabant; sed etiam ubique curabant, ut omnes studio eorum et verbo et signo excitarentur ad audiendum. In quo explicatur non solum auditorum utilitas, sed et prædicatorum fidelitas. Quia enim *circumibant*, ostenduntur immunes ab otiositate; quia *per castella*, immunes ab elatione; quia *evangelizantes*, immunes a nugacitate; quia *curantes ubique,* immunes a personarum acceptione. Et ideo finem habebant in se, qui est sufficiens ad persuasionem, et auditorum excitationem. Et hic est primus finis et generalis.

Secundus finis, sive utilitas specialis, est excitatio audientium ad conferendum. Quantum ad hanc dicitur (v. 7) : *Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo,* ita quod fama nominis Christi non solum per Apostolos deferebatur ad plebes, sed etiam ad reges, sicut de Paulo dicitur [10] : « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. » Unde jam auditores poterant dicere illud, quod dixerunt Gabaonitæ Josue [11] : « Audivimus famam potentiæ Dei tui, cuncta quæ fecit in Ægypto, et duobus principibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erant in Astaroth. Dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ : Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum. » Et ex hoc auditu excitatus est ad inquirendum, et

[1] *Prov.*, XIII, 10. — [2] *Joan.*, I, 11. — [3] *Num.*, XVI, 26. — [4] *Isa.*, LII, 11. — [5] *Jerem.*, XLVIII, 28. — [6] *Act.*, XIII, 15. — [7] *Psal.* I, 4. — [8] *Psal.* XVIII, 5. — [9] *Act.*, VIII, 6. — [10] Ibid., IX, 15, 16. — [11] *Jos.*, IX, 9-11.

ad dubitandum propter varietatem opinantium. Unde subditur : *Et hæsitabat, eo quod diceretur* (v. 8) *a quibusdam : Quia Joannes surrexit a mortuis.* Et huic opinioni magis adhærebat Herodes. Unde [1] : « Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. » Hæc autem opinabatur propter eminentiam sanctitatis vitæ, quia, sicut dicitur[2] : « Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum. » Huic autem opinioni non firmiter adhærebat : ideo dicitur quod *hæsitabat,* id est, vacillabat, secundum illud Jacobi [3] : « Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. » Et hoc erat propter alias opiniones; unde subdit : *A quibusdam vero : Quia Elias apparuit,* dicebatur scilicet. Et hæc opinio videbatur probabilis propter eminentiam potestatis [4] : « Surrexit Elias propheta, quasi ignis. » Et sequitur : « Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. » Et hæc opinio credibilior videbatur, quia, sicut dicitur [5], « Joannes quidem signum fecit nullum. » Unde Christus faciens miracula magis videbatur Elias; sed tamen huic non omnes assentiebant; propter quod addit : *Ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit.* Et hæc opinabantur propter notitiam veritatis, quia secundum illud[6] : « Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. » Et sic patet quod triplex erat opinio, propter triplicem excellentiam quam audiebant de Christo, scilicet sanctitatis, potestatis, et notitiæ veritatis. Et ideo invicem conferebant; et quidam hoc, et quidam illud credebant.

Tertius autem finis fuit excitatio conferentium ad admirandum; ideo subdit (v. 9): *Et ait Herodes : Joannem ego decollavi,* tanquam scilicet hominem mortalem et passibilem. Hunc decollaverat Herodes propter Joannis veritatem, et Herodis malignitatem; secundum quod dicitur [7] : « Dicebat Herodi Joannes : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. » Et sequitur postea, quod ob hanc causam eum « decollavit. » Et ita ex ipsa morte judicabat (*a*) in Joanne, quantumcumque magnus prædicaretur, infirmitatem esse. Et propterea ex hac comparatione admirabatur Christi virtutem; unde subdit : *Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* id est, tam magna mirabilia; unde poterat dicere [8] : « Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es qui facis mirabilia : » qualia scilicet non erant audita, secundum illud [9] : « A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. »

Quartus finis fuit excitatio admirantium ad conspiciendum; propter quod subditur : *Et quærebat videre eum.* Libenter enim videmus quod admiramur. Hoc tamen non est tunc assecutus, secundum quod dicitur [10] : « Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, » etc. Hoc etiam non fuit assecutus, quia studiose quæsivit. Unde in *Proverbiis* [11] : « Quærit derisor sapientiam, et non invenit. » Unde valde sollicite est considerandum qualiter debet Deus quæri, ut possit a quærentibus inveniri et videri.

10. *Et reversi Apostoli,* etc. Post informationem Apostolorum factam per verbum sive præceptum, sequitur hic informatio eorumdem per factum, sive per exemplum. Habet autem hæc pars partes duas, in quarum prima informat per exemplum familiare; in secunda vero per figurale, ibi (v. 12) : *Dies autem cœperat declinare,* etc. Primum attenditur in turbarum eruditione spirituali; secundum in eorum refectione corporali, quæ formam et figuram gerit refectionis spiritualis. Spiritualis autem eruditio turba-

[1] *Matth.*, XIV, 1. — [2] *Marc.*, VI, 20. — [3] *Jac.*, I, 6. — [4] *Eccli.*, XLVIII, 1, 4. — [5] *Joan.*, V, 41. — [6] *Amos*, III, 7. — [7] *Matth.*, XIV, 4, 10. — [8] *Psal.* LXXVI, 15. — [9] *Joan.*, IX, 32, 33. — [10] Inf., X, 24. — [11] *Prov.*, XIV, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* judicat.

rum a Domino, in qua tribuitur forma prædicatoribus in docendo fidelem populum, explicatur quantum ad quatuor, quæ requiruntur in prædicando. Primum est fidelitas consortii; secundum est opportunitas loci; tertium, docilitas populi; quartum autem, affabilitas magistri: ut sic nihil desit verbo Dei nec ex parte assistentium, nec ex parte adversantium, nec ex parte audientium, nec ex parte docentium, quin verbum Domini habeat debitum effectum. Primo igitur, quantum ad fidelitatem consortii, dicitur: *Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt.* In quo apparet illorum fidelitas, quia ad divinum consortium celeriter redierunt. Unde fuerunt non sicut corvus de quo in *Genesi* [1]: « Qui egrediebatur, et non revertebatur; » sed sicut columba de qua dicitur, quod « cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam, » tanquam fidelis amica. Sic et Apostoli columbina simplicitate præditi, sunt ad Christum celeriter reversi, tanquam fideles nuntii. Apparet etiam eorum fidelitas, quia nihil Deo celaverunt; sed *narraverunt ei quæcumque fecerunt*; non ut Dominum erudirent, quem nihil latet; sed ut ostenderent se etiam nolle latere, si latere possent. Diversum dicitur [2]: « Væ qui profundi esti corde, ut a Domino abscondatis consilium, » etc. Vel ideo *narraverunt*, ut de nobis factis non quærerent sibi gloriam, sed omnia referrent in Deum, secundum illud [3]: « Omnia in gloriam Dei facite, sine offensione, » etc. Contra illos qui dicunt illud [4]: « Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia. »

Secundo vero, quantum ad opportunitatem loci, subditur (*a*): *Et assumptis illis*, tanquam fidelibus ad consortium, *secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ*, tanquam ad locum quietum et tranquillum. Unde dicit eis Dominus [5]: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. » Et hic locus est aptus eruditioni, secundum illud *Oseæ* [6]: « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Hic autem locus desertus erat juxta stagnum Genezareth; quod apparet ex hoc quod dicitur (*b*): *Bethsaidæ.* Est autem Bethsaida civitas Andreæ et Petri, sicut dicitur [7]. Et nota quod non dicit *Bethsaidam*, quasi juxta illam civitatem, vel in civitate; sed *Bethsaidæ*, quia remotus erat locus in confinibus civitatis Bethsaidæ. Unde dicitur [8] quod post saturationem quinque millium virorum, « coegit discipulos suos ascendere in navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam. » Unde non est contrarietas; sed unus explanavit, quod alter tacuit. Bethsaida.

Tertio vero, quantum ad docilitatem populi, adjungitur (*c*) (v. 11): *Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum*, ut scilicet doctrinam ejus exciperent, quem desiderabant, secundum illud [9]: « Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. » Unde Beda in Glossa [10]: « Secutæ sunt non in jumentis, non in vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent. » Unde dicitur [11]: « Et cognoverunt multi: » et pedestres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc. Ratio autem hujus redditur, ubi dicitur [12]: « Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant (*d*) signa quæ faciebat, » etc.

Quarto vero, quantum ad affabilitatem Magistri, subjungitur (*e*): *Et excepit eos.* In quo ostenditur benignitas Christi in signo; ad quam nos hortatur Apostolus [13]: « Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. » Nec tantum in signo, sed et in verbo; unde additur (*f*): *Et loquebatur illis de regno Dei*, quasi sermone affabili et familiari, ut vere ostendatur impletum il-

[1] *Gen.*, VIII, 7, 9. — [2] *Isa.*, XXIX, 15. — [3] I *Cor.*, X, 31. — [4] *Deut.*, XXXII, 27. — [5] *Marc.*, VI, 31. — [6] *Ose.*, II, 14. — [7] *Joan.*, I, 44. — [8] *Marc.*, VI, 45. — [9] *Ose.*, VI, 3. — [10] Bed., lib. III, c. XXXV, *in Luc.*, c. IX, quoad sensum. — [11] *Marc.*, VI, 54. — [12] *Joan.*, VI, 1. — [13] *Rom.*, XV, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* subdit. — (*b*) dicit. — (*c*) adjungit. — (*d*) videbat. — (*e*) subjungit. — (*f*) addit.

lud [1] : « Narrabo nomen tuum fratribus meis, » etc. Licet autem loqueretur affabiliter, non tamen inutiliter, non carnaliter; quia de regno Dei, non de mundo. Unde [2] : « Si quis loquitur, tanquam sermones Dei. » Et item [3] : « Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est. » Sequitur : « Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. » Et item dicit Petrus [4] : « Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. » Nec tantum se exhibuit affabilem verbo et signo, sed etiam facto; unde subditur : *Et eos qui cura indigebant, sanabat.* In quo ostenditur perfectio dilectionis, de qua *Joannes* [5] : « Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » Quia : « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? » Talem enim consuetudinem habuit Christus; unde dicitur de eo quod [6] « pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, » non solum bene loquendo. Unde in hoc eruditur prædicator, seu prælatus, ut se benignum exhibeat ovibus suis, scilicet signo, verbo et facto. In cujus rei signum dictum est ter Petro [7] : « Pasce oves meas, » etc.

12. *Dies autem cœperat declinare,* etc. Post informationem discipulorum per exemplum familiare, subditur informatio per factum figurale; et hoc in turbarum refectione, circa cujus expressionem duo introducuntur ab Evangelista : primum est opportunitas ex parte indigentiæ multitudinis; secundum est liberalitas ex parte misericordiæ Salvatoris, et hoc ibi (v. 14) : *Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia,* etc. Opportunitas ex parte indigentiæ multitudinis exprimitur quantum ad quatuor, scilicet quantum ad tarditatem diei, quantum ad sterilitatem loci, quantum ad paucitatem cibi, et quantum ad numerositatem populi. Et sic conficitur ista opportunitas ex circumstantia temporis, loci, quantitatis cibi, et personarum. Primo ergo, quantum ad diei tarditatem, dicitur : *Dies autem cœperat declinare*; et ita tempus erat sumendi refectionem, sicut dicitur [8] : « Quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. » In quo etiam apparet mira turbarum devotio, quæ, propter auditum divini verbi, oblitæ essent corporalis cibi. Similiter (*a*) legitur [9] quod Paulus « protraxit sermonem usque ad mediam noctem. »

Secundo vero, quantum ad loci sterilitatem, subditur : *Et accedentes duodecim, dixerunt illi : Dimitte turbas.* Et ad hoc persuadendum movebat loci sterilitas; unde subditur (*b*) : *Ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant et inveniant escas*, ne scilicet fame pereant. Et hoc est consilium sanum, quod fecerunt filii Israel [10] : « Descendentes fratres Joseph decem ut emerent frumenta in Ægypto. » Sic etiam Apostoli [11] : « Discipuli autem Jesu abierant in civitatem, ut cibos emerent. » Sic et isti consulebant nunc propter loci sterilitatem et penuriam; unde et subdunt : *Quia hic in loco deserto sumus*, ubi est defectus cibi, secundum illud [12] : « Cur induxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? » Et quia difficile est invenire refectionem in deserto; ideo dicebant illud *Psalmi* [13] : « Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ? » Hæc dicebant increduli, detrahentes divinæ potentiæ; sed Apostoli dicebant consulendo humanæ indigentiæ, quia nolebant Dominum tentare.

Tertio vero, quantum ad cibi modicitatem, subditur (v. 13) : *Ait autem ad illos : Vos date illis manducare;* vos, tanquam eorum prælati, secundum illud [14] : « Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei. » Hoc autem dicit, ut ex eorum responsione cognoscatur cibi modicitas; propter quod additur :

[1] *Psal.* XXI, 23. — [2] I *Petr.*, IV, 11. — [3] *Joan.*, III, 31, 34. — [4] Ibid., VI, 69. — [5] I *Joan.*, III, 18, 17. — [6] *Act.*, X, 38. — [7] *Joan.*, XXI, 15-17. — [8] Inf., XXIV, 29. — [9] *Act.*, XX, 7. — [10] *Gen.*, XLIII, 20. — [11] *Joan.*, IV, 8. — [12] *Exod.*, XVI, 3. — [13] *Psal.* LXXVII, 19. — [14] I *Petr.*, V, 2.

(*a*) *Cœl. edit.* simile. — (*b*) *Item* subdit.

At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces. Ex quo apparet discipulorum inopia, non solum ad reficiendam turbam, sed etiam ad propriam famem mitigandam. Et ut magna ostendatur inopia, Joannes exprimit genus panum; dicitur enim [1]: « Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? » Similes erant in hoc illi viduæ, cujus farinam multiplicavit Elias [2]: « Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. » Et item dixit minister Elisæo [3]: « Quantum est hoc, ut apponam coram centum viris? » Similiter responderunt hic Apostoli, vel Andreas in persona omnium, sicut dicit Joannes; vel ipse prius, et post alii: et sic non est contrarietas. Qualitercumque dicta sint hæc verba, ostendunt impotentiam discipulorum ad reficiendam turbam. Ne tamen hæc crederentur dicere non propter impotentiam, sed propter pigritiam, ideo offerunt obsequium ad emptionem ciborum, cum adjungunt: *Nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas.* Et hoc quidem potest esse verbum offerentium obsequium, juxta illud [4]: « Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare. » Vel potest esse verbum ostendentium impotentiam ad reficiendum, non solum quantum ad panes habitos, verum etiam quantum ad pretium. Unde dicitur [5]: « Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. » Et quidam de discipulis dixerunt uno modo, quidam alio. Et Joannes exprimit unum, Marcus alium; Lucas vero in prædicto sermone includit utrumque: quod patet ex ipsa sermonis varia prolatione.

Quarto vero, quantum ad populi numerositatem, subditur (v. 14) : *Erant autem fere viri quinque millia;* at per hoc tanta multitudo, ut pro uno pane essent mille viri. Unde viros nominat et numerat; ex quo apparet quanta erat reliquorum turba præ sui multitudine non numerata. Unde Matthæus dicit [6] quod « manducantium fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. » Ideo autem numerum exprimit, quia propter *quinque* competebat legi quæ homines sensibiles et carnales informabat; propter perfectionem autem millenarii competebat ad susceptionem doctrinæ perfectionis evangelicæ. *Ait autem ad discipulos*, etc. Post opportunitatem ex parte indigentiæ multitudinis, subdit hic liberalitatem ex parte munificentiæ Salvatoris. Manifestatur autem Salvatoris liberalitas in quatuor : in convivantium ordinatione, victualium multitudine, ministrantium urbanitate, manducantium saturitate : ut sic ostendatur perfecta liberalitas per ordinem discumbentium, multitudinem victualium, promptitudinem ministrantium, et plenitudinem manducantium. Primo, quantum ad discumbentium ordinationem, dicitur : *Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.* (v. 15) *Et ita fecerunt.* Decet enim magnificum et liberalem Dominum, ordinem attendere in disponendo, juxta quod dicitur [7] : « Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, » etc., « non habebat ultra spiritum. » Hæc autem fuit dispositio ordinationis cum determinatione numeri; unde dicitur [8] quod « discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos : » quinquagesies enim centum sunt quinque millia. Ideo autem exprimitur numerus quinquagesimus, quia per quinarium magis competebat legi, et etiam in quinario erant panes refectionum. Ex hoc autem ostendit Christus suam miram sapientiam, qua numerum virorum præsciebat, et discipulis ex sessione notificabat. Nec mirum, quia ipse

[1] *Joan.*, VI, 9. — [2] III *Reg.*, XVII, 12. — [3] IV *Reg.*, IV, 43. — [4] *Marc.*, VI, 37. — [5] *Joan.*, VI, 7. — [6] *Matth.*, XIV, 24. — [7] III *Reg.*, X, 5. — [8] *Marc.*, VI, 40.

erat, de quo dicitur[1] : « Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. »

Secundo vero, quantum ad victualium multitudinem, dicitur (v. 16) : *Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit* (a) *in cœlum, et benedixit illis.* In qua benedictione fuit panum multiplicatio, juxta illud[2] : « Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram. » Et in *Genesi* dixit ad Jacob Laban[3] : « Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te. » Ideo autem benedicendo respexit in cœlum, ut ostenderet quod talis multiplicatio non erat virtute terrena sibi tradita, sed cœlesti virtute sibi reservata in prioribus causis; de qua in *Psalmo* dicitur[4] : « Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. » Et nota quod dicitur : « Respexit et benedixit : » Respexit quidem ex humanitate; et benedixit ex divina virtute[5] : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. »

Tertio vero, quantum ad ministrantium urbanitatem, subditur : *Et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.* Ipsi enim erant nobiles Christi ministri et dispensatores, et prompti ad serviendum, secundum illud[6] : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. » Decet enim nobilem dominum nobiles habere ministros, secundum illud[7] : « Sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. » In curia autem Jesu Christi nobiliores ministrant et serviunt, sicut dicitur[8] : « Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. »

Quarto vero, quantum ad manducantium saturitatem, dicitur (v. 17) : *Et manducaverunt omnes, et saturati sunt*, ita ut verificaretur illud[9] : « Edent pauperes et saturabuntur; et laudabunt Dominum qui requirunt eum, » etc. Et illud[10] : « Manducaverunt et saturati sunt nimis; » saturati, inquam, saturitate justitiæ, de qua[11] : « Justus comedit, et replet animam suam. »[12] « Beati (enim) qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur, » non saturitate avaritiæ, de qua dicitur[13] : « Saturitas divitis non sinit eum dormire; » quia sic saturatur, ut semper famescat. Et quoniam divina abundantia excedit nostram indigentiam, ideo subditur : *Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.* In quo ostenditur magnitudo superabundantiæ ex continentia vasorum et numero, quia duodenarius est primus numerus abundans, secundum quod tradit arithmetica. Et sic impletum est illud, in cujus figura dixit Elisæus de paucis panibus[14] : « Hæc enim dicit Dominus : Comedent, et supererit. Posuit itaque coram eis; qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini. »

Duodenarius est primus numerus abundans.

Sed ibi non determinatur mensura tantæ abundantiæ, sicut hic; et hoc propter majorem Evangelii perfectionem et abundantiorem, secundum illud[15] : « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Vel propter mysterium : isti enim duodecim cophini signant duodecim Apostolos. Cophini sunt vasa humilia; et hi repleti sunt fragmentis quinque panum hordeaceorum, id est, doctrina quinque librorum Moysi, de quibus[16] : « In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, » etc. Ex quo datur forma prædicantibus, ut non nova et de cordibus suis adinveniant, quia Dominus non creavit novos panes ad reficiendam turbam; sed sicut Dominus multiplicavit divina benedictione quinque panes hordeaceos, sic omnis abundantia veræ doctrinæ sumi debet ex funda-

Prædicandi forma.

[1] *Sap.*, XI, 21. — [2] *Gen.*, I, 22, 28. — [3] Ibid., XXX, 27. — [4] *Psal.* CXXXIV, 6. — [5] *Psal.* CXX, 1. — [6] I *Cor.*, IV, 1. — [7] *Esth.*, L, 8. — [8] Inf., XXII, 26. — [9] *Psal.* XXI, 27. — [10] *Psal.* LXXVII, 29. — [11] *Prov.*, XIII, 25. — [12] *Matth.*, V, 6. — [13] *Eccle.*, V, 11. — [14] IV *Reg.*, IV, 43, 44. — [15] *Matth.*, V, 20. — [16] I *Cor.*, XIV, 19.

(a) Cæt. edit. *suspexit*.

mento sacræ Scripturæ, multiplicanda per orationem qua in cœlum respicitur, et devotione qua benedicitur, et meditatione qua frangitur, et prædicatione qua distribuitur et explicatur. Doctrina enim catholica primo sumenda est de sacra Scriptura per lectionem, cujus verba sunt panes [1] : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Sed lectioni debet adjungi oratio [2] : « Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. » Quærimus legendo, petimus orando, pulsamus manu operando. Orationi debet adjungi devotio et gratiarum actio. Unde [3] : « Orationi instate, vigilantes in ea in (*a*) gratiarum actione. » Unde item [4] : « Aspiciens in cœlum benedixit et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. » Devotioni jungenda est meditatio, et veritatis explicatio, quæ non est aliud quam fractio panis [5] : « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. » Et tunc distribuitur, quando pro capacitate audientium ministratur [6] : « Distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera. » Et ex hoc audientes saturantur, secundum illud [7] : « Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. » Et sic patet quod Dominus prædicatores informat non solum exemplo proprio et familiari, sed et mystico et figurali. Plus enim fecit Dominus hoc miraculo ad informationem mentium, quam ad refectionem corporum; quoniam, sicut dicitur [8] : « Parcis omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui animas animas. »

18. *Et factum est, cum solus,* etc. Postquam Evangelista expressit formam prædicandi, in parte ista exprimit viam proficiendi. Ad profectum autem ista duo consideranda concurrunt, scilicet asperitas viæ, in qua consistit meritum; et suavitas patriæ, in qua consistit præmium. Ideo post expressionem asperitatis viæ, exprimit secundo Evangelista suavitatem gloriæ, ibi : *Factum est autem post hæc verba,* etc. Via autem ad patriam potissime in duobus consistit, scilicet in perfecta cognitione Christi per fidem, et perfecta imitatione per crucem. Ideo primo insinuatur nobis qualiter Christus per fidem est cognoscendus; secundo vero, qualiter per crucem est imitandus, ibi (v. 23) : *Dicebat autem ad omnes : Si quis,* etc. Quantum ad primum, notandum quod perfecta notitia fidei in quatuor consistit, scilicet in approbatione divini honoris, reprobatione humani erroris, confessione Christi Mediatoris, et consideratione mysterii redemptionis. Ad perfectam enim fidem concurrit approbatio religionis, detestatio superstitionis, confessio patens, et contemplatio latens. Via a patriam

Primo igitur, quantum ad approbationem divini honoris, dicitur : *Et factum est, cum solus esset orans,* ut Deo Patri debitum cultum et reverentiam exhiberet, et ostenderet exhibendum; quæ potissime exhibetur in oratione, juxta illud [9] : « Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate : Nam et Pater tales quærit. » Unde in *Psalmo* [10] : « Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. » Quoniam autem hæc reverentia debet carere omni ostentatione, ideo dicitur quod solus erat orans, secundum illud [11] : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, » etc. Carere etiam debet omni inquietatione; ideo etiam solus orabat, secundum illud [12] : « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se, » ne scilicet aliquo strepitu retrahatur. Et ideo dicitur [13] quod, « dimissa turba, ascendit in montem solus ut oraret. » Sed quoniam hujus reverentiæ non erant discipuli perturbatores per inquietudinem,

[1] *Matth.*, IV, 4. — [2] Ibid., VII, 7. — [3] *Coloss.*, IV, 2. — [4] *Matth.*, XIV, 19. — [5] *Isa.*, LVIII, 7. — [6] *Psal.* XLVII, 14. — [7] *Eccli.*, XV, 3. — [8] *Sap.*, XI, 27. — [9] *Joan.*, IV, 23. — [10] *Psal.* XLIX, 15. — [11] *Matth.*, VI, 6. — [12] *Thren.*, III, 28. — [13] *Matth.*, XIV, 23.

(*a*) *Cæt. edit. deest* in.

sed approbatores per veram fidem, ideo subditur : *Erant cum illo et discipuli.* Unde per hoc quod dicit, *solus*, non excludit consortium discipulorum, sed tumultum turbarum. Nam discipulos tanquam filios admittebat. Unde et dicebat de eis illud, quod dicebat Apostolus [1] : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus. » Turbas autem tanquam servos excludebat; cujus figuram Abraham gessit, quando dixit ad pueros suos [2] : « Expectate hic in valle cum asino; ego autem et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. » Vel hoc dicitur, quia non ratione ejusdem temporis sunt conjuncti, quia solus primo oravit, et immediate discipuli cum eo fuerunt : tamen simul junguntur, quia etsi Apostoli fuerunt absentes locali circumscriptione, nihilominus cum eo erant mentali affectu, et fidei approbatione, secundum illud Pauli [3] : « Etsi corpore absens sum, in spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum. »

Secundo, quantum ad reprobationem humani erroris, subditur : *Et interrogavit illos dicens : Quem me dicunt esse turbæ ?* Quod non ideo quærebat, ut veritatem addisceret quam sciebat, secundum illud [4] : « Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine ; » sed ideo interrogat, ut erroneam mundanorum sententiam ostendant veræ fidei inimicam. Ut plurimum enim plures contrariantur sapientibus, et turba turbatum habet judicium. Propter quod dicitur [5] : « Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ (*a*), ut a vero devies. » Et ideo non est mirum, si animales de Christo Deo non recte sentiebant, quia [6] : « Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, » etc. Propter quod subjungitur triplex opinio sumpta a triplici excellentia. Quantum ad primam, dicitur (*b*) (v. 19) : *At illi responderunt et dixerunt : Joannem Baptistam.* Et hoc, quia videbant in eo Spiritum sanctificationis qui fuit in Joanne, secundum illud [7] : « Erit magnus coram Domino. » Sequitur : « Et Spiritu sancto replebitur, » etc. Sed nec in hoc omnes consentiebant; ideo addit : *Alii autem Eliam,* scilicet propter zelum æmulationis, secundum illud [8] : « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat. » Et illud videbatur probabile, quia Elias propheta excellens erat non solum in vita, sed etiam in potentia; et quia etiam adventus ejus promissus erat secundum illud [9] : « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Nec tamen in hoc omnes concordabant; et ideo addit : *Alii vero, quia unus propheta de prioribus surrexit;* et hoc, propter spiritum discretionis, quem in eo attendebant [10] : « Propheta magnus surrexit in nobis, » etc. Et dicebant [11] : « Hic est vere Propheta qui venturus est. » Sed quia purum hominem existimant, ideo unum de prioribus ipsum credebant; propter quod errabant, quia non tantum erat unus inter priores, sed unus propter quem præcesserunt omnes priores, de quo dicitur [12] : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, » etc. Ex tanta ergo varietate apparet, quod turbæ alienæ erant a veritate et fidei uniformitate. Propter quod dicitur [13] : « Non simus parvuli, fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, » etc. Sequitur : « Ad circumventionem erroris. »

Tertio vero, quantum ad confessionem Christi Mediatoris, subditur (v. 20) : *Dixit autem illis : Vos autem, quem me esse dicitis ?* Vos, scilicet ab aliis electi, secundum illud *Joannis* [14] : « Ego vos duodecim elegi. » Et item [15] : « Non vos me elegistis, sed ego

[1] *Hebr.*, II, 13. — [2] *Gen.*, XXII, 5. — [3] *Coloss.*, II, 5. — [4] *Joan.*, II, 25. — [5] *Exod.*, XXIII, 2. — [6] I *Cor.*, II, 14. — [7] Sup., I, 15. — [8] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [9] *Malach.*, IV, 5. — [10] Sup., VII, 16. — [11] *Joan.*, VI, 14. — [12] *Deut.*, XVIII, 15. — [13] *Ephes.*, IV, 14. — [14] *Joan.*, VI, 7. — [15] Ibid., XV, 16.

(*a*) *Cæl. edit. deest* sententiæ. — (*b*) dicit.

elegi vos. » Vel : Vos amici, secundum illud [1] : « Vos autem dixi amicos. » Vel : Vos speciales discipuli, secundum illud [2] : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. » Vos, inquam, qui in me creditis, quem me esse dicitis? Id est, confitemini, quia [3] « corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Ideo subditur : *Respondens Simon Petrus dixit : Christum Dei;* quia unus pro omnibus respondet, ut commendetur unitas Ecclesiæ in fide, confessione et prælatione. Unde Petrus, tanquam unus Prælatus universalis Ecclesiæ, unus pro omnibus respondet. Propter quod dicebat Paulus [4] : « Obsecro, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. » Unde merito istius confessionis unius pro omnibus, nomen Petri est sibi confirmatum, et universalis prælatio super Ecclesiam est concessa, secundum quod dicitur [5] : « Et ego dico tibi, » etc. Unde apparet quod non ex impetu, sed Spiritu sancto incitatus, prior respondit Petrus.

Primatus Petri

Et hoc est quod dicitur in Glossa [6] : « Unus pro omnibus, et præ omnibus, quia senior et princeps Apostolorum. » Confitendo autem ipsum Christum Dei, confitetur simul Deum verum et hominem. Unde Ambrosius in Glossa [7] : « Complexus est omnia, qui et naturam et nomen expressit. » In nomine enim Christi, et divinitatis et incarnationis est expressio et fides passionis. Christus enim exprimit personam unam in duabus naturis, et dignitatem regiam, et sacerdotalem, et gratiæ plenitudinem propter unctionis prærogativam, de quo in *Psalmo* [8] : « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. » Unde in nomine *Christi* intelligitur unctus, ungens, et quo ungitur. Ac per hoc simul Pater, Verbum, et Spiritus, secundum illud *Isaiæ* [9] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. » Intelligitur ergo etiam uncti gratia qua ungitur, et dignitas ad quam ungitur, sive officium [10] : « Et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. » Intelligitur etiam dignitas regalis, et prophetalis, et sacerdotalis, secundum triplicem excellentiam suam, scilicet potestatis, veritatis, et bonitatis : in cujus rei figuram in lege veteri hæ tres personæ consueverunt inungi.

Unde in hoc clare patet, quod Christus hoc verbo confutavit errores, et stravit totius fidei fundamentum, secundum illud [11] : « Fundamentum aliud nemo potest ponere. » Hinc est quod Petrus est vocatus, et ei concessum est, ut de Ecclesia ejus nunquam deficiat vera fides [12] : « Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat, » etc.

Quarto vero, quantum ad cognitionem mysterii redemptionis, subditur (v. 21) : *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.* Et hoc, quia non erat consummatum redemptionis mysterium, quod justo Dei judicio erat mundi principibus occultandum. Unde [13] : « Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. » Sequitur : « Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Licet autem non esset omnibus publicandum, erat tamen discipulis prædicendum ; propter quod additur (*a*) (v. 22) : *Dicens : Oportet filium hominis multa pati.* Ratio autem hujus prædictionis assignatur his verbis [14] : « Nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis. » Nam ipsi discipuli nondum hoc capiebant, secundum quod dicitur [15] : « Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus. » Et post ; « Et ipsi nihil horum intellexerunt, » sed hoc acceperunt post consummationem. Unde dicitur infra [16] : « Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobis-

[1] *Joan.*, XV, 15. — [2] Sup., VIII, 10. — [3] *Rom.*, X, 10. — [4] I *Cor.*, I, 10. — [5] *Matth.*, XVI, 17. — [6] Gloss. interlin. in hunc loc. — [7] Ambr., *in Luc.*, lib. VI, n. 93. — [8] *Psal.* XLIV, 8. — [9] *Isa.*, LXI, 1. — [10] *Dan.*, IX, 24. — [11] I *Cor.*, III, 11. — [12] Inf., XXII, 32. — [13] I *Cor.*, II, 7, 8. — [14] *Joan.*, XIV, 29. — [15] Inf., XVIII, 31, 34. — [16] Inf., XXIV, 44, 45.

(*a*) *Cæt. edit.* addit.

cmu, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt. » Et post subditur : « Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. » Dicit autem : *Oportet*, id est, necessarium est, non simpliciter, sed ex præsumptione divinæ dispositionis et promissionis, secundum illud [1] : « Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic. » Vel *Oportet*, id est, opportunum est et expediens, juxta quod prophetavit Caiphas [2] : « Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat, » etc. *Oportet*, inquam, *multa pati*, quia pro multis animabus redimendis, multis culpis remittendis, multis reatibus absolvendis [3] : « Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra. » Sequitur : « Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. » Passus est etiam multa et magna ; passus est etiam a multis et magnis ; propter quod addit : *Et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis*. Seniores præcellebant antiquitate, principes auctoritate ; sed scribæ ratione doctrinæ ; ut sic impleretur illud [4] : « Filios enutrivi et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me. » Et quia passio Christi gravior erat inter omnes passiones, ideo additur : *Et occidi*, scilicet oportet, secundum illud *Danielis* [5] : « Occidetur Christus. » Sed ne crederetur quod invitus, ideo *Isaias* [6] : « Tradidit in mortem animam suam. » Sed quia passio hæc vivificativa erat mortuorum, ideo addit : *Et tertia die resurget*, secundum illud *Oseæ* [7] : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. » Hujus figuram dicit Salvator præcessisse in Jona [8] : « Sicut fuit Jonas, » etc. Ex his igitur liquet, quæ sit perfecta fidei notitia, in qua Christi fundatur Ecclesia, scilicet per quam approbatur divinus honor, reprobatur humanus error, asseritur Mediator, et agnoscitur Reparator.

Necessitas quotuplex.

23. *Dicebat autem ad omnes*, etc. Ostenso qualiter Christus secundum fidem est cognoscendus, hic secundo ostenditur qualiter per crucem est imitandus, quia fides mortua est sine operibus. Quoniam autem difficile est portare crucem, ideo ad hoc invitat quadruplici consideratione, scilicet ex consideratione sui exempli, proprii periculi, futuri judicii, et regni divini : ut si non movent monita, moveant exempla, vel saltem pericula, vel certe futura judicia, vel tandem promissa. Primo igitur invitat consideratione sui exempli, cum dicit : *Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire*, id est, me imitari ad quod non cogo, sed invito. Ideo dicit : *Si quis vult* [9] : « Si volueris mandata servare, conservabunt te. » Sequitur : « Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam. » Unde Chrysostomus [10] : « Si quis aurum daret, aut thesaurum apponeret, non vocaret cum violentia, sed currerent omnes : multo magis ad ea quæ sunt in cœlis. Si enim natura rerum persuadet currere, si non curris, non es dignus accipere. » Ideo dicit : *Si quis vult* exemplum meum sequi, *abneget semetipsum* per omnimodam humilitatem, captivando sensum, affectum et intellectum in Christi obsequium ; quod notat in hoc quod dicit : *Semetipsum*. Et hoc est consilium [11] : « Humilia valde spiritum tuum : » et hoc quidem necessarium est volenti sequi humilem Christum. Unde Gregorius in Glossa [12] : « Nisi quis a seipso deficiat, ad eum, qui supra est, non appropinquat. » Sed hoc non sufficit ; et ideo addit : *Et tollat crucem suam quotidie*, per continuam austeritatem, ut possit dicere illud Pauli [13] : « Christo confixus sum cruci. » Et item [14] : « Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro

[1] *Act.*, III, 18. — [2] *Joan.*, XI, 50. — [3] *Isa.*, LIII, 5, 6. — [4] *Isa.*, I, 2. — [5] *Dan.*, IX, 26. — [6] *Isa.*, LIII, 12. — [7] *Ose.*, VI, 3. — [8] *Matth.*, XII, 40. — [9] *Eccli.*, XV, 15, 16. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. LVI, al. LV, n. 1. — [11] *Eccli.*, VII, 19. — [12] Greg., in hunc loc. — [13] *Gal.*, II, 19. — [14] II *Cor.*, IV, 10.

circumferentes. » Et ideo dicitur etiam [1] : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Nota quod dicit : *Quotidie*, quia quotidie pœnitentia crucis debet esse nova et recens, ut dicat semper [2] : « Dixi, nunc cœpi, » etc. Sicut beatus Franciscus, qui in morte dicebat quod incipiebat benefacere : « Fratres, incipiamus et proficiamus; quia nunc usque parum profecimus. » Crux namque Christi renovativam habet naturam. Unde Apostolus [3] : « Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur ; tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. » Ad perfectam autem Christi imitationem non sufficit humilitas et austeritas ; sed etiam necessaria est paupertas ; ideo addit : *Et sequatur me*, scilicet per altissimam paupertatem, qua nihil omnino volebat portare in via, ut recte et expedite perveniret ad patriam. Ideo dicebat Petrus [4] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Super quo Bernardus [5] : « Bene, Petre, et non ad insipientiam tibi : quia currentem sequi non poteras oneratus; et hoc est valde honorabile, licet videatur vile; quia [6] « gloria magna est sequi Dominum. » Ex hoc autem verbo elicitur triplex consilium et votum religiosorum, scilicet obedientiæ in abnegatione, castitatis in cruce, et paupertatis in subsecutione; sed [7] « non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. » Ideo præmittit : *Si quis vult post*, etc. ut nemo se excuset, quasi non habeat gratiam; ideo dicit : *Si quis vult*, etc., quasi dicat, quod gratia Dei nobis præsto est, si non desit voluntas [8] : « Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei. »

B. Franciscus.

Secundo invitat consideratione proprii periculi, cum ait (v. 24) : *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam*, id est, qui voluerit salvari in præsenti vita, perdet vitam in futuro, scilicet pro vita momentanea, perdet æternam. Unde dicitur [9] : « Qui amat animam suam, perdet eam : » quia quia minus amat, inique amat; et « qui diligit iniquitatem, odit animam suam, » sicut dicitur in *Psalmo*. [10] Qui enim diligit animam supra Deum, perdit Deum; et perdendo Deum, perdit per consequens seipsum. Et ideo dicebat Paulus [11] : « Non facio animam meam pretiosiorem quam me. » Et quia ista videtur esse dura sententia, ideo probat a contrario sensu : *Nam qui perdiderit animam suam propter me*, in hac scilicet vita, *salvam faciet illam*, scilicet in futura vita, secundum illud [12] : « Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis ; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. » Et ideo dicebat Paulus [13] : « Ego non solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. » Sic ergo perdere animam pro Christo, est salvare ; velle animam salvare est eam perditioni exponere, juxta illud [14] : « Si secundum carnem vixeritis, moriemini : » et hoc est maximum periculum ; et ideo in ejus exaggeratione adjungit (v. 25) : *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum*, et hoc temporaliter; *seipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat*, et hoc sempiternaliter? quasi dicat : Nihil; quia qui perdit se, omnia perdit : ideo non prodest, sed obest. Ideo dicitur [15] : « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. » Et ratio hujus est, quia, sicut dicit Augustinus [16] : « Nemo habet injustum lucrum sine justo damno : lucrum in arca, damnum in conscientia ; tulit vestem, et perdidit fidem ; acquirit pecuniam, et perdidit justitiam ; » et sic per consequens animam suam. Unde Isidorus : « Si haberes sapientiam Salomonis, si pulchritudi-

[1] *Gal.*, v, 24. — [2] *Psal.* LXXVI, 11. — [3] II *Cor.*, IV, 16. — [4] *Matth.*, XIX, 27. — [5] Bern., in *Declam.*, non procul a princ. — [6] *Eccli.*, XXIII, 38. — [7] *Matth.*, XIX, 11. — [8] *Hebr.*, XII, 15. — [9] *Joan.*, XII, 25. — [10] *Psal.* X, 6. — [11] *Act.*, XX, 24. — [12] II *Mach.*, VII, 9. — [13] *Act.*, XXI, 13. — [14] *Rom.*, VIII, 13. — [15] *Jac.*, V, 1. — [16] Aug., vel quicumque alius, *de Sanctis* serm. X, et in Append., LXXII, al. Append., serm. CCXX, n. 2.

nem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Enoch, divitias et potestatem Octaviani, quid prodest tibi, si tandem caro datur vermibus, anima dæmonibus, cum divite crucianda sine fine? »

Tertio invitat ad crucis portationem consideratione futuri judicii, cum ait (v. 26) : *Nam qui me erubuerit*, scilicet imitari, *et meos sermones* confiteri, contemnendo crucem Domini, tanquam ignominiosam, et etiam doctrinam ejus ex mala erubescentia, de qua dicitur [1] : « Pro anima tua non confundaris dicere verum : est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. » In quo dat intelligere, quod non debemus erubescere veritatem Christi, exemplo Apostoli qui dicebat [2] : « Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est, » etc. Sed erubescere debemus vilitatem peccati, juxta illud [3] : « Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? » Sed multi non erubescunt peccati deformitatem, de quibus *Jeremias* [4] : « Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quinimo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. » Et iterum [5] : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, » etc. Talis erubescit humilitatem Christi. Et de hoc adjungit : *Hunc filius hominis erubescet*, id est erubescentem faciet, vel sicut erubescendum abjiciet justo suo judicio, quo dicitur [6] : « Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. » Et hoc in die judicii; et ideo adjungit : *Cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.* In quo tangit judiciariam potestatem, quantum ad principium causalitatis in Patre, quantum ad privilegium excellentiæ in se, et quantum ad ministerium obedientiæ in angelorum multitudine. Unde [7] : « Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt filium hominis, » etc. Et *Isaias* [8] : « Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui. » In hoc judicio confundentur superbi, et exaltabuntur humiles, secundum illud [9] : « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur, » etc.

Confusio duplex.

Quarto invitat ad crucem consideratione cœlestis regni quod suis imitatoribus ostendit, cum subdit (v. 27) : *Dico vobis : vere sunt aliqui hic stantes*, per mentis erectionem, secundum illud [10] : « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. » Talibus debet ostendi regnum, ut eorum compleatur desiderium ; ideo addit : *Qui non gustabunt mortem*, ex animæ et corporis separatione ; *donec videant regnum Dei*, per revelationem, non per apertam visionem. Nam dictum est Moysi [11] : « Non videbit me homo, et vivet. » Sed hic dictum est per quamdam specialem revelationem, qua dictum est Moysi [12] : « Ego ostendam omne bonum tibi. » In quo datur intelligi quod stantes in sermone Christi non gustabunt mortem, sed transibunt ad vitam, secundum illud [13] : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. » Ex quo Christus se per crucem imitantibus promittit tantum præmium, comminatur tam severum judicium, prætendit tantum periculum, ostendit tantum exemplum. Valde durus est, qui non movetur ad ipsum imitandum. Propter quod dicitur [14] : « Tantam habentes impositam nubem testium, » etc. Sequitur : « Curramus, » etc. Et ultimo [15] : « Christus extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes ; non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. »

28. *Factum est autem post hæc verba*, etc. Post exhortationem ad asperitatem viæ, subjungit hic Evangelista ostensionem suavitatis gloriæ. Procedit autem hoc ordine :

[1] *Eccli.*, IV, 24, 25. — [2] *Rom.*, I, 16. — [3] Ibid., VI, 21. — [4] *Jerem.*, VI, 15. — [5] Ibid., III, 3. — [6] I *Reg.*, II, 30. — [7] *Matth.*, XXIV, 30. — [8] *Isa.*, III, 14. — [9] *Psal.* LXXIV, 11. — [10] *Psal.* CXXI, 2. — [11] *Exod.*, XXXIII, 20. — [12] Ibid., 19. — [13] *Joan.*, VIII, 51. — [14] *Hebr.*, XII, 1. — [15] Ibid., XIII, 12-14.

Divisio. primo enim describit revelationem gloriæ promissæ; secundo considerationem gloriæ revelatæ, ibi (v. 32): *Petrus vero, et qui cum illo erant,* etc.; tertio vero confirmationem revelationis ostensæ, ibi (v. 37): *Factum est autem in sequenti die,* etc. Et hoc quidem facit per admirabilem curationem dæmoniaci. Revelationem futuræ gloriæ dupliciter describit Evangelista: primo, quoad antecedentia; secundo quoad concomitantia, ibi (v. 29): *Et facta est, dum oraret,* etc. Sciendum autem quod ad transfigurationem Christi fuerunt antecedentia, sive disponentia tria, scilicet exigentia termini, eligentia consortii, et eminentia loci. Hæc autem tria sunt quæ Deus observat in communicando revelationes divinas. Primo igitur, ad exigentiam termini, dicit: *Factum est autem post hæc verba fere dies octo.* Quoniam enim Dominus promiserat se gloriam discipulis ostensurum, et: « Dominus non tardat promissionem suam, » sicut dicitur [1]; ideo inter promissionem et impletionem non debuit nisi modicum spatium temporis intervenire, scilicet unius septimanæ. Cujus figura præcessit in desponsatione Rachel, de qua dixit Laban ad Jacob [2]: « Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, et hanc quoque dabo tibi. » Et ideo dicitur: *Fere dies octo:* quia septimo die hoc fecit, revoluto ordine septimanæ, qui non sunt octo dies completi, propter defectum partis primæ et ultimæ diei: et ideo non computantur primus et ultimus dies, sed intermedii integri. Nam ibi dicitur [3]: « Post dies sex: » in quo non est aliqua contrarietas; sed una sententia aliam explanat. Voluit autem Spiritus sanctus utroque modo exprimere, propter insinuationem mysterii: quoniam autem sex diebus mundum Deus fabricavit, et post diem sextum requievit; ideo sex diebus erat laborandum, et post contemplationi vacandum. Ideo, ad hoc insinuandum, dicit Matthæus: « Post dies sex. » Sed quoniam perfecta et summa quies et contemplatio non est ante octavam ætatem, scilicet resurrectionem, ideo dicit Lucas *dies octo.* Et hoc est quod dicitur in Glossa a Beda [4] et Ambrosio [5].

Secundo, quantum ad electionem consortii, dicitur: *Et assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem* Hos tres assumpsit tanquam magis dilectos ac familiares, sicut assumpsit [6] in suscitatione puellæ. Ideo tres assumpsit propter commendandum mysterium Trinitatis, et propter firmitatem testimonii. Unde in Glossa dicitur: « Ut tribus idoneis testibus totus mundus crederet. » Ideo autem hos tres specialiter elegit, propter eminentiam quam considerabat in eis; quia Petrus futurus erat primus in Ecclesia gubernanda, sicut dicitur in Matthæo (*a*) [7]: « Tu es Petrus, etc. Tibi dabo claves regni cœlorum. » Et Jacobus primus interficiendus erat inter Apostolos pro Ecclesia multiplicanda: dicitur [8] de Herode quod « occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. » Joannes præcipuus in matre custodienda [9]: « Cum vidisset matrem et discipulum stantem, » etc. Unde ideo hos tres assumit, propter instructionem figuræ. Per hos enim triplices status in Ecclesia salvandorum designantur, scilicet prælati in Petro, activi in Jacobo, contemplativi in Joanne; sicut in Noe, Daniele, et Job. Vel in Petro conjugati, in Jacobo continentes, in Joanne virgines, secundum triplicem continentiam, cui debetur fructus trigesimus, sexagesimus, et centesimus. Nam de uxore Petri legimus, et de virginitate Joannis; de Jacobo vero neutrum expresse dicitur.

Tertio vero, quantum ad eminentiam loci, subjungit: *Et ascendit in montem, ut oraret.* Mons enim est locus eminens et a terrenis ad cœlestia porrectus, et ideo contemplationi, et orationi idoneus. Talis erat hic mons. Unde dicitur [10]: « Duxit illos in montem excelsum seorsum, » ut scilicet seque- Mon

[1] II *Petr.*, III, 9. — [2] *Gen.*, XXIX, 26. — [3] *Matth.*, XVII, 1; *Marc.*, IX, 1. — [4] Bed., *in Luc.*, lib. III, c. XXXVIII. — [5] Ambr., *in Luc.*, lib. VII, n. 7. — [6] Sup., VIII, 51. — [7] *Matth.*, XVI, 17. — [8] *Act.*, XII, 1. — [9] *Joan.*, XIX, 26, 27. — [10] *Matth.*, XVII, 1. — (*a*) *Cæt. edit.* dicit Matthæus.

strati essent a turba et a terrenis; et tales sunt divinis revelationibus apti. Unde dicitur de Moyse [1], quod « cum minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, » ubi sibi apparuit Dominus in igne rubi. Similiter in legis susceptione [2] : « Dixit Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, esto ibi : daboque tibi tabulas lapideas. » Similiter in terræ promissæ circumscriptione, secundum illud [3] : « Ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga, contra Jerico, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan. » Ex his igitur colligitur quod mons est idoneus ad divinas apparitiones, instructiones et contemplationes. Unde Beda [4] in Glossa : « In monte oraturus ascendit, ut innuat, quia qui resurrectionem expectant, mentem in excelsis elevare, et continuis precibus debent insistere. » Et in hoc monte, propter sui eminentiam, secundum illud [5] : « Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex, » etc. Sequitur : « Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Sicque apparent tria disponentia ad divinam transfigurationem etiam secundum intelligentiam litteralem.

Spiritualiter autem in his tribus magna est informatio volentium pertingere ad videndam Domini transfigurationem per contemplationis excessum. In numero enim dierum intelligi dantur gradus contemplationum succedentium sibi, sicut dies succedit diei. Et secundum Matthæum numerantur sex dies ad insinuandum sex gradus contemplationis, quos exprimit Richardus [6] : « Sex sunt contemplationis genera a se et inter se omnino divisa. Primum est in imaginatione secundum solam imaginationem; secundum est in imaginatione secundum rationem; tertium est in ratione secundum imaginationem; quartum est in ratione secundum rationem; quintum est supra rationem, sed non præter rationem; sextum est supra rationem, et videtur esse præter rationem. » Duo itaque sunt in imaginatione; duo in ratione; duo in intelligentia. Prima duo sunt circa corporalia; secunda duo circa spiritualia; tertia duo circa sempiternalia et incomprehensibilia. Hæc autem sex genera per sex dies intelliguntur, et per sex gradus quibus ascendebatur ad Salomonis thronum, secundum illud [7] : « Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus. » Et huic numerus perfectionis congruit; est enim senarius primus numerus perfectorum. Secundum autem Lucam computantur octo dies; Lucas enim agit de hac apparitione secundum quod exprimit gloriam post resurrectionem : quod patet, quia ibi tangit somnum et evigilationem; ideo insinuat octo gradus, quorum septem sunt in via, octavus reseratur in patria. De his septem dicit Augustinus [8] : « Ascendentibus, inquit, sursum versus, primus actus, docendi causa, dicatur animatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, virtus; quintus, tranquillitas; sextus ingressio; septimus, contemplatio; post non restat nisi beata visio, et sic sunt fere octo dies. » Et, ut dicit, « primus est de corpore, secundus per corpus, tertius circa corpus, quartus ad seipsam, quintus in seipsam, sextus ad Deum, septimus apud Deum. » Et hi gradus non tantum dicuntur gradus contemplationis, sed quibus venitur ad contemplationem. Quidam autem, licet simplici sermone, sed non scientia, frater Ægydius [9], quem frequentissime rapi probatum est, sic distinguit gradus dicens : « Septem sunt gradus contemplationis : primus est ignis; secundus est unctio; tertius est ecstasis; quartus,

Senarius est primus numerus perfectorum.

F. Ægidius.

[1] *Exod.*, III, 1. — [2] Ibid., XXIV, 12. — [3] *Deut.*, XXXIV, 1. — [4] Bed., *in Luc.*, lib. III, c. XXXVIII. — [5] *Deut.*, XXXIII, 1, 2. — [6] Richard., *de Arca*, lib. II, c. VI. — [7] III *Reg.*, X, 18, 19. — [8] Aug., *de Quant. animæ*, c. XXXV, n. 79. — [9] Hunc sancti Francisci socium idem Doctor appellat contemplativum, *in Hexaem.*, serm. 1. Vid. tom. IX, p. 25, col. 1.

contemplatio : quintus, gustus; sextus, requies; septimus gloria : post quos non restat nisi felicitas sempiterna. » His ergo septem diebus pervenitur usque ad diem octavum gloriæ; quos voluit in assignatione temporis Spiritus sanctus designare. Per tres autem personas assumptas dantur intelligi tres virtutes ad contemplandum necessariæ, scilicet fides, spes, charitas : fides per Petrum, qui interpretatur agnoscens; spes, per Jacobum luctatorem; per Joannem, in quo gratia, charitas. Sine his autem pennis nullus potest conscendere ad montana. Vel per tres personas intelligimus tres dispositiones necessarias animæ contemplativæ, scilicet industriam, disciplinam, et gratiam : primam in Petro; secundam, in Jacobo; tertiam, in Joanne. Oportet enim intelligentiam illuminari, concupiscentiam domari (*a*), et affectum inflammari, ut possimus sursum cum Deo ferri. Aliquo horum deficiente, contemplationis negotium perit. Vel per has tres personas intelliguntur tres modi ascendendi in apicem contemplationis. Uno enim modo ascenditur per viam splendoris, et hunc modum ascendendi docet beatus Augustinus : et hic designatur per Petrum. Alio modo ascenditur per viam doloris et gemitus; et hic in Jacobo : et iste modus est communis orantibus. Tertio modo, per viam amoris; et hunc docet Dionysius : et hic designatur per Joannem : et hic est præcipuus inter omnes, in quo maxime gratia movet. In primo autem multum valet industria, vel scientia; secundus autem modus quasi permixtus est inter gratiam et naturalem industriam, vel scientiam. Per locum autem, in quem ascendit, recte intelligi potest eminentia vitæ contemplativæ. Est enim mons locus magisterii; unde dicitur [1] quod « ascendit Jesus in montem, et cum sedisset, » etc. Et ex hoc datur nobis intelligi, quod vita contemplativa abundat in cognitione. Ideo in persona contemplativorum dicit Isaias [2] : « Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos, » etc. Unde et de Moyse dicitur [3], quod « ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus et quadringinta noctibus, » et tunc accepit legem. Et etiam mons locus sacrificii, secundum illud [4] : « Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, » etc.; sequitur : « Atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. » Et in *Exodo* [5] : « Cum eduxeris populum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. » Ex quo colligitur quod vita contemplativa abundat devotione, unde anima contemplativa [6] : « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris, » etc. Est etiam mons locus incendii, propter radios solis; unde dicitur [7] : « Tripliciter Sol exurens montes, et radios igneos exufflans. » Et hoc propter multam refulgentiam, juxta illud [8] : « Refulsit Sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis, et resplenduerunt sicut lampades ignis. » Quo datur intelligi, quod vita contemplativa abundat charitate; in cujus signum dicitur [9] : « Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne. » Est etiam mons locus refugii; unde in *Genesi* [10] : « In monte salvum te fac. » Et dicitur, imminente persecutione [11] : « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. » Ex quo colligitur quod contemplativa abundat defensione. Unde in persona viri contemplativi dicitur [12] : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. « Est etiam mons locus silentii; unde dicitur [13] : quod « Elias pervenit usque ad montem Dei Horeb », et quod « mansit in spelunca; » et de Christo [14], quod « ascendit in montem solus orare. » Ex quo intelligitur quod contemplativa abundat tranquillitate. Unde de contemplativis dicitur in *Psalmo* [15] : « Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. » Est etiam mons

Mons quot significet.

[1] *Matth.*, v, 1. — [2] *Isa.*, ii, 3. — [3] *Exod.*, xxiv, 13. — [4] *Gen.*, xxii, 2. — [5] *Exod.*, iii, 12. — [6] *Cant.*, iv, 6. — [7] *Eccli.*, xliii, 4. — [8] I *Mach.*, vi, 39. — [9] *Exod.*, xix, 18. — [10] *Gen.*, xix, 17. — [11] *Matth.*, xxiv, 26. — [12] *Psal.* cxx, 1. — [13] III *Reg.*, xix, 8. — [14] *Matth.*, xiv, 23. — [15] *Psal.* lxxi, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* dominari.

locus pascuæ, juxta illud [1] : « Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit; » et *Ezechiel* [2] : « In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum. » Ex quo colligitur quod contemplativa abundat suavitate. Unde *Joel* de contemplatione [3] : « In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, » etc. Est postremo mons locus eminentiæ, secundum illud *Isaiæ* [4] : « Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. » Et de Elia dicitur [5] quod « ascendit in verticem Carmeli. » Et sequitur : « Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. » Ex quo intelligimus quod vita contemplativa superabundabat sursum-agilitate. In cujus rei signum Dominus [6] de monte Oliveti ascendit « in cœlum; » et de anima sancta dicitur in figura Annæ [7], quod sedebat « in supercilio montis, » quia in persona talium dicitur [8] : « Nostra conversatio in cœlis est. » Ex his colligi potest excellentia vitæ contemplativæ, et quantum sit desideranda. Est enim plena discretione, plena devotione, plena charitate, plena securitate, plena tranquillitate, plena suavitate, et plena agilitate.

29. *Et facta est dum oraret,* etc. Post antecedentia ad transfigurationem, subjungit hic Evangelista concomitantia. Hæc autem fuerunt tria, scilicet fulgor aspectus, candor vestitus, honor comitatus : ut sic appareat Christus gloriosus et intra se, et circa se, et juxta se, ne quid desit gloriæ suæ. Primo ergo, quantum ad fulgorem aspectus, dicitur : *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera :* alterata quidem est ob supereminentem claritatis refulgentiam. Unde dicitur [9] quod « transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol. » Nec mirum, quia in hoc ostendit gloriam resurrectionis, de qua [10] : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. » Et ideo in claritatis hujus ostensione, ostendit discipulis regnum Dei, quia claritas est præcipua dos resurgentium, secundum illud [11] : « Alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium : alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum : stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. » Hanc autem claritatis dotem ad se Christus assumpsit, sicut dicitur de subtilitate, quam assumpsit in nativitate, cum clauso utero matris exivit; agilitatem, cum super aquas ambulavit; impassibilitatem, cum corpus suum in sacramento discipulis tradidit. Sic et claritatem hic ad tempus assumpsit; propriam tamen effigiem non amisit; sed fuit in eo propria effigies, et qualitas consummata, sicut qualitas passibilis, claritas autem sicut passio. Quemadmodum enim pallidus rubescit ad tempus præ verecundia, et fit in eo alteratio ad tempus, sic superna et mira potentia corpus terrestre effectum est ad tempus fulgidum et cœleste. Sive autem in eo fuerit alia dos claritatis, sive non, alia tamen fuit claritas et claritati supernæ conformis, quæ discipulorum oculos divina virtute non corrupit, sed potius confortavit ita, ut possent dicere illud [12] : « Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. » Similitudo.

Secundo vero, quantum ad candorem vestitus, subditur : *Et vestitus ejus albus et refulgens,* scilicet factus est. Tanta enim erat albedo, ut præ candore nimio refulgeret, secundum quod dicitur [13] : « Vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. » Nec mirum : hoc enim designavit candorem, qui apparebit in sanctis, secundum illud [14] : « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. » Et item [15] : « Qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt, » etc.

Tertio, quantum ad honorem comitatus,

[1] *Job*, XXXIX, 8. — [2] *Ezech.*, XXXIV, 13. — [3] *Joel.*, III, 18. — [4] *Isa.*, II, 1. — [5] III *Reg.*, XVIII, 42, 44. — [6] Inf., XXIV, 51. — [7] *Tob.*, XI, 5. — [8] *Philip.*, III, 20. — [9] *Matth.*, XVII, 12. — [10] Ibid., XIII, 43. — [11] I *Cor.*, XV, 41, 42. — [12] *Eccle.*, XI, 7. — [13] *Marc.*, IX, 2. — [14] *Apoc.*, III, 5. — [15] Ibid., VII, 13.

subjungitur (v. 30): *Ecce duo viri loquebantur cum illo.* Quia non decebat Dominum gloriæ videri solum, sed habere honorabilem comitatum; ideo, quantum ad illum, subjungit: *Erant autem Moyses et Elias visi in majestate.* Hi autem duo erant personæ honorobilissimæ: Moyses, inquam, propter legislationem, secundum illud [1]: « At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei; palam et non per ænigmata et figuras Dominum videt; » Elias vero, tum propter excellentiam prophetiæ, tum miraculorum operationem. Unde *Ecclesiasticus,* loquens ad Eliam [2]: « Quis potest similiter sic gloriari tibi, qui sustulisti mortuum ab inferis, de sorte mortis, in verbo Domini Dei? » Unde et propter hanc excellentiam ostendendam, Dominus speciali modo apparuit utrisque in figura in monte Horeb: Moysi quidem primo, sicut dicitur [3]; Eliæ autem postea, sicut dicitur [4], in eodem scilicet monte Horeb. Propter igitur eorum honorem et præcipuam dignitatem, apparuit in comitatu eorum. Aut certe, quia unus eorum erat mortuus, alter vivus: unus de cœlo, alter de inferno; ut habeat testimonium ex omni genere, et ostendatur quod ipse est, qui vivos et mortuos facit gloriosos. Unde in Glossa dicitur: « Ideo vivus et mortuus apparent, ut significent Christum moriturum, et iterum victurum, ut et nos vivi simus Deo, mortui mundo. » Vel ideo isti duo apparent, ut ostendatur quod Lex et Prophetæ concordabant de Jesu Christo. Unde in Glossa Bedæ [5]: « Moyses legislator et Elias prophetarum eximius apparent cum Verbo, ut ostendant ipsum esse, qui locutus est in Lege et Prophetis, et quem Lex et Prophetæ promiserunt, » ut sic verificetur illud [6]: « Quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David. » Et quoniam Lex et Prophetæ non tantum testantur gloriam Christi, sed etiam passionem, quæ est via in gloriam, ideo subditur: *Et dicebant excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem.* Excessum recte nominat passionem, quia in ea fuit excessus humilitatis, secundum illud [7]: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. » Et post: « Humiliavit semetipsum, » etc. Fuit etiam excessus paupertatis, secundum illud [8]: « Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis. » Fuit excessus doloris, secundum illud [9]: « O vos omnes qui transitis per viam, » etc. Fuit etiam excessus amoris, secundum illud [10]: « Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, » etc. Et item [11]: « Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? » Istum excessum complevit in Jerusalem, ubi crucifixus est, in quo fuit consummatio nostræ redemptionis, secundum illud [12]: « Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per passionem consummare (*a*). » Unde et ipse prædixit discipulis suis [13]: « Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur, » etc.

Secundum autem spiritualem intelligentiam, in oratione et contemplatione facies hominis illustratur, quia dum facies mentis nostræ ad Deum convertitur, illuminatur, melioratur et perficitur. Quod figuratum est in *Exodo,* ubi dicitur [14], quod « cum descendisset Moyses de monte, apparuit facies ejus cornuta ex consortio sermonis Domini. » Unde Apostolus [15]: « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu. » Non solum hoc; sed et vestitus candescit, quia conversatio efficitur irreprehen-

[1] *Num.*, XXII, 7, 8. — [2] *Eccli.*, XLVIII, 4, 5. — [3] *Exod.*, III, 2. — [4] III *Reg.*, XIX, 8. — [5] Bed., *in Luc.*, c. IX, lib. III, c. XXXVIII. — [6] *Matth.*, XXI, 9. — [7] *Philip.*, II, 7, 8. — [8] *Thren.*, III, 19. — [9] Ibid., I, 14. — [10] *Ephes.*, II, 4. — [11] *Rom.*, VIII, 32. — [12] *Hebr.*, II, 10. — [13] Inf., XVIII, 31. — [14] *Exod.*, XXXIV, 30. — [15] II *Cor.*, III, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* consummari.

sibilis, secundum illud [1] : « Sitis, fratres, sine querela, » etc. Sequitur : « In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. » Nec mirum, quia tales conformantur Domino Jesu Christo, secundum illud [2] : « Induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus. » Sequitur : « Sed induimini Dominum Jesum Christum. » Non solum hoc; sed etiam Moyses et Elias colloquuntur, quia in oratione datur homini intelligentia Scripturarum et mysteriorum propositorum, secundum illud [3] : « Ingressus est Daniel domum suam, sociisque suis indicavit negotium, ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto. » Sequitur : « Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est. » Et Sapiens [4] : « Optavi, et datus est mihi sensus : invocavi, et venit mihi Spiritus sapientiæ. » Ideo autem Moyses et Elias loquuntur cum Domino transfigurato ad certitudinem visionis, quia, ut dicit Richardus : « Nulli revelationi omnino adhærendum est, nisi per Novum vel Vetus valeat confirmari Testamentum. »

32. *Petrus vero et qui cum illo erant*, etc. Post demonstrationem gloriæ promissæ, subjungit hic Evangelista contemplationem demonstratæ. Hanc autem narrat satis sufficienter, quia secundum statum quadruplicem : primo, quantum ad initium; secundo, quantum ad progressum, ibi (v. 33) : *Factum est, cum discederent ab illo*, etc.; tertio, quoad consummationem, ibi (v. 34) : *Hæc autem illo loquente*, etc.; quarto, quoad subtractionem, ibi (v. 36) : *Et dum fieret vox*, etc. Sciendum quod ad contemplationem divinarum revelationum, occurrunt duo quasi in principio : scilicet gravamen ex parte naturæ, et juvamen ex parte gratiæ. Primum soporat, et secundum excitat.

Primo igitur, quantum ad gravamen ex parte naturæ obdormientis, dicitur : *Petrus vero et qui cum illo erant, gravati erant somno :* et ita omnes deficiebant. Nec mirum, quia infirmitate circumdati erant. Unde *Sapiens* [5] : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. » Cum enim natura sensuum exteriorum impediat ne intellectus noster figat oculum in lumen æternum, oportet in contemplationis principio, ut homo, quasi consopitus, a sensibus alienetur quasi per somnum, qui non fit sine gravamine sensuum. Unde anima contemplativa [6] : « Ego dormio, et cor meum vigilat. « Et *Job* [7] : « Quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos, instruit disciplina. « Et de hoc dicitur [8] : « Immisit Dominus Deus soporem in Adam. »

Secundo vero, quantum ad juvamen ex parte gratiæ excitantis, subditur : *Et evigilantes, viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.* Hæc vigilia est per desiderium et amorem Spiritus sancti, secundum illud *Isaiæ* [9] : « Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Hic autem potissime necessaria est oratio; unde Dominus Petro et sociis [10] : «Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem : spiritus quidem promptus est, » etc. Et item [11] : « Videte, vigilate, et orate; » subdit : « Quod autem vobis dico, omnibus dico; vigilate. » Ad hanc autem vigiliam præcipue nos invitat promissum præmium, secundum illud [12] : « Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, » etc. Invitat etiam prævisum periculum, secundum illud [13] : « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, » etc. Et item dicitur [14] : « Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua

[1] *Philip.*, II, 15. — [2] *Rom.*, XIII, 12-14. — [3] *Dan.*, II, 17, 19. — [4] *Sap.*, VII, 7. — [5] Ibid., IX, 15. — [6] *Cant.*, V, 2. — [7] *Job*, XXXIII, 15. — [8] *Gen.*, II, 21. — [9] *Isa.*, XXVI, 9. — [10] *Matth.*, XXVI, 41. — [11] *Marc.*, XIII, 33, 37. — [12] Inf., XII, 37. — [13] I *Petr.*, V, 8. — [14] *Matth.*, XXIV, 43.

hora fur venturus esset, vigilaret utique, » etc. Maxime autem centemplationi necessaria est vigilia, quia citissime subtrahitur oblata gratia. Unde in *Canticis* [1] : « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat atque transierat. » In hac autem evigilatione videtur divina majestas in creaturis, secundum illud [2] : « A magnitudine speciei et creaturæ, » etc. Unde *Isaias* [3] : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et plena, » etc. Videtur divina humilitas in Scripturis; propter quod dicit : *Et duos viros*, id est Legem et Prophetas, de qua visione infra [4] : « Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et iterum incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus, » etc. Propter istos duos modos contemplandi, factus est duplex liber, scripturæ et creaturæ, qui designantur in ascensu et descensu [5] per scalam Jacob; per egressum et ingressum [6] per ostium; per aquilam et ejus pullos [7] : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila? » Et post : « Pulli ejus lambunt sanguinem. »

33. *Et factum est, cum discederent*, etc. Post contemplationis exordium, subjungit contemplationis progressum. In quo duo potissime requiruntur, scilicet excedens gaudium de dono concesso, et excedens desiderium de continuando, secundum illud [8] : « Spiritus meus super mel dulcis. » Sequitur : « Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. » Per hæc enim duo anima in actu contemplationis figitur, sicut comedens in cibo per solatium simul et desiderium. Primo ergo, quantum ad gaudium de dono concesso, dicitur : *Et factum est*, *cum discederent ab illo*, id est, discedere vellent; *ait Petrus ad Jesum : Præceptor : Bonum est nos hic esse*. In quo ostendit Petrus miro modo sibi contemplationis gloriam esse acceptam. Quasi dicat illud Prophetæ [9] : « Mihi autem adhærere Deo bonum est : » quia, sicut dicitur [10] : « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. » Et propterea dicebat Petrus : *Bonum est nos hic esse;* quia bonum est Christum expectare, secundum illud [10] : « Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. » Magis bonum est Christum degustare [11] : « Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus. » Unde et *Sapiens* [12] : « O quam bonus et suavis est spiritus tuus, Domine, in omnibus! » scilicet rectis corde, secundum illud [13] : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! » Unde, in persona Christi et animæ contemplativæ, dicit Helcana Annæ uxori suæ [14] : « Anna, cur fles? » etc.; sequitur : « Et quamobrem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum quam decem filii? » Sed maxime bonum cum Christo gaudere, secundum illud [15] : « Dissolvi cupio et esse cum Christo, multo magis melius. » Et in *Matthæo* (*a*) [16] : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. « Primum ergo bonum, quia meritum; secundum magis bonum, quia viaticum; sed tertium maxime bonum, quia præmium. Omnibus his modis volebat dicere Petrus, maxime ratione gaudii : *Bonum est nos hic esse*.

Secundo vero, quantum ad desiderium de dono continuando, adjungitur : *Et faciamus tria tabernacula*, ad continuandum gaudium nostrum; sicut filii Israel fuerunt in figura, secundum illud [17] : « Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel. » Quia tamen non uniformiter desiderabat consortium illorum trium; ideo non uniformiter omnibus, sed cuilibet optat fieri proprium tabernaculum. Unde addit : *Unum tibi*, tanquam principali; *et unum Moysi*, tanquam legislatori; *et unum Eliæ*, tanquam excellenti

[1] *Cant.*, v, 6. — [2] *Sap.*, XIII, 5. — [3] *Isa.*, VI, 1. — [4] Inf., XXIV, 45, 46. — [5] *Gen.*, XXVIII, 12. — [6] *Joan.*, X, 9. — [7] *Job*, XXXIX, 27, 30. — [8] *Eccli.*, XXIV, 27, 29. — [9] *Psal.* LXXII, 28. — [10] *Thren.*, III, 25, 26. — [11] I *Petr.*, II, 3. — [12] *Sap.*, XII, 1. — [13] *Psal.* LXXII, 1. — [14] I *Reg.*, I, 8. — [15] *Philip.*, I, 23. — [16] *Matth.*, XXV, 21. — [17] *Levit.*, XXIII, 42, 43. — (*a*) *Cæt. edit.* Matthæus.

prædicatori; ut sic secundum diversitates dignitatum distinguantur habitacula mansionum. Sic enim erit in regno cœlorum, secundum illud[1] : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Hoc autem dicebat Petrus per excessivum desiderium, quod solet esse in contemplantibus. Et propter hoc additur : *Nesciens quid diceret,* scilicet præ nimietate desiderii, secundum illud[2] : « Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi; » et propter profuditatem mysterii, secundum illud[3] : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallis, et inspicerem, » etc.; et paulo post : « Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab. » Et ex hac duplici causa, nesciebat Petrus quid dicebat. Unde in Glossa : « Etsi Petrus pro humana conditione nesciat quid dicat; in siti tamen dat ardoris indicium, dum eos quos videre delectat, etiam obsequio sistere quærit. » Errabat autem, quia in terra et in hac mortali carne sibi et coapostolis suis dari cupiebat regnum, quod in cœlis et carne mortali expoliatis est promissum.

Notandum autem quod Petrus decipiebatur : primo, quia volebat manere in statu, a quo est transeundum; dicitur enim[4] : « Non habemus hic manentem civitatem : » Petrus autem volebat manere hic. In quo etiam reprehensibiles sunt quidam, qui dum volunt arcem contemplationis ascendere, volunt quiescere, et ad laborem actionis recusant descendere. Et hi designantur per filios Ruben, de quibus dicitur quod voluerunt ultra Jordanem remanere, quibus ait Moyses[5] : « Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? » quasi dicat : Non. Unde Jacob vidit scalam in somnis, et angelos non quiescentes, sed ascendentes et descendentes per eam. Secundo decipiebatur in hoc, quod umbram credebat in hoc verificatam, cum tamen dicat Apostolus[6] : « Videmus nunc per speculum in ænigmate. » Et tabernaculum gloriæ credebat materiale, cum tamen sit spirituale (*a*), secundum illud[7] : « Transibo in locum tabernaculi admirabilis. » Hoc est « tabernaculum quod fixit Deus, et non homo, » sicut dicitur *ad Hebræos*[8]. Et hoc potissime cavendum est contemplativis, ne decipiantur in figuris ostensis. Tertio vero, quia dividere volebat unita; et quod erat unum, triplicare volebat : unum est enim in gloria tabernaculum Sanctorum, secundum illud[9] : « Volo, Pater, ut ubi ego sum, et illi sint mecum. » Et in *Apocalypsi*[10] : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. » Et in *Joanne* (*b*)[11] : « Fiet unum ovile et unus pastor. » Hæc autem deceptio non erat per judicium et assensum, sed magis propter mentis excessum, de quo dicitur[12] : « Sive mente excedimus, Deo, » etc. Et in *Psalmo*[13] : « Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. »

34. *Hæc autem illo loquente,* etc. Post ingressum et progressum, determinat Evangelista contemplationis statum, sive consummationem. Consummatur autem contemplatio in duobus : quorum primum est ostensio majestatis terribilis; secundum vero, revelatio veritatis credibilis.

Primo ergo, quantum ad majestatis terribilis ostensionem, dicitur : *Hæc autem illo loquente, facta est nubes.* Hæc autem erat divinam majestatem ostensura. Unde filiis Israel terribilis in nube apparebat[14] : « Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud : nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, et majestate Domini coruscante. » Similiter dicitur[15] : « Factum est, cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini : et non poterant sacerdotes minis-

[1] *Joan.*, XIV, 1. — [2] *Psal.* LXXII, 21. — [3] *Cant.*, VI, 10, 11. — [4] *Hebr.*, XIII, 14. — [5] *Num.*, XXXII, 6. — [6] I *Cor.*, XIII, 12. — [7] *Psal.* XLI, 5. — [8] *Hebr.*, VIII, 2. — [9] *Joan.*, XVII, 24. — [10] *Apoc.*, XXI, 3. — [11] *Joan.*, X, 16. — [12] II *Cor.*, V, 13. — [13] *Psal.* LXVII, 28. — [14] *Exod.*, XL, 32. — [15] III *Reg.*, VIII, 10, 11.

(*a*) *Cod. edit.* speciale. — (*b*) Joannes.

trare propter nebulam : impleverat enim gloria Domini domum Domini. » Unde nubes indicium erat supernæ gloriæ et majestatis. Et propterea subditur : *Et obumbravit eos, et timuerunt.* Sentiebant enim divinam virtutem in nube, de qua supra [1] : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi : » et ideo timuerunt propter præsentiam summæ virtutis, sicut Job qui dicebat [2] : « Semper quasi timentes super me fluctus timui Dominum. » Et Jeremias [3] : « Quis non timebit te, o rex gentium? » etc. Secundum mysticum autem sensum per nubem intelligi potest caro Christi : primo, quia contemperat lumen divinitatis oculis nostris, ut possimus intendere [4] : « Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te. » Secundo vero, quia est divinæ lucis vehiculum seper terram tenebrosam, secundum illud [5] : « Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum. » Tertio, quia ortum traxit de amaritudine et pœnalitate naturæ humanæ, mediante Virgine Maria; quod figuratum est [6] : « Ecce nubecula (*a*) parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. » Quarto, quia aquam gratiæ salutaris, quam hausit, in sui origine effundit, cum agitatur vento orationis. Unde dicitur [7] : « Medicina omnium in festinatione nebulæ. » Ex hoc erudiuntur contemplativi, ut non tantum erigant oculos ad lucem deitatis radiantem, sed etiam nubem humanitatis obumbrantem. Quod figuratum est, cum dixit Dominus Nathanaeli [8] : « Videbitis angelos Dei, » id est contemplativos, « ascendentes et descendentes supra filium hominis, » quia in humanitate latet divina majestas.

Secundo vero, quantum ad veritatis credibilis revelationem, adjungitur : *Intrantibus illis in nubem,* scilicet excitantem ad reverentiam, juxta quod dicitur [9] : « Ingressus Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, » ubi audivit divinas revelationes. Unde et nunc subditur (v. 35) : *Et vox facta est de nube dicens : Hic est filius meus dilectus.* Discrete ipsum demonstrat, ut ostendat, quod ipse solus est filius per naturam. Unde in *Psalmo* [10] : « Ex utero ante luciferum genui te. » Et ponuntur ibi discretiones, tum in hoc quod dicit, *Hic*; tum in hoc quod dicit, *Meus*; tum in hoc quod dicit, *Dilectus* : in quo declarat proprietatem filiationis in Christo esse personalem, et connaturalem, et coæqualem. Ostenditur personalis per pronomen *Hic,* quod certam demonstrat personam. Unde ipse dicebat ad demonstrationem personæ suæ [11] : « Principium, qui et loquor vobis. » Ostenditur connaturalis, per hoc quod dicitur : *Meus*; secundum illud *Psalmi* [12] : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te; » quia alium non habet patrem nisi Deum, ad cujus distinctionem dicitur [13] : « Ascendo ad patrem meum, et patrem vestrum. » Ostenditur etiam coæqualis in hoc quod addit : *Dilectus,* id est, præcipue et summe electus. Unde [14] : « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. » Et in *Joanne* (*b*) [15] : « Pater diligit filium, et omnia demonstrat ei. » Et quia ista veritas adeo (*c*) erat credibilis, ut omnia dicta Christi ostenderet esse credenda, ideo adjungit : *Ipsum audite,* non aure solum corporis, sed etiam cordis, sicut Propheta in *Psalmo* [16] : « Audiam quid loquatur in me Dominus. » *Audite,* inquam, cum omni reverentia, secundum consilium [17] : « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. » *Ipsum audite,* cum omni obedientia, secundum illud [18] : « Qui audit me, non confundetur; et qui operantur in me, non peccabunt. *Ipsum audite,* cum omni diligentia; unde infra [19] : « Omnis populus suspensus erat,

[1] Sup., I, 35. — [2] *Job,* XXXI, 23. — [3] *Jerem,* X, 7. — [4] *Exod.,* XIX, 9. — [5] *Isa.,* XIX, 1. — [6] III *Reg.,* XVIII, 44. — [7] *Eccli.,* XLIII, 24. — [8] *Joan.,* I, 51. — [9] *Exod.,* XXIV, 18. — [10] *Psal.* CIX, 3. — [11] *Joan.,* VIII, 25. — [12] *Psal.* II, 7. — [13] *Joan.,* XX, 17. — [14] *Cant.,* V, 12. — [15] *Joan.,* V, 20. — [16] *Psal.* LXXXIV, 9. — [17] *Eccli.,* XXXII, 9. — [18] Ibid., XXIV, 30. — [19] Inf., XIX, 48.

(*a*) *Cæt. edit.* nebula. — (*b*) Joannes. — (*c*) a Deo.

audiens illum. » Hæc autem vox firmavit corda discipulorum, ut etiam ipsa eorum doctrina ex hoc fieret authentica, secundum illud [1] : « Non enim indoctas (*a*) fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis : accipiens enim a Deo Patre, » etc., usque ibi : « Cum essemus cum ipso in monte sancto. »

36. *Et dum fieret vox,* etc. Hic ultimo, post contemplationis consummationem, colligit Evangelista ipsius subtractionem; circa quam duo introducit Evangelista : primum est reditus visionis solitæ; secundum, occultatio visionis ostensæ.

Primo ergo, quantum ad reditum visionis solitæ, dicitur : *Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus*, scilicet absque Moyse et Elia, sicut et ante cum eis erat. Et hoc est quod desiderabat Sponsa [2] : « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat ? » Et hic ideo solus cum eis inventus est, ut intelligant transitum Legis et Prophetiæ, et permanentiam veritatis evangelicæ, juxta quod dicitur [3] : « Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. » Unde in Glossa : « Solus cernitur, quia Legis et Prophetarum umbra discedente, verum lumen, coruscante Evangelii gratia, reperitur. » Vel ut ostendat, quod ipse est solus qui adorandus est, et cui soli tabernaculum ædificandum, juxta illud [4] : « Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. » Vel ut ostendat, quod ipse solus est qui potest salvare; unde dicitur [5] : « Nec enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » Et alibi [6] : « Jesus autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest. » Sequitur : « Semper vivens ad interpellandum pro nobis. »

Secundo vero, quantum ad occultationem visionis ostensæ, subditur : *Et ipsi tacuerunt.* Sciebant enim scriptum esse [7] : « Sacramentum regis abscondere, bonum est. » Nondum enim erat tempus loquendi, sed magis occultandi, secundum illud [8] : « Tempus tacendi, et tempus loquendi. » Et alibi [9] : « Est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabit tempus. » Et tales fuerunt Apostoli; propter quod additur : *Et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant;* non quod vellent ex avaritia occultare, sed magis ex divina obedientia reticere. Præceperat enim hoc eis Dominus, secundum illud [10] : « Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat. » Hujus autem prohibitionis triplex potest ratio assignari : una fuit informatio contemplativorum, quorum est celare divinum secretum, secundum illud [11] : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi. » Unde Maria celavit partum virginalem annis triginta; Elisabeth conceptum mensibus quinque, sicut dicitur supra [12] : « Occultabat se mensibus quinque; » Paulus raptum quatuordecim annis [13] : « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, » etc. Secunda ratio fuit informatio prædicatorum, ut verbum veritatis non proponant, nisi videant capacitatem auditorum ad credendum et suspiciendum verbum, secundum illud [14] : « Ubi auditus non est, non effundas sermonem. » Unde in Glossa : « Domino jubente tacent, donec filius hominis a mortuis resurgat : ne incredibile sit pro rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes sequens crux scandalum faciat. » Et Hieronymus ait : « Utique doctoris est, audientium considerare personas, ne irrideant antequam audiant. » Tertia ratio fuit instructio universorum, ut nemo velit laudari, nec quis audeat laudare in hac vita, secun-

[1] II *Petr.*, I, 16-18. — [2] *Cant.*, VIII, 1. — [3] *Matth.*, XXIV, 35. — [4] *Deut.*, VI, 18. — [5] *Act.*, IV, 12. — [6] *Hebr.*, VII, 24, 25. — [7] *Tob.*, XII, 7. — [8] *Eccle.*, III, 7. — [9] *Eccli.*, XX, 6, 7. — [10] *Matth.*, XVII, 9. — [11] *Isa.*, XXIV, 16. — [12] Sup., I, 24. — [13] II *Cor.*, XII, 2. — [14] *Eccli.*, XXXII, 6. — (*a*) *Vulg.* doctas.

dum illud [1] : « Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. » Unde Ambrosius [2] : « Lauda post mortem, prædica post consummationem. »

37. *Factum est autem in sequenti die,* etc. Post demonstrationem gloriæ promissæ, et contemplationem gloriæ demonstratæ, subditur hic confirmatio gloriæ demonstratæ in miraculosa curatione dæmoniaci, muti et lunatici. Circa hujus curationem tria introducuntur ab Evangelista ad ipsius explicationem perfectam. Primum est opportunitas disponens; secundum est potestas efficiens, ibi (v. 41) : *Respondens autem Jesus ait,* etc. Tertium est utilitas consequens, ibi (v. 44) : *Stupebant autem omnes*, etc. Opportunitas autem disponens colligitur ex tribus, scilicet ex præsentia multitudinis occurrentis, ex instantia hominis obsecrantis, ex violentia dæmonis obsidentis. Introducit igitur primo multitudinis occurrentis præsentiam, cum ait : *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte,* revertendo scilicet ad plana. *Occurrit illi turba multa,* quia credebant et sperabant videre signa, secundum illud [3] : « Sequebatur Jesum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. » Et nota quod non comitatur turba ascendentem, quia non capit sublimia; unde [4] : « Non poterit vulgus ascendere in montem. » Occurrit autem descendenti, quia libenter amplectitur Christi humilia. Unde *Matthæus* ait [5] : « Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. » Ex hoc etiam potest spiritualiter intelligi, quod paucorum est otium contemplationis, quod designatur per ascensum in montem; sed multorum est exercitium actionis, quod designatur per ejus descensum, et turbam occurrentem. Quod designatum fuit in arca Noe, quæ cum esset [6] trecentorum cubitorum in imo, consummata est, in summo, in cubitu uno. Et ideo apex montis competit contemplantibus, et campestria plana laborantibus, juxta illud [7] : « Ascendunt montes, et descendunt campi. » Et hoc est quod dicit Beda in Glossa [8] : « In monte orat, docet, majestatem suam demonstrat, Patris vocem apostolis pandit; descendens autem a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos spiritus expellit. » Ubi tangit quatuor actus contemplativæ, quos designavit in montis ascensu, qui sunt oratio, lectio, contuitio divinorum, et revelatio secretorum; et quatuor activæ, qui designantur in descensu. Quadrupliciter enim debet prælatus in exercitio actionis condescendere subditis suis, scilicet visitando, compatiendo, vitia increpando, et necessitates relevando. Secundum litteram vero, descendenti turba occurrit, quia cupiebant videre expulsionem dæmonis, quæ non potuit fieri a discipulis, sicut paulo post subditur (v. 40) : *Rogavi discipulos tuos ut ejicerent illud, et non potuerunt.* Ex tanta igitur præsentia et desiderio populi, colligitur opportunitas miraculi faciendi.

Secundo vero introducit hominis obsecrantis instantiam, cum ait (v. 38) : *Ecce vir de turba exclamavit.* In hoc ostendit affectum in supplicando, secundum illud [9] : « Exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. » Unde in *Machabæis* [10] : « Exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cœlum. » Et de Samuele dicitur [11] quod « contristatus clamavit ad Dominum tota nocte. » Et quod hic esset clamor orationis, patet per hoc quod sequitur : *Dicens : Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi.* In qua oratione fatetur Christi excellentiam, offert reverentiam, petit clementiam, et allegat indigentiam : et sic est oratio satis perfecta. Cum dicit : *Magister*, excellentiam confitetur, juxta quod dicitur discipulis [12] : « Vocatis me : Magis-

[1] *Eccli.*, XI, 30. — [2] Imo, quicumque sit auctor serm. XV, *de Natal. Dom.*, et habetur inter serm. S. Maximi. — [3] *Joan.*, VI, 1. — [4] *Exod.*, XIX, 23. — *Matth.*, VIII, 1. — [6] *Gen.*, VI, 15, 16. — [7] *Psal.* CIII, 8. — [8] Bed., *in Luc.*, c. IX, lib. III, c. XXXIX. — [9] *Psal.* XXX, 23. — [10] I *Mach.*, IV, 40. — [11] I *Reg.*, XV, 10, 11. — [12] *Joan.*, XIII, 13.

ter et Domine; et bene dicitis. » Ideo autem vocat eum Magistrum, quia existimabat eum plura posse et scire quam discipulos, qui non potuerant nec sciverant curare filium suum; et propterea dicebat Dominus discipulis [1] : « Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. » In hoc autem quod addit : *Obsecro te*, exhibet reverentiam : obsecrantis enim est se humiliare et revereri, juxta quod dicitur [2] : « Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem. » Et hoc potissime debet homo facere in oratione. Nam dicitur [3] : « Oratio humiliantis se nubes penetrabit. » In hoc vero quod addit : *Respice in filium meum*, petit misericordiam, secundum illud [4] : « Miserere nostri, Deus omnium, respice in nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum. » De quo dicitur [5] : « Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum. » In hoc quod addit : *Quia unicus est mihi*, allegat indigentiam, quasi diceret illud [6] : « Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego. » Unicus enim filius tenere diligitur, juxta illud [7] : « Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam; » et cum dolore perditur, unde dixit Jacob de Benjamin [8] : « Ipse solus remansit; si quid ei adversitatis acciderit in terra, ad quam pergitis deducetis, canos meos cum dolore ad inferos. »

Tertio vero adjungit dæmonis obsidentis violentiam, cum addit (v. 39) : *Et ecce spiritus reprehendit eum, et subito clamat.* Ex quo apparet quod dæmon affligebat afflictione repentina. Unde dicitur de isto eodem [9] : « Miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur, et sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam. » Unde talis infirmitas erat repentina, sicut est infirmitas arreptivorum. Talis autem erat Saul, de quo dicitur [0], quod « quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, » etc. In quo designatur quod verus David Christus dæmoniacam violentiam domaturus erat. Nec tantum erat repentina, sed etiam afflictiva; unde addit : *Et elidit et dissipat eum cum spuma :* quod est signum magni doloris et afflictionis. Unde poterat jam dicere [11] : « Dissipata sunt ossa mea secus infernum, » quia a spiritu infernali dissipabatur. Nec tantum erat afflictiva, sed etiam diuturna; propter quod addit : *Et vix discedit dilanians eum.* Unde poterat iste dicere illud *Job* [12] : « Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. » Et quod passio ista esset magnæ durationis et difficultatis, apparet propter difficultatem curationis. Unde adjungit (v. 40) : *Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illud, et non potuerunt.* Ratio autem hujus fuit, quia non poterat per potestatem terrenam, secundum illud *Job* [13] : « Non est super terram potestas, » etc. Et tunc aberat divinæ efficaciæ potestas propter incredulitatem humanam; unde dixerunt discipuli Domino [14] : « Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. » Nam dicitur [15] : « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. »

Secundum spiritualem autem intelligentiam, in hoc dæmoniaco sic vexato intelligitur homo qui possidetur a peccato spirituali, qui apprehenditur per superbiam : quæ primo facit quod diabolus manum extendat in hominem, secundum illud [16] : « Ipse est rex super universos filios superbiæ. » Secundo, clamat per jactantiam [17] : « Expectavi ut faceret, » etc.; sequitur : « Et justitiam, et ecce clamor. » Tales erant Pharisæi secundum illud [18] : « Dilatant phylacteria sua, magnificant fimbrias, amant autem primos recubitus in cœnis, » etc. Tertio vero, elidit per invidiam, secundum

Spiritualis sensus.

[1] *Matth.*, XXIII, 10. — [2] I *Tim.*, V, 1. — [3] *Eccli.*, XXXV, 21. — [4] Ibid., XXXVI, 1. — [5] *Psal.* CI, 18. — [6] *Psal.* XXIV, 16. — [7] II *Reg.*, I, 26. — [8] *Gen.*, XLII, 38. — [9] *Matth.*, XVII, 14. — [10] I *Reg.*, XVI, 23. — [11] *Psal.* CXL, 7. — [12] *Job*, XIX, 12. — [13] *Job*, XLI, 24. — [14] *Matth.*, XVII, 18, 19. — [15] *Marc.*, IX, 22. — [16] *Job*, XLI, 25. — [17] *Isa.*, V, 2, 4, 7. — [18] *Matth.*, XXIII, 5, 6.

illud *Job* [1] : « Elevasti me, quasi super ventum ponens, per arrogantiam; elisisti valide, per invidiam, » quia [2] : « parvulum occidit invidia. » Quarto vero dissipatur per iracundiam, quæ omnes cogitationes conturbat, secundum illud *Job* [3] : « Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. » Et in *Psalmo* [4] : « Dissipati sunt, nec compuncti; » sequitur : « Frenduerunt super me dentibus suis. » Quinto dilaniat per cordis mœstitiam, quæ præcipitat in impatientiam, et per hanc dilaniatur in conscientia; unde [5] : « Tristitia cordis flectit cervicem, » etc. Et hinc est quod vix discedit propter perfidiam [6] : « Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. »

41. *Respondens autem Jesus dixit*, etc. Nunc post opportunitatem disponentem (*a*), explicat secundo Evangelista potestatem efficientem, quæ hic describitur ut æqua, ut pia, et ut magna. Primo describitur ut æqua in argutione cordis increduli, cum dicit : *O generatio infidelis et perversa*, ut infidelitas sit in cognitione, et perversitas in affectione, secundum illud [7] : « Generatio enim perversa est, et infideles filii. » Infidelitas reddebat eos stultos, et perversitas duros, secundum illud [8] : « Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. » Ideo non solum sunt admonendi, sed etiam fortiter increpandi; propterea addit : *Usquequo ero apud vos*, vobis scilicet faciens bona, *et patiar vos*, sustinens scilicet vestra mala? Quod non dicit propter impatientiam, cum ipse sit de quo dicitur [9] : « Qui solem suum facit oriri super bonos et malos. » Et supra [10] : « Ipse benignus est super ingratos et malos. » Sed hoc dicit, ut per increpationem duram, expellat cordis duritiam, secundum illud [11] : « Increpa illos dure, ut sani sint in fide. »

Secundo describitur ut pia in advocatione infantis obsessi, cum dicit : *Adduc huc filium tuum*, scilicet ad præsentiam Salvatoris, ut jam videatur impletum illud [12] : « Afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. » *Adduc*, inquam, per fidem tuam eum, qui non potest venire per fidem suam, sicut illi viri apportaverunt paralyticum; de quibus dicitur [13] : « Quorum fidem ut vidit Jesus, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua. » Unde Dominus dixit huic viro [14] : « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. » Fides est enim illa, qua mediante quis ducitur ad Christum, quia ipsa est via deveniendi ad Deum. Unde Apostolus [15] : « Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem, » etc. Et quia [16] non est « conventio Christi ad Belial, nec societas luci ad tenebras, » ideo additur (v. 42) : *Et cum accederet, elisit illum dæmonium et dissipavit.* In quo ostenditur, quod ipse invitus veniebat ad lucem, tanquam male agens, secundum illud [17] : « Qui male agit, odit lucem. » Simul etiam cum hoc ostenditur quod diabolus maxime adversatur, ne quis ab eo obsessus convertatur ad Christum, secundum quod dicit Beda in Glossa [18] : « Dum puer ad Dominum accedit, eliditur, quia conversi ad Dominum plerumque a dæmone gravius pulsantur, ut ad vitia revertantur. » Cujus exemplum habemus de Pharaone, qui persequebatur populum recedentem.

Tertio describitur ut magna in expulsione spiritus immundi, cum additur (v. 43) : *Et increpavit Jesus spiritum immundum*, quasi solo verbo compescens eum, secundum illud supra [19] : « Increpans non sinebat ea loqui. » Unde Angelus Domini dicebat [20] : « Increpet Dominus in te, Satan. » Et quod illa increpatione ejectum est dæmonium, subditur : *Et sanavit puerum.* Unde illa increpatio

[1] *Job*, XXX, 22. — [2] Ibid., V, 2. — [3] Ibid., XVII, 11. — [4] *Psal.* XXXIV, 16. — [5] *Eccli.*, XXXVIII, 19. — [6] *Sap.*, XII, 10. — [7] *Deut.*, XXXII, 20. — [8] *Eccle.*, I, 15. — [9] *Matth.*, V, 45. — [10] Sup., VI, 35. — [11] *Tit.*, I, 13. — [12] *Isa.*, XLIX, 22. — [13] Sup., V, 20. — [14] *Marc.*, IX, 22. — [15] *Hebr.*, XI, 5. — [16] II *Cor.*, VI, 14, 15. — [17] *Joan.*, III, 20. — [18] Bed., ubi sup. prox. — [19] Sup., IV, 41. — [20] *Zach.*, III, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* disponendam.

erat salutis; propter quod Job ait [1] : « Increpationem Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt. » Et quia hoc meruerat fides patris, ideo addit : *Et reddidit illum patri ejus,* ad leniendum dolorem ipsius, ut possit dicere unico suo illud Jacob [2] : « Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. »

In hoc facto autem spiritualiter eruditur prælatus, qualiter subditum a diabolo per peccatum obsessum reddere debet Regi cœlorum, scilicet increpando et sanando : increpando per justitiam, et sanando per clementiam. Debet autem esse rigor justitiæ respectu culpæ, sed dulcor clementiæ respectu naturæ. Unde Augustinus [3] : « Fiat correptio cum dilectione hominum, et odio vitiorum. » Et Gregorius [4] : « Districtionem debemus vitiis, et compassionem naturæ. Vera namque justitia compassionem habet, falsa justitia indignationem (*a*). » Unde et infra [5] dicitur de Samaritano curante vulneratum, quod plagis ejus infudit (*b*) vinum, et oleum; vinum mordens, et oleum leniens, secundum duo quæ dicta sunt.

44. *Stupebant autem omnes*, etc. Post opportunitatem disponentem, et potestatem efficientem, subdit hic Evangelista utilitatem consequentem. Et hæc fuit duplex : prima universalis, secunda particularis. Prima fuit excitatio universorum ad reverentiam majestatis; secunda fuit sollicitatio discipulorum ad intelligentiam veritatis. Primo igitur, quantum ad excitationem universorum ad majestatis reverentiam, dicitur : *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei,* quia magna erat potentia, quæ tam magnum morbum in tam parvo tempore, tam parvo verbo perfecte curavit. Unde decantabant illud [6] : « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus. » Et illud *Hieremiæ* [7] : « Magnus es tu, Domine, et magnum nomen tuum in fortitudine. » Et in *Exodo* [8] : « Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. »

Secundo vero, quantum ad sollicitationem discipulorum ad veritatis intelligentiam, additur : *Dixit autem ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos;* quasi diceret eis : Aliis recognoscentibus et admirantibus magnitudinem miraculorum, vos cogitate humilitatem futurorum opprobriorum et pretiosi sanguinis, quo mundus redimendus est : eventum mente recondite, dum cæteri mirantur tantum facta divinæ altitudinis. Unde : *Ponite,* id est, in memoria habete, secundum illud [9] : « Pone me ut signaculum supra cor tuum. » Ideo autem, post ostensionem miraculi, adjungit prædictionem futuri supplicii, ne subito veniens passio discipulos omnino concutiat. Unde *Ecclesiasticus* [10] : « In die bonorum ne immemor sis malorum. » Et ne aliquis prosperitatis tempore extollatur, secundum illud [11] : « Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. » Et ideo *Ecclesiasticus* [12] : « Nec in die honoris tui extollaris. » Sermones vero quos vult ad memoriam reduci, sunt de passione; unde addit : *Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. Tradatur,* inquam, ex clementia a Deo Patre [13] : « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, » etc. Tradetur ex obedientia a seipso [14] : « Pro eo quod tradidit in mortem animam suam. » Tradetur ex malitia a Juda proditore [15] : « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. » Et in hoc implicat totam passionem. Et quoniam hoc erat occultum mysterium, ideo additur (v. 45) : *At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud :* quia adhuc rudes erant et animales, nec intelligebant præterita a Deo facta, nec futura.

Christus diversis diversi mode in passionem traditur.

[1] *Job*, v, 17. — [2] *Gen.*, XLVI, 30. — [3] Aug., *Regul. ad serv. Dei*, n. 7. — [4] Greg. *in Evang.*, hom. XXXIV, n. 2. — [5] Inf., x, 34. — [6] *Psal.* CXLVI, 5. — [7] *Jerem.*, x, 6. — [8] *Exod.*, XV, 11. — [9] *Cant.*, VIII, 6. — [10] *Eccli.*, XI, 27. — [11] *Prov.*, XXVII, 1. — [12] *Eccli.*, XI, 4. — [13] *Rom.*, VIII, 32. — [14] *Isa.*, LIII, 12. — [15] *Matth.*, XXVI, 23.

(*a*) *Al.* dedignationem. — (*b*) infundit.

Unde *Ecclesiastes* (*a*) [1] : « Quia (*b*) ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio. » Imo et quia adhuc non erant perfecte eruditi; ideo additur : *Et timebant eum interrogare de hoc verbo.* Nondum enim audierant ab illo illud *Joannis* [2] : « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, » etc. Hujus autem ignorantiæ triplex erat ratio : partim enim veniebat ex amore charitatis; partim ex fide divinitatis; partim ex consueto modo loquendi Christi in parabolis. Et hoc tangit Glossa Bedæ [3]. Licet autem sciret Dominus eos ignorare, prædixit tamen eis, ut postmodum narravit post resurrectionem, quando eos increpavit, infra [4] : « O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum? » etc. Unde hujus rationem reddit [5] : « Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatatis. » Tum etiam ut, sicut dictum est, in omni nostra exaltatione doceat mortis et humilitatis nostræ habere memoriam. Unde *Ecclesiasticus* (*c*) [6] : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. »

46. *Intravit autem cogitatio,* etc. Hæc est tertia pars hujus partis, in qua agitur de missione Apostolorum; ubi post explicationem formæ prædicandi, et viæ proficiendi, explicatur norma præsidendi. Apostoli enim gerebant personam prædicatorum, virorum perfectorum, et prælatorum. Quoniam autem prælatis ad plebem regendam sunt necessaria tria, scilicet humilitas animi, æquanimitas zeli, et perspicacitas judicii; ideo pars ista tres habet partes : in quarum prima informat ad animi humilitatem; in secunda, ad zeli æquanimitatem, ibi (v. 51) : *Factum est autem, dum complerentur*, etc.; in tertia, ad judicii perspicacitatem, ibi (v. 57) : *Factum est autem, ambulantibus illis,* etc. Prima pars habet duas : primo enim informat ad humilitatem respectu domesticorum; secundo vero, respectu extraneorum, ibi (v. 49) : *Respondens autem Joannes dixit*, etc. In persuasione autem humilitatis ad domesticos habenda, tria introducuntur ab Evangelista : primum est laudandæ humilitatis occasio propter suum contrarium; secundum est laudativa manuductio per sensibile exemplum; tertium est perfectæ laudis conclusio per diffinitivum judicium. Primo ergo introducitur laudandæ humilitatis occasio, et hoc propter suum contrarium repellendum, cum dicit : *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.* Et nota quod Lucas dicit in eis cogitationem intrasse; et Marcus dicit [7] eos disputasse; Matthæus dicit [8] eos Dominum interrogasse. Non est contradictio, quia hoc totum potuit esse, ut primo intraret cogitatio, deinde sequens disputatio, et postremo ad Magistrum deferretur quæstio : et quod unus Evangelista reticet, alius dicit. Hæc autem cogitatio via erat ad superbiam, et intraverat in eos ex corruptione antiqua, de qua dicitur [9] : « Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua : » et maxime ad superbiam, quia, sicut dicitur [10] : « Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. » Ideo viro superba cogitanti dicitur [11] : « Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? » Tales erant tunc Apostoli contra consilium *Ecclesiastici* [12] : « Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua. » Ista autem superba cogitatio habuit ingressum ex hoc, quod tres discipulos duxerat in montem secum. Et tamen soli (*d*) Petro dixerat [13] : « Tibi dabo claves regni cœlorum. » Ideo quidam volebant Joannem Petro parificare, alii volebant Petrum præferre. Et hoc est quod dicitur in Glossa [14] : « Quia viderant Petrum, » etc.

Prælatis tria sunt necessaria.

Humilitatis ratio erga domesticos.

[1] *Eccle.*, VIII, 7. — [2] *Joan.*, XV, 15. — [3] Bed., lib. III, c. XL, *in Luc.*, c. IX. — [4] Inf., XXIV, 25. — [5] *Joan.*, XIV, 29. — [6] *Eccli.*, VII, 40. — [7] *Marc.*, IX, 33. — [8] *Matth.*, XVIII, 1. — [9] *Gen.*, VIII, 21. — [10] *Tob.*, IV, 14. — [11] *Job*, XV, 12. — [12] *Eccli.*, VI, 2. — [13] *Matth.*, XVI, 17. — [14] Bed., ubi sup.

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiasticus.* — (*b*) *Item* qui. — (*c*) Item *Ecclesiastes.* — (*d*) *Cæt. edit.* sibi.

Secundo vero adjungitur laudativa manuductio per sensibile exemplum, cum additur (v. 47) : *At Jesus videns cogitationes cordis illorum,* tanquam verus Deus, secundum illud [1] : « Homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. » Et *Ecclesiasticus* [2] : « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes. » Et quia cogitationem videbat esse viam ad morbum, ideo tanquam sapiens medicus apponit remedium, cum ait : *Apprehendit puerum, et statuit illum secus se*, tanquam sibi conformem et propinquum. Unde dicebat [3] : « Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium enim est regnum cœlorum. » Et *Oseas* [4] : « Quia puer Israel, et dilexi eum. » Et propter hoc dicebat Sapiens [5] : « Noli me reprobare a pueris tuis; quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ. » *Secus se* igitur parvulum statuit, ut ostendat oportere fieri parvulum, qui vult esse amicus Dei. Et hoc notat, cum subditur (v. 48) : *Et ait illis : Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit.* In quo ostendit tantum affectum se habere ad parvulos et humiles, ut quod fit eis, reputet sibi fieri. Unde dicet in judicio [6] : « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Tales enim potissime acceptat, secundum illud Psalmistæ [7] : « Excelsus Dominus, et humilia respicit; » et secundum illud *Isaiæ* [8] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu? » etc. Ex hoc autem colligitur magna excellentia esse in parvulo, dum in eo recipitur Christus, non solum secundum humilitatem humanam, verum etiam secundum auctoritatem divinam. Ad quam insinuandam, addit : *Et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit.* Ex hoc colligitur, quod qui honorat et recipit parvulum Christi, recipit et honorat Deum. Magnus igitur est honor et gloria parvulorum. Ex quo persuadet eis, ne ambiant esse magni, sed studeant esse parvuli. Et ad hoc invitat Apostolus [9] : « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes; » sequitur : « Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, etc.; » subjungitur : « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. » Sic etiam faciebat Apostolus, secundum illud [10] : « Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci. » Et alibi [11] : « Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos. »

Tertio vero subjungitur perfectæ laudis conclusio per diffinitivum judicium, cum ait : *Nam qui minor est inter vos omnes*, per reputationem et humilitatem, *hic major est*, secundum divinam acceptionem et veritatem. Minimus ergo est maximus; et hoc, quia ad magna præmia ordinatus, juxta illud, infra [12] : « Qui se humiliat, exaltabitur. » Si hæc est per se vera, tanquam Dei sententia, igitur qui magis se humiliat, ille major est; et qui maxime, ille est maximus. Et ratio hujus est, quia quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiæ inaniores : et quanto inaniores a tumore superbiæ, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto majores. De ipsa enim scribitur [13] : « Major autem horum est charitas. » Et ideo dicitur [14] : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Et rursus [15] : « Magnus est judex, et potens in honore; sed non est major illo qui timet Deum. » Vel ideo minor est major, quia quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior. Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto major. Quanto quis ergo minor, tanto major; et hoc est quod ipse innuit infra [16] : « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui mi-

[1] I *Reg.*, XVI, 7. — [2] *Eccli.*, XXIII, 28. — [3] *Matth.*, XIX, 14. — [4] *Ose.*, XI, 1. — [5] *Sap.*, IX, 4. — [6] *Matth.*, XXV, 40. — [7] *Psal.* CXXXVII, 6. — [8] *Isa.*, LXVI, 2. — [9] *Philip.*, II, 3, 5, 7. — [10] I *Cor.*, IX, 19. — [11] I *Thess.*, II, 7. — [12] Inf., XVIII, 14. — [13] I *Cor.*, XIII, 13. — [14] *Eccli.*, III, 20. — [15] Ibid., X, 27. — [16] Inf., XXII, 27.

nistrat. » Et ideo dicebat [1] : « Qui major est in vobis, fiat sicut junior : et qui præcessor est, sicut ministrator. » Et [2] : « Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister; » quia dicitur [3] : « Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. » Et propter hoc Paulus attendens hæc, dicebat [4] : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » Et item [5] : « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. » Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo, quia ille honorabilior, sicut dicitur infra [6] : « Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, » etc.

Humilitatis ratio erga extraneos.

49. *Respondens autem Joannes*, etc. Post doctrinam humilitatis ad domesticos, docet humilitatem habendam ad extraneos. Circa hujus insinuationem, tria introducuntur : primo enim introducitur, ex parte viri extranei, operatio virtutis; secundo vero, ex parte discipuli, prohibitionis temeritas; tertio vero, ex parte Magistri, persuasio humilitatis.

Primo ergo introducit operationem virtutis, ex parte viri extranei, cum dicit : *Respondens autem Joannes dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia.* Quia enim Dominus persuaserat humilitatem, volens scire Joannes, utrum documentum ad extraneos se extendat, ideo respondet, et hunc extraneum mirabilia facientem introducit. Extranei autem a Christo possunt miracula facere, secundum illud [7] : « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, » etc.; sequitur : « Et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, » etc.; subjungitur : « Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem. » Hoc autem fit, quando quis habet fidem nominis Christi sine charitatis amore, secundum illud [8] : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. » Et hoc est, quia charitas est illa quæ facit amicum Christi. In hoc autem apparet virtus nominis Christi maximæ efficaciæ, dum talia operatur invocatum ab extraneis, ut merito secundum illud [9], « in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. » Unde infra [10] :« Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. »

Secundo vero introducit prohibitionis temeritatem ex parte discipuli, cum ait : *Et prohibuimus eum*, scilicet ego cum aliis : quod non fuit absque nota præsumptionis, quoniam dicitur [11] : « Noli prohibere bene facere eum qui potest; si vales, et ipse benefac. » Quia vero frequenter quod fit typo superbiæ, palliatur zelo justitiæ, ideo adjungit : *Qui non sequitur nobiscum* ; et ideo non est dignus ut sit nobis similis in opere miraculorum, qui non est similis in impletione consiliorum. In hoc autem latebat elatio, quasi diceret illud *Isaiæ* [12] : « Qui dicunt : Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. » Et apparebat æmulatio illa, de qua dicitur de viris, qui prophetaverunt in castris, absente Moyse, quod dixit Josue filius Nun [13] : « Domine mi Moyses, prohibe eos. » At ille : « Quid, inquit, æmularis pro me? » Unde Joannes, qui erat præcipuus amator Domini, et honoris ejus æmulator, omnem qui Dominum non amat, a prædicatione nominis Christi excludere volebat. Unde Beda [14] in Glossa : « Joannes diligens Dominum, et a Domino dilectus, excludendum putat a beneficio, qui non utitur obsequio. » Verumtamen fallebatur, quia [15] : « Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. »

Tertio, quantum ad persuasionem humilitatis ex parte Magistri, adjungit (v. 50) : *Et ait*

[1] Inf., XXII, 26. — [2] *Marc.*, IX, 34. — [3] *Matth.*, XX, 16. — [4] I *Cor.*, XV, 9. — [5] *Ephes.*, III, 8. — [6] Inf., XIV, 10. — [7] *Matth.*, VII, 22, 23. — [8] I *Cor.*, XIII, 2. — [9] *Philip.*, II, 9. — [10] Inf., X, 17. — [11] *Prov.*, III, 27. — [12] *Isa.*, LXV, 5. — [13] *Num.*, XI, 28, 29. — [14] Bed., lib. III, c. XL, *in Luc.*, c. IX. — [15] *Philip.*, I, 18.

illis Jesus : Nolite prohibere, sed potius humiliter sustinete (*a*), licet imperfectum ; quia[1] « debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere, » et maxime quando infirmus non est veritatis adversarius. Propter quod addit : *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.* Et ideo iste utilis est nobis et tolerabilis, cum nos non impugnet, sed adjuvet. Unde in *Ecclesiastico*[2] : « De ea re quæ te non molestat, ne certes. » Sed et huic videtur contrarium illud[3] : « Qui non est mecum, contra me est ; et qui non congregat mecum, dispergit. » Sed iste non erat cum Domino, neque sequebatur eum : ergo erat ei contrarius et discipulis ejus. Quomodo ergo erat pro eis? Ex quo datur intelligi quod in Ecclesia tria sunt genera prædicatorum : quidam sunt pastores veri, et hi quærunt solum Dei honorem et subditorum salutem, secundum illud[4] : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » Et isti sunt excipiendi et honorandi : et ii sunt imitatores Christi, sicut Timotheus Apostoli[5] : « Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi ; experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius mecum servivit in Evangelio. » Quidam vero sunt mercenarii, qui pro commodo prædicant, tamen vera et bona ; de quibus dicitur[6] : « Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est : » et isti tolerandi. Quidam sunt lupi, sicut hæretici, qui in doctrina veritatis a Christo discordant ; de quibus dicitur[7] : « Lupus rapit, et dispergit oves. » Et in *Actibus*[8] : « Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi : » et isti sunt arcendi. Et de talibus intelligitur illud *Matthæi ;* de secundis tantum loquitur in proposito. Unde[9] : « Nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. » Unde in *Actibus*[10] habetur de illis filiis Scevæ quod « tentaverunt invocare nomen Domini Jesu ; » et subditur quod spiritus nequam dixit eis : « Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? » Sequitur : « Invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa.

Tria genera prædicatorum.

51. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus*, etc. Postquam informavit apostolos et prælatos Ecclesiæ ad humilitatem animi ; informat hic secundo ad æquitatem zeli. Et habet hæc pars duas : in quarum prima introducitur occasio zeli deordinandi ; in secunda vero adjungitur correptio zeli deordinati, per quam informentur ad zeli æquitatem, et incipit secunda ibi (v. 54) : *Cum vidissent autem discipuli ejus.* Occasio autem zeli deordinandi ex tribus ortum habuit, scilicet ex Domini necessitate, qua hospitio indigebat ; et discipulorum auctoritate, qua hospitium requirebant ; ex Samaritanorum inhumanitate, qua hospitium denegabant. Primo igitur introducitur necessitas Domini, qua hospitio indigebat, quia tempus peregrinationis ejus advenerat ; quod notat, cum dicit : *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus,* id est dum appropinquaret tempus passionis ejus, per quam debebat assumi in cœlum post resurrectionem. Unde, Psalmus de Resurrectione[11] inscribitur : *De susceptione matutina.*[12] « Sciens Jesus quia venit hora ejus, » etc. Dum adveniret passionis tempus, conveniens erat accedere ad patiendi locum. Et ideo adjungit : *Et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem,* ad patiendum, quia dicitur infra[13] : « Non capit prophetam perire extra Jerusalem. » Ideo illuc, tanquam ad locum confusionis et improperii, volebat accedere. Propter quod signanter præmittit quod faciem firmavit, scilicet per constantiam et divinam patientiam, secundum illud[14] : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus (*b*) eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum ;

[1] *Rom.*, XV, 1. — [2] *Eccli.*, XI, 9. — [3] *Matth.*, XII, 30. — [4] *Joan.*, X, 11. — [5] *Philip.*, II, 21, 22. — [6] *Joan.*, X, 13. — [7] Ibid., 12. — [8] *Act.*, XX, 29. — [9] *Marc.*, IX, 38. — [10] *Act.*, XIX, 13-16. — [11] *Psal.* XXI, 1. — [12] *Joan.*, XIII, 1. — [13] Inf., XIII, 33. — [14] *Ezech.*, III, 8, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* sustinere. — (*b*) *Cæt. edit.* speciebus.

ut adamantem et silicem dedi faciem tuam. » Vere firma erat facies, quæ non (*a*) solum non fugit, sed etiam ad mortis opprobrium non concussa accessit, ita quod oportebat eum per terram alienigenarum transire, juxta illud quod dicitur infra [1] : « Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. » Et ita oportebat eum mendicare aliena hospitia, juxta illud [2] : « Quare quasi colonus es futurus in terra, et quasi viator declinans ad manendum? »

Secundo adjungitur auctoritas discipulorum, qua hospitium requirebant, cum ait (v. 52) : *Et misit nuntios ante conspectum suum.* Decet enim magnum dominum habere nuntios præcursores. Juxta quod dicitur [3] : « Ecce ego mitto angelum meum, » id est, nuntium, « qui præparabit viam ante faciem meam. » Sic etiam legimus de Jacob [4] quod « misit nuntios ante se. » Et quia boni nuntii fideliter et velociter exequuntur imperium domini, ideo additur : *Et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.* Samaritani isti fuerunt coloni positi in civitatibus Samariæ pro filiis Israel in Assyrios translatis, sicut dicitur [5] quod « rex Assyriorum adduxit de Babylone et de Cutha, » etc.; sequitur : « Et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel; qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus : » et de istis subditur postmodum ibidem, quod « fuerunt timentes Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes. » In horum civitatem intraverunt non sua voluntate, cum dicatur [6] quod « Judæi non coutuntur Samaritanis; » sed vel necessitate compulsi, quæ legem non habet, sive de mandato Domini speciali. Nam in missione apostolorum dicitur [7] : « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. » Sed illud dicitur ad prædicandum, non autem ad hospitium requirendum. Nam de hac civitate dicitur [8] quod « discipuli ejus abierant in civitatem ut cibos emerent; » et hoc de mandato Domini faciebant, qui ostendebat nullum hominem contemnendum, sed quemlibet amandum ut proximum, sicut infra dicitur [9] de Samaritano in parabola, quod « proximus fuit illi, qui incidit in latrones. »

Tertio adjungitur inhumanitas Samaritanorum, qua hospitium denegabant, cum dicitur (v. 53) : *Et non receperunt eum;* cum tamen ipse esset Dominus eorum, ut impleretur illud [10] : « In propria venit, et sui eum non receperunt. » Similis fuit inhumanitas inhumanitati illorum de Gabaa ad Levitam. Dicitur enim [11] quod « sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere volebat hospitio. » Isti Samaritani non admittebantur a Judæis ad cultum Dei; et ideo euntibus in Jerusalem erant contrarii. Et propterea subditur : *Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*, id est, quia manifeste hoc cognoscebant quod iret in Jerusalem ad colendum Deum juxta ritum judaicum. Unde mulier Samaritana dixit ei [12] : « Domine, patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet. » Et inter Judæos et Samaritanos de loco orationis erat contrarietas; sicut etiam spiritualiter nunc contingit quod viri spirituales, et colentes Deum, deridentur et despiciuntur et abjiciuntur ab iis, qui amant mundum. Unde [13] : « Ambulans recto itinere et timens Dominum, despicitur ab eo qui infami graditur via. » Et alibi [14] : « Si communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator justo. » Unde [15] : « Dixerunt impii : circumveniamus justum; » sequitur : « Quoniam contrarius est operibus nostris. » Et paulo post : « Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. » Qui enim habent dissimilitudinem vitæ, non facile habent societatem

[1] Inf., XVII, 11. — [2] *Jerem.*, XIV, 8. — [3] *Malach.*, III, 1. — [4] *Gen.*, XXXII, 3. — [5] IV *Reg.*, XVII, 24, 41. — [6] *Joan.*, IV, 9. — [7] *Matth.*, XIII, 5. — [8] *Joan.*, IV, 8. — [9] Inf., X, 36, 37. — [10] *Joan.*, I, 11. — [11] *Judic.*, XIX, 15. — [12] *Joan.*, IV, 20. — [13] *Prov.*, XIV, 2. — [14] *Eccli.*, XIII, 1. — [15] *Sap.*, II, 12, 13, 15.

(*a*) *Cæt. edit. deest* non.

viæ; et propterea Samaritani odientes Jerusalem, eunti in Jerusalem nolebant præstare humanitatem.

54. *Cum autem vidissent discipuli*, etc. Posita occasione zeli deordinandi, subjungit correptionem zeli deordinati. Circa quam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet indignatio reprehensibilis, increpatio rationalis, informatio memorialis. Primum fuit in discipulorum animo; secundum fuit in Domini verbo; tertium fuit in dominico facto. Primo igitur, quantum ad indignationem reprehensibilem in discipulorum animo, dicitur : *Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes; vidissent*, inquam, illius civitatis crudelitatem, ita ut possent dicere illud [1] : « Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. » Et iterum [2] : « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. » Unde indignatione commoti sunt, quia Dominum, cujus majestatem in monte viderant cum Moyse et Elia, sic videbant despici in terra. Propter quod additur : *Dixerunt : Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos?* In quo ostenditur indignationis furor, quo illi commoti erant, ut vellent perdere de terra. Ideo autem isti duo præcipue hoc dixerunt, quia magni erant honoris Domini zelatores. Unde poterat de eis dici illud [3] : « Testimonium perhibeo de illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam; » sicut duo filii Jacob, Simeon et Levi, zelo injuriæ sibi factæ commoti [4], destruxerunt urbem Sichimorum. Vel ideo hoc dicebant, quia ipsi fuerant cum Domino in monte, ubi cognoverant ejus potestatem, majestatem, et viderant Eliæ societatem; et ideo similem illis volebant ultionem facere, qualem Elias fecisse legitur [5] : « Dixit Elias : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta duos. » Sequitur : « Et devoravit eum et quinquaginta. »

Secundo vero, quantum ad reprehensionem rationabilem in Domini verbo, subditur (v. 55) : *Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis.* Hoc dicit, quia ipsi credebant se moveri a spiritu rectitudinis, et ipsi movebantur zelo amaritudinis : quod non debebant facere, sicut dicitur [6] : « Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. » Et propterea dicitur [7] : « Nolite omni spiritui credere : sed probate spiritus, si ex Deo sint. » Spiritus enim Christi est spiritus mansuetudinis, secundum illud [8] : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me; » et item [9] : « Ecce servus meus, suscipiam eum; » sequitur : « Dedi spiritum meum super eum. » Subjungitur [10] :« Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet. » Et hunc spiritum debebant isti habere, tanquam boni discipuli et imitatores Magistri. Et propterea addit (v. 56) : *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare :* quoniam hic adventus non erat justitiæ, sed misericordiæ, secundum illud [11] : « Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum. » Unde ab isto suum nomen accepit, ut diceretur Jesus, secundum illud [12] : « Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Et item [13] : Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis. » Et ideo qui spiritum Christi habet, non debet expetere vindictam, sed exhibere patientiam, secundum illud Ambrosii [14] in Glossa :« Perfecta, inquit, virtus non habet studium ultionis. » Nec ulla est iracundia charitatis, sed plenitudo. Ideo dicitur [15] :« Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. »

[1] *Psal.* LIV, 10. — [2] *Psal.* LXXII, 3. — [3] *Rom.*, X, 2. — [4] *Gen.*, XXXIV, 25 et seq. — [5] IV *Reg.*, I, 10. — [6] *Jac.*, III, 14. — [7] I *Joan.*, IV, 1. — [8] *Isa.*, LXI, 1. — [9] Ibid., XLII, 1. — [10] Ibid., 3. — [11] *Joan.*, III, 17. — [12] *Matth.*, I, 21. — [13] Ibid., XX, 28. — [14] Ambr., *in Luc.*, lib. VII, n. 28. — [15] *Rom.*, XII, 19.

Tertio, quantum ad informationem memorabilem in Domini facto, subditur : *Et abierunt in aliud castellum.* In quo dedit formam discipulis, ut potius fugiant homines, quam cum eis contendant. Juxta quod dedit formam discipulis suis [1] : « Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. » Exemplum autem hujus habemus in Abraham et Loth in *Genesi*, ubi dixit Abraham [2] : « Ne, quæso, sit jurgium inter me et te : fratres enim sumus. » Subjungitur : « Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo. » In quo docuit perfectam mansuetudinem, quæ decet Christi servos, secundum illud [3] : « Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse. » Unde secundum illud [4] : « Sit omnis homo tardus ad iram : ira enim viri justitiam Dei non operatur. » Si enim noluit Dominus majestatis irasci tantæ inhumanitati, quanto minus nos debemus alicui indignari? Et hæc potissime mansuetudo reperiri debet in præpositis Ecclesiæ; unde Apostolus [5] : « Argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. » Quoniam in *Psalmo* dicitur [6] : « Supervenit mansuetudo, et corripiemur. » Et Seneca : « Generosus est animus hominis; facilius ducitur, quam trahatur. » Unde ipse dicit quod rex apum non habet aculeum.

Rex apum aculeum non habet.

57. *Factum est autem, ambulantibus*, etc. Post informationem apostolorum ad normam præsidendi quantum ad humilitatem animi et æquanimitatem zeli, hic tertio loco informat eos quantum ad perspicacitatem judicii; et hoc per exemplum Jesu Christi. Perspicacitas autem judicii manifestatur in parte ista tripliciter : primo, in repulsione duplicium; secundo, in advocatione simplicium, ibi (v. 59) : *Ait autem ad alterum*, etc.; tertio, in redargutione mobilium, ibi (v. 61) : *Et ait alter : Sequar te, Domine*, etc. Circa repulsionem duplicium introducuntur duo : primum est simulatio simplicitatis; secundum, detectio duplicitatis.

Perspicacitas judicii.

Primo ergo, quantum ad simplicitatis simulationem, dicitur (*a*) : *Factum est autem, ambulantibus illis in via,* scilicet discipulis ambulantibus cum Domino in via perfectionis, sicut dicitur de Noe [7] : « Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. » Et similiter Dominus ad Abraham [8] : « Ambula coram me, et esto perfectus. » De qua via [9] : « Aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea. » Et quia in hac via frequenter mali simulatione jungi volunt bonis, ideo additur : *Dixit quidam ad illum : Sequar te, quocumque ieris.* In quo ostendebat se habere voluntatem sequendi perfecte, cum tamen aliud in corde haberet, sicut Simon Magus, de quo dicitur [10] : « Cum baptizabantur viri et mulieres, tunc Simon et ipse credidit, » et baptizatus est, malo tamen corde et duplici, sicut ex sequentibus patet. Unde Hieronymus [11] : « Iste hac intentione volebat sequi Jesum, qua Simon Magus desiderabat habere potestatem miracula faciendi, ut de miraculis divitias lucraretur. » Cujus contrarium docetur : « Ne accesseris, » inquit [12], « ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. » Tales sunt qui magna promittunt, et parva faciunt. Contra quos dicitur [13] : « Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. »

Secundo vero, quantum ad duplicitatis detectionem, adjungitur (v. 58) : *Et ait* (*b*) *illi Jesus: Vulpes foveas habent,* in quibus scilicet lateant, *et volucres cœli nidos,* in quibus pernoctent; *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*; in quo miram ostendit inopiam, quasi diceret se nolle habere comitem qui terrena diligat. Unde infra [14] : « Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, »

[1] *Matth.*, x, 23. — [2] *Gen.*, xiii, 8, 9. — [3] II *Tim.*, ii, 24. — [4] *Jac.*, i, 19, 20. — [5] II *Tim.*, iv, 1. — [6] *Psal.* lxxxix, 10. — [7] *Gen.*, vi, 9. — [8] Ibid., xvii, 1. — [9] *Isa.*, xxx, 21. — [10] *Act.*, viii, 12, 13. — [11] Hieron., *in Matth.*, c. viii. — [12] *Eccli.*, i, 36, 37. — [13] Ibid., iv, 34. — [14] Inf., xiv, 33.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit. — (*b*) Vulg. *Dixit.*

hoc est, imitator perfectus. Unde Chrysostomus [1] : « Respondet Dominus ad mentem ejus, quasi dicat : Quid me sequeris propter pecunias, qui vides non tantum mihi diversorium esse, quantum avibus? » Simul etiam cum hoc notat eum de simulatione exteriori, quæ intelligitur in vulpe, secundum illud quod dicitur de Herode [2] : « Ite et dicite vulpi illi. » Et propterea per vulpes intelliguntur hæretici, quoniam tortuosi et subdoli sunt, et ignem habent in caudis, sicut dicitur [3] de vulpibus Samsonis. Notat etiam eum de simulatione interiori in volucre, quæ alta petit; talis est superbus, sicut dicitur [4] : « Si exaltatus fuerit ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus. » Et propter hæc duo, Dominus ostendit ejus consortium repudiandum, quia [5] « ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Et propterea in exemplum imitationis factus est mendicus, juxta illud [6] : « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essetis. » Unde imitatores Christi inopia Christi divites facti sunt. Valde enim dives est, qui tantum habet, quantum Rex cœli et terræ. Hujusmodi autem est, qui nihil habet proprietate, et totum possidet charitate, sicut illi [7] : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Beatus qui terrenam foveam commutat in æternam aulam. *Beati* autem [8] *pauperes spiritu*, etc. Simul etiam cum hoc attende, quod paupertas non est placita nisi simplex contra dolositatem vulpis, et humilis contra elationem volucris; unde in *Isaia* (*a*) [9] : « Ad quem enim respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » Ubi jungit paupertatem simplicitati et humilitati. Unde Augustinus [10] : « Quid prodest divitias reliquisse (*b*), cum miser homo superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? » Nam superbus odiosus est Deo et hominibus, secundum illud [11] : « Tres species odivit anima mea; » sequitur : « Pauperem superbum, » etc.

Vulpes.

59. *Ait autem ad alterum*, etc. Post repulsionem duplicium, subditur hic advocatio simplicium; circa quam duo introducuntur: primum est vocatio innocentis; secundum est eruditio ignorantis.

Primo (*c*) igitur, quantum ad innocentis vocationem, dicitur : *Ait autem ad alterum : Sequere me*, sicut filius patrem [12] : « Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis; » vel sicut discipulus magistrum, sicut dixit Dominus adolescenti consilium requirenti [13] : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Subjungitur : « Et veni, sequere me. » Et hunc distincte vocabit, sicut Petrum [14] : « Tu me sequere. » Et signanter *alterum* dicit, quia alterius erat dispositionis : erat autem simplex et humilis ; ad quod designandum adjungit : *Ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum.* In quo apparet puritas, quia non celabat cordis affectum, non refutabat consilium. Non enim respuit esse discipulus ; sed expleta paterni funeris pietate, liberior hunc assequi desiderat. Apparet etiam humilitas, qua mortuo patri impendere volebat obsequium, juxta illud [15] : « Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt, in opere et sermone et omni patientia, » etc. Ad hoc enim movebat eum obedientia divini præcepti [16] : « Honora patrem tuum. » Movebat etiam clementia animi : sepelire enim mortuum, opus est misericordiæ, de qua commendatur Tobias [17] : « Cum rex multos occideret ex fi-

[1] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXVIII, al. XXVII, n. 2. — [2] Inf., XIII, 32. — [3] *Judic.*, XV, 4. — [4] *Abd.*, 4. — [5] I *Cor.*, I, 28, 29. — [6] II *Cor.*, VIII, 9. — [7] Ibid., VI, 10. — [8] *Matth.*, V, 3. — [9] *Isa.*, LXVI, 2. — [10] Aug., *Regul. ad serm. Dei*, n. 2. — [11] *Eccli.*, XXV, 3, 4. — [12] *Jerem.*, III, 19. — [13] *Matth.*, XIX, 21. — [14] *Joan.*, XXI, 22. — [15] *Eccli.*, III, 8. — [16] *Exod.*, XX, 12. — [17] *Tob.*, I, 21.

(*a*) *Cæt. edit.* Isaias. — (*b*) *Aug.* Dispergere dando pauperibus et pauperem fieri. — (*c*) *Cæt. edit.* primum.

liis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. » Movebat etiam consuetudo laudabilis, secundum illud [1] : « In mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. » Unde apparet, quod non dixit hoc ex carnalitate, sed ex quadam pietate et humilitate, sicut Elisæus dixit Eliæ [2] : « Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te. »

Secundo vero, quantum ad ignorantis eruditionem, subditur (v. 60) : *Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* In quo primo erudit eum peccatorum consortium declinare : nam mortui vocantur hic peccatores et infideles. Unde [3] : « Vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, » etc. Talium consortium deserendum est viro sancto, secundum illud [4] : « Quæ communicatio sancto homini ad carnem? » id est, ad peccatorem et infidelem. Unde quantumcumque sit conjunctus, tamen deserendus, maxime cum impedit bonum. Unde [5] : « Qui dixerit patri suo et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro illos; » sequitur : « Hi custodierunt judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. » Erudit etiam eum, minora bona pro majoribus postponenda esse. Unde Ambrosius docet [6] minora bona pro utilitate majorum esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortui in terra abscondere. Et propterea subdit : *Tu autem vade, et annuntia regnum Dei*; quasi dicat : Minus bonum pro majori intermitte. Juxta quod dicitur [7] : « Exerce temetipsum ad pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, » etc. Ex quo apparet, quod opera pietatis spiritualis omnino secundum sententiam Apostoli et Domini sunt corporalibus operibus anteponenda. Quod enim pietatis majus opus, quam sepelire mortuum, et hoc, patrem proprium? Et tamen Christus vult pro prædicationis officio hoc dimitti. Propter quod dicebant Apostoli [8] : Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. » Quanto enim anima melior est corpore, tanto melius est animam pascere prædicando, quam corpus, alimenta ministrando. Vel maxime, quia plures sunt idonei ad sepulturam, quam ad dandam doctrinam. Unde Apostoli dicebant [9] : « Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii, » etc., subditur : « Quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. » Quia dicitur [10] : « Maria optimam partem elegit. » Et ideo *Daniel* [11] : Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, » etc. Et nota quod dicit : *Annuntia regnum Dei,* volentibus scilicet pœnitere. Juxta quod dicebat Christus [12] : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Sicut ergo est magnum peccatum, cum indigenti dives non dat eleemosynam; ita majus est peccatum, cum sciens non communicat doctrinam. Unde [13] : « Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. » Ideo dicit : *Nuntia,* non abscondas.

Mortui.

61. *Et alter ait : Sequar te,* etc. Post repulsionem duplicium et advocationem simplicium, subjungit hic redargutionem mobilium; circa quam duo introducuntur : primum est vacillatio voluntatis; secundum, redargutio mobilitatis.

Primo igitur, quantum ad voluntatis vacillationem, præmittit : *Et ait alter : Sequar te, Domine.* Ecce voluntas adhærendi Deo, tanquam magistro. Attendebat enim consilium illud dominicum [14] :« Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. » Et in *Ecclesiastico* [15] :« Gloria magna est sequi Dominum. » Sed in hac voluntate fortis non erat; propter quod addit : *Sed permitte mihi primum re-*

[1] *Eccli.*, XXXVIII, 16. — [2] III *Reg.*, XIX, 20. — [3] *Ephes.*, II, 2. — [4] *Eccli.*, XIII, 22. — [5] *Deut.*, XXXIII, 9. — [6] Ambr., *in Luc.*, lib. VII, n. 34. — [7] I *Tim.*, IV, 7, 8. — [8] *Act.*, VI, 2. — [9] Ibid., 3. — [10] Inf., X, 42. — [11] *Dan.*, XII, 3. — [12] *Matth.*, IV, 17. — [13] *Prov.*, XI, 26. — [14] *Joan.*, VIII, 12. — [15] *Eccli.*, XXIII, 38.

nuntiare his qui domi sunt; ex quo apparet quod adhuc afficiebatur erga suos, contra id quod dicitur [1] : « Obliviscere populum tuum et domum patris tui. » Non erat hic similis Paulo, qui dicebat [2] : « Cumplacuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam; » sequitur : « Continuo non acquievi carni et sanguini. » Ideo hic est parentibus renuntiandum, quia carnales amici spiritualibus consiliis adversantur : et ideo caro et sanguis, tanquam adversarii, non sunt admittendi. Et ideo dicitur [3] : « Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum. » Sequitur : « Et inimici hominis, domestici ejus. » Et ideo eis dicitur in persona boni religiosi [4] : « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.» Non talis iste, quia oculum habebat ad domesticos. Huic similes sunt religiosi, curiosi de factis consanguineorum, contra quod Beda [5] in Glossa : « Si discipulus Dominum secuturus arguitur, vel quod (*a*) domui renuntiare velit, quid fiet illis, qui nulla utilitate sæpe visitant domos, quas reliquerant ? » Tales non attendunt quod dictum est Abrahæ [6] : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi. »

Secundo vero, quantum ad redargutionem mobilitatis, adjungit (v. 62) : *Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum,* id est, ad divinæ perfectionis et prædicationis exercitium, quod recte per aratrum designatur propter culturam et fructum, juxta illud [7] : « Arabit Judas, et confringet sibi sulcos Jacob : » *nemo*, inquam, talis existens, *et respiciens retro*, id est, ad mundum, *aptus est regno Dei*, id est, ad regnum Dei possidendum; quia, secundum illud [8] : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. » Cujus rei figura præcessit in uxore Loth, quæ [9] « respiciens post se, versa est in statuam salis; » quia talis homo efficitur inutilis et sterilis. Et ideo dicitur infra [10] : « Qui fuerit in agro, non redeat retro. Memores estote uxoris Loth. » Talis homo non est aptus ad regnum, sed potius ad opprobrium. Unde [11] : « Melius enim erat illis non recognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii [12] : Canis reversus ad suum vomitum, » etc. Quod recte intelligi potest de recidivantibus et apostatantibus. Et ideo e diverso suadet [13] : « Esto firmus in via Domini. » Talis erat Apostolus, sicut dicit (*b*) [14] : « Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. » Et ideo ipse monebat [15] : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, » etc. Sciebat enim a Domino dictum esse [16] : « Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. » Ad hoc potissime Scriptura nos invitat. Unde per totam Legem et Prophetas prohibet filiis Israel, ne revertantur in Ægyptum, id est, ne de divino servitio convertatur homo ad mundum. Unde et propter illud delictum fere omnes filii Israel [17] a Domino in deserto interfecti fuerunt.

CAPUT X.

1. *Post hæc autem designavit Dominus*, etc. Expedita parte de missione apostolorum, hic subditur pars de missione discipulorum ad modum minorum prælatorum. Habet autem hæc pars tres, in quarum prima agit de forma prædicandi; in secunda vero de forma vivendi (v. 25) : *Et ecce quidam*, etc.; in tertia, de forma orandi, infra (XI, 1) : *Et factum est, cum esset in quodam loco*, etc. Prima pars habet tres, Divisio.

[1] *Psal.* XLIV, 11. — [2] *Gal.*, I, 15, 16. — [3] *Matth.*, X, 34-30. — [4] *Jerem.*, XII, 7. — [5] Bed., lib. III, c. XLI, *in Luc.*, c. IX. — [6] *Gen.*, XII, 1. — [7] *Ose.*, X, 11. — [8] II *Tim.*, II, 4. — [9] *Gen.*, XIX, 26. — [10] Inf., XVII, 31, 32. — [11] II *Petr.*, II, 21, 22. — [12] *Prov.*, XXVI, 11. — [13] *Eccli.*, V, 12. — [14] *Philip.*, II, 13, 14. — [15] *Ephes.*, III, 17. — [16] *Matth.*, X, 22. — [17] *Num.*, XIV, 33.

(*a*) *Bed.* quia vel hoc. — (*b*) *Cæt. edit.* dicitur.

in quarum prima præmittitur missio discipulorum comitantium; in secunda vero additur informatio euntium, ibi (v. 4) : *Nolite portare neque sacculum*, etc.; in tertia subditur consolatio redeuntium, ibi (v. 17) : *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio*, etc. Mittuntur autem discipuli cum auctoritate divini imperii; informantur ex veritate divini magisterii; consolantur ex familiaritate divini contubernii. Mittit autem discipulos Dominus ad prædicandum hoc ordine : primo designando eos secundum debitum numerum; secundo, præmittendo designatos in omnem civitatem et locum; tertio, in accelerando præmissos ad salutem electorum; quarto, in confirmando acceleratos contra rabiem persecutorum. Primo ergo, quantum ad discipulorum designationem secundum debitum numerum, dicit : *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos*. Designavit utique, id est, signanter elegit, secundum illud [1] : « Ego elegi vos, et posui vos, » etc. Unde in glossa : « Sicut in apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est presbyterorum secundi ordinis. Isti debent a Deo designari, id est, ad honorem assumi, secundum illud [2] : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo quemadmodum et Aaron. » In cujus designationis testimonium debent esse signati signaculo ordinis characteris sacerdotalis, tonsuræ, et totius disciplinæ, et conversationis sanctissimæ, ut appareat illos esse de numero illorum de quibus dicitur [3] : « In quo, scilicet spiritu, signati estis in diem (*a*) redemptionis. » Designavit autem eos in numero septuaginta duorum (*b*), secundum quod designati fuerant in veteri testamento per (*c*) septuaginta palmas, ubi dicitur [4] quod in Elim erant duodecim fontes aquarum, quoad apostolos, et septuaginta palmæ, quoad discipulos. Et in *Numeris* signati fuerunt in septuaginta viris, quibus dedit Dominus Spiritum sanctum prophetandi, ubi dicitur [5] : « Locutus est Dominus ad Moysen, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. » Sequitur : « Qui prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. Remanserant autem in castris duo viri. » Subjungitur : « Super quos requievit spiritus : nam et ipsi descripti fuerant. » In quo hi expresse figurati sunt. Ratio autem, quare isti fuerunt septuaginta duo, litteralis fuit, ut, quemadmodum apostoli prædicantes duodecim tribubus duodecim erant, sic isti septuaginta duo, secundum quod in Glossa dicitur : Septuaginta duo mittuntur, qui totidem gentibus linguarum Evangelium prædicaverunt secundum mysticum intellectum : quia continet in se septies denarium et binarium : in quo signatur septiformis spiritus donatus eorum ministerio ad impletionem decalogi, et duorum præceptorum charitatis; vel quia septuaginta duo continent horas trium dierum, quia fidem Trinitatis prædicare debebant, sicut dicitur in Glossa, secundum triduanum circuitum solis Christi, scilicet Incarnationis, Passionis, Resurrectionis.

Secundo, quantum ad designatorum præmissionem ante suum conspectum, subditur : *Et misit illos binos ante faciem suam. Misit*, inquam, auctoritate divina, quia, sicut dicitur [6] : « Sicut me misit Pater, et ego mitto vos. » Binos autem misit ad litteram, ut se mutuo custodirent et adjuvarent, secundum illud [7] : « Melius est duos esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. » Vel secundum spiritualem intelligentiam, ut dicit Beda [8], per hoc quod binos mittit, innuit, quod nemo prædicationis officium suscipere debet, qui erga alium charitatem non habet. In cujus rei designationem dicitur [9] : « Dentes tui, » id est prædicatores, quorum est masticare cibum parvulis, « sicut greges

[1] *Joan.*, XV, 16. — [2] *Hebr.*, V, 4. — [3] *Ephes.*, IV, 30. — [4] *Exod.*, XV, 27. — [5] *Num.*, XI, 25, 26. — [6] *Joan.*, XX, 21. — [7] *Eccle.*, IV, 9. — [8] Bed., lib. III, c. XLII, *in Luc.*, c. X. — [9] *Cant.*, IV, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* die. — (*b*) *Item* duos. — (*c*) *Item* in.

tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. » In hujus etiam rei figuram, ut dicit Glossa, animalia bina [1] fuerunt in arca Noe. Et quoniam hæc missio non erat nisi sicut quædam præparatio ad Christum, ideo addit : *In omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.* Unde sicut præcones præcedebant, secundum illud [2] : « Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, » Unde Glossa : « Ubi verba prædicationis præcurrunt, venit Dominus ad mentis habitaculum. »

Tertio, quantum ad præmissorum accelerationem ad salutem electorum, subditur (v. 2) : *Et dicebat illis : Messis quidem multa*, id est, turba ad conversionem parata. Unde, quando Samaritani crediderunt, Dominus dixit [3] : « Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. » Hæc messis seminata fuit in lege naturæ, crevit autem in lege figuræ, sed est collecta in tempore gratiæ. Unde dicitur [4] : « Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. » Hujus autem messis duplex est collectio, scilicet universalis in tempore ultimo, de qua dicitur Angelo [5] : « Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. » Alia est collectio seu messio particularis in prædicatione Evangelii. Sed quia pauci sunt boni messores, ideo subdit : *Operarii autem pauci.* Signanter dicit : *Operarii*, quia ad hoc quod falx prædicationis messem colligat, necesse est quod manus operis eam teneat, juxta quod dicit Gregorius [6] : « Ad hoc ut servetur veritas prædicandi, necessaria est altitudo vivendi. » Tales qui faciunt quod ore dicunt, sunt operarii, et a Domino remunerandi, secundum illud [7] : « Voca operarios, et redde illis mercedem. » Sed pauci sunt operarii studiosi; plures autem sunt malitiosi, secundum illud [8] : « Pseudoapostoli sunt (*a*) operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. » Plurimi autem sunt desidiosi; unde dixit Dominus operariis [9] : « Quid hic statis tota die otiosi? » Sunt plurimi similes illis de quibus [10] : « Dicunt et non faciunt. Alligant autem opera gravia et importabilia; » sequitur : « Digito autem suo nolunt ea movere. » Et quoniam messis amittitur, quando boni operarii desunt, ideo addit : *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*, id est, prædicatores bonos, qui gladium divini verbi, quo segetes metuntur, non tantum in ore, sed etiam in manu portent. Unde de bonis prædicatoribus dicitur [11] : « Exaltationes (*b*) Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. » Unde prædicatio est gladius, qui nisi manu teneatur, non terret adversarium. Quod bene figuratum est de reædificantibus Jerusalem : ubi dicitur [12] quod « unusquisque una manu faciebat opus, et altera tenebat gladium. » Tales operarii dantur divinitus, secundum quod est signatum [13], quod « Deus posuit hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum : » et ideo sunt a Domino postulandi, ut eos conducat promittendo, conductos mittat præcipiendo, secundum illud [14] : « Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta, » etc.

Quarto autem, quantum ad acceleratorum confirmationem contra rabiem persecutorum subdit, (v. 3) : *Ite : Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Ite*, scilicet expedite, sicut animalia illa [15] : « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Et in *Proverbiis* [16] : « Discurre, festina, suscita amicum tuum. » Vel : *Ite*, id est, pro salute omnium periculis vos exponite, secundum illud [17] : « Bonus pastor

[1] *Gen.*, VII, 15. — [2] *Isa.*, XL, 3. — [3] *Joan.*, IV, 35. — [4] Ibid., 38. — [5] *Apoc.*, XIV, 15. — [6] Greg., *in Ezech.*, lib. I, hom. XI, n. 7. — [7] *Matth.*, XX, 8. — [8] II *Cor.*, XI, 13. — [9] *Matth.*, XX, 6. — [10] Ibid., XXIII, 3, 4. — [11] *Psal.* CXLIX, 6. — [12] II *Esd.*, IV, 17. — [13] *Gen.*, II, 15. — [14] *Matth.*, XX, 1 et seq. — [15] *Ezech.*, I, 14. — [16] *Prov.*, VI, 3. — [17] *Joan.*, X, 11, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* sicut. — (*b*) *Cæt. edit.* exultationes.

animam dat pro ovibus. Mercenarius, » etc.; sequitur : « Videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. » Quasi diceret : Ite ad luctum, ut reportetis gaudium, secundum illud [1] : « Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, » etc. Vel : Ite ad periculum, ut reportetis triumphum, secundum illud [2] : « Transite armati ante fratres vestros. Omnes fortes manu, et pugnate pro eis. » Et quia fortissima armatura est mansuetudo et patientia, ideo dicit : *Sicut agnos inter lupos*, id est, sicut pios, humiles et mansuetos, inter impios, superbos et malignos, ut illos mansuetudine vincatis, sicut et Christus fecit, secundum illud [3] : « Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Sic apostoli agnina mansuetudine domuerunt lupinam ferocitatem, et impletum est in eo illud *Isaiæ* [4] : « Habitabit lupus cum agno, et leo quasi bos comedet paleas. » Et item [5] : « Lupus et agnus pascentur simul. » Unde Christus sua mansuetudine Paulum lupum convertit in agnum, et impletum est in eo illud [6] : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. » Prius enim Christum persecutus est ut lupus; postea pro eo persecutiones passus ut agnus. Tales debent esse prælati Ecclesiæ, secundum illud [7] : « Seniores, pascite, qui in vobis est, gregem, providentes, » etc.; et post : « Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo : » quasi dicat : Non sitis sicut lupi inter agnos, sed magis agni inter lupos et agnos, ut bonos foveatis, et malos toleretis. Unde Chrysostomus : « Fortior est Dei gratia, quam natura : dum fuerimus oves, vincimus, etsi multi lupi; si autem fuerimus lupi, vincimur, et cessat a nobis summi pastoris auxilium. »

4. *Nolite portare*, etc. Post missionem discipulorum comitantium, subdit informationem euntium. Habet autem pars ista duas, in quarum prima præmittitur communis informatio respectu omnium; secundo, specialis respectu personarum specialium, ibi (v. 5) : *In quamcumque civitatem intraveritis*, etc. Generali autem informatione invitat nos ad quatuor, scilicet ad amplexandam mendicitatem, ad declinandam loquacitatem, ad exhibendam humanitatem, et ostendendam maturitatem. Primo igitur, quantum ad mendicitatem amplectendam, dicit : *Nolite portare sacculum, neque peram*, scilicet ad repositionem pecuniæ. Accipitur sacculus pro crumena pecuniaria, secundum illud [8] : « Sacculum pecuniæ secum tulit. » *Neque peram*, ad reservandos panes, secundum illud [9] : « Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, » etc. *Neque calceamenta*, scilicet ad cooperiendos pedes; nam dicitur [10] : « Sed tantum calceatos sandaliis. » Sandalia enim a læsione pedem conservant, sed non tegunt, sicut sunt soleæ fratrum nostrorum. Hoc autem voluit Dominus discipulis injungere, ut non solum essent pauperes, verum etiam apparerent, et ad paupertatem magis exemplis, quam verbis vocarent. Est autem paupertas, ut dicit Seneca, odibile bonum. Et ideo cum appareat turpis et vilis, junxit ei Dominus maximam dotem, ut per illam saltem in conjugium possit assumi, cum dixit [11] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Secundo, quantum ad loquacitatem declinandam, subdit : *Et neminem per viam salutaveritis*. Super quo loco dicit Glossa, quod hoc dicit, ne alicujus obvii confabulatione remorentur ab injuncto officio : mittebat enim eos festinato, sicut Elisæus puerum suum [12] : « Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi. » Hoc autem injunxit Dominus non ad declinandum affabilitatis indicium, cum ipse fuerit benignissimus et curia-

Divi

Cal me frat ordi san Fran ci.

Pau tas bile num

[1] *Psal.* CXXV, 6, 7. — [2] *Jos.*, I, 14. — [3] *Isa.*, LIII, 7. — [4] Id., XI, 6. — [5] Id., LXV, 25. — [6] *Gen.*, XLIX, 27. — [7] I *Petr.*, V, 1, 2. — [8] *Prov.*, VII, 20. — [9] *Matth.*, VI, 31. — [10] *Marc.*, VI, 9. — [11] *Matth.*, V, 3. — [12] IV *Reg.*, IV, 29.

lissimus; sed ad declinandum multiloquium, de quo dicitur [1] : « In multiloquio non deerit peccatum. » Et ideo qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Hæc autem multum consuevit esse in viatoribus, et frequenter est occasio contentionum. Unde dicitur de discipulis [2] : « Siquidem in via disputaverant, quis eorum major esset. » Propter quod dicitur, quod Joseph fratribus proficiscentibus ait [3] : « Ne irascamini in via. » Secundum autem spiritualem intelligentiam, prohibet optare salutem quæ est viæ, non salutem quæ est patriæ. Quod notatur, cum dicit : *Per viam*. Omnibus enim salus est optanda, sicut dicitur [4] quod « Deus omnes homines vult salvos fieri; » et hoc, quia ipse est Salus et Salvator. Sed illa salus debet optari, de qua in *Psalmo* [5] : « Salus autem justorum a Domino. » Hanc semper optabant apostoli, et de hac dicitur [6] : « Amicum salutare non confundaris. » Et ad *Romanos* [7] : « Salutate invicem in osculo sancto. » Et in *Psalmo* [8] : « Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob. » Aliter potest exponi, ut dicatur : *Neminem per viam salutaveritis*, id est, non salvum dicatis eum, qui adhuc damnari potest, quamdiu est in via. Nam dicitur [9] : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Ergo salus in fine viæ, non in medio aut in capite est optanda. Vel aliter : *Neminem per viam salutaveritis*, id est, propter consortium viæ, sed propter consortium vitæ. Ex quo apparet quod non est salus hominibus propter sanctorum collocutionem, sed propter ipsorum imitationem. Unde dicitur [10] : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. »

Tertio, quantum ad humanitatem exhibendam, adjungit (v. 5) : *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui*; ut appareat vos esse vere (*a*) pacis amatores et annuntiatores, secundum illud [11] : « Quam pulchri super montes pedes annuantiantis et prædicantis pacem ! » Quam pacem Dominus fecit, secundum illud [12] : « Pacificans per sanguinem crucis ejus, » etc. Dominus etiam reliquit [13] : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Dominus annuntiavit [14] : « Stetit Jesus in medio, et dixit eis : Pax vobis. » Dominus mandavit, et pacem evangelizavit, sicut dicitur [15] : « Veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope. » Et quia possent timere ne frustra pacem offerrent, ideo subdit (v. 6) : *Et si ibi fuerit filius pacis*, pacis secundum æternam præscientiam, de quibus dicitur [16] quod Jesus moriturus erat, « ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret. » De quibus dicitur [17] : « Cognovit Dominus qui sunt sui (*b*). » Tales sunt filii pacis, quia dicitur [18] : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » In talibus (*c*) habet efficaciam verbum prædicationis; propter quod addit : *Requiescet super illum pax vestra*, id est, a vobis nuntiata. Unde in *Isaia* (*d*) secundum aliam translationem [19] : « Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum ? » Requiescit utique pax Christi annuntiata super prædestinatos a Deo, secundum illud [20] : « Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam; » et [21] : « Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt. » Utile est ergo loqui predestinatis Evangelium pacis; utile est etiam loqui præscitis; propterea subdit : *Sin autem, ad vos revertetur*, secundum illud [22] : « Oratio mea in sinu meo convertetur. » Et hoc, quia opus pietatis et misericordiæ semper est utile facienti, et ad facientem revertitur, secundum illud [23] : « Elee-

[1] *Prov.*, x, 19. — [2] *Marc.*, IX, 33. — [3] *Gen.*, XLIV, 18. — [4] I *Tm.*, II, 4. — [5] *Psal.* XXXVI, 39. — [6] *Eccli.*, XXII, 21. — [7] *Rom.*, XVI, 16. — [8] *Psal.* XLIII, 5. — [9] *Matth.*, X, 22. — [10] Ibid., VII, 21. — [11] *Isa.*, LII, 7. — [12] *Coloss.*, I, 20. — [13] *Joan.*, XIV, 27. — [14] Ibid., XX, 19. — [15] *Ephes.*, II, 17. — [16] *Joan.*, XI, 52. — [17] II *Tim.*, II, 19. — [18] *Matth.*, V, 9. — [19] *Isa.*, LXVI, 2. — [20] *Act.*, XIII, 48. — [21] *Joan.*, X, 26, 27. — [22] *Psal.* XXXIV, 13. — [23] *Eccli.*, XVII, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* viri. — (*b*) *Vulg.* ejus. — (*c*) *Cæt. edit.* tali. — (*d*) Isaias.

mosyna viri quasi signaculum (*a*) cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit : et postea resurget, et retribuet retributionem unicuique in caput ipsorum. »

Quarto vero, quantum ad maturitatem ostendendam, subdit (v. 7) : *In eadem autem domo manete,* tanquam viri maturi, ne forte notemini de instabilitate. Unde dicitur [1] : « Pes fatui facilis in domum proximi. » Ideo dicit Beda [2] : « Alienum est a prædicatore per domos cursitare, et hospitium mutare. » Et quia possent credere hospitium esse mutandum propter cibum, ideo subdit : *Edentes, et bibentes quæ apud illos sunt*, sine ciborum discretione, sicut dicitur [3] : « Omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. » Sine ciborum etiam abjectione, secundum illud [4] : « Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. » Sine ciborum etiam requisitione, secundum illud [5] : « Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. » Et quia possent credere quod non liceret pasci de aliena substantia, ideo addit : *Dignus est enim operarius mercede sua,* non solum in patria ad remunerationem, sed etiam in via ad sustentationem. Unde dicitur [6] : « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » Et item [7] : « Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. » Unde dicitur [8] : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ? » Et hoc probat ibi Apostolus, quod talis operarius sit dignus, et per auctoritates, et per rationes plures, sicut ibi patet. Quoniam ergo dignus est refectione, propter illam non oportet eum hospitium mutare. Ideo in fine addit : *Nolite transire de domo in domum,* ne videamini vagi : ne sitis similes illi mulieri vagæ de qua dicitur [9] quod est « garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. » Tales sunt hæretici ; unde Apostolus [10] : « Ex his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. » Non tales debent esse veri prædicatores. Unde Ambrosius [11] : « Non est de domo in domum vaga facilitate demigrandum, ut hospitii amore servetur constantia, ne coalita amicitiæ necessitudo facile dissolvatur. »

8. *Et in quamcumque civitatem intraveritis,* etc. Post informationem discipulorum communem, subjungit hic Evangelista informationem discipulorum specialem, secundum audientium diversitates. Et quoniam quidam parati fuerant ad eos recipiendos, ut fideles ; quidam autem, ad repellendos, ut infideles, quorum culpa crescebat ex contemptu divinæ gratiæ, et despectu auctoritatis apostolicæ : ideo pars ista habet quatuor, in quarum prima præmittitur informatio respectu fidelium ; in secunda vero, respectu rebellium, ibi (v. 10) : *In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint,* etc. ; in tertia subditur increpatio contemptorum, ibi (v. 13) : *Væ tibi, Corozain,* etc. ; in quarta subjungitur auctoratio prædicatorum, ibi (v. 16) : *Qui vos audit*, etc. Circa informationem respectu fidelium, duo introducuntur, quorum primum est susceptio stipendii temporalis ; secundum est communicatio beneficii spiritualis. Primo igitur, quantum ad susceptionem temporalis stipendii, informat, cum dicit : *Et in quamcumque civitatem intraveritis*, scilicet ad prædicandum veritatem, sicut dicitur [12], quod « cœpit Jonas introire civitatem itinere diei unius, et clamavit. » Sic et isti, per divini verbi clamorem, debebant in suo ingressu civitatem excitare. Juxta quod dicitur de Philippo discipulo [13], quod « descendens in

[1] *Eccli.*, XXI, 25. — [2] Bed., lib. III, *in Luc.*, c. X. — [3] I *Cor.*, X, 27. — [4] I *Tim.*, IV, 4, 5. — [5] *Eccli.*, XXXI, 16. — [6] I *Cor.*, IX, 14. — [7] *Gal.*, VI, 6. — [8] I *Cor.*, IX, 11. — [9] *Prov.*, VII, 10. — [10] II *Tim.*, III, 6. — [11] Ambr., *in Luc.*, lib. VII, n. 64. — [12] *Jon.*, III, 4. — [13] *Act.*, VIII, 5, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* sacculus.

civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur. » Et quoniam fidelium est divinis verbis intendere, ideo subdit: *Et susceperint vos*, scilicet per fidem et dilectionem, tanquam nuntios Christi, quoniam dicitur [1] : « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. » Ille autem suscipit prædicatorem, qui ejus doctrinam acceptat cum mansuetudine et patientia, juxta quod dicitur [2] : « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. » Et quoniam a suscipientibus propter spiritualia documenta, suscipi possunt corporalia alimenta, ideo subdit : *Manducate quæ apponuntur vobis*, scilicet ad relevandam necessitatem, ut fortius laboretis, secundum illud [3] : « Labores manuum tuarum, quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit. » Unde super illud [4] : « Dispensatio mihi credita est, » etc., Glossa : « Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus; ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur. Et nota quod dicit : *Quæ apponuntur*, et hoc cum hilaritate, quia in *Proverbiis* [5] : « Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. » *Et quæ apponuntur*, non quæ vos ipsi paretis. Quod dicit propter vitandam gulositatem, de qua Seneca : « In ventrem sic pretiosa congerimus, quasi congesta servemus : quid ad rem quid quis recipiat, perditurus omne quod recipit? » Et ideo dicitur [6] : « Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe. » Hoc autem maxime spectat ad pauperes, ut vili sint contenti refectione, tanquam esurientes; quia dicitur [7] : « Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. » Et *Job* [8] : « Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. »

Secundo vero, quantum ad communicationem spiritualis beneficii, subditur (v. 9) : *Et curate infirmos qui in illa sunt :* et hoc per virtutem vobis a Spiritu sancto collatam, de qua [9] : « Alii datur gratia sanitatum in uno spiritu ; alii operatio virtutum. » Hanc dedit Dominus discipulis minoribus ad confirmationem doctrinæ suæ. Unde Hieronymus [10] : « Quia hominibus rusticanis, et absque eloquii venustate, nemo crederet pollicentibus regnum cœlorum, dare voluit potestatem miracula faciendi. » Hujus potestatis donum prius concesserat, sicut et apostolis [11] : « Dedit illis potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. » Sed hic imperat, ut dono accepto utantur, juxta quod dicitur [12] : « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, » etc. Et quia curatio corporalis ordinata erat ad illuminationem mentis, ideo subdit : *Et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.* In quo simul clauditur veritas doctrinæ, bonitas gratiæ, et sublimitas gloriæ. Dicit enim Glossa interlinearis : « Regnum Dei Christus est, vel vita æterna, vel scientia Scripturarum. » Et ita appropinquavit, quando inter eos erat, juxta quod dicitur [13] : « Regnum Dei intra vos est. » Vere appropinquaverat, cum ille esset jam præsens, de quo dicitur [14] quod « habebat in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. » Et signanter dicit : *In vos*, id est, in eos qui verbum Dei suscipiunt per fidem; de quibus [15] : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes; et regnabimus super terram. » Et per gratiam fidei, secundum illud [16] : « Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. » Sic ergo patet qualiter se debebant habere ad fideles, quia debebant recipere stipendium sustentationis, et ministrare beneficium curationis et eruditionis. Qui ergo non ministrant hæc beneficia spiritualia, minus juste et indigne

[1] *Matth.*, XVIII, 5. — [2] *Jac.*, I, 21. — [3] *Psal.* CXXVII, 2. — [4] I *Cor.*, IX, 17. — [5] *Prov.*, XV, 17. — [6] *Eccli.*, II, 4. — [7] *Prov.*, XXVII, 7. — [8] *Job*, VI, 7. — [9] I *Cor.*, XII, 9, 10. — [10] Hieron., *in Matth.*, c. VIII, super illud : *Euntes prædicate*, etc. — [11] Sup., IX, 1. — [12] I *Petr.*, IV, 10. — [13] Inf., XVII, 21. — [14] *Apoc.*, XIX, 16. — [15] Ibid., V, 10. — [16] *Coloss.*, I, 13.

suscipiunt stipendia corporalia. Unde Gregorius : « Quid ad hæc doctores dicimur, qui Christi adventum præcurrentes, ecclesiasticum officium suscipimus, et muti panem comedimus ? » Et Bernardus : « Venient ante tribunal judicis, ubi erit pauperum allegatio dura, accusatio gravis : quorum vixere stipendiis, nec delevere peccata. »

10. *In quamcumque autem civitatem intraveritis,* etc. Post informationem respectu fidelium, subditur informatio respectu rebellium ; circa quam duo introducuntur : primum est contestatio veritatis Evangelii ; secundum, communicatio severitatis judicii. Primo igitur, quantum ad contestationem veritatis Evangelii, dicitur : *In quamcumque autem civitatem intraveritis*, ad veritatis præconium prædicandum, secundum illud [1] : « Cum venissent Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum ; » sequitur : « Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis. » *Et non susceperint vos*, per veritatis auditum, qui est prædicatoribus accommodandus, sicut dicitur [2] : « Nos debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan Ecclesiæ : sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes (*a*), non recipit nos. » *Exeuntes in plateas ejus*, ad veritatis testimonium testificandum ; propter quod dicitur [3] : « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. » *Dicite :* (v. 11) *Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos*, propter veritatis contemptum, quod est peccatum valde detestandum, secundum illud [4] : « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. » Et ideo, ad hujus delicti detestationem, dicit pulverem abstergendum, sicut Petrus dixit Simoni [5] : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » *Tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei*, id est veritas Evangelii, secundum illud [6] : « Prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus ; » ut nullus possit se per ignorantiam excusare. Et propterea, ut publice fiat, jubet in plateis extergere pulverem. Super quo dicit Hieronymus [7], quod hoc jubet in testimonium quod prædicatio eorum pervenerit usque ad illam civitatem, et ita non habent excusationem de infidelitate. Secundum spiritualem autem intelligentiam, pedes apostolorum sunt affectus prædicatorum, quibus pulvis consuevit adhærere, scilicet inanis gloriæ, de quo [8] : « Gloriam meam in pulverem deducat ; » indignationis et impatientiæ, de quo [9] : « Lingent pulverem sicut serpens ; » cupiditatis et avaritiæ, secundum illud [10] : « In percussura cribri remanebit pulvis. » Primus pulvis adhæret pedibus prædicantium, cum laudantur ; sed excutitur per considerationem sui, secundum illud [11] : « Vos non estis qui loquimini ; » et item [12] : « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto ; » et item [13] : « Quid habes quod non accepisti ? » Ideo in *Ecclesiastico* [14] : « Quid superbit terra et cinis ? » Secundus pulvis adhæret, cum contemnuntur ; sed hic excutitur per rememorationem Christi, secundum illud [15] : « Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur, » etc. Tertius pulvis adhæret, quando munera offeruntur quæ excæcant oculos ducum, juxta illud [16] : « Oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium : » sed hic excutitur per memoriam mortis nostræ. Hieronymus [17] : « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. » Et Apostolus [18] : « Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. »

[1] *Act.*, XVII, 1, 2. — [2] III *Joan.*, 8, 9. — [3] *Matth.*, X, 27. — [4] *Joan.*, XV, 22. — [5] *Act.*, VIII, 20. — [6] *Matth.*, XXIV, 14. — [7] Hieron., *in Matth.*, c. X. — [8] *Psal.* VII, 6. — [9] *Mich.*, VII, 17. — [10] *Eccli.*, XXVII, 5. — [11] *Matth.*, X, 20. — [12] I *Cor.*, XII, 3. — [13] I *Cor.*, IV, 7. — [14] *Eccli.*, X, 9. — [15] *Joan.*, XV, 20. — [16] *Bar.*, VI, 16. — [17] Hieron., *ad Cypr.*, tom. III, epist. 139. — [18] I *Tim.*, VI, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* Diotrepes.

Secundo vero, quantum ad comminationem severitatis judicii, subdit (v. 12) : *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati.* Ex quo apparet magnitudo pœnæ : nam dicitur [1] quod « Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates, et abeuntes post carnem alteram, facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. » Unde et Dominus fuit illis valde indignatus, secundum quod dicitur [2] quod « pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo ; et subvertit civitates has et omnem circa regionem. » Apparet etiam ex hoc magnitudo culpæ, quia major est culpa contemptus veritatis, quam libido carnalitatis. Ratio autem hujus est, quia non fuit eis oblata tanta gratia, et, secundum quod dicitur infra [3], « Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. » Unde [4] : « Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus ; » sequitur : « Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est ? » Alia ratio est propter majorem veritatis notitiam ; unde Gregorius : « Ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ ; » quia dicitur [5] : « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illud illi. » Et quod contemptoribus veritatis maxima debeatur pœna, patet ex hoc quod dicitur [6] de quibusdam quod « cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ; » sequitur : « Tradidit illos Deus in reprobum sensum, » etc. Et ratio hujus redditur, quia « non probaverunt Deum habere in notitia. »

13. *Væ tibi, Corozain*, etc. Hic tertio loco subjungitur increpatio contemptorum, qui propter duo a Domino increpandi ostenduntur, et tanquam damnabiles arguuntur, scilicet propter duritiam cordis, et propter excellentiam mentis : duritia cordis reddebat eos impœnitentes, sed excellentia arrogantes. Primo igitur increpans cordis duritiam, dicit : *Væ tibi, Corozain ; væ tibi, Bethsaida :* quæ erant duæ civitates Galilææ, ubi plurima fecerat signa, et tamen adhuc permanebat in eis duritia. Propterea subditur : *Quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis*, id est, si Dominus eis tanta miracula ostendisset ante sui subversionem, quam comminatus est Dominus per Ezechielem [7] : « Tu, fili hominis, assume super Tyrum lamentum ; » et in fine [8] : « Ad nihilum redacta (*a*) es, et non eris usque in sempiternum (*b*) : » adhuc non essent subversæ, et hoc, quia pœnituissent. Unde addit : *Olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent ;* sicut fecerunt Ninivitæ, de quibus dicitur [9], quod « prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. » Et nota, quod tria dicit in quibus exprimit pœnitentiæ perfectionem, scilicet cilicium, cinerem, et sessionem. In pœnitente enim debet esse dolor ex consideratione divinæ offensæ, et hoc in cilicio ; timor ex consideratione vindictæ, et hoc in cinere, qui præfert mortis imaginem ; et debet esse pudor ex consideratione culpæ sive vilitatis suæ, et hoc in sessione. Ideo dicit Hieronymus [10] quod cinis et cilicium sunt arma pœnitentium. Et propterea [11] : « Filia populi mei, accingere cilicio, et aspergere cinere : luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. » Et propter pudorem humilitatis, qui debet concomitari, dicitur [12] : « Dic regi et dominatrici : Humiliamini, sedete, quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ. » Si ergo talem fecissent pœnitentiam, non haberent tantam cordis duritiam, ac per hoc nec tam duram sententiam. Et propterea subjungit (v. 14) : *Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis ;* quia,

[1] *Jud.*, 7. — [2] *Gen.*, XIX, 24. — [3] Inf., XII, 48. — [4] *Hebr.*, II, 2, 3. — [5] *Jac.*, IV, 17. — [6] *Rom.*, I, 21, 24, 28. — [7] *Ezech.*, XXVII, 2. — [8] Ibid., 36. — [9] *Jon.*, III, 5. — [10] Hieron., *ad Demetr.*, epist. VIII. — [11] *Jerem.*, VI, 26. — [12] Ibid., XIII, 18.

(*a*) *Vulg.* deducta. — (*b*) *Item* perpetuum.

secundum quod dicitur infra [1] : « Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. » Ratio autem hujus est nimia duritia contra tanta beneficia. Unde [2] : « Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. » Quia dicitur [3] : « Cor nequam gravabitur in doloribus. et peccator adducet ad peccandum. »

Secundo vero increpans quoad excellentiam mentis, subdit (v. 15) : *Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata*, scilicet per arrogantiam, *usque in infernum demergeris*, per divinam sententiam. Unde Abdias [4] : « Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te. » Et *Job* [5] : « Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit; quasi sterquilinium in fine perdetur. » Dicitur autem Capharnaum exaltata propter plurima miracula, quæ facta sunt in ea, de quibus superbivit amplius quam profecit. Unde supra [6] dicitur : « Quanta audivimus facta in Capharnaum, » etc. Primo ergo exaltata propter divinæ gratiæ munera, sed post demersa merito superbiæ. Et hoc prædictum fuerat [7] : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, » scilicet per præcedentia miracula; « et novissime aggravata est via maris, » id est pressa in judicio propter sua peccata, sicut exponit ibidem Glossa. Et ideo divina suscipienda sunt cum timore et magna reverentia, sicut dicit Gregorius [8] : « Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. »

16. *Qui vos audit*, etc. Hic quarto loco subditur auctoratio prædicatorum. Ostendit autem eos authenticos, tum propter auctoritatem Christi Mediatoris, tum etiam propter auctoritatem summi Imperatoris.

Primo ergo auctorat eos per auctoritatem Christi Mediatoris, cum dicit : *Qui vos audit, me audit*; nam ipsi gerebant Christi personam. Unde Apostolus [9] : « Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. » Et item [10] : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? » Et ideo dicitur [11] : « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei. » In auditu ergo discipulorum Christi, Christus auditur; et similiter in contemptu, contemnitur : et propterea subdit : *Et qui vos spernit, me spernit*. Unde *Ezechiel* [12] : « Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. » Et hoc innuit, cum dicit [13] : « Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. » Et propterea dicebat Apostolus [14] : « Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere, » id est, veros prædicatores.

Secundo auctorat eos propter auctoritatem summi Imperatoris, cum subdit : *Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit*, tum propter commissam auctoritatem, tum propter consubstantialitatem. Unde [15] : « Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. » Et ideo sequitur : Qui spernit apostolos, spernit Christum : et qui Christum spernit, et Deum spernit : ergo qui spernit apostolos, spernit et Deum. Et hoc non est parvum peccatum. Propter quod *Isaias* [16] : « Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? Et cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. » Est ergo magna auctoritas prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, et contemptu contemnitur. Ipsi enim sunt os Domini, verba ejus annuntiando, sicut dicitur [17] : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. » Et ideo tanquam os Dei pasci debent et ho-

[1] Inf., XII, 47. — [2] *Rom.*, II, 4, 5. — [3] *Eccli.*, III, 29. — [4] *Abd.*, 4. — [5] *Job*, XX, 6. — [6] Sup., IV, 23. — [7] *Isa.*, IX, 1. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. IX, n. 1. — [9] II *Cor.*, II, 10. — [10] Ibid., XIII, 3. — [11] I *Thess.*, II, 13. — [12] *Ezech.*, III, 7. — [13] *Matth.*, XXV, 45. — [14] I *Thess.*, V, 19, 20. — [15] *Joan.*, V, 23. — [16] *Isa.*, XXXIII, 1. — [17] *Jerem.*, XV, 19.

norari. Et ipsi etiam os præcipue debent custodire et ab edacitate et loquacitate, ut vere possit dici de eis illud [1] : « Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et agno, et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum Dei. »

17. *Reversi sunt autem*, etc. Post missionem concomitantium, et informationem euntium, subditur hic tertio consolatio redeuntium. Habet autem hæc pars duas, in quarum prima reprimit Dominus in discipulis gaudium vanum; in secunda invitat eos ad gaudium verum, ibi (v. 20) : *Gaudete autem quia nomina vestra*, etc. Circa repressionem gaudii vani in discipulis quatuor introducit : primum est vanæ exultationis expressio : secundum, vanæ exultationis repressio; tertium est vanæ exultationis occasio : quartum, vanæ exultationis prohibitio.

Divisio.

Primo ergo præmittit vanæ exultationis expressionem, cum dicit : *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio*, quod scilicet non tantum sentiebatur in corde, sed etiam exprimebatur in sermone, ut verificetur illud [2] : « Cor gaudens exhilarat faciem. » Propter quod addit : *Dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* In quo exprimebant se inepte gaudere, quia fortiores dæmonibus facti erant. Et ista quidem lætitia veniebat ex latente superbia, sicut et illius Pharisæi, de quo infra [3] dicitur quod orans dicebat : « Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, » etc. Et nota, quod de divinis donis quidam manifeste efferuntur : sic illi, qui sibi ea attribuunt : de quibus dicitur [4] : « Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia. » Contra quos [5] : « Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem. » Quidam manifeste humiliantur, de quibus dicitur infra [6] : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus. » Talis erat Paulus, qui de seipso dicit [7] : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, » etc. Subjungit : « Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, » etc. Quidam autem partim humiliantur gratias agendo, et partim efferuntur inepte exultando, sicut isti discipuli, qui gaudebant de subjectione dæmonum, attribuebant tamen hoc non sibi, sicut ille Pharisæus; sed nomini Domini, cum dixerunt : *In nomine tuo.* Unde aliquid habebant commendabile, scilicet quod revertebantur ad fontem gratiarum, gratias ab ipso susceptas agnoscendo, et eidem gratias referendo, juxta quod dicitur [8] : « Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. » Et *Job* [9] : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ? » Super quo dicit Glossa : « Vadunt fulgura, quando doctores miraculis coruscant, et superna reverentia auditorum corda transfigunt; revertentia dicunt : Adsumus, cum non sibi, sed Dei virtutibus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. » Tales sunt viri perfecti; in quorum persona dicitur [0] : « Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine. » Et in *Psalmo* [1] : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Quidam etiam habebant reprehensibile, nempe quod de potestatis altitudine efferebantur; quod patet in hoc quod aiunt : *Dæmonia subjiciuntur nobis.* Contra quod dicitur [2] : « Nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius. » Et hoc est quod dicit Beda [13] : « Bene confitentur; sed quia de signorum operatione efferuntur, exemplo terrentur, et ad humilitatem revocantur. »

Nota.

Secundo adjungit vanæ exultationis re-

[1] *Apoc.*, XIV, 4, 5. — [2] *Prov.*, XV, 3. — [3] Inf., XVIII, 11. — [4] *Deut.*, XXXII, 27. — [5] Ibid., IX, 4. — [6] Inf., XVII, 10. — [7] I *Cor.*, XV, 9, 10. — [8] *Eccle.*, I, 7. — [9] *Job*, XXXVIII, 15. — [10] *Isa.*, XXVI, 12. — [11] *Psal.* CXIII, 1 bis. — [12] *Eccli.*, XI, 4. — [13] Bed., *in Luc.*, lib. III, c. XLII.

pressionem, cum addit (v. 18) : *Et ait illis : Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Quasi dicat Dominus : Ne extollamini de divinis beneficiis, ne cum superbis angelis corruatis [1] : « Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, » haud dubie non parcet vobis, si peccaveritis superbiendo. Unde Bernardus (*a*) [2] : « Superbis angelis non pepercit Dominus; quanto magis nec tibi, putredo et vermis. » Cecidit autem sicut fulgur, hoc est velociter, crudeliter, et irrevocabiliter. Unde exemplo ejus cæteri caveant, ne quærant alta, propter quæ Lucifer cecidit in ima, secundum illud [3] : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » Sequitur : « Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. » Et post : « Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci. » Et ideo dicitur [4] : « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. » Hoc exemplo, miro modo repressit Dominus in discipulis superbiam, quasi dicat illud *Proverbiorum* [5] : « Qui altam facit domum suam, » scilicet cum Lucifero superbiendo, « quærit ruinam, » cum eodem corruendo. Unde Bernardus, loquens de ambitioso sequente ducem : « Sequere ducem tuum, multiplica præbendas, accelera ad episcopatum, deinde ad archiepiscopatum aspira; paulatim ascendis, sed non paulatim descendes. *Videbam satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* Et ideo ait Seneca : « Redige te ad parva, a quibus cadere non potes. » Unde in *Proverbiis* [6] : « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis : et antequam glorificetur, humiliatur. » Quia sententia est Judicis, infra [7] : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. »

Adversus superbos.

Tertio vero subjungit vanæ exultationis occasionem, cum addit (v. 19) : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones*, scilicet quantum ad insidias corporales, juxta quod dicitur serpenti [8] : « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. » *Et super omnem virtutem inimici,* quantum ad insidias spirituales, de quibus [9] : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » *Et nihil vobis nocebit,* propter supernas protectiones, secundum illud [10] : « In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. » Et hæc potestas collata eis poterat esse occasio præsumendi, juxta quod dicitur de Ezechia, ad cujus preces Deus fecit mirabilia [11] : « Oravit Ezechias Dominum, exaudivitque eum, deditque ei signum; sed non juxta beneficia quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus, et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem. » Unde divinorum donorum multitudo multis fuit occasio ruinæ, sicut dicitur de Lucifero [12] : « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore. » Et paulo post : « Elevatum est cor tuum. » Et paulo superius : « Peccasti, et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, » etc. Et ideo dicebat quidam sanctus homo, quod magna gratia est non habere gratiam, quia omnes istæ gratiæ exteriores non sunt nisi tentationes. Et quilibet exterius elevatus debet timere illud [13] : « Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide. »

Quarto vero subjungit vanæ exultationis prohibitionem, cum dicit : *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quoniam spiritus subjiciuntur vobis :* quia scilicet tale gaudium est, sicut gaudium superborum, de promotione sua et dejectione (*b*) aliena; quod non

[1] II *Petr.*, II, 4. — [2] Bern., *de Adventu*, hom. 1, n. 2. — [3] *Isa.*, XIV, 12, 13, 15. — [4] *Rom.*, XI, 20, 21. — [5] *Prov.*, XVII, 16. — [6] Ibid., XVIII, 12. — [7] Inf., XIV, 11. — [8] *Gen.*, III, 15. — [9] *Ephes.*, VI, 12. — [10] *Marc.*, XVI, 17, 18. — [11] II *Paralip.*, XXXII, 24, 25. — [12] *Ezech.*, XXVIII, 12, 17, 16. — [13] *Job*, XXX, 22.

(*a*) Cæt. edit. add. *super Missus est.* — (*b*) *Cæt. edit.* deletione.

competit veris sanctis, secundum illud [1] : « Noli de mortuo inimico tuo gaudere. » [2] « Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat. *Nolite* etiam *gaudere*, quia tale gaudium est ruinosum, secundum illud *Proverbiorum* [3] : « Extrema gaudii luctus occupat. » Tale est gaudium de bono transitorio, secundum illud *Job* [4] : « Gaudium hypocritæ ad instar puncti. » Et rursus [5] : « Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » Unde non volebat Dominus quod discipuli gauderent in miraculis, sed potius in tormentis et conviciis, secundum illud [6] : « Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, » etc. Et post : « Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. » Sic etiam apostoli faciebant, secundum illud [7] : « Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » *Nolite* ergo *in hoc gaudere, quoniam spiritus subjiciuntur vobis*, licet sit divinitus concessum, ne sit occasio superbiæ, et per consequens ruinæ. Propter quod dicit Augustinus [8], « quod Dominus dicebat discipulis suis : « Discite a me, » non mortuos suscitare ; non super aquas siccis pedibus ambulare, sed « quia mitis sum et humilis corde : » quia in miraculis non debebant gaudere, sed in humilitate.

20. *Gaudete autem quod nomina*, etc. Postquam Salvator repressit in discipulis gaudium vanum, hic secundo invitat eos ad gaudium verum. Et hoc quidem facit proponendo quadruplicem causam, sive materiam gaudii. Gaudium namque discipulis fore ostendit de Dei præscientia infallibili, et providentia irreprehensibili, de potentia incomprehensibili, de præsentia desiderabili. Et in iis quatuor habebant valde magnam materiam exultandi.

Primo gaudium erat de divina præscientia infallibili. Quantum ad hanc dicit : *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*, in libro vitæ scilicet, qui liber vitæ dicitur, quia in ipso scripta vivunt, secundum illud [9] : « Quod factum est in ipso vita erat. » Vel quia secundum ejus scripturam est homo prædestinatus ad vitam. Unde secundum ipsum fiet finale judicium, sicut dicitur [10] : « Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ. » In quo quidem libro mali non invenientur finaliter scripti, secundum quod dicitur [11] : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. » Liber vitæ.

Quod quidem dicitur, non quia ille liber mutetur, sed quia multi videntur scripti secundum præsentem justitiam, qui apparebunt non scripti secundum divinam præscientiam. Quoniam ergo hoc tantum est bonorum finaliter et salvandorum, et est bonum interminabile et infallibile, ideo merito de hoc est verum gaudium, non de dono miraculorum, quod est bonorum et malorum. Unde mali non sunt scripti in cœlis, sed potius in terra, secundum illud [12] : « Recedentes a te in terra scribentur. » In cujus rei signum Dominus confutans perfidiam Pharisæorum, qui erant alieni a regno cœlorum, « digito [13] scribebat in terra. » Et nota, quod divina cognitio dicitur liber; sed cognitio simplicis notitiæ dicitur liber simpliciter, et in hoc omnia scribuntur et omnes, juxta illud [14] : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. » Et est cognitio approbationis, et hæc dicitur liber vitæ, et in hoc non scribuntur secundum veritatem nisi finaliter boni : et de hoc dicitur [15] : « Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. » Super quo dicit Glossa [16] quod securus hoc dicit, sciens, quod deleri non possit : loquitur enim de

[1] *Eccli.*, VIII, 8. — [2] *Job*, XXXI, 29. — [3] *Prov.*, XIV, 13. — [4] *Job*, XX, 5. — [5] Ibid., XXI, 12. — [6] *Matth.*, V, 11. — [7] *Act.*, V, 41. — [8] Aug., *De sanct. Virginit.*, c. XXXV. — [9] *Joan.*, I, 3, 4. — [10] *Apoc.*, XX, 12. — [11] *Psal.* LXVIII, 29. — [12] *Jerem.*, XVII, 13. — [13] *Joan.*, VIII, 6. — [14] *Psal.* CXXXVIII, 16. — [15] *Exod.*, XXXII, 31. — [16] Gloss. interlin., in hunc loc.

scriptura præscientiæ, non præsentis justitiæ, quæ deleri potest.

Secundo ostendit esse gaudium de providentia irreprehensibili; quantum ad hanc adjungit (v. 21) : *In ipsa hora exultavit in Spiritu sancto,* scilicet in spirituali gaudio, quod debet esse in Spiritu sancto, non in carne, secundum illud [1] : « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Unde et gloriosa Virgo [2] : « Exultavit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo. » Et in hoc dedit discipulis modum exultandi, et simul cum hoc expressit unde exultare debeant, cum addit : *Et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ,* quod scilicet non tantum es Creator per potentiam, sed etiam Gubernator per providentiam, secundum illud *Jeremiæ* [3] : « Cœlum et terram ego impleo. » Et in *Isaia* (*a*) [4] : « Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. » Huic scilicet generali provisori confitetur, confessione scilicet laudis : confessio enim non tantum est culpæ, secundum illud [5] : « Confitemini alterutrum peccata vestra ; » sed etiam fidei veræ, de quo dicitur [6] : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem ; » ac etiam laudis divinæ, secundum illud [7] : « Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. » Et in *Psalmo* [8] : « Confitemini Domino, quoniam bonus, » etc. Et hoc modo accipitur hic, pro laude scilicet ipsius Dei Gubernatoris. Laudat autem eum pro sua providentia, propter quam addit : *Quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Hoc enim fit secundum judicium divinæ providentiæ, quod [9] « Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam. » Et in *Psalmo* [10] : « Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. » Ideo Deus *hæc*, id est mysteria nostræ redemptionis, abscondit sapientibus et prudentibus mundi, qui se reputant esse sapientes in divinis, et prudentes in temporalibus, juxta quod dicitur [11] : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. » Et postea subdit : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Et *Isaias* [12] : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. » Talibus enim absconduntur divina sacramenta; sed e diverso parvulis revelantur. Unde in *Psalmo* [13] : « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. » Et nota, quod non dicit *stultis* et *hebetibus*, sed *parvulis*, id est humilibus ; ut ostendat se non damnare acumen intelligentiæ, sed tumorem superbiæ, sicut dicit Glossa [14]. Unde Bernardus : « Humilitas est clavis scientiæ, secundum illud *Proverbiorum* [15] : « Ubi est humilitas, ibi et sapientia. » Et quoniam judicium providentiæ est irreprehensibile, ideo addit : *Etiam, Pater, quoniam sic complacuit ante te,* quasi dicat : Juste, eo quod tibi placeat. Quoniam, ut dicit Glossa [14] : « Injustum esse non potest, quod placet justo. » Unde sufficit hanc rationem reddidisse ; nec voluit aliam assignare, quia illa est sufficientissima et prima, secundum illud [16] : « Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit ; » et ad *Romanos* [17] : « Cujus vult, miseretur, » etc; sive ut reprimatur curiositas, ne discutere audeamus superna judicia; unde Glossa [14] : « Ex hoc accipimus exemplum humilitatis, ne temere discutiamus de supernis consiliis : » dicitur enim in *Proverbiis* [18] : « Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria; » sive ut ostendat quod divina providentia est laudanda in omnibus factis suis, et omnino in omnibus irreprehensibilis, secundum illud [19] : « Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Gaudendum ergo est et exul-

Confessio multiplex.

[1] *Rom.*, XIV, 17. — [2] Sup., I, 47. — [3] *Jerem.*, XXIII, 24. — [4] *Isa.*, LXVI, 1. — [5] *Jac.*, V, 16. — [6] *Rom.*, X, 10. — [7] *Hebr.*, XIII, 15. — [8] *Psal.* CV, 1. — [9] *Jac.*, IV, 6. — [10] *Psal.* CXXXVII, 6. — [11] I *Cor.*, I, 19, 20. — [12] *Isa.*, V, 21. — [13] *Psal.* CXVIII, 130. — [14] Ex Bed., *in Luc.*, c. XLIII. — [15] *Prov.*, XI, 2. — [16] *Exod.*, XXXIII, 19. — [17] *Rom.*, IX, 18. — [18] *Prov.*, XXV, 27. — [19] *Psal.* CXLIV, 18. — (*a*) *Cæt. edit.* Isaias.

tandum de providentia Dei irreprehensibili, non præsumptionis ratiunculis discutiendum (*a*); quia, ut dicit Gregorius [1], « divina judicia non sunt temere discutienda, sed formidoloso silentio veneranda (*b*).

Tertio ostendit esse gaudendum de potentia incomprehensibili, cum ait (v. 22) : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* In hoc namque quod dicit, *Omnia,* infinite ostendit potestatem suam esse utilem, secundum illud [2] : « Omnia per ipsum facta sunt, » id est, per Verbum. Et rursus [3] : « Mea omnia, tua sunt, et tua mea sunt. » In hoc quod adjungit : *Tradita a patre meo,* notat potentiam illam esse naturalem, secundum illud [4] : « Quæcumque Pater facit (*c*), hæc et Filius similiter facit. » In utrisque simul ostendit æqualitatem, et immensitatem. Unde Glossa [5] : « Cum audis *omnia,* Omnipotentem agnoscis; cum audis *tradita,* Filium confiteris, cui per naturam unius substantiæ omnia jure sunt propria, non dono collata per gratiam. » Et ex hoc apparet quod potentia Filii est immensa et incomprehensibilis. Et propterea subdit : *Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater,* id est, nullus intellectus hoc comprehendit, nisi paternus, scilicet perfecte. Et ideo in hoc non excluditur Spiritus sanctus, sed solus intellectus creatus, qui non potest ipsum comprehendere, cum sit immensus. Unde *Job* [6] : « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies ? » etc. Et quia Filius est incomprehensibilis, ideo potest Patrem comprehendere. Propter quod addit : *Et quis Pater, nisi Filius. Nemo,* id est, novit, quia [7] « Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Quoniam ipse solus comprehendit, ideo solus potest revelare. Et ideo subdit : *Et cui voluerit Filius revelare.* Filius enim sapientia et Verbum Patris est, et dicens manifestat se per Verbum suum. Unde in *Sapientia* [8] : « Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? » Unde Chrysostomus [9] : « Philosophi de Deo quærere contendentes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus : sicut qui in vagum oceanum usurpat navigare, cum non potest transire, necesse est ut per eamdem viam revertatur; sic illi ab ignoto cœperunt, et in ignotum finierunt. » Et ratio hujus est, quia non fuerunt discipuli Jesu Christi, qui est Veritas; nec habuerunt Spiritum sanctum, de quo [10] : « Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. »

Quarto ostendit esse gaudium de præsentia desiderabili; unde subdit (v. 23) : « *Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Ideo merito gaudere potestis, quia videtis me tam mente quam corpore, cum Abraham gavisus fuerit, qui vidit tantum fide, secundum illud [11] : « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : et vidit, et gavisus est. » Et ideo in figura hujus dicitur ad Salomonem [12] : « Beati viri tui, et beati servi tui hi qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. » Hoc dicitur de Salomone in figura Christi, quia, ut ipse de se dicit [13] : « Ecce plus quam Salomon hic. » Unde hoc erat donum speciale; et propterea subdit (v. 24) : *Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.* Sublimes in scientia et potestate, desideraverunt Christi præsentiam, secundum illud [14] : « Veniet desideratus cunctis gentibus. » Unde propter vehemens desiderium dicitur [15] : « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes. » Et ait Balaam [16] : « Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non

[1] Greg., *Moral.* lib. XXXI, n. 1. — [2] *Joan.*, I, 3. — [3] Ibid., XVII, 10. — [4] Ibid., V, 19. — [5] Ex Bed., ubi sup. — [6] *Job*, XI, 7, 8. — [7] *Joan.*, I, 18. — [8] *Sap.*, IX, 17. — [9] Chrysost., *in Epist. ad Rom.*, hom. III, n, 2. — [10] *Joan.*, XVI, 13. — [11] Ibid., VIII, 56. — [12] III *Reg.*, X, 8. — [13] *Matth.*, XII, 42. — [14] *Agg.*, II, 8. — [15] *Isa.*, LXIV, 1. — [16] *Num.*, XXIV, 17, 23. — (*a*) *Cæt. edit.* discooperiendum. — (*b*) formidolosa s. nominanda. — (*c*) *Vulg.* ille fecerit.

prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. » Et post : « Heu, quis victurus est quando faciet ista Deus? » Nec mirum, quia dicitur ad Assuerum in persona Christi [1] : « Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum. » Et ideo desiderabant Christi præsentiam videre. Desiderabant etiam ejus doctrinam audire, et ideo addit : *Et audire quæ auditis, et non audierunt*, id est mea verba, quia, sicut dicitur [2] : « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. » Hoc enim erat maximum beneficium, audire Deum loquentem, non per creaturam subjectam, sed in propria persona, et creatura unita. Quod beneficium commemorans, ait *Apostolus* [3] : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, (*a*) novissime, » etc. Beatus qui audit humiliter et obtemperanter hanc locutionem, secundum illud [4] : « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Unde beati, qui per fidem Christum viderunt, et audierunt in via, secundum illud *Proverbiorum* [5] : « Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. » Sed beatissimi qui videbunt in patria, juxta illud [6] : « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. »

25. *Et ecce quidam legisperitus*, etc. Postquam descripsit Evangelista formam prædicandi, hic secundo insinuat formam vivendi. Dupliciter quidem potest quis informari ad recte vivendum, scilicet verbo et exemplo. Ideo Evangelista primo ad informationem præmittit divinum præceptum; secundo vero subjungit humanum exemplum, ibi [7] : *Factum est, dum irent, et ipse intravit*, etc. Quoniam autem informatio præcepti non valet nisi intelligenti, ideo primo præmittitur præceptum regulans ad vivendum; secundo vero adjungitur documentum adjuvans ad intelligendum, ibi [8] : *Suscipiens autem Jesus*, etc. Circa expressionem autem præcepti regulativi, quatuor introducuntur, scilicet inquisitio veritatis salutiferæ, inventio veritatis quæsitæ, approbatio veritatis inventæ, investigatio veritatis approbatæ.

Primo ergo, quantum ad inquisitionem veritatis salutiferæ, dicit : *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum.* Iste peritus erat, et peritum se reputabat; et quia peritum se reputabat, ideo non quærebat ut disceret, sed ut reprobaret, sicut moris est superbis, secundum illud [9] : « Ex multa loquela tentabit te. » Sed rursus, quia peritus erat, idonee et recte quærebat; propter quod addit : *Et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Magistrum eum vocat, quia hoc ipsum spectat ad eum, ut ad interrogata respondeat, juxta quod dicitur [10] : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. » Unde, quia magisterium salutis profitebatur Christus, ideo quæstionem facit de veritate salutari. Similem quæstionem dicitur proposuisse adolescens [11] : « Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? » Isti quærebant studiose, non curiose, quia non de operibus factis, sed faciendis propter meritum salutis, secundum illud [12] : « In pluribus operibus ejus non eris curiosus. » Et paulo superius : « Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. » Unde isti quærunt de via eundi ad vitam, juxta consilium *Jeremiæ* [13] : « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrigerium animabus vestris. » Hæc enim sunt quæ Dominus docet [14] : « Ego Dominus Deus tuus docens te utilia. »

Secundo vero, quantum ad inventionem veritatis quæsitæ, subditur (v. 26) : *At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Ex quo apparet quod Ma-

Esth., XV, 17. — [2] *Ose.*, X, 12. — [3] *Hebr.*, I, 1. — f., XI, 28. — [5] *Prov.*, VIII, 34. — [6] *Apoc.*, XIX, 9. — [7] Inf., 38. — [8] Inf., 30. — [9] *Eccli.*, XIII, 14. — [10] *Matth.*, XXII, 16. — [11] Ibid., XIX, 16. — [12] *Eccli.*, III, 22. — [13] *Jerem.*, VI, 16. — [14] *Isa.*, XLVIII, 17.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et.

gister veritatis erat amicus legis, juxta illud [1] : « Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere : » in quo verbo Salvator captat benevolentiam legisperiti. In hoc quod ostendit se conformari ei in amore legis, suscitat etiam attentionem, dum mittit eum ad legem, sicut ad scripturam authenticam. Præparat etiam docilitatem, dum tribuit viam ad veritatem inveniendam; et hoc quidem fit legendo legem divinam. Unde in Joanne (*a*) dixit legisperitis [2] : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. » Hæc enim est via veniendi ad veritatem, et per veritatem ad vitam. Unde in *Baruch* [3] : « Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum; omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerint eam, in mortem. Convertere Jacob, et apprehende eam, » etc. Et ista via eum ad veritatem (*b*) manuduxit; propter quod additur (v. 27) : *Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua.* Hoc legitur [4] : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » etc. In hoc mandato Legislator omnia præcepta reduxit ad unum; in quo verbo clauditur tota forma vivendi, juxta illud quod dicitur [5] : « In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. » Sed videtur contrarietas, quia dicitur quod legisperitus respondit, et alibi [6] dicitur quod Christus; hic ponuntur quatuor conditiones, ibi tres. Sed patet quod alia fuit illa quæstio, alia ista. Vel potest responderi, sicut innuit Augustinus [7], *de Concordia Evangelistarum*, ubi dicit quod Christus primo respondet, secundum quod dicit Matthæus; et deinde legisperitus iterando approbavit, sicut dicit Lucas. Et quod utrumque fuerit narratum, a Marco dicitur. Et sic patet quod Marcus hos duos ducit ad concordiam. Sed tamen adhuc videtur remanere discordia ex parte conditionum diligendi, quia dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* hic autem dicitur : *Ex omni mente tua* : et in Matthæo omittitur. *Ex omnibus viribus tuis.* Pro hujus itaque intelligentia eruenda, nota quod ad perfectum modum diligendi Deum requiritur, quod referamus in ipsum omnes cogitationes, omnes affectiones et omnes operationes : et hæc tria tanguntur in lege. Sed quia cogitationes sunt intellectivæ cordis, et memorativæ mentis; ideo hic et in Matthæo additur : *Ex tota mente*, in quo est explicatio legis. Et quia qui refert quod interius est, scilicet actum memoriæ, intelligentiæ et voluntatis, in Deum, per consequens refert opera; ideo in his tribus clauditur relatio omnium virium. Lucas ad majorem explicationem addit hoc ipsum, scilicet *Ex omnibus viribus*; similiter Marcus. Vel hoc quod est : *Ex omnibus viribus*, est declaratio totius, scilicet aliarum trium conditionum, ut secundum Augustinum [8] sit sensus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, intellectu sine errore; *Ex tota anima*, id est voluntate sine contradictione; *Ex omni mente*, id est memoria sine oblivione; *Et ex omnibus viribus tuis*, id est, tota virtute sine fictione. Vel secundum Bernardum [9] : *Ex toto corde tuo*, id est sapienter; *Ex tota anima*, id est dulciter; *Ex tota mente*, id est fortiter; et in hoc clauditur *Ex omnibus viribus*. Vel sic : *Ex toto corde tuo*, id est vigilanter, secundum illud [10] : « Ego dormio, et cor meum vigilat. » *Ex tota anima*, id est ardenter, secundum illud [11] : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. » *Ex omnibus viribus tuis*, id est constanter, secundum illud [12] : « Fortis est ut mors dilectio; dura, sicut infernus, æmulatio. Lampades ejus,

Ad perfectam Dei dilectionem quid requiratur

[1] *Matth.*, v, 17. — [2] *Joan.*, v, 39. — [3] *Bar.*, iv, 1, 2. — [4] *Deut.*, vi, 5. — [5] *Matth.*, xxii, 40. — [6] Ibid., 37. — [7] Aug., *de Conc. Evang.*, lib. ii, c. lxxiii, n. 142. — [8] Vel auctorem, quisquis ille sit, libri *de Spiritu et anima*, c. xxv. — [9] Bern., *de tripl. dilect.*, serm. xxix, n. 1. — [10] *Cant.*, v, 2. — [11] Ibid., 6. — [12] Ibid., viii, 6, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* Unde Joannes. — (*a*) *Edit. Ven.* sterilitatem.

lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extingere charitatem, nec flumina obruent illam; » *Ex omni mente tua*, id est, incessanter, secundum illud [1] : « Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui. » [2] « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. » Et sic patet quod tertia et quarta conditio sunt valde propinquæ, et ideo una clauditur aliquando in alia. In omnibus autem prædictis conditionibus intelligendum, quod secundum quod dicunt totalitatem sufficientiæ, sic cadunt sub præcepto, et spectant ad statum viæ; secundum quod dicunt totalitatem consummationis, sic spectant ad statum patriæ, et magis demonstrant quo tendendum, quam obligant ad observandum. Per hoc ergo mandatum, totus homo secundum se totum ordinatur in Deum, et per consequens ad seipsum. Et quia ordinari habet etiam ad proximum, ideo subdit : *Et proximum tuum, sicut te ipsum, diliges* scilicet. Hoc secundum præceptum habetur ex *Levitico*, ubi dicitur [3] : « Diliges amicum tuum, sicut teipsum. » Secundum translationem septuaginta interpretum dicitur : *Diliges proximum sicut te ipsum*, id est, ex quo *te ipsum*, scilicet ex charitatis affectu et effectu; vel in quo *te ipsum*, id est, in Deo; vel propter quod *te ipsum*, id est propter Deum; vel ad quod *te ipsum*, id est, ad gratiam in præsenti, et gloriam in futuro; vel quo modo *te ipsum*, id est supra temporales (*a*), et corpus proprium, et infra Deum. Nam qui sic diligit proximum, ille est verus observator legis. Unde [4] : « Qui diligit proximum, legem implevit. » Et vere debet diligere proximum sicut seipsum : propter conformitatem naturæ, unde *Ecclesiasticus* [5] : « Omne animal diligit simile sibi; sic et omnis homo proximum sibi. » Propter unitatem gratiæ, secundum illud [6] : « Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. » Propter unitatem mercedis æternæ [7] : « Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. » Ad commendandam hanc dilectionem voluit Deus quod nasceremur ex uno patre Adam; quod redimeremur eodem sanguine, scilicet sanguine Domini nostri Jesu Christi; quod remuneraremur eadem mercede [8] : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. »

Dilectio proximi.

Tertio vero, quantum ad approbationem veritatis inventæ, subditur (v. 28) : *Dixitque illi : Recte respondisti*, quia verbum rectitudinis protulisti : quod est verbum dilectionis, secundum illud [9] : « Recti diligunt te. » Vel secundum regulam sapientiæ dixisti, secundum illud *Proverbiorum* [10] : « Justi sunt omnes sermones mei; non est in eis pravum quid neque perversum, recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. » Et quia secundum regulam rectitudinis est vivendum, ideo subdit : *Hoc fac, et vives*, quia secundum illud [11] : « Si quis auditor est verbi, et non factor, » etc. Et Apostolus [12] : « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. » Et vere vives, quia ad æternam vitam pervenies; quia dicitur [13] : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Unde [14] : « Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea, » etc.

Quarto, quantum ad investigationem veritatis approbatæ, subditur (v. 29) : *Ille autem volens justificare seipsum*, id est, justum ostendere : nam, ut dicit Glossa interlinearis, putabat non ante Deum, sed ante hominem se stare, secundum illud [15] : « Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra, » etc. Vel « volens seipsum justificare, » id est, ad justitiam præparare : quod fit per fidem et intelligentiam veritatis, secundum illud [16] : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem

[1] *Deut.*, VIII, 11. — [2] *Tob.*, IV, 6. — [3] *Levit.*, XIX, 18. — [4] *Rom.*, XIII, 8. — [5] *Eccli.*, XIII, 19. — [6] *Ephes.*, IV, 25. — [7] Ibid., 4. — [8] *Psal.* CXXI, 4. — [9] *Cant.*, I, 1. — [10] *Prov.*, VIII, 9. — [11] *Jac.*, I, 23. — [12] *Rom.*, II, 13. — [13] *Matth.*, XIX, 17. — [14] *Joan.*, XIII, 17. — [15] Inf., XVI, 15. — [16] *Rom.*, III, 28.

(*a*) *Suppl.* res.

sine operibus legis. » Ideo, ut veritatem creditam intelligat, requirit. Propter quod additur: *Dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?* ut intelligam mandatum, secundum illud [1]: « Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. » Ideo quærit de proximo diligenter, quia in Scriptura dicitur multipliciter, scilicet 1. cognatione, secundum illud [2]: « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. » Et rursus [3]: « Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam, » etc. 2. Religione; *Ecclesiasticus* [4]: « Exaltabit illum apud proximos suos. » 3. Compassione, sive beneficii exhibitione, secundum quod infra, eodem [5]: « Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. » 4. Naturali assimilatione, secundum illud [6]: « Omne animal diligit simile sibi; sic et omnis homo proximum sibi. » Et Augustinus [7]: » Nomine proximi intelligitur omnis homo. » Et ideo quia dubium erat, et multiplex erat proximi intelligentia, propterea indagandum erat et requirendum non solum propter illum legisperitum, sed propter utilitatem fidelium, a quibus implendum erat præmissum mandatum, quod est consummatio mandatorum.

30. *Suspiciens* (a) *autem Jesus, dixit*, etc. Post præceptum regulans ad vivendum, subdit documentum excitans ad intelligendum; et hoc per dictum parabolicum, inquiens: *Suspiciens Jesus*, id est, sursum aspiciens. In quo ostendit quod qui vult intelligere veritatem, debet sursum aspicere, unde micat verum lumen [8]: « Surge, illuminare, Jerusalem, » etc.; quia [9] « Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. » In hoc autem dicto parabolico quatuor introducuntur: primum est persona indigens ex miseria; secundum est persona despiciens ex duritia, ibi [10]: *Accidit autem ut sacerdos*, etc. Tertium est persona subveniens ex clementia, ibi [11]: *Samaritanus autem*, etc. Quartum est doctrina subsequens ex parabola, ibi [12]: *Quis horum trium videtur*, etc. Circa personam indigentem ex miseria duo introducuntur ab Evangelista: primum est subtractio boni; secundum est inflictio mali. Primo igitur, quantum ad boni subtractionem, dicit: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum.* Ideo fortastis hoc fecerunt, quia solus erat. Quod notat in hoc quod dicit: *Homo quidam*, ut verum appareat illud [13]: « Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. » Imo potius talis habet deprædantem; unde iste homo poterat dicere illud *Job* [14]: « Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. » Subditur: « Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me. » In hos latrones incidit fortassis propter solitudinem viæ, ubi consueverunt latrones latere, secundum illud Hieremiæ [15]: « in viis sedebas, expectans eos quasi latro in solitudine. »

Secundo, quantum ad mali inflictionem, subdit: *Et plagis impositis abierunt, semivivo relicto*, quasi dicat quod usque ad mortem eum vulneraverunt, secundum quod de latronibus dicitur [16]: « Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. » Et in *Psalmo* [17]: « Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. » Non autem verberaverunt eum tantum, ne forte proderet eos, sicut dicitur [18] de Ismael, quod « viros venientes ad Godoliam interfecit Ismael filius Nathaniæ, circa medium laci, ipsi et viri, qui cum eo erant. » Et hoc ne proderent eum, sicut et hic.

31. *Accidit autem ut sacerdos*, etc. Post personam indigentem ex duplici miseria, subditur hic persona despiciens ex duritia.

[1] *Ose.*, x, 12. — [2] *Psal.* xxxvii, 12. — [3] *Psal.* xxxiv, 14. — [4] *Eccli.*, xv, 4. — [5] Inf., 36, 37. — [6] *Eccli.*, xiii, 19. — [7] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. xxx, n. 32. — [8] *Isa.*, lx, 1. — [9] *Eccli.*, i, 1. — [10] Inf., 31. — [11] Inf., 33. — [12] Inf., 36. — [13] *Eccle.*, iv, 10. — [14] *Job*, xix, 9, 12. — [15] *Jerem.*, iii, 2. — [16] *Prov.*, i, 16. — [17] *Psal.* xiii, 3. — [18] *Jerem.*, xli, 7.

(a) Vulg. *Suscipiens*, ex Græc. ὑπολαβών.

Introducitur autem hic duplex persona, superior scilicet et inferior in dignitate ecclesiastica. Primo igitur, quantum ad personam superiorem, dicit : *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via,* cujus erat legem Dei docere et facere, secundum illud [1] : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. » Ipsi autem debebant esse sancti, secundum illud *Levitici* [2] : « Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. » Unde sacerdotum erat potissime legem Dei servare, et maxime quoad misericordiam : sed tamen hic non servavit. Unde postea ibidem subdit : *Et viso illo, præterivit,* non attendens illud [3] : « Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. » Iste autem despexit fratrem suum propter avaritiam. Jam verificatum erat illud [4] : « A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. » Et similiter illud [5] : « Principes tui infideles, socii furum, » etc.

Secundo, quantum ad personam inferiorem, subdit (v. 32) : *Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit :* et hic non attendebat illud [6] : « Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum, » etc. Hunc piguit, quia cum esset secus locum, et videret, noluit visitare. Iste non erat similis illi docenti filium suum [7] : « Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. » Hic autem a paupere nudo vulnerato (*a*), et a proprio suo fratre avertit oculos suos. Et hoc erat magis reprehensibile in sacerdotibus et levitis, quam in aliis personis. Propter quod dicitur [8] : « Misericordiam volui, et non sacrificium ; et scientiam Dei, plus quam holocausta. » Unde iste legisperitus dicitur [9] dixisse, « diligere proximum tanquam seipsum, majus esse omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.

33. *Samaritanus autem quidam*, etc. Hic tertio loco subjicitur persona subveniens ex clementia. Circa quam duplex affectus misericordiæ ostenditur, scilicet supportatio infirmitatis, et relevatio mendicitatis. Primo igitur, quantum ad misericordiam supportantem infirmitatem, dicit : *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est,* ita ut posset dicere illud [10] : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. » Et rursus *Job* [11] : « Ab infantia mea crevit mecum miseratio. » Et quia vera misericordia apparet in opere, ideo subdit (v. 34) : *Et appropinquans* (*b*), *alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum,* ut oleum leniret dolorem, et vinum purgaret, et alligatio conservaret. Et hoc opus erat medici boni, secundum illud [12] : « In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis. » [13] « Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo justi. » Et quia non solum indigebat medicamento, verum etiam vehiculo, et hospitio, et cibo, ideo subdit : *Et ponens illum in jumentum suum,* quantum ad vehiculum ; *Duxit in stabulum,* quantum ad hospitium ; *Et curam ejus egit,* quantum ad cibum. Et sic implevit illud *Isaiæ* [14] : « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam, » etc.

Secundo, quantum ad misericordiam relevantem mendicitatem, subdit (v. 35) : *Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario.* Parvam pecuniam protulit, quia fortassis parvam habebat, secundum illud [15] : « Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. » Et quia, quamvis

[1] *Malac.*, II, 7. — [2] *Levit.*, X, 3. — [3] *Deut.*, XXII, 4. — [4] *Jerem.*, VI, 13. — [5] *Isa.*, I, 23. — [6] *Eccli.*, VII, 38, 39. — [7] *Tob.*, IV, 7. — [8] *Ose.*, VI, 6. — [9] *Marc.*, XII, 33. — [10] *Job*, XXX, 25. — [11] *Job*, XXXI, 18. — [12] *Eccli.*, XXXVIII, 7. — [13] *Prov.*, XXI, 20. — [14] *Isa.*, LVIII, 7. — [15] *Tob.*, IV, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* vulnera. — (*b*) Vulg. *appropians.*

modica esset pecunia, magna tamen erat subveniendi voluntas, ideo subditur : *Et ait : Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Ex quo apparet, quod misericordia ejus erat integra; non sicut illorum de quibus dicitur [1] : « Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. » De isto autem poterat vere dici illud [2] : « Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit. » Et vere, quia, secundum quod dicitur in *Proverbiis* [3] : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. »

36. *Quis horum tibi videtur*, etc. Hic quarto loco subjungitur doctrina subsequens ex parabola, et hoc quantum ad duo: primo, quantum ad eruditionem intellectus; secundo vero, quantum ad exhortationem affectus. Primo igitur, quantum ad eruditionem intellectus, dicitur : *Quis horum trium videtur tibi proximus esse illi qui incidit in latrones?* Hoc ab eo quærit, ut ex ore ejus eliciat veram sententiam; quod et fecit. Unde sequitur (v. 37) : *At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.* Si illi duo ejusdem gentis erant, iste alienigena; ergo proximi nomen non solum se extendit ad propinquos, verum etiam ad extraneos. Unde Beda [4] juxta litteram : « Patet quod alienigena Hierosolymitæ, cui misericordiam impendit, proximior fuit, quam sacerdos et levita gentis ejusdem. » Patet etiam, quod proximitas magis attenditur penes naturalem dilectionem et compassionem, quam penes carnalem cognationem. Unde Ambrosius [5] : « Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quæ misericordia secundum naturam est. Nihil enim tam secundum naturam est, quam naturæ juvare consortem. » Patet etiam ex hoc quod nomine proximi intelligitur omnis, qui misericordia indiget, vel qui misericordiam impendere potest; et per hoc omnis homo. Et ita illuminatus est intellectus legisperiti mirabili manuductione. Si enim hoc Dominus dixisset absoluta responsione, ille minime credidisset. Ideo Dominus sagacissime ex ore ipsius veritatem extorsit; et eum ad veritatem informavit, magis per modum interrogandi, quam per modum sententiandi. In quo dat formam, qualiter superbis debeat satisfieri.

Proximus quis

Secundo vero, quantum ad exhortationem affectus, subditur : *Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter :* ut omni homini misericordiam impendas, si vis esse vere misericors, quia dicitur [6] : « Misericordia Dei super omnem carnem, » id est, quæ ex Deo procedit. Dei namque misericordia ad omnes se extendit. Unde supra [7] : « Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et pater vester misericors est. » Vera etiam misericordia non tantum est in affectu, verum etiam in effectu; ideo dicit : *Et tu fac similiter.* Unde Apostolus [8] : « Bonum facientes, non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. » Et in hoc adimpletur lex Dei, qua non solum verbo et animo, verum etiam facto proximus quicumque indigens sublevatur, secundum illud [9] : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi ; » quæ consistit in dilectione proximi, quia [10] « qui diligit proximum, legem implevit. » Sic igitur patet secundum sensum litteralem doctrina elicita ex parabola.

Misericordia vera.

Alia etiam potest elici secundum sensum spiritualem, ut persona indigens ex miseria intelligatur genus humanum, quod in Adam peccante descendit ab Jerusalem in Jericho, id est, a paradiso in mundum, et incidit in latrones, id est, in potestatem dæmonum, qui spoliaverunt eum gratuitis, et vulneraverunt in naturalibus, et reliquerunt semivivum, quia subtracta similitu-

Spiritualis sensus.

[1] *Ose.*, VI, 4. — [2] *Psal.* XXXVI, 26. — [3] *Prov.*, XIX, 17. — [4] Bed., *in Luc.*, c. XLIV. — [5] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 84. — [6] *Eccli.*, XVIII, 12. — [7] Sup., VI, 35, 36.— [8] *Gal.*, VI, 9, 10.— [9] Ibid., 2.— [10] *Rom.*, XIII, 8.

dine Dei, ad quam creatus est homo, remansit sola imago, ut vere possit dici illud [1] : « Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, » etc.; et rursus [2] : « Verumtamen in imagine pertransit homo. » Illa tamen imago est despoliata propter aversionem, et vulnerata propter conversionem, secundum illud [3] : « Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas. » Ideo spoliatur et vulneratur, secundum illud [4] : « Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. »

Persona autem pertransiens cum duritia, fuit legalis justitia, quæ nec misericordiam, nec medicinam præstabat : quod bene signatum est in *Exodo*, ubi dicitur [5] quod « manus Moysi erant graves. » Unde in Glossa Bedæ [6] : « Sacerdos legem Dei annuntiat. » Descendit quidem lex in mundum per Moysen, et nullam sanitatem contulit homini. Descendit Levita, qui typum ostendit prophetarum : sed hic nullum sanat, quia lex peccata arguit; sed pertransit, quia indulgentiam non largitur. Et illud bene designatum fuit in baculo Elisæi [7], quem misit ad suscitandum puerum, et tamen non fuit vox, neque sensus. Unde potius erat baculus castigans, quam sanans. Unde dicitur [8] : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. »

Persona autem subveniens ex misericordia recte intelligitur Christus Dominus, quia *Samaritanus* interpretatur custos. Ipse autem est de quo in *Psalmo* [9] : « Nisi Dominus custodierit civitatem, » etc. Et *Isaias* [10] : « Custos quid de nocte? » Quia [11] « ecce, inquit *Psalmista*, non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. » Hic venit secus vulneratum, quia [12] : « In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » « Venit, inquam, in similitudinem carnis peccati, » sicut dicitur [13]. Et veniens, tria fecit homini vulnerato : adhibuit medicinam, et hoc per gratiam sacramentorum, in quibus fiunt illinitiones et inunctiones sanantes vulnera peccatorum : quod non fiebat ante Salvatoris adventum, secundum illud [14] : « Vulnus et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. » Sed hoc factum est post Christi adventum. Unde [15] : « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, » etc., « cujus livore sanati estis. » Adhibuit etiam vehiculum, scilicet per gratiam virtutum et donorum, per quam vehimur in stabulum Ecclesiæ, secundum illud [16] : « Beatus vir, cujus est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. » Et post : « Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem. » Et hoc quidem fit in stabulo Ecclesiæ; unde subditur : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei, » etc. Et post : « Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus. » Adhibuit nutrimentum, quod fit per doctrinam duorum testamentorum, quæ intelligitur in prolatione duorum denariorum, quos dedit stabulario, id est, prælato, cujus est doctrinam Christi ministrare, et explanando superogerare. Unde [17] : « Dedit Moysi Dominus cor ad præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. » His Dominus reddet, cum redierit in die judicii, supererogata omnia; quoniam, secundum quod dicitur [18] : « Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Et in *Matthæo* (*a*) [19] : « Euge, serve

Samaritanus.

[1] *Psal.* XLVIII, 13, 21. — [2] *Psal.* XXXVIII, 7. — [3] *Jerem.*, II, 13. — [4] *Thren.*, V, 16, 17. — [5] *Exod.*, XVII, 12. — [6] Bed., *in Luc.*, lib. III, c. XLIV. — [7] IV *Reg.*, IV, 31 et seq. — [8] *Hebr.*, X, 28. — [9] *Psal.* CXXVI, 1. — [10] *Isa.*, XXI, 11. — [11] *Psal.* CXX, 4. — [12] *Philip.*, II, 7. — [13] *Rom.*, VIII, 3. — [14] *Isa.*, I, 6. — [15] I *Petr.*, II, 24. — [16] *Psal.* LXXXIII, 6, 7, 11, 12. — [17] *Eccli.*, XLV, 6. — [18] *Dan.*, XII, 3. — [19] *Matth.*, XXV, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* Et Matthæus.

bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, » etc.

38. *Factum est autem, dum irent*, etc. Postquam tradidit formam vivendi per divinum præceptum, hic secundo tradit per humanum exemplum. Unde Glossa Bedæ [1] : « Habito sermone de dilectione Dei et proximi, supponitur exemplum utriusque. » Introducitur enim hic ad litteram exemplum perfectionis vitæ activæ et contemplativæ, et comparationis utriusque. Unde hæc pars habet duas partes, in quarum prima præmittitur comparatio rationalis; in secunda vero subditur diffinitio judicialis, ibi [2] : *Et respondens dixit illi Dominus*, etc. Circa rationalem autem comparationem quatuor introducuntur : primum est consortium divinæ præsentiæ ; secundum est otium contemplativæ; tertium est exercitium operativæ; quartum est litigium inter utramque (*a*). Primo igitur, quantum ad consortium divinæ præsentiæ, dicitur : *Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum*, sive propter regnum Dei prædicandum, secundum quod dicitur [3] : « Ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei; » sive propter hospitium quærendum, secundum quod dicitur [4], quod Samaritani nollent eum et discipulos suos hospitio recipere, et quod abierunt in aliud castellum. De hoc castello dicitur expressius [5] : « Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ Marthæ sororum ejus. » In hoc, inquam, castello invenit hospitium. Propter quod subditur : *Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam*, tanquam scilicet pauperem et egenum. Unde talibus dicetur illud in judicio [6] : « Hospes eram, et collegistis me. » Similis quoque Marthæ erat Job, de quo [7] : « Foris non mansit peregrinus, et ostium meum viatori patuit. » Et in illo hospitio præsens erat corporaliter, sicut in activis et contemplativis præsens est spiritualiter, secundum illud [8] : « Ecce sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo. » Quia dicitur [9] : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. » Et e contrario [10] : « Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus. »

Secundo vero, quantum ad otium contemplativæ, subdit (v. 39) : *Et huic erat soror nomine Maria*, quæ scilicet erat in otio contemplationis perfectæ. Unde subditur : *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Hoc quidem erat istius mulieris otium, Domino intendere, vacare, sedere et tacere. Unde dicitur [11] quod « Maria, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus. » Quia dicitur [12] : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Per sessionem secus pedes ejus, humilitas intelligitur, quæ debet esse in viris contemplativis, ad hoc ut abundent fructibus devotionis, secundum illud *Psalmi* [13] : « Qui emittit fontes in convallibus, » etc. Qui enim sic sedet, sicut humilis, irrigatur fletibus compunctionis et devotionis, secundum illud *Jeremiæ* [14] : « Solus sedebam, quoniam amaritudine (*b*) replesti me. » Et illud est officium veræ contemplativæ, vacare scilicet lacrymis compunctionis et devotionis. Unde hæc Maria, exemplum contemplationis, semper quasi describitur plorans : supra, ubi dicitur [15], quod « stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, » etc. Et alibi [11] dicitur quod « Maria cum venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus. » Sequitur [16] : « Jesus ergo ut (*c*) vidit eam plorantem, etc.; » subjungitur : « Infremuit spiritu, » etc. Et alibi [17] : « Maria stabat ad

[1] Bed., ubi sup., c. XCV. — [2] Inf., 41. — [3] Sup., VIII, 1. — [4] Sup., IX, 53. — [5] *Joan.*, XI, 1. — [6] *Matth.*, XXV, 35. — [7] *Job*, XXXI, 32. — [8] *Apoc.*, III, 20. — [9] *Prov.*, VIII, 31. — [10] *Sap.*, VIII, 16. — [11] *Joan.*, XI, 32. — [12] *Deut.*, XXXIII, 3. — [13] *Psal.* CIII, 10. — [14] *Jerem.*, XV, 17. — [15] Sup., VII, 38. — [16] *Joan.*, XI, 32, 33. — [17] *Joan.*, XX, 11. — (*a*) *Cæt. edit.* utrumque. — (*b*) *Vulg.* comminatione. — (*c*) *Cæt. edit.* Sequitur ergo : Ut.

monumentum foris plorans, » etc. Et primæ sunt lacrymæ compunctionis ; secundæ , compassionis ; tertiæ, devotionis, quas debent habere contemplativi, sedendo secus pedes Domini.

Tertio, quantum ad exercitium operativæ, subditur (v. 40) : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Et hoc tanquam bona activa declinans otium, secundum consilium sapientis [1] : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos quo tu properas. » Hoc semper faciebat Martha. Unde dicitur [2] quod « Jesus venit in Bethaniam, » etc.; sequitur : « Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. » Et nota quod dicit : *Satagebat*, id est satis agebat. *Circa frequens ministerium*, ut ostendat simul in ejus opere fuisse perfectionem et (*a*) modum debitum, secundum illud beati Petri consilium [3] : « Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » Opus enim ministerii est illud quod maxime Domino placet, et in quo maxime quis imitatur Christum, sicut dicitur infra [4] : « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. » Et iterum [5] : « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Unde tale ministerium est placens et honorabile apud Deum, et remuneratione dignum, secundum illud [6] : « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, » etc.

Quarto, quantum ad litigium inter utramque, subjungit : *Quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ?* ubi Martha laboriosa conqueritur de Maria otiosa, quasi quæ non possit sola pondus laboris portare, secundum quod conquestus est Moyses Domino [7] : « Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. » Sic etiam Martha, propter oneris gravitatem, quærebat auxilium Mariæ, sciens pertinere ad legem Christi illud [8] : « Alter alterius onera portate. » Ideo secure requirebat Christi judicium, ut sororis impetraret auxilium. Propter quod addit : *Dic ergo illi, ut me adjuvet,* quia non faciebat secundum consilium Apostoli [9] : « Per charitatem spiritus servite invicem. » Et alio loco [10] : « Supportantes invicem in charitate. » In hac autem contentione tacet Maria : et rationem hujusmodi reddit Gregorius [11] : « Maria non respondet, sed causam suam tanquam otiosa judici committit. » Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Contemplativorum namque non est contendere, sed potius tacere, et audire, et meditari, secundum illud [12] : « Sedebit solitarius, et tacebit. » Unde *Job* [13] : « Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. » Nihil autem perdit Maria tacendo, quia Dominus causam ejus assumit defendendo. Unde Bernardus [14] : « Ubique Dominus pro Maria respondet, » sive cum improperatur a Pharisæo [15], sive cum arguitur a sorore, ut hic, sive cum a discipulis increpatur, sicut dicitur in *Matthæo* (*b*) [16]. Conqueritur autem Martha : aliquando, suum officium præponendo, et hoc est reprehensibile; unde Glossa [17] : « Ex illorum persona loquitur Martha, qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solum, quod didicere, fraternæ dilectionis opus, Deo placitum dicunt; ideoque cunctos qui Christo devoti esse volunt, huic operi mancipandos autumant. » Aliquando conqueritur otium Mariæ præoptando. Unde Bernardus [18] : « Putas in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmuris audietur ? » Et addit : « Felix domus et beata congregatio, in qua de Ma-

[1] *Eccle.*, IX, 10. — [2] *Joan.*, XII, 1 et seq. — [3] II *Petr.*, I, 10. — [4] *Luc.*, XXII, 27. — [5] *Matth.*, XX, 28. — [6] *Joan.*, XII, 26. — [7] *Num.*, XI, 14. — [8] *Gal.*, VI, 2. — [9] *Gal.*, V, 13. — [10] *Ephes.*, IV, 2. — [11] Greg., ex Gloss. in hunc locum : *Martha, Martha*, etc. — [12] *Thren.*, III, 28. — [13] *Job*, IV, 12. — [14] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. III, n. 2. — [15] Sup., VII, 39. — [16] *Matth.*, XXVI, 8. — [17] Gloss. in hunc loc., ex Bed., *in Luc.*, c. XLV. — [18] Bern., serm. cit.

(*a*) *Cæt. edit.* ut. — (*b*) *Cæt. edit. deest* in Matthæo.

ria Martha conqueritur. » Et ratio hujus est, quia contemplativa per se est eligenda sine querimonia; Martha vero, id est activa, propter necessitatem suscipienda. Unde Jacob [1] elegit Rachel; sed secundum quod necesse fuit, prius suscepit Liam. Licet ergo conqueri Martham, ut sit sicut Maria, quia humilitatis est. Si autem conqueritur de hoc quod non adjuvatur, hoc est infirmitatis. Si vero conqueritur de hoc quod illam Maria juvare velit, et ipsa nolit, hoc est impietatis, quia talis conquestio legem impedit charitatis.

41. *Et respondens, dixit illi Dominus*, etc. Post comparationem rationalem subjungit Evangelista diffinitionem judicialem. Circa quam introducuntur quatuor, scilicet humiliatio vitæ activæ, commendatio contemplativæ, promulgatio sententiæ, et assignatio causæ.

Primo ergo, quantum ad humiliationem vitæ activæ, dicit : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* Ideo nomen Marthæ ingeminat, ut eam excitet ad considerandum defectum proprium, et hoc cum divini verbi attentione : sicut de Moyse dicitur [2], quod cernens Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : « Moyses, Moyses. » Et Dominus volens excitare peccatores ad attentionem, iterat vocationem [3] : « Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. » Et sic nunc excitat Martham, ostendens in ea esse triplicem defectum, scilicet sollicitudinis in cogitatu, tribulationis in affectu, et divisionis in actu. Et ista omnia impediunt nos, ne totaliter tendamus in Deum. Unde nimia sollicitudo est vitanda, secundum illud [4] : « Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione, » etc., « petitiones vestræ innotescant apud Deum. » Et Petrus [5] : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum : quoniam ipsi cura est de vobis. » Vitanda est etiam turbatio [6] : « Non turbetur cor vestrum : creditis in Deum, et in me credite. » Unde et de Christo *Isaias* [7] : « Non erit tristis, neque turbulentus. » Oculus enim turbatus non est ad videndum idoneus. Vitanda est etiam divisio; unde dicitur [8] : « Fili, ne in multis sint actus tui. » Et hæc incommoda habet vita activa, non contemplativa. Unde Paulus [9] : « Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt : ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi. » Sic ergo humiliata est actionis importunitas per ostensionem sui incommodi, sive defectus.

Turbatio.

Divisio.

Secundo vero, quantum ad commendationem vitæ contemplativæ, subdit (v. 42) : *Porro unum est necessarium.* Hoc scilicet est regnum Dei, quo habito nihil deest. Unde in *Matthæo* (a) [10] : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. Et in *Psalmo* [11] : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. » Ista tantum est vita beata, quæ est in Dei adhærentia, cui vacat contemplativa. In cujus persona dicitur [12] : « Mihi autem adhærere Deo bonum est. » Et hoc est illud unum quod est necessarium : quia « qui adhæret Domino, unus spiritus est, » sicut dicitur [13]. Hoc unum qui habet, habet omne bonum : unde in figura hujus dicitur [14] : « Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire a nobis. » Et *Sapiens* ait [15] : « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, » etc. Et ideo dixit Dominus Moysi in persona viri contemplativi [16] « : Ego ostendam omne bonum tibi. »

Tertio vero, quantum ad promulgationem sententiæ, subditur : *Maria optimam partem elegit;* quia scilicet præelegit unum : præponitur autem unum multis, sicut dicit

[1] *Gen.*, XXIX, 18 et seq. — [2] *Exod.*, III, 4. — [3] *Jerem.*, XXII, 21. — [4] *Philip.*, IV, 6. — [5] I *Petr.*, V, 7. — [6] *Joan.*, XIV, 1. — [7] *Isa.*, XLII, 4. — [8] *Eccli.*, XI, 10. — [9] I *Cor.*, VII, 33, 34. — [10] *Matth.*, VI, 33. — [11] *Psal.* XXVI, 4. — [12] *Psal.* LXXVIII, 28. — [13] I *Cor.*, VI, 17. — [14] *Tob.*, X, 5. — [15] *Sap.*, VII, 11. — [16] *Exod.*, XXXIII, 19.

(a) *Cæt. edit.* Matthæus.

Augustinus [1], quia non unum a multis, sed multa ab uno. Multa sunt quæ facta sunt; unus qui fecit. Bona valde quæ fecit; quanto melior ille, qui fecit! Imo simpliciter optimus. Et hæc est pars animæ contemplativæ. Unde dicitur [2] : « Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. » Et in *Psalmo* [3] : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! » Valde, inquam, bonus et optimus, et ideo dicit anima contemplativa [4] : « Clamavi ad te, Domine, et dixi : Tu es spes mea; portio mea in terra viventium. » Quam utique portionem cum Maria jam contemplativi elegerunt, ipsam contemplando et desiderando. Unde in persona contemplativi dicitur [5] : « Transibo et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. » Et propter istius amorem nihil voluit possidere in terra nisi solam inopiam, secundum illud [6] : « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum; » quia, sicut dicitur [7] : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, » etc.

Quarto, quantum ad assignationem causæ, subdit : *Quæ non auferetur ab ea.* Glossa : « Non reprehenditur pars Marthæ, quia et ipsa bona; sed laudatur pars Mariæ, ut optima. » Unde infertur : *Quæ non auferetur ab ea.* Glossa : « Ex opposito intellige, quod a Martha auferetur pars, quam elegit; quia transit labor multitudinis, et remanet charitas unitatis. » Et hæc est causa quare pars Mariæ simpliciter melior et eligibilior, quia contemplativa hic incipit, et in futuro permanet. Quod designatur in figura Joannis, secundum quod dicitur [8] : « Sic eum volo manere, donec veniam; » quasi dicat : Inchoata contemplatio maneat perficienda, cum venero. Et quia manentior, ideo melior, sicut Apostolus de charitate dicit [9] : « Charitas numquam excidit. » Et ex hoc concludit, quod « major est charitas. » Sic et de vita contemplativa; unde Beda [10] in Glossa : « Amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. » *Isaias* [11] : « Cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem. » Unde, quantum est de se, est præeligenda, secundum illud [12] : « Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. » Propter hoc simpliciter vita contemplativa magis est desideranda, tanquam ea quæ melior; et de se præeligenda, tum quia securior, tum quia suavior, tum quia stabilior. Non tamen despicienda activa, sed, pro loco et tempore, ad tempus præeligenda, tum quia anterior, tum quia pœnalior, tum quia fœcundior : valet enim sibi et aliis. Et hoc bene designatum est in duabus uxoribus Jacob, Rachel scilicet, et Lia, quarum altera designat vitam activam, altera contemplativam. Unde compellit sponsam aliquando ad actionem egredi, secundum quod dicitur [13] : « Sonet vox tua in auribus meis, » etc. Unde si de præeminentia fiat quæstio simpliciter, contemplativa est melior, secundum quod dicit Gregorius [14] : « Magna sunt activæ merita, sed contemplativæ potiora. » *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Si autem fiat quæstio de electione, aliquando præeligenda est activa, scilicet viro imperfecto, qui prius debet se exercere in actionis campo; vel cum quis obligatur ad activæ opera ex præcepto, sive ex officio. Et ideo aliquando accidit dubium in præelectione, secundum illud [15] : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere

[1] Aug., *de Verb. Dom.*, serm. XXVI, c. III, al. serm. CIII, n. 4. — [2] *Thren.*, III, 24. — [3] *Psal.* LXXII, 1. — [4] *Psal.* CXVIII, 57. — [5] *Deut.*, III, 25. — [6] *Psal.* LXXXIII, 11. — [7] *Matth.*, XIII, 44. — [8] *Joan.*, XXI, 21. — [9] I *Cor.*, XIII, 8, 13. — [10] Bed., ubi sup.— [11] *Isa.*, XXXI, 9.— [12] II *Cor.*, IV, 18. — [13] *Cant.*, II, 14. — [14] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVIII, al. XXXVII, n. 61. — [15] *Philip.*, I, 21-24.

in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos. » Ideo viros spirituales aliquando oportet egredi, aliquando ascendere, aliquando descendere; sicut vidit Jacob Angelos ascendentes et descendentes.

Hoc evangelium: Invit Jesus in quodam castellum, ut legatur in Assumptione B. Virginis

Istud autem evangelium consuevit legi in Assumptione beatæ Virginis Mariæ, sive quia finis ejus Mariæ optime congruit, cum dicitur : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea :* quamvis enim hoc ad litteram dictum fuerit de Maria Magdalene, verius tamen est de B. Virgine Maria. Unde Bernardus [1] : « *Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam* plane : bona fœcunditas conjugalis; melior autem castitas virginalis; prorsus autem optima fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas Mariæ, cujus hoc privilegium est : non dabitur alteri, quia non auferetur (*a*) ab ea. » Sive etiam, quia in hoc evangelio describitur in duabus sororibus perfectio activæ et contemplativæ, quarum utraque fuit in Virgine perfectissime : quod enim fuit datum istis duabus sororibus per partes, Mariæ totum datum fuit et integre. Unde Hieronymus : « Cæteris datum est per partes; Mariæ autem se totam simul infudit plenitudo gratiæ. » Sive quia hic agitur de duplici Christi susceptione, corporali scilicet et spirituali : corporali a Martha in hospitio domus exterioris; spirituali vero a Maria in hospitio domus interioris. Et hæc duplex susceptio perfectissime fuit in Maria, quæ ipsum suscepit in thalamo corporis, aluit, nutrivit, et educavit, ac sedulo ministravit; suscepit etiam in thalamo cordis ipsum videndo, credendo, amando, imitando. Et ex utroque horum beata fuit. Unde infra [2] : « Beatus venter qui te portavit, » etc. « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Unde Augustinus : « Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Materna enim propinquitas Mariæ nihil profuisset, nisi felicius mente quam carne ipsum gestasset. » Sive etiam quia hic tria determinantur, scilicet divinum hospitium, divinum ministerium, divinum contubernium : quæ tria fuerunt perfectissime in Virgine Maria : hospitium in castello, ministerium in Martha, et contubernium in Maria. Recte namque Virgo Maria in suscipiendo Christum, fuit castellum turribus virtutum munitum et elevatum. Cujus prima turris fuit fortitudo districtionis, de qua [3] : « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea : » quia Virgo Maria nullo vitio potuit superari. Secunda turris, rectitudo discretionis, de qua [4] : « Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. » Ubi intelligitur discretio boni a malo. Tertia turris fuit multitudo devotionis, de qua [5] : « Ego murus, et ubera mea sicut turris, » propter dulcedinem devotionis, in qua excellebat. Unde istæ tres turres ædificatæ fuerunt a Spiritu sancto per gratiam super tres potentias animæ : prima super irascibilem, secunda super rationalem, et tertia super concupiscibilem. Et ex his Virgo fuit castrum idoneum ad suscipiendum Filium Patris dilectum, qui erat virtus et sapientia Patris, quia Virgo fortissima, prudentissima, et devotissima.

Recte etiam in ministrando ministra fuit Martha, quæ Domino ministravit fideliter, humiliter et viriliter. Sic et Maria, cum esset Dei mater, fecit se ancillam et ministram, secundum illud [6] : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Unde designata fuit per illam bonam mulierem Abigail, quæ cum a David peteretur in conjugium, obtulit se in ministerium [7] : « Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. » Talis fuit Virgo Maria, quæ præ nimia humilitate de se ipsa dicebat [8] :

[1] Bern., *in Assumpt. B. Mar.* serm. IV, n. 5.— [2] *Luc.*, XI, 27, 28. — [3] *Cant.*, IV, 4. — [4] Ibid., VII, 4. — [5] Ibid., VIII, 10. — [6] Sup., I, 38. — [7] I *Reg.*, XXV, 41. — [8] Sup., I, 48. — (*a*) *Cæt. edit.* aufertur.

« Respexit humilitatem ancillæ suæ. » Et hoc est quod dicit Augustinus : « Mariam operis exhibitione et fidei, rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis qui sane sapit, intelligit. » Absque dubio enim ministratrix ei extitit, quæ (*a*) hunc in utero gessit partuque profusum aluit et fovit, atque, ut Evangelium ait [1], « in præsepio reclinavit, » et a facie Herodis fugiens in Ægyptum seçessit (*b*), et omnem infantiam ejus pro matris affectu est prosecuta.

Recte etiam in cohærendo sive in contemplando fuit Maria. Nam ipsa sicut altera Maria juxta crucem stabat, secundum illud [2] : « Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et (*c*) soror matris ejus Maria Cleophæ (*d*), et Maria Magdalene. » Ipsa namque Virgo fuit, quæ maxime ei appropinquavit; ideo maxime verba ejus suscepit, et aliis reservavit. Nam supra dicitur [3] : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, » etc. Unde recte designata fuit per arcam fœderis Domini, de qua dicitur [4] : « In qua erat una urna aurea habens manna, » per multam devotionem charitatis; « et virga Aaron, » per multam rectitudinem virtutis; « et tabulæ testimonii, » per multam cognitionem contemplationis veritatis. Ipsa enim fuit maxime contemplativa. Unde Bernardus : « Beata Maria, profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum : ut quantum, sine personali unione, creaturæ conditio patitur, illi luci inaccessibili videatur immersa. » Et Beda [5] : « Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, et cujus uteri corpus sibi aptabat? » Et sic patet, quo modo illud Evangelium, non per humanam inventionem, sed et per divinam inspirationem, fuit assumptioni Virginis appropriatum, quia Spiritus sanctus conclusit in eo Virginis commendationem quoad multitudinem prærogativarum. Ad quarum conservationem subjungit in fine : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Elegit enim optimam partem Maria, et in gratia et in gloria, in qua clauditur Virginis laus perfecta et propria. Sicut enim dicit Hieronymus [6] : « Sicut comparatione Dei bonus nemo, sic comparatione matris Domini, nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur. » Et ideo inter mulieres ipsa sola est optima per omnimodam superabundantiam, ratione cujus nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

[1] Sup., II, 7. — [2] *Joan.*, XIX, 25. — [3] Sup., II, 19. — [4] *Hebr.*, IX, 4. — [5] Bed., *in Luc.*, c. XI. — [6] Hieron., lib. II, in *Epist. ad Ephes.*, Comm. — [7] Inf., 2. — [8] Inf., 5. — [9] *Matth.*, VI, 6. — [10] Inf, XXII, 44. — [11] *Hebr.*, V, 7. — [12] *Rom.*, VIII, 26.

CAPUT XI.

1. *Et factum est, cum esset in quodam loco,* etc. Postquam tradidit discipulis formam docendi et formam vivendi, in hac parte tribuit formam orandi, per quam impetratur gratia cognoscendi et recte judicandi. Habet autem hæc pars tres partes : in quarum prima præmittitur orationis exemplum; in secunda vero additur documentum, ibi [7] : *Et ait illis : Cum oratis,* etc.; in tertia subjungitur orationis incitamentum, ibi [8] : *Et ait ad illos : Quis vestrum,* etc. Circa orationis exemplum duo introducuntur : primum est sollicitudo Domini ad orandum; secundum est promptitudo discipulorum ad imitandum.

Primo ergo, quantum ad sollicitudinem Domini in orando, dicitur : *Et factum est, cum esset in quodam loco orans : quodam,* id est, solitario et secreto, quia talia sunt loca orationi apta, secundum illud [9] : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, » etc. Orat autem Dominus in argumentum veræ humilitatis, juxta quod dicitur [10] : « Factus in agonia, prolixius orabat. » In adjumentum nostræ infirmitatis, secundum illud [11] : « Exauditus est pro sua reverentia. » Et item [12] : « Spiritus adjuvat

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) accessit. — (*c*) *Deest et.* — (*d*) *Cæt. edit.* Cleophe.

infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus,» scilicet Domini Jesu, « postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » In exemplum perfectæ virtutis; unde dicitur : postquam oravit, ipsis discipulis ait [1] : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. » Ob hanc etiam causam orationi frequenter instabat, ut doceret semper orandum, secundum illud : « Sine intermissione orate. » Et prolixe etiam orabat, sicut dicitur supra [3] : « Factum est, » etc.; sequitur : « Et erat pernoctans in oratione. » Et ideo fortasse dicitur hic, *in quodam loco*, ut ostendatur quod orantibus requirendus est locus secretus; sed tempus tacetur, ut ostendatur quod omni tempore indifferenter est orandum, secundum quod dicitur infra [4] : « Oportet semper orare, et non deficere. » Et item [5] : « Non impediaris orare semper. »

Secundo, quantum ad promptitudinem discipulorum in imitando, subditur : *Ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare.* Recte a Domino petebant discipuli quemadmodum et ipsi orare deberent, ne quandoque aliquid peterent contra ejus voluntatem. Unde Sapiens [6] : « Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. » Ideo *doce nos orare*, cum sis Dominus noster. Unde *Isaias* [7] : « Ego Dominus Deus tuus docens te utilia. » Et quod debeat exaudiri, ostendit per simile, cum addit : *Sicut docuit Joannes discipulos suos.* Scire namque orare Deum, pertinet ad doctrinam pietatis, quoniam in oratione præcipue colitur Deus. Unde dicebat Propheta [8] : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, » etc. Et Chrysostomus : « Solam orationem, quasi spirituale tributum, anima offert de suis visceribus. Magna quippe dignitas orationis. Mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, et offerunt ante Deum, » sicut ait Angelus Tobiæ [9] : « Ego obtuli orationem tuam Domino, » etc. Sic ergo sollicite docetur et requiritur, propter sui excellentiam; et non solum propter hoc, sed etiam propter efficaciam, secundum illud [10] : « Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. » Et *Jacobus* [11] : « Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat, » etc. Unde per hoc innuitur nobis oratio multum amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni, et amotio omnis mali. Unde [12] : « Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna, magis quam thesauros recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. »

2. *Et ait illis : Cum oratis*, etc. Post orationis exemplum, subjungit orationis documentum. In quo primo traditur forma invocandi; secundo vero, forma postulandi, ibi : *Sanctificetur nomen tuum.* Quantum autem ad formam invocandi, dicit : *Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater*, id est, primo invocate Patrem; *dicite*, inquam, non voce tantum, sed etiam corde, ne quando dicatur vobis illud [13] : « Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. » Dicite quoque non tantum corde, verum etiam ore : quia vocalis oratio accepta est Deo, secundum illud [14] : « Confitebor Domino nimis in ore meo. » Et hoc, tum quia valet ad memoriam suscitandam, ad somnolentiam excitandam, ad desiderium accendendum, ad obsequium impendendum, ad gaudium exprimendum, et ad exemplum demonstrandum. Invocamus autem nomen Patris : ipse enim est pater ratione conditionis naturæ, secundum illud [15] : « Ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur. » Unde *Malachias* [16] : « Numquid non pater unus

Oratio vocalis.

[1] *Matth.*, XXVI, 41. — [2] I *Thess.*, V, 17. — [3] Sup., VI, 12. — [4] Inf., XVIII, 1. — [5] *Eccli.*, XVIII, 22. — [6] *Sap.*, IX, 13, 14. — [7] *Isa.*, XLVIII, 17. — [8] *Psal.* V, 8. — [9] *Tob.*, XII, 12. — [10] *Marc.*, XI, 24. — [11] *Jac.*, V, 16, 17. — [12] *Tob.*, XII, 8, 9. — [13] *Marc.*, VII, 6. — [14] *Psal.* CVIII, 30. — [15] *Ephes.*, III, 15. — [16] *Malach.*, II, 10.

omnium nostrum ? » Est etiam pater ratione collationis gratiæ [1] : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. » Et item [2] : « Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. » Est etiam pater ratione consummationis gloriæ, secundum illum [3] : « Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. » Quoniam igitur in nomine Patris intelligitur Deus ut conditor naturæ, largitor gratiæ, consummator gloriæ ; hoc ipso datur intelligi quod ipse est, a quo solo debemus petere. Sed quoniam Matthæus orationem describit ut enarratam apostolis, quibus Dominus cætera explicavit, ideo explicite tangit ista tria, dicens : *Pater*, ratione naturæ ; *Noster*, ratione gratiæ : *Qui es in cœlis*, ratione gloriæ. Lucas vero exprimit orationem ut minoribus discipulis traditam ; ideo tradit formam magis implicitam ; uterque tamen concordat in invocatione nominis Patris, ut in hoc uno nomine excitetur homo ad reverentiam et confidentiam, sine quibus duabus alis oratio non habet efficaciam. Habetur autem reverentia ex nomine Patris ; unde *Malachias* [4] : « Si erga Pater ego sum, ubi est honor meus ? » Et in *Ecclesiastico* [5] : « Gloria hominis ex honore patris sui. » Habetur etiam et confidentia, secundum illud *Isaiæ* [6] : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? » etc. Infra, eodem [7] : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*. Et Beda : « Oratio, quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum mihi fiduciam præstat. »

Sanctificetur nomen tuum. Post invocationem, adjungit petitionem. Petit autem tria principaliter in hac oratione. Et in hoc concordant Matthæus [8] et Lucas ; sed differunt in explicatione, quia propter causam præassignatam Matthæus assignat petitiones magis explicitas. Unde Matthæus ponit septem ; Lucas, quinque : sed in his quinque septem illæ sunt implicitæ. Harum autem distinctio, ordo et sufficientia patet sic. A Deo enim Patre tria sunt postulanda : primum et principale est consummatio gloriæ ; secundum est consummatio gratiæ ; tertium est condonatio veniæ. Et ista tria ordinata sunt secundum gradum et ordinem majoris dignitatis. Ad consummationem autem gloriæ duo concurrunt, scilicet perfecta notitia, et perfecta reverentia ; et secundum hæc, sunt duæ primæ petitiones. Ad consummationem autem gratiæ sufficit continua subventio cœlestis alimoniæ : et hoc petitur in tertia petitione. Ad condonationem veniæ duo concurrunt, scilicet remissio culpæ et remotio pœnæ : et hæc petuntur in duabus ultimis petitionibus. Sed quoniam perfectio reverentiæ non tantum attenditur in affectu, sed etiam in effectu ; ideo jam duabus primis petitionibus Matthæus adjungit tertiam, scilicet : *Fiat voluntas tua*. Rursus, quia remotio pœnæ attenditur non solum quantum ad remotionem tentationum, sed etiam quantum ad remotionem afflictionum et tribulationum ; ideo duabus ultimis petitionibus Matthæus adjungit septimam : *Sed libera nos a malo*. Et sic patet sufficientia petitionum secundum utrumque Evangelistam. Patet etiam hujus orationis nobilitas : quanquam enim sit brevissima, continet tamen in se orationem omnem et omnia postulanda : quoniam petens aut petit amotionem mali, aut collationem boni : si mali, aut mali culpæ, aut mali pœnæ : aut mali quod patimur, aut mali quod agimus. Et sic sunt duæ petitiones. Sed malum pœnæ potest subdividi : quia quoddam est occasio culpæ, et sic est tentatio ; quoddam tenet rationem pœnæ, et sic est tribulatio : et sic ex illa petitione eliciuntur duæ ultimæ. Si autem petimus bonum, aut æternum, aut temporale : si æternum, aut ex parte intellectus, aut ex parte affectus, et sic duæ petitiones. Sed affectus habet ordinari respectu majestatis,

[1] *Rom.*, VIII, 15. — [2] *Gal.*, IV, 6. — [3] *Jerem.*, III, 19. — [4] *Malach.*, I, 6. — [5] *Eccli.*, III, 13. — [6] *Isa.*, XLIX, 15. — [7] Inf., 13. — [8] *Matth.*, VI, 9 et seq.

et respectu bonitatis: et sic illa petitio prima divisione geminatur, sed subdivisione triplicatur. Si vero petitur bonum temporale, aut ratione mentis, aut ratione corporis: sed quia corporale bonum non debet desiderari nisi propter spirituale, ideo tam secundum Lucam, quam secundum Matthæum, una fit petitio de utroque. Et sic patet sufficientia divisionum per membra opposita, et immediata: et patet concordia inter Evangelistas, et patet diversitatis congruitas.

Quinque sunt petitiones secundum Lucam.

Sunt igitur quinque petitiones secundum Lucam, ordinatæ secundum majorem nobilitatem, et minorem. In prima petitur perfecta notitia, sive sapientia in intellectu; in secunda, perfecta reverentia in affectu; in tertia, sufficientia in victu; in quarta, indulgentia in reatu; in quinta, victoria in conflictu. Et in his quinque implicantur septem petitiones, ac per hoc septem virtutes, septem dona, septem beatitudines, et omnes petitiones. Unde Glossa dicit super illud : *Libera nos a malo :* « Nihil deest quod in his septem petitionibus non contineatur, sive ad præsentem, sive ad futuram pertineat vitam. »

Oratio dominica quid contineat.

Primo igitur, quantum ad notitiam, sive sapientiam in intellectu, dicit : *Sanctificetur nomen tuum*, sanctum appareat nomen tuum, hoc est tua notitia. Unde in *Psalmo* [1] : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. » Et hæc notitia incipit in gratia, sed consummatur in gloria. De quo dicitur [2] : « Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Hoc autem verificabitur in gloria, quoniam, secundum illud [3] : « Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognoscite Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus. » Et nota, quod triplici notitia sanctificatur nomen Dei in nobis, cum in se semper sit sanctum. Prima est notitia, qua cognoscitur per fidem, secundum illud [4] : « Credere oportet accedentem ad Deum, quia est. » Secunda, qua cognoscitur quid non est, de qua Augustinus : « Multum comprehendis, si comprehendis quid non sit Deus. » Tertia est qua cognoscitur sicuti est, de qua Apostolus [5] : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. » Prima notitia liberat ab insipientia, de qua [6] : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. » Secunda, ab idololatria, qua colitur quod non est Deus, de qua Apostolus [7] : « De escis, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus, nisi unus. Nam etsi sint qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, » etc. Tertia liberat ab omni miseria : et hoc erit in patria, quando complebitur donum sapientiæ et pacis, per quam vocamur filii Dei. Et tunc nomen Dei sanctum erit in nobis. Unde dicitur [8] : « Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » Perfecta igitur Dei notitia facit nos similes; et perfecta similitudo filios; et perfecta filiatio facit sanctificatione divini nominis dignos. Unde Chrysostomus [9] : « Sanctificatur in nobis nomen Dei, quoniam scientes eum sanctum, timemus, et sollicite vigilamus ne forte violemus sanctitatem nominis ejus in nobis. » Hoc autem erit, quando totaliter ei vacabimus, et per nullam distractionem inficientur mentes nostræ; quod erit in gloria, secundum illud *Psalmi* [10] : « In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum. »

Triplici notitia sanctificatur nomen Dei in nobis.

[1] *Psal.* LXXV, 1. — [2] *Malac.*, I, 11. — [3] *Jerem.*, XXXI, 34. — [4] *Hebr.*, XI, 5. — [5] I *Cor.*, XIII, 12. — [6] *Psal.* XIII, 1. — [7] I *Cor.*, VIII, 4-6. — [8] I *Joan.*, III, 2. — [9] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, c. VI, hom. XIV. — [10] *Psal.* CXXXVII, 1, 2.

Secundo, quantum ad perfectam reverentiam in affectu, subdit : *Adveniat regnum tuum.* Tunc enim Deus perfecte regnat in nobis, quando nos sumus omnino ei subjecti; quod erit in fine, secundum illud [1] : « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, » etc.; subjungitur : « Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. » Et post : « Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. » Hoc autem regnum, quo Deus regnat in sanctis, facit etiam ipsos sanctos regnare, et esse reges, secundum illud [2] : « Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Hoc est regnum petendum et desiderandum, de quo in *Psalmo* [3] : « Regnum tuum regnum omnium sæculorum. » Et in *Apocalypsi* [4] : « Factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, regnabunt in sæcula sæculorum : Amen. » Per hujus regni adventum non accrescit in Deo potentia, sed in hominibus perfecta obedientia. Et ideo addit Matthæus post hanc petitionem : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Terreni enim non perfecte obediunt Deo, ut cœlestes. Et hoc insinuabat Dominus [5] : « Regnum meum non est de hoc mundo. » Et hoc, quia diabolus regnat in illis qui obediunt ei, secundum illud [6] : « Adversus mundi rectores tenebrarum harum. » Sed in finali judicio tolletur ejus potestas, quando subditus erit omnis mundus Deo, secundum illud *Danielis* [7] : « Dedit ei potestatem, et honorem et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. »

Tertio vero, quantum ad sufficientiam in victu, subdit (v. 3) : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi petitur principaliter panis alimoniæ spiritualis. Unde Matthæus dicit : « Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. » Sed quia non tantum hoc petitur, sed et omne quod necesse est præsenti vitæ; ideo cum Ecclesia frequentet orationem Dominicam secundum Matthæum, non dicit *supersubstantialem,* ut ipse habet, sed addit *quotidianum,* quemadmodum Lucas habet, ut ostendat se petere quidquid est necessarium alimoniæ hujus vitæ, quæ per *hodie* intelligitur. Unde, quemadmodum Hieronymus dicit [8] : « Sive dicatur *quotidianum,* sive *supersubstantialem*, utrumque consonat hebraicæ veritati. In hebraica enim lingua unum vocabulum, id est socholla, comprehendit Socho utrumque intellectum; sicut et apud nos *quotidianum* utrumque panem comprehendit, scilicet spiritualem et corporalem, quia uterque est nobis quotidie necessarius, et quotidie a Domino percipiendus; et ideo quotidie postulandus. Et hoc est quod dicit Beda in Glossa : « Panis vero, inquit, *quotidianus* ideo dictus est, quia hic est necessarius quantus animæ carnique tribuendus est, sive corporaliter, sive utroque intelligatur modo. » Et nota quod multiplex panis hic petitur. Primus est alimentum præsentis vitæ, de quo dicitur [9] : « Initium vitæ hominis aqua, et panis, et vestimentum. » Secundus est intelligentia sacræ Scripturæ, de quo dicitur [10] : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. » Tertius panis est Sacramentum Eucharistiæ, de quo sapiens [11] : « Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. » Et *Joannes* [12] : « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Quartus est adjutorium gratiæ, de quo *Psalmista* [13] : « Panem Angelorum manducavit homo. » Et idem [14] : « Panis cor hominis confirmet. »

[1] I *Cor.*, XV, 24-28. — [2] *Apoc.*, V, 9, 10. — [3] *Psal.* CXLIV, 13. — [4] *Apoc.*, XI, 15. — [5] *Joan.*, XVIII, 36. — [6] *Ephes.*, VI, 12. — [7] *Dan.*, VII, 14. — [8] Hieron., *in Matth.*, lib. I, c. VI. — [9] *Eccli.*, XXIX, 28. — [10] *Thren.*, IV, 4. — [11] *Sap.*, XVI, 20. — [12] *Joan.*, VI, 52. [13] *Psal.* LXXVII, 25. — [14] *Psal.* CIII, 15.

Et infra [1] : « Beatus qui maducabit panem in regno Dei. » Quintus est obsequium obedientiæ, de quo dicitur [2] : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » Et [3] : « Elias respexit, et ecce ad caput suum subcineritius panis. » Sequitur : « Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. » His panibus reficit nos Dominus; quod designatum fuit, cum dicitur [4] quod de quinque panibus satiavit quinque millia hominum. Et ideo quilibet istorum semper petendus, secundum illud quod ibidem [5] : « Domine, semper da nobis panem hunc. »

Quarto, quantum ad indulgentiam in reatu, subdit (v. 4) : *Et dimitte nobis peccata nostra;* et hoc quoad reatum obligationis. Unde dicitur [6] : « Debita nostra. » Peccata enim faciunt nos debitores eorum quæ non possumus solvere. Unde in *Psalmo* [7] : « Mutuatur peccator, et non solvet, » etc. Hæc sunt debita, quibus obligata erat mulier [8] de uxoribus prophetarum, quæ non poterat solvere, quousque Elisæus multiplicavit oleum. Per oleum enim misericordiæ Christi, peccata nostra solvuntur et dimittuntur. Sed quia [9] « judicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam, » ideo subdit conditionem : *Siquidem et dimittimus omni debenti nobis.* Hæc quidem conditio necessaria est ad impetrandam peccatorum veniam. Unde dicitur [10] : « Relinque proximo nocenti, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? » Quasi dicat : Frustra quærit. Unde dicitur [11] : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra : si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. » Unde proponit parabolam de servo nequam, in cujus fine subjungit [12] : « Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. » Et hoc recte, quia qui refugit legem clementiæ, cadit in legem justitiæ, de quo supra [13] : « Dimittite, et dimittemini. » Et postea : « Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. » Et hanc conditionem apposuit hic Dominus, ut ostendat illud esse verum quod dicitur [14] : « Nec superbi ab initio placuerunt tibi; sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. » Unde *Isaias* [15] : « Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus vestræ sanguine plenæ sunt. » Unde Chrysostomus [16] : « Si is, qui læsus (*a*) est, frustra orat nisi indulserit; quomodo, putas, orat is, qui læsus (*a*) non est, si ipse per injustitiam alios lædit et gravat? Qui autem non sic orat ut Christus docuit, non est discipulus; nec Pater exaudit orationem, quam Filius non docuit. Cognoscit enim Pater filii sui sensum, et verba non suscipit, quæ usurpatio humana excogitavit, sed quæ sapientia Christi posuit. »

Quinto vero, quantum ad victoriam in conflictu, subjungit : *Et ne nos inducas in tentationem*, id est, non permittas induci, id est, superari; quia, sicut dicitur [17] : « Deus intentator malorum est. » Sequitur : « Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. » Et nota, quod non petit non tentari : quia tentatio hominem probat, secundum illud [18] : « Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum. » Et *Ecclesiasticus* [19] : « Qui non est tentatus, quid scit? » Sed petit a tentatione non superari nec vinci, sed vincere et triumphare. Hoc quippe petendum est propter divini auxilii fidelitatem, de qua dicitur [20] : « Fidelis autem Deus est, qui non patietur (*b*)

Tentatio utilis.

[1] Inf., XIV, 15. — [2] *Joan.*, IV, 34. — [3] III *Reg.*, XIX, 6, 7. — [4] *Joan.*, VI, 11. — [5] Ibid., 34. — [6] *Matth.*, VI, 12. — [7] *Psal.* XXXVI, 21. — [8] IV *Reg.*, IV, 1 et seq. — [9] *Jac.*, II, 13. — [10] *Eccli.*, XXVIII, 2, 3. — [11] *Matth.*, VI, 14, 15. — [12] Ibid., XVIII, 35. — [13] Sup., VI, 37, 38. — [14] *Judith*, IX, 16. — [15] *Isa.*, I, 15. — [16] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, hom. XIV. — [17] *Jac.*, I, 13, 14. — [18] *Psal.* XXV, 2. — [19] *Eccli.*, XXXIV, 9. — [20] I *Cor.*, X, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* Jesus. — (*b*) patitur.

vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Petendum est etiam propter cognoscendam nostram infirmitatem, secundum illud [1] : « In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. » Unde Chrysostomus [2] : « Cognoscant se esse infirmos, et cognitio infirmitatis, gloriationis causam extinguat (*a*); » quia, secundum quod dicitur [3] : « Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. » Quoniam ergo tribulatio tentatio est, secundum illud [4] : « Beatus vir qui suffert tentationem, » etc.; ideo qui eripitur ab omni malo tentationis, eripitur per consequens a malo tribulationis. Et ideo non oportebat ultra hic addi : *Libera nos a malo*, quasi petitio omnino diversa; sed explicari, quasi in hac inclusa. Et hoc est quod dicit Beda in Glossa : « Sciat unusquisque in eo se liberari a malo quod non infertur in tentationem. » Finit ergo Lucas orationem in tentatione, in qua dubium est de statu vel lapsu. Et ideo non addit : *Amen*, quod est indicium certitudinis orationis exauditæ. Matthæus vero orationem terminat in liberatione ab omni malo pœnæ, ac per hoc a morte, de qua Apostolus [5] : « Novissime autem inimica destruetur mors : » et postea est certitudo salutis. Ideo finit dicendo : *Amen*, ad indicium certitudinis pro illo tempore. Sed quia, quamdiu hic sumus, ad hanc certitudinem non pervenimus, ideo tacite dicitur et submisse a sacerdote, etc., cum cætera in missa dicantur elevata voce. Sunt et aliæ congruentiæ rationes : sed hæc sufficiat pro præsenti.

Amen.

5. *Et ait ad illos : Quis vestrum*, etc. Post exemplum et documentum, subjungit hic tertio orandi incitamentum, per quod invitamur ad orandum frequenter et fiducialiter. Et habet hæc pars duas : in prima proponitur incitamentum ad orationis frequentiam; in secunda vero ad orandi fiduciam, ibi [6] : *Quis autem ex vobis patrem petit*, etc? Ista enim duo sunt, quæ maxime orationis fructum evacuant, scilicet negligentia, et diffidentia. Circa incitamentum frequentiæ duo insinuantur : primum est similitudo incitativa; secundum est eruditio informativa, ibi [7] : *Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis.* Quantum autem ad similitudinem incitativam ad orationis frequentiam, introducuntur tria : primum est opportunitas postulans; secundum est difficultas recusans; tertium est importunitas impetrans, ut ex hoc ostendatur, quantæ efficaciæ sit oratio importuna et continua.

Primo igitur, quantum ad opportunitatem postulantem, dicit : *Quis vestrum habebit amicum?* Hic legitur interrogative; sed Glossa vult quod legatur remissive *Quis*, hoc est *aliquis*, et *si quis*. Hoc tamen dicitur ut ostendatur veri amici pretium, secundum illud [8] : « Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. » Et iterum : « Amicus fidelis, medicamentum vitæ, et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, invenient illum. » Ad istum ergo fiducialiter recurritur. Et ideo additur : *Et ibit ad illum media nocte*, quia, sicut dicitur [9] : « Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur : » et tali fiducialiter necessitas exponitur; propter quod additur : *Et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes.* Et hoc, lege pietatis et charitatis communis, de qua dicitur [10] : « Frange esurienti panem tuum, » etc. Et *Ecclesiastes* [11] : « Mitte panem tuum super transeuntes aquas. » Lege etiam fidelitatis et amicitiæ specialis, propter quod addit : *Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum.* Et ita

[1] II *Paral.*, XX, 12. — [2] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, hom. XIV. — [3] I *Mach.*, III, 19. — [4] *Jac.*, I, 12. — [5] I *Cor.*, XV, 26. — [6] Inf., 11. — [7] Inf., 9. — [8] *Eccli.*, IV, 15, 16. — [9] *Prov.*, XVII, 17. — [10] *Isa.*, LVIII, 7. — [11] *Eccle.*, XI, 1.

(*a*) *Al.* extinguet. — (*b*) Cæt. edit. *Ecclesiasticus.*

fide (*a*) amicitiæ teneor illi, ac per hoc et tu mihi. Unde *Ecclesiasticus*[1] : « Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut in hæreditate illius cohæres sis.

Secundo, quantum ad difficultatem recusantem, subdit (v. 7) : *Et ille de intus respondens dicat : Noli mihi molestus esse*, inquietando scilicet quiescentem, et a sommo excitando, sicut dixit Abner David[2] : « Quis es tu qui clamas et inquietas regem? » Et quod magna sit molestia, ostenditur ex difficultate adjuncta : *Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili*, id est pueri, qui tenero amore debent amari. Unde *Isaias*[3] : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus, » id est filii quorum amor non potest negligi, secundum illud *Isaiæ*[4] : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? » Ideo subdit : *Non possum surgere, et dare tibi*. Et hoc non tollit omnino potestatem, sed ponit difficultatem, quasi dicat illud quod dixit Elias Elisæo[5] : « Rem difficilem postulasti, » etc. Et propterea dicit : *Non possum*, id est, non commode nec facile possum, sicut rex Israel respondit regi Syriæ[6] : « Omnia propter quæ misisti servum tuum in initio, faciam : hanc autem rem facere non possum.

Tertio, quantum ad importunitatem impetrantem, subdit (v. 8) : *Et si ille perseveraverit pulsans*, precibus, non pudore victus, nec tædio fatigatus, nec desperatione fractus, tanquam verus amicus, secundum illud[7] : « Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes : est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas, » etc. Et quia[8] « labor improbus omnia vincit, » ideo subdit : *Dico vobis : et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit*, id est, motus veritate dilectionis, quæ interdum torpescit in amicis; propter quod dicitur[9] : « Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » Si ergo non vincitur abundantia charitatis, vincitur tamen instantia importunitatis. Propter quod addit : *Propter importunitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios*. Hujus exemplum proponitur infra[10] de judice et vidua, quæ illum infestabat. Unde ibi dicitur quod judex noluit eam audire *per multum tempus*. Post hæc autem dixit intra se : « Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. » Et hujus etiam exemplum habetur de Samsone et ejus uxore[11] : a quo cum peteret, quod prius nolebat indicare (*b*), subditur quod septem diebus convivii flebat ante eum, tandemque die septimo, cum ei esset molesta, exposuit.

Secundum spiritualem intellectum, per amicum istum intelligitur Christus, de quo in *Ecclesiastico*[12] : « Amicus fidelis, protectio fortis. Qui autem invenit illum, invenit thesaurum. » De quo in *Joanne* (*c*)[13] : « Jam non dicam vos servos, » etc.; sequitur : « Vos autem dixi amicos, » etc. Et iterum : « Vos amici mei estis, » etc. Ad istum amicum eundum est nocte, scilicet nocturno silentio; sicut Nicodemus venit, de quo Joannes dicit[14] quod *venit ad Jesum nocte*, quia in secreto noctis silentio est per orationem pulsandus, secundum illud *Isaiæ*[15] : « Anima mea desideravit te in nocte. »[16] « Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum, » etc. Vel in nocte, id est, in tribulatione, secundum illud *Oseæ*[17] : « In tribulatione sua mane consurgent ad me. » Et in *Psalmo*[18] : « Invoca me in die tribulationis, eruam te, » etc. Amicus autem qui venit de

[1] *Eccli.*, XXII, 28, 29. — [2] I *Reg.*, XXVI, 14. — [3] *Isa.*, VIII, 18. — [4] *Isa.*, XLIX, 15. — [5] IV *Reg.*, II, 10. — [6] III *Reg.*, XX, 19. — [7] *Eccli.*, XXII, 26. — [8] Virgil., *Georg.*, lib. I. — [9] I *Joan.*, III, 18. — [10] Inf., XVIII, 3 et seq. — [11] *Judic.*, XIV, 16 et seq. — [12] *Eccli.*, VI, 14. — [13] *Joan.*, XV, 15, 14. — [14] Ibid., III, 2. — [15] *Isa.*, XXVI, 9. — [16] *Thren.*, II, 19. — [17] *Ose.*, VI, 1. — [18] *Psal.* XLIX, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* fideliter.— (*b*) judicare.— (*c*) Joannes.

via, animus noster est, secundum quod dicitur in Glossa : « Qui quoties ad temporalia petenda vagatur, toties a nobis recedit. » Hunc amicum evagari facit delectatio, sed reducit tribulatio, secundum quod dicitur de filio prodigo [1], qui propter luxuriam recessit, sed propter inediam rediit. Unde in *Osea* (*a*) [2] : « Ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria. » Et post subditur : « Et dicet : Vadam, et revertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. » Iste revertitur, quando ad interiora recurrit, secundum illud *Isaiæ* [3] : « Redite, prævaricatores, ad cor. » Sed invenit ipsum vacuum a solatio spiritualium refectionum : unde de peccatoribus dicitur [4] : « Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis; cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. » Et [5] : « Defecit gaudium cordis nostri. » Subjungitur : « Væ nobis, quia peccavimus. » Pro hoc igitur amico famelico petendi sunt a vero amico tres panes, id est, secundum quod dicit Beda et Augustinus, intelligentia Trinitatis, sive trium personarum nomina, ut in solius Dei cognitione inveniat refectionem. Unde in *Exodo* [6] : « Videruntque Deum, et comederunt et biberunt. » Et in *Ecclesiastico* [7] : « Cibabit eum pane vitæ, et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. » Vel tres panes sunt fides, spes, charitas; quibus reficitur triplex virtus in anima, de quibus infra [8] : « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, » etc. De his [9] : « Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel : unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis; alius portans lagenam vini : » ut in his intelligatur unitas gratiæ, et trinitas virtutum, per quas reformatur imago Dei in anima. Sed hæc petitio non statim exauditur a Christo; sed oportet cum multa instantia requirere, quia ad tam magna dona est anima peccatrix minus idonea. Unde scriptum est [10] : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. » Verum etsi jam filius est, adhuc oportet cum magna instantia requirere, ne panis ille vilescat, cum semper oporteat ipsum esurire, secundum illud [11] : « Qui edunt me, adhuc esurient. » Sive ut petendo magis mereamur, et disponamur; unde Augustinus ad Probam, *de orando Deo* [12] : « Exerceri vult in orationibus desiderium nostrum, quo possimus (*b*) capere illud, quod præparat dare. »

9. *Et ego dico vobis*, etc. Post similitudinem incitativam, subdit eruditionem informativam ad orationis frequentiam : quam elicit ex similitudine præhabita, ubi primo hortatur spiritualiter discipulos; secundo vero generaliter omnes. Ideo quantum ad exhortationem respectu discipulorum, dicit : *Et ego dico vobis*, qui scilicet non mentior : quia [13] « non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur : dixit ergo, et non faciet? « Unde Glossa dicit : « Magnam spem tribuit, qui promittendo non decipit. » Monet ergo ad orationis instantiam et frequentiam, cum dicit : *Petite et dabitur vobis : quærite et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Simile habetur apud Matthæum [14] : super quo loco dicit Augustinus [15] : Operose quidem, quid ista tria inter se differant, distinguendum putavi, sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta conclusit dicens : *Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* » Unde vult Dominus dicere illud quod simpliciter dicitur [16] : « Sine intermissione orate. » Et ad *Colossenses* [17] : « Orationi instate. » Possunt

[1] Inf., XV, 13 et seq. — [2] *Ose.*, II, 6, 7. — [3] *Isa.*, XLVI, 8. — [4] *Thren.*, II, 12. — [5] Ibid., V, 15, 16. — [6] *Exod.*, XXIV, 11. — [7] *Eccli.*, XV, 3. — [8] Inf., XV, 17. — [9] I *Reg.*, X, 3. — [10] *Matth.*, XV, 26. — [11] *Eccli.*, XXIV, 29. — [12] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, c. VIII, al. CXXX, n. 17. — [13] *Num.*, XXIII, 19. — [14] *Matth.*, VII, 7. — [15] Aug., *Retract.*, lib. I, c. XIX, n. 9. — [16] I *Thess.*, V, 17. — [17] *Coloss.*, IV, 2.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* Oseas. — (*b*) possumus.

tamen ista distingui, ut *petere* respiciat actum oris; *quærere,* actum cordis; *pulsare,* actum operis. *Petite* ergo ore, *et dabitur vobis.*[1] « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et ponat Jerusalem laudem in terra. » Et in *Isaia*[2] : « Ad vocem clamoris tui, statim ut exaudierit, respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem, » etc. Et[3] : « Eritque, antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus. » *Quærite* etiam corde, *et invenietis.* Unde dicitur[4] : « Quærite me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. » Et in *Sapientia*[5] : « In simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum. » *Pulsate* in opere : qui enim pulsat, manu tangit et excitat. Unde in *Psalmo*[6] : « In noctibus extollite manus vestras in sancta. » Et iterum[7] : « In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. » Aliter etiam possunt distingui ratione petiti : *Petite,* scilicet veniam; *Quærite* gratiam; *Pulsate* ad gloriam, secundum illud[8] : « Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris, et dabit eis singulis herbam in agro. » *Nives* dabit ad extinguendas malas herbas per veniam; et *pluviam imbris* dabit ad fœcundandam terram per gratiam; et dabit eis singulis *herbam in agro,* decorando scilicet et vestiendo per gloriam. Aliter ex parte petentium : *Petite,* incipientes, quorum est accipere; *Quærite,* proficientes, quorum est invenire; *Pulsate,* perfecti, quorum est intrare. Unde incipientibus dicitur[9] : « Petitiones vestræ innotescant apud Deum. » Proficientibus dicitur illud[10] : « Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper. » Perfectis dicitur in *Isaia*[11] : « Aperite portas, et ingredietur gens justa. » Vel penes modos perveniendi ad sapientiam, sicut distinguit Augustinus[12]. Ad sapientiam enim non venitur, nisi, quemadmodum Dominus docet, petendo, quærendo, pulsando, id est orando, legendo, plangendo. *Petite* ergo orando[13] : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. » Subditur : « Et dabitur ei. » *Quærite* legendo libros scripturæ et creaturæ[14] : « Per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea. » *Pulsate* plangendo, sicut in *Apocalypsi* dicitur[15] : « Ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, » etc. Et subditur postea quod vidit librum aperiri per agnum occisum. Vel, sicut dicit Glossa[16], « ex parte modorum veniendi ad gloriam : *Petite,* orando; *quærite,* recte vivendo; *pulsate* perseverando : » vel sicut dicit Glossa *super Matthæum :* « Petimus fide, per eam ad Christum euntes; quærimus spe, qua attingimus usque ad interiora; pulsamus charitate, dum laboribus desudamus, ut quod petimus, et quærimus, consequamur. » Primum petere debes, ut habeas; post quærere, ut invenias; inventa observare, ut introeas.

Secundo, quantum ad exhortationem respectu omnium, subdit (v. 10) : *Omnis enim qui petit, accipit,* si pie petat. Unde hoc insinuat Dominus[17] : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, » id est pro vestra salute : alioquin non dat. Unde *Jacobus*[18] : « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, id est ut in concupiscentiis vestris insumatis. » Unde Chrysostomus : « Si temporalia petas, quomodo ille præstat, quæ si habes, præcepit ut contemnas? » *Et qui quærit invenit,* si tamen debite et diligenter quærat, secundum illud[19] : « Cum quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. »[20] « Si quæsieritis Deum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, de-

[1] *Isa.*, LXII, 6. — [2] Ibid., XXX, 19, 20. — [3] Ibid., LXV, 24. — [4] *Jerem.*, XXIX, 13. — [5] *Sap.*, I, 1. — [6] *Psal.* CXXXIII, 2. — [7] *Psal.* LXXVI, 3. — [8] *Zach.*, X, 1. — [9] *Philip.*, IV, 6. — [10] *Psal.* CIV, 4. — [11] *Isa.*, XXVI, 2. — [12] Aug., *de morib. Eccli.*, c. XVII, n. 31; *de serm. Dom. in monte,* lib. II, c. XXI, n. 71. — [13] *Jac.*, I, 5. — [14] *Cant.*, III, 2. — [15] *Apoc.*, V, 2. — [16] Gloss. *in Matth.*, c. VII. — [17] *Joan.*, XV, 16. — [18] *Jac.*, IV, 3. — [19] *Deut.*, IV, 29. — [20] II *Paral.*, XV, 2.

relinquet vos. » Sed aliqui aliquando non debite quærunt; et ideo non debita inveniunt. Unde *Oseas*[1] : « In gregibus suis, et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: » et hoc est, quia in armentis quærebant ipsum. [2] « Quæretis me, et non invenietis, » quia mala intentione quærebant, ut perderent. *Et pulsanti aperietur*, si pulset incessanter usque in finem, secundum illud [3] : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Tali aperitur ostium gloriæ, de quo in *Apocalypsi* [4] : « Apertum est templum Dei in cœlo : » ecce ostium apertum in cœlo. Hoc aperietur, quando dicetur illud [5] : « Venite, benedicti, etc., possidete, » etc.

11. *Quis autem ex vobis*, etc. Post incitamentum ad orationis frequentiam, subdit hic incitamentum ad orationis fiduciam : et hoc ostendit liberalitatem in Deo Patre nos exaudiente. In hac ergo parte primo proponit liberalitatem patris carnalis respectu filii; secundo concludit liberalitatem Patris cœlestis respectu nostri, ibi [6] : *Si ergo vos cum sitis mali*, etc. Liberalitatem autem patris ostendit in communicatione cibi, cum cautela contrarii; et hoc secundum triplicem differentiam nutrimenti, aut naturæ terreæ, aut aqueæ, aut aereæ. Primum spectat ad vegetabilia; secundum ad natatilia; tertium ad volatilia.

Quantum igitur ad petitionem fructus vegetabilium, dicit: *Quis autem ex vobis patrem petit panem*, ad perfectionem, *numquid lapidem dabit illi*, scilicet ad læsionem ? Homines enim panibus sustentantur, secundum illud [7] : « Panis cor hominis confirmat (*a*). » Sed lapidibus obruuntur, secundum illud [8] : « Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum. »

Quantum ad petitionem fructus natatilium, subdit : *Aut piscem; numquid pro pisce serpentem dabit illi ?* Homines piscibus reficiuntur [9] : « Habetis hic aliquid quod manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. » Sed serpentibus occiduntur; unde [10] : « Immisit Dominus in populum ignitos serpentes, quorum scilicet morsibus moriebantur.

Quantum ad petitionem fructus volatilium, subditur : *Aut si petierit ovum*, scilicet in cibum, *numquid porriget illi scorpionem*, id est, venenum ? Ova enim sustentant; sed scorpiones necant, sicut manifeste probat experientia. Hæc quidem ad litteram sunt plana, et similitudo ex his assumpta.

Secundum autem spiritualem intelligentiam, datur intelligi hic quid petendum sit. Unde Augustinus ad Probam, *de orando*, dicit [11], quod in pisce fides, in ovo spes, in pane autem charitas designatur. Recte namque petitione panis intelligitur petitio charitatis. Unde Augustinus : « Charitas in pane : major enim omnium bonorum est charitas, et in cibis vincit cætera panis utilitas. » Vel quia charitas ad modum panis nutrit et confirmat; unde dicitur [12] : « Fortis est, ut mors, dilectio. » Unde sacramentum charitatis traditur in specie panis. Vel quia sicut sine pane est omnis mensa vacua, sic et omne cor absque charitate; unde [13] : « Si charitatem non habuero, nihil sum, et nihil mihi prodest. » Huic, ut dicit Augustinus [14], opponitur lapis, quia corda dura respuunt charitatem. Unde in lapide duritia designatur, secundum illud *Ezechielis* [15] : « Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis, » etc. Supra [16] : « Potens est Deus de lapidibus istis, » etc. Recte etiam per piscem intelligitur fides, sicut dicit Augustinus, vel propter aquam baptismi, vel quia in hujus sæculi fluctibus fides integra est [17] : « Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. » Et ad *Hebræos* [18] : « Sancti per fidem vicerunt

[1] *Ose.*, v, 6. — [2] *Joan.*, vii, 34. — [3] *Matth.*, x, 22. — [4] *Apoc.*, xi, 19. — [5] *Matth.*, xxv, 34. — [6] Inf., 13. — [7] *Psal.* ciii, 15. — [8] *Matth.*, xxi, 44. — [9] Inf., xxiv, 41, 42. — [10] *Num.*, xxi, 6. — [11] Aug., ubi sup., c. viii, n. 16. — [12] *Cant.*, viii, 6. — [13] I *Cor.*, xiii, 2, 3. — [14] Aug., loc. mox citato. — [15] *Ezech.*, xxxvi, 26. — [16] Sup., iii, 8. — [17] I *Joan.*, v, 4. — [18] *Hebr.*, xi, 33.

(*a*) *Vulg.* confirmet.

regna. » Vel quia, ut dicit Beda : « Sicut piscis sub tegumento aquarum nascitur, vivit, et alitur; sic fides trahitur de occultis scripturis, et de occultis est, et occulta. Unde ad *Hebræos* [1] : « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. » Huic, sicut dicit Augustinus [2], contrarius est serpens, qui ut non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit. Unde *Ecclesiastes* [3] : « Qui dissipat sepem, » id est, defensionem sacræ Scripturæ, « mordebit eum coluber, » id est infidelitas erroris diabolici. Recte etiam per ovum intelligitur spes; unde Augustinus [4] : « Spes in ovo, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec jam videtur, sed adhuc speratur : « spes enim (*a*) quæ videtur, non est spes, » sicut dicitur [5]; et quia in ovo pullus est imperfectus, qui dum perficitur, testa ovi frangitur. Sic spei succedit beatitudinis perfectio; unde Apostolus [6] : « Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. » Huic, ut dicit Augustinus [7], contrarius est scorpio, id est, desperatio, quæ facit retrorsum respicere, et ex illa parte nocet. Scorpio enim ex illa parte cavendus est, quoniam venenatam et aculeatam caudam retrorsum habet. Unde qui nititur a spe vitæ subvertere, scorpius est. Unde ad Ezechielem (*b*) [8] : « Subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. » Est igitur sensus verbi propositi spiritualis, quod si quis petat panem charitatis, vel piscem, scilicet fidei, et ovum spei, dabit ei Deus, et removebit ab eo lapidem obdurationis, serpentem infidelitatis, et scorpionem desperationis : quæ per divinum adjutorium elongantur a viris sanctis.

13. *Si ergo vos cum sitis mali*, etc. Postquam proposuit liberalitatem in parte carnali, concludit a minore in parte spirituali. Si enim bonum est communicativum, ergo magis bonum, magis communicativum; et maxime bonum, maxime communicativum. Si ergo carnalis pater bonum communicat filio petenti, multo fortius cœlestis Pater homini supplicanti. Et hoc est quod dicit : *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris*; Beda : « Malos vocat sæculi amatores. » Ii autem dupliciter mali sunt : malitia culpæ, quia in *Ecclesiastico* [9] : « Si dives fueris, non eris immunis a delicto. » Et Augustinus [10] : « Omnis dives aut est iniquus, aut heres iniqui. » Vel malos vocat ipsos apostolos, qui comparatione divinæ bonitatis mali dicuntur. Unde dicitur [11] : « Nemo bonus, nisi solus Deus. » Et *Isaias* [12] : « Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. » Et *Job* [13] : « Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo, » etc. Unde Gregorius [14] : « Sæpe justitia nostra, ad examen justitiæ divinæ deducta, injustitia est; et sordet in districtione judicis, quod in oculis fulget operantis. » Vel mali erant propter peccata venialia, sine quibus non ducitur præsens vita; unde dicitur [15] : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. » Et Jacob dixit [16] : « Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali. » Quia, secundum quod dicitur [17] : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Minus ergo videtur quod a malo bonum, quam a bono bonum. Et ideo concludit : *Quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Imo certe dabit, quia dicitur [18] : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est. » Iste spiritus, bonus est spiritus, scilicet in quo omnia dona donantur; de quo dicitur [19] : « Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. » Et post : « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. » Et [20] : « Alii per spiritum datur sermo sapien-

[1] *Hebr.*, XI, 1. — [2] Aug., loc. cit. — [3] *Eccle.*, X, 8. — [4] Aug., loc. cit. — [5] *Rom.*, VIII, 24. — [6] I *Cor.*, XV, 24. — [7] Aug., loc. cit. — [8] *Ezech.*, II, 6. — [9] *Eccli.*, XI, 10. — [10] Aug., *in Psal.* XLVIII, *Enarr.*, n. 12, quoad sensum. — [11] *Marc.*, X, 18. — [12] *Isa.*, LXIV, 6. — [13] *Job*, XXV, 5. — [14] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXVIII. — [15] *Ephes.*, V, 16. — [16] *Gen.*, XLVII, 9. — [17] I *Joan.*, I, 8. — [18] *Jac.*, I, 17. — [19] *Sap.*, VII, 7, 11. — [20] I *Cor.*, XII, 8, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* autem.— (*b*) Unde Ezechiel.

tiæ, » etc. Et post : « Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. » Iste spiritus datur petentibus et desiderantibus, secundum illud [1] : « Os meum aperui, et attraxi spiritum. »[2] « Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. » Ad hunc enim spiritum Domini suspirat sanctorum spiritus [3] : « Spiritus postulat, » etc.

Divisio. 14. *Et erat Jesus ejiciens dæmonium,* etc. Sicut habitum fuit in principio libri [4], liber iste habet quatuor partes, quarum prima est de Christi natura ; secunda vero de Christi doctrina : et hæc incœpit. Et habet partes duas, secundum duo opera sapientis, quorum alterum est non mentiri ; alterum, mentientem manifestare posse. Prior igitur pars est de veritate declaranda ad discipulorum informationem ; posterior, de falsitate confutanda per Judæorum adversantium confutationem. Priori parte terminata, hic incipit

Divisio. altera. Dividitur autem hæc pars in quatuor, in quarum prima confutat Judæorum dolositatem ; in secunda, impietatem [5] : *Erant autem appropinquantes*, etc. ; in tertia curiositatem [6] : *Interrogatus autem a Pharisæis,* etc. ; in quarta, incredulitatem, infra [7] : *Et factum est, cum appropinquasset,* etc. In confutando autem dolositatem Judæorum, primo confutat dolositatem calumniantium mirabilia ex parte efficientis ; in secunda vero, ex parte temporis [8] : *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.* Prima in duas dividitur, in quarum prima confutat Judæorum dolositatem et fallaciam ; in secunda informat discipulos suos ad illam vitandam [9] : « Multis autem turbis concurrentibus. » Prima pars, quæ continet præsens caput, dividitur in partes tres, in quarum prima confutat fallaciam blasphemantium ; in secunda, fallacium tentantium, sive discredentium, infra : *Turbis autem concurrentibus*, etc. In tertia vero fallaciam simulantium, ibi [10] : *Nemo lucernam accendit*, etc. Primum istorum est in verbo ; secundum in animo ; tertium vero consistit in quocumque signo. Ad confutandam autem fallaciam blasphemantium, tria introducuntur : primo enim fit expressio fraudis judaicæ ; secundo vero, improbatio fraudis expressæ, ibi [11] : *Ipse autem ut vidit cogitationes,* etc. ; tertio vero, commendatio veritatis ostensæ, ibi [12] : *Factum est autem cum hæc diceret,* etc. Circa expressionem judaicæ fraudis, tria exprimit Evangelista : primum est materia laudis divinæ ; secundum est blasphemia fraudis humanæ ; tertium est controversia litis adjunctæ.

Primo igitur, quantum ad materiam laudis divinæ, dicit : *Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum,* etc. In quo simul tanguntur duo miracula, imo etiam tria. Unde Beda in Glossa : « Hunc dæmoniacum (*a*) etiam cæcum fuisse dicit, in quo tria miracula a Domino fiunt ; quia cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. » Et in hoc erat materia laudis divinæ, tam ex parte curati, quam assistentium. Propter quod dicit : *Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.* Et sic impletum est illud [13] : « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Tanta autem miracula, simul facta, sunt admirationis et laudis causa, secundum illud [14] : « Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis ; supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. » Unde vere potuerunt isti dicere illud [15] : « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. »

Secundum autem spiritualem intelligentiam, dæmonium est peccatum quod facit surdum ad veritatem audiendam, cæcum ad

[1] *Psal.* CXVIII, 131. — [2] *Jerem.*, II, 24. — [3] *Rom.*, VIII, 26. — [4] Vid. sup., pag. 216, col. 2. — [5] Inf., XV, 2. — [6] Inf., XVII, 20. — [7] Inf., XIX, 29. — [8] Inf., XIII, 10. — [9] Inf., 29. — [10] Inf., 33. — [11] Inf., 17. — [12] Inf., 27. — [13] *Isa.*, XXXV, 5, 6. — [14] *Eccli.*, XLIII, 31, 32. — [15] *Marc.*, VII, 37.

(*a*) *Cæt. edit.* dæmoniacorum.

videndam, et mutum, ad confitendam. Nequitia enim dæmonis utrumque ingressum, per quem crediturus erat homo, oppilavit, id est, et auditum et visum, et tertium, id est, linguam colligavit, ne confiteretur. Unde dicitur [1] : « Non est annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros. » Et iterum [2] : « Surdi, audite; et cæci, intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? » Talis etiam mutus est ad confitendum; unde *Ecclesiasticus* [3] : « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Et nota quod, cum ad tria data sit homini loquela, scilicet ad laudandum Deum, ad ædificandum proximum, et ad accusandum seipsum; hæc triplex loquela aufertur per triplex dæmonium. Primum aufert spiritus luxuriæ, secundum illud [4] : « Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. » Secundum aufert spiritus avaritiæ, qui facit sibi soli intendere, secundum illud : « Qui unum talentum acceperat, abiens fodit in terram. » Tertium spiritus superbiæ, qui non permittit quod homo accuset, secundum illud [6] : « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. » Et in *Jeremia* [7] : « Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi. » De hoc triplici dæmonio dicitur [8] : « Vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos, in modum ranarum. » Primum dæmonium ejicitur per jejunium, secundum illud [9] : « Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. » Secundum ejicitur per memoriam passionis dominicæ, secundum illud [10] : « Cordis piscis particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, » etc. Tertium per orationem [11] : « David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus. »

Loquela in homini propter eis.

Secundo, quantum ab blasphemiam humanæ fraudis, subditur (v. 15) : *Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Et hæc erat magna blasphemia, quia, quod fiebat a Spiritu sancto, attribuebant spiritui maligno. Unde in *Matthæo* (*a*) statim post hoc dicitur [12] : « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiæ non remittetur. » In hanc blasphemiam prorumpebant ex invidia : unde Chrysostomus [13] : « Non quando magna dicebat, sed quando faciebat salutes hominum, tunc instituerunt Pharisæi, etc. Invidia enim non quærit quid dicat, sed solum ut dicat; æmulatione namque non est aliqua malitia deterior. Adulter enim brevi complet peccatum suum; æmulator nunquam quiescit. » Et quia blasphemia ista ex malitia et invidia procedebat, pro tanto hoc evangelium legitur, quando cantatur historia Joseph in tertia dominica Quadragesimæ. Sicut enim fratres Joseph ex invidia vocaverunt eum inventorem somniorum, sic et isti dicebant Christum invocatorem dæmonum. Et maxime exprimitur Beelzebub, tum quia istud idolum erat famosum, unde dicitur [14] quod Ochozias misit nuntios, dicens ad eos : « Ite, consulite Beelzebub deum Accaron : » et Beda in Glossa : « Asserebant Judæi in hoc simulacro principem dæmoniorum habitare, per cujus potestatem, dicebant Jesum dæmonia ejicere : » et ideo in textu dicitur : *In principe dæmoniorum :* sive quia nomen hujus idoli erat ridiculosum; unde tantum Beelzebub sonat, quantum vir muscarum : quo nomine vocabant eum Judæi irrisorie, sicut dicitur in Glossa, propter sordes cruoris qui in templo ejus immolabatur. Unde sic blasphemiam proferebant, sicut in *Joanne* dicitur [15] : « Nonne benedicimus nos, quia

Beelzebub.

Beelzebub vir muscarum.

[1] *Isa.*, XLI, 26. — [2] Ibid., XLII, 18, 19. — [3] *Eccli.*, XV, 9. — [4] *Isa.*, I, 15. — [5] *Matth.*, XXV, 18. — [6] *Psal.* XXXI, 3. — [7] *Jerem.*, II, 35. — [8] *Apoc.*, XVI, 13. — [9] *Matth.*, XVII, 20. — [10] *Tob.*, VI, 8. — [11] I *Reg.*, XVI, 23. — [12] *Matth.*, XII, 31. — [13] Chrysost., *in Matth.*, hom. XL, al. XLI, n. 3. — [14] IV *Reg.*, I, 2. — [15] *Joan.*, VIII, 48.

(*a*) *Cæt. edit.* Unde Matthæus.

Samaritanus es tu, et dæmonium habes? »

Tertio vero, quantum ad controversiam litis adjunctæ, subdit (v. 16) : *Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.* Non quærebant hujusmodi signum ad credendum ut fideles, sed ut rebelles ad impugnandum, secundum illud Salvatoris [1] : « Quid me tentatis, hypocritæ? » Et in *Psalmo* [2] : « Tentaverunt me patres vestri, » etc. Et hoc malum, ut dicitur [3] : « Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. » Petebant autem signum de cœlo, sicut tonitruum tempore Samuelis; aut emissionem ignis, sicut tempore Eliæ; aut retrocessionem solis, sicut tempore Ezechiæ. Hoc autem Judæis erat proprium : sive per assuefactionem; unde [4] : « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam : » et ideo Petrus insignis fuit apostolus ad Judæos, et Paulus valens in sapientia ad gentes : sive etiam propter incredulitatem et duritiam, secundum quod dixit Stephanus [5] : « Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resististis. » Unde Chrysostomus : « Semper discredere, signum est nunquam posse proficere : sic semper testimonium quærere, signum est nunquam velle credere. » Et hoc quidem verum est : quando enim sufficientia testimonia habebant in terris, non oportebat quærere signa de cœlis. Unde in *Joanne* (*a*) [6] : « Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. » Spiritualiter autem dedit Dominus signa in terris, scilicet signa humilitatis et paupertatis, secundum illud [7] : « Hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, » etc. Sed multi huic signo non credunt, ut superbi et ambitiosi, qui quærunt Christum non in humilitate crucis, sed in appetitu honoris et laudis. Et tamen dicitur [8] : « Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, » etc. Huic autem contradicunt superbi, secundum illud [9] : « Positus est hic, etc., et in signum cui contradicetur, » quia non placet eis status humilitatis, sed dignitatis. Unde in *Psalmo* [10] : « Posuerunt signa sua signa, » scilicet superbiæ et lasciviæ, secundum illud [11] : « Ubique relinquamus signa lætitiæ, » sine quibus signis nolunt sequi. Unde in *Psalmo* [12] : « Signa nostra non vidimus, » etc.

17. *Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis*, etc. Post expressionem fraudis Judaicæ, subditur hic improbatio fraudis expressæ. Habet autem pars ista tres : in quarum prima ponitur improbatio falsitatis; in secunda, comprobatio veritatis, ibi [13] : *Cum fortis armatus custodit*, etc.; in tertia vero, reprobatio dolositatis, ibi [14] : *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, etc. Improbando falsitatem, procedit hoc ordine : primo deducit ad manifestum impossibile; secundo perducit ad falsum improbabile; tertio reducit ad verum infallibile.

Primo igitur deducit ad manifestum impossibile, cum dicit : *Omne regnum in se divisum desolabitur.* In quo intendit tale argumentum facere : Omne regnum divisum, hoc ipso quod dividitur in se, destruitur : sed si unus dæmon ejicit alium, Satanas in seipsum divisus est : ergo non stat ejus regnum. Sequitur igitur quod Satanas ipse destruat suum regnum, et auferat sibi posse et dominium. Sed hoc est impossibile manifestum, et sequitur ex dicto Pharisæorum : ergo illud fuit manifeste falsum. Hujus igitur rationis majorem præmittit, cum dicit : *Omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Et hoc quidem est per se notum, et verum est, quia divisio est causa ruinæ. Unde causa prædicati est in subjecto. Et hoc est quod dicit Hieronymus [15] : « Concordia parvæ res crescunt, discordia maxime dilabuntur. » Unitas

[1] *Matth.*, XXII, 18. — [2] *Psal.* XCIV, 9. — [3] I *Cor.*, X, 9. — [4] Ibid., I, 22. — [5] *Act.*, VII, 51. — [6] *Joan.*, X, 25. — [7] Sup., II, 12. — [8] *Matth.*, XXIV, 30. — [9] Sup., II, 34. — [10] *Psal.* LXXIII, 4. — [11] *Sap.*, II, 9. — [12] *Psal.* LXXIII, 9. — [13] Inf., 21. — [14] Inf., 24. — [15] Hieron., *Regul. Monach.*, *de charit. et pace*, ex Sallust., *de Bell. Jugurth.*, non procul a principio.

(*a*) *Cæt. edit.* Unde Joannes.

enim est causa salvationis, divisio interitus, secundum illud *Oseæ* [1] : « Divisum est cor eorum, nunc interibunt. » Et in *Proverbiis* [2] : « Propter peccata terræ, multi principes ejus. » Exemplum hujus est de ædificantibus turrim [3], « cum essent labii unius, » etc., ubi subditur : « Divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare. » Unde in finali statu mundi, de ipsius unitatis dissipatione dicitur infra [4] : « Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terræ motus magni, » etc. Deinde adjungit minorem, cum dicit (v. 18) : *Si autem Satanas in seipsum divisus est,* id est, contra seipsum pugnat. Quod dicit sub conditione, quia hoc sequitur ex verbo prædictorum Scribarum et Pharisæorum, cum in se non sit verum : Satanas enim Satanæ concordat in malo. Unde *Job* [5] : « Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. » Unde in *Psalmo* [6] : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversum Dominum, » etc. Post hoc subjungit conclusionem, cum subdit : *Quomodo stabit regnum ejus ?* Quod dicit interrogative, tanquam impossibile sit hoc sustinere, quod Satanas ipse de regno ejiciatur. Regnum enim Satanæ est in malis et peccatoribus. *Job* [7] : « Ipse est rex super universos filios superbiæ. » Et ideo dicebat Apostolus [8] : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. » Postremo subinfert minoris probationem ex dicto ipsorum, quoniam et hæc erat causa totius elucidationis falsi. Et ideo addit : *Quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia ?* Si enim verum est quod dicitis ut Satanas Satanam ejiciat, adversus seipsum divisus est : ergo divisum est ejus imperium, ac per hoc tendit ad interitum. Et hoc modo formatur argumentum *Matthæi* [9] : « Si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus ? » Sic igitur patet quo modo ex dicto eorum deducit ad manifestum impossibile.

Secundo vero producit ad falsum improbabile, cum subdit (v. 19) : *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia*, etc. In quo intendit formare talem rationem : Si ego ejicio dæmonia per dæmonum potentiam, et ego dedi potestatem filiis vestris ejiciendi dæmonia (hanc supponit et tacet), ergo ipsi in principe dæmonum ejiciunt dæmonia. Sed hoc est falsum et improbabile, et secundum eorum opinionem, et secundum ipsorum apostolorum testificationem : falsum igitur est quod Pharisæi sentiunt, et verum quod apostoli testantur. Igitur ipsi erunt judices eorum. In hac autem ratione præmittitur propositio, quam asseruerunt, cum dicitur : *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia*, secundum vestram scilicet assertionem. Supra, eodem [10] : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* subditur conclusio, quam non concedunt, cum dicitur : *Filii vestri in quo ejiciunt ?* quasi diceret : Sequitur quod ejiciunt in Beelzebub. Quod tamen ipsi non concedunt. Unde Beda [11] : « Filios Judæorum vocat apostolos, qui inter alia munera quæ acceperunt a Domino, etiam dæmonia pellebant. Quam expulsionem non diabolo, sed Deo assignabant. » Subinfertur autem redargutio, quam incurrunt, cum dicitur : *Ideo ipsi judices vestri erunt :* quia quod vos blasphematis ut falsum, ipsi testantur esse verum, secundum illud *Isaiæ* [12] : « Vere vos testes mei, dicit Dominus. » Et non tantum testes propter veritatis perfectionem, secundum illud [13] : « Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. »

[1] *Ose.*, x, 2. — [2] *Prov.*, xxviii, 2. — [3] *Gen.*, xi, 8. — [4] Inf., xxi, 10. — [5] *Job*, xli, 6-8. — [6] *Psal.* ii, 2. — [7] *Job*, xli, 25. — [8] *Rom.*, vi, 12. — [9] *Matth.*, xii, 26. — [10] Sup., 15. — [11] Bed., *in Luc.*, lib. iv, c. xlviii. — [12] *Isa.*, xliv, 8. — [13] *Matth.*, xix, 28.

Ipsi namque sunt, de quibus *Isaias* [1] : « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. » Seniores vocat perfectiores, secundum illud [2] : « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis : et ætas senectutis, vita immaculata. »

Tertio vero reducit ad verum infallibile, cum adjungit (v. 20) : *Porro si in digito Dei ejicio dæmonia*, etc. *Porro*, hoc est, certe : *si*, id est, quia : *in digito Dei*, hoc est, in Spiritu sancto. Unde in *Matthæo* [3] : « Si in Spiritu Dei ejicio dæmones. » Spiritus sanctus namque dicitur digitus Dei, sicut dicitur in *Exodo* [4] : « Digitus Dei est hic. » Ratio autem hujus est, quia Filius dicitur brachium Patris, secundum illud [5] : « Brachium Domini cui revelatum est? » Dicitur et manus, secundum illud [6] : « Emitte manum tuam de alto. » Et ratio hujus est, quia sicut qui operatur, brachio et manu facit, sic Pater omnia per Filium facit, sicut dicitur [7] : « Omnia per ipsum facta sunt. » Spiritus autem sanctus procedit a Patre et Filio, sicut digitus a corpore et brachio, et est illi connaturalis et consubstantialis. Et ideo merito dicitur digitus in Scripturis. Vel quia, sicut una est manus, et per digitos fit distinctio, sic per unum Spiritum fit distinctio donorum, sicut dicitur [8] : « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Quia ergo in hoc Spiritu *ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, id est, potestas regia, quæ regit nos, expulso diabolo, secundum illud [9] : « Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Et nota quod dicit : *Pervenit in vos regnum Dei*, quia regnum Dei pervenit in nos per gratiam, secundum illud [10] : « Regnum Dei intra vos est. » Sed tunc perveniemus in illud per gloriam, quando dicetur nobis [11] : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, » etc. Et nota quod ista consequentia est necessaria : quia si nihil est medium, quin homo sit sub potestate Dei, vel diaboli; ergo si expellitur potestas diaboli ab homine, sequitur quod introducatur potestas divina. Triplex autem spiritus nequam, de quo habitum est supra, expellitur spiritu divino dato ad tria, scilicet spiritu sanctitatis, de quo dicitur [12] : « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum; » spiritu paupertatis, de quo dicitur [13] : « Beati pauperes spiritu, » etc.; et spiritu humilitatis, de quo *Isaias* [14] : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu? » Hunc triplicem spiritum petebat Propheta in *Psalmo* [15] : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias, etc., et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi, etc., et spiritu principali confirma me : » ut tangatur hic triplex spiritus, videlicet *rectus*, id est paupertatis; *sanctus*, id est puritatis; et *principalis*, id est humilitatis. Quem spiritum qui habet, habet justitiam ad se, et proximum, et Deum; sive etiam intra se, extra se, et infra se, ac per hoc habet pacem, et gaudium, et intra se regnum Dei. Nam, secundum illud [16] : « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. »

21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum*, etc. Postquam improbavit falsitatem, hic secundo approbat veritatem, in cujus approbatione, procedit hoc ordine : primo præmittit veritatem præambulam; secundo subdit veritatem intentam; tertio subnectit veritatem annexam. Primo igitur præmittens veritatem præambulam, dicit : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet*. Hoc per se notum est : quieta enim possessio venit ex fortitudine possidentis, qui non permittit

[1] *Isa.*, III, 14. — [2] *Sap.*, IV, 8, 9. — [3] *Matth.*, XII, 28. — [4] *Exod.*, VIII, 19. — [5] *Isa.*, LIII, 1. — [6] *Psal.* CXLIII, 7. — [7] *Joan.*, I, 3. — [8] I *Cor.*, XII, 11. — [9] *Joan.*, XII, 31. — [10] *Luc.*, XVII, 21. — [11] *Matth.*, XXV, 34. — [12] *Sap.*, I, 5. — [13] *Matth.*, V, 3. — [14] *Isa.*, LXVI, 2. — [15] *Psal.* L, 12-14. — [16] *Rom.*, XIV, 17.

impugnari atrium suum. Fortis autem iste est diabolus, de quo dicitur [1] : « Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. » Et in *Habacuc* [2] : « Domine, in judicium posuisti eum : et fortem ut corriperes, fundasti eum. » Iste est armatus, secundum quod dicit *Job* [3] : « Corpus illius ut scuta fusilia, » etc. Et quia tantam habet potentiam et armaturam, ideo non potest sibi ab homine infirmo fieri violentia. Imo in pace possidet, quoniam non timet amittere, secundum illud Gregorii : « Illos pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit. » Et hæc pax peccatorum, de qua in *Psalmo* [4] : « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. » Et in *Matthæo* [5] : « Non veni pacem mittere, sed gladium. » Vult igitur in hoc dicere, quod fortis non expellitur a minus forti. Si ergo super potestatem diaboli nulla prævalet potestas terrestris, sed tantum cœlestis potentia; ergo quæ expellit dæmones non est de terris, sed de cœlis; non humana, sed divina.

Secundo adjungens veritatem intentam, et jam persuasam, dicit (v. 22) : *Si autem fortior illo superveniens vicerit eum.* Fortior est diabolo divina fortitudo, scilicet Christus Deus noster [6] : « Christum prædicamus, Dei virtutem et Dei sapientiam. » Et rursum ibidem : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. » Et ait *Job* [7] : « Si fortitudo quæritur, robustissimus est. » Et propterea dicit *Isaias* [8] : « Vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis. » Iste supervenit, id est, de supernis venit, secundum illud [9] : « Qui de cœlo venit, super omnes est. » Hic autem vicit diabolum, tanquam minus fortem, juxta quod dicitur [10] : « Confidite, quia ego vici mundum. » Unde licet victus videatur, tamen vicit, quia moriendo revixit. Et hoc a Jeremia designatur [11] : « Fortis impegit in fortem, ambo pariter conciderunt : » quia Christus corporaliter, temporaliter, et visibiliter; diabolus vero sempiternaliter, totaliter, et irrecuperabiliter. Unde in *Apocalypsi* [12] : « Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum. » Qui ideo vicit, quia occisus est. Unde potest dici diabolo illud [13] : « Ubi est, mors, victoria tua? » Sequitur : « Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. » Et quia vicit ipsum in passione, ideo spoliatus in resurrectione. Ideo subditur : *Universa arma ejus auferet, in quibus confidebat.* Et hoc fecit, quando portas infernales confregit, secundum illud [14] : « Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. » Et rursus [15] : « Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. » Hæc arma facit sibi diabolus de hominibus per consensum, secundum illud [16] : « Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. » Vel arma diabolica sunt diversa tentatorum machinamenta, quibus hominibus prævalebat. Et his privatus est per Christi victoriam in resurrectione, et spoliatus est in ascensione. Ideo subdit : *Et spolia ejus distribuet.* Et hoc quidem fecit, quando de vasis contumeliæ fecit vasa misericordiæ. Et hoc est in ascensione factum, secundum illud [17] : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. » Hoc autem fecit noster Emmanuel [18] : « Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, festina prædari. » Prædatus est autem fortiter diabolum, secundum illud [19] : « Numquid tolletur a forti præda; aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus : Equidem et captivitas a forti

Arma dæmonum.

[1] *Job*, XLI, 24. — [2] *Habac.*, I, 12. — [3] *Job*, XLI, 6. — [4] *Psal.* LXXII, 3. — [5] *Matth.*, X, 34. — [6] I *Cor.*, I, 23, 25. — [7] *Job*, IX, 19. — [8] *Isa.*, IX, 6. — [9] *Joan.*, III, 31. — [10] Ibid., XVI, 33. — [11] *Jerem.*, XLVI, 12. — [12] *Apoc.*, V, 5, 6. — [13] I *Cor.*, XV, 55, 57. — [14] *Psal.* CVI, 16. — [15] *Psal.* LV, 8. — [16] *Rom.*, VI, 13. — [17] *Ephes.*, IV, 8. — [18] *Isa.*, VIII, 3. — [19] Ibid., 24, 25.

tolletur, » etc.[1] « Dominus diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. » Hujus figuratio præcessit in David, de quo dicitur[2] quod regressus a cæde Amalech, expoliatis Amalechitis, spolia distribuit, et misit dona senioribus Juda proximis suis. Et nota quod Christus dicitur spolia diaboli distribuere, quia licet ipse omnes liberaverit, tamen etiam partem hujus gloriæ diversis prædicatoribus committit, qui ipsi sunt spoliatores Ægypti. Ex hoc igitur apparet, quod expulsio dæmonum fiebat a Christo, non virtute diabolica, nec humana, sed per Spiritum sanctum. Et hæc est veritas intenta.

Christus spolia diaboli distribuere dicitur.

Tertio vero annectens veritatem adjunctam, subdit (v. 23) : *Qui non est mecum, contra me est.* Ac per hoc homines, quos diabolus possidet, Christo repugnant, et secundum illud[3] : « Quæ conventio Christi ad Belial, » etc.; et quia nullus fortitudini ejus potest resistere : ideo subdit : *Et qui non colligit mecum, dispergit :* quia, sicut dicit *Job*[4] : « Quis restitit ei, et pacem habuit? » Officium namque Christi est congregare, secundum illud *Joannis*[5] : « Moriturus erat, » etc.; sequitur : « Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. » Et *Isaias*[6] : « Congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. » Et *Psalmista*[7] : « Dispersiones Israelis congregabit. » Officium autem diaboli est dispergere, secundum illud *Joannis*[8] : « Lupus rapit, et dispergit oves. » Ideo optimum est introire in ovile Domini, quia non potest superari a fortiori, sicut dicit in *Joanne* (*a*)[9] : « Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est, etc.

24. *Cum immundus spiritus*, etc. Post improbitatem falsitatis, et approbationem veritatis, subdit hic Evangelista reprobationem dolositatis, cujus origo est a spiritu maligno, secundum illud *Joannis*[10] : « Ipse mendax et pater ejus, » id est, mendacii et simulationis. Reprobat ergo Salvator dolositatem Pharisæorum, cujus originem, progressum et consummationem ostendit in eis fieri per spiritum malignum; et hoc, quantum ad maligni spiritus egressum, regressum et ingressum. Egreditur namque per detestationem inimicitiæ; regreditur per simulationem justitiæ; sed ingreditur per profundationem nequitiæ.

Primo igitur, quantum ad egressum spiritus immundi, per detestationem inimicitiæ, dicit : *Cum immundus Spiritus exierit de homine*, scilicet per veram pœnitentiam, secundum illud[11] : « Et pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra. » Ad hoc autem duo sunt necessaria, scilicet abstinentia, et orationis instantia, per quæ mundamur intus et extra : et tunc exit spiritus immundus, secundum illud *Matthæi*[12] : « Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. » Et quoniam diaboli desiderium semper est ad seductionem bonorum, quantumcumque ab aliis expellatur, ideo subdit : *Perambulat per loca inaquosa, quærens requiem.* Loca inaquosa sunt loca in quibus non viget carnalitas, aut concupiscentia, secundum illud *Psalmi*[13] : « In terra deserta, in via et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, » secundum quod Hieronymus exponit. Et propterea Virgo Maria, quia omnino habuit extinctam concupiscentiam, dicitur petra deserti[14] : « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. » Circa hæc loca ambulat diabolus, quærens requiem, id est, volens in illis umbram negligentiæ et fontem contumeliæ fabricare, ut ibi possit requiescere. In tali autem loco requiescit, secundum illud *Job*[15] : « Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus » : ut in *Ezechiele* (*b*) ait[16] : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum. » Non autem requiescit diabolus,

Loc inaqu

[1] *Ose.*, XIII, 5. — [2] I *Reg.*, XXX, 26. — [3] II *Cor.*, VI, 15. — [4] *Job*, IX, 4. — [5] *Joan.*, XI, 51, 52. — [6] *Isa.*, XI, 12. — [7] *Psal.* CXLVI, 2. — [8] *Joan.*, X, 12. — [9] Ibid., 29. — [10] Ibid., VIII, 44. — [11] *Zach.*, XIII, 2. — [12] *Matth.*, XVII, 20. — [13] *Psal.* LXII, 3. — [14] *Isa.*, XVI, 1. — [15] *Job*, XL, 16. — [16] *Ezech.*, XXIX, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* Jōannes. — (*b*) Ezechiel.

nisi in illis in quibus invenit defluxus concupiscentiarum : quos quia non potest reperire in sanctis viris afflictis et maceratis, ideo in eis non requiescit, sed fugit, juxta illud *Jacobi* [1] : « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. »

Secundo vero, quantum ad regressum per simulationem justitiæ, subdit : *Et non inveniens,* scilicet requiem, *dicit* : *Revertar in domum meam unde exivi.* Suam vocat domum, quia nondum ab ea plene expulsus fuerat ; et ad talem diabolus redit. In cujus figura *Isaias* [2] : « In via qua venit rex Assyriorum, » id est, Satanas, « per eam revertetur. » Recte autem peccatorem domum suam vocat, quia peccator, [3] « qui fecit (*a*) peccatum, servus est peccati, » sicut dicit Joannes ; ac per hoc non est juris sui, sed servus diaboli. Ideo in *Proverbiis* [4] : « Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli : ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena. » Ad hanc autem domum reducit diabolum expulsum simulatio bonitatis et justitiæ. Et propterea addit (v. 25) : *Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam* : non intra, sicut dicit Propheta in *Psalmo* [5] : « Et exercitabar, et scopebam spiritum meum ; » et rursus [6] : « Omnis gloria filiæ regis ab intus ; » non sic invenit scopatam et ornatam, sed extra, sicut infra, eodem [7] : « Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. » Et in *Matthæo* (*b*) ait [8] : « Væ vobis, » etc.; sequitur : « Quia similes estis sepulchris dealbatis, » etc. Talis munditia non sufficit Spiritui sancto, qui non tantum quærit habitare in corpore mundo, sed in animo sancto. Unde Sapiens [9] : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Et ideo ad utrumque invitamur ab *Isaia* [10] : « Lavamini, mundi estote, » etc. Illa autem munditia, quæ tantum est extra, relinquit domum vacuam a gratia Spiritus sancti, et per hoc occupabilem a præsentia diaboli. Unde hæc notans *Matthæus*, dicit [11] : Invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam : » vacantem scilicet a gratia et virtute. Unde Chrysostomus : « A virtute desolati, dæmonum actionibus facile erunt occupabiles. » Et ideo Hieronymus : « Semper aliquid boni facito, ne te diabolus inveniat otiosum. »

Tertio vero, quantum ad ingressum per profundationem nequitiæ, subdit (v. 26) : *Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi.* Ii septem spiritus sunt septem simulationes, quæ virtutes specie esse se simulant, et mentiuntur. Quæ (*c*) ideo sunt nequiores vitiis apertis, quia majorem habent malitiæ perversitatem, sicut dicit Augustinus : « Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. » Unde nota tres septenarios spirituum. Primus bonus est, qui continet septem dona, de quibus *Isaias* [12] : « Requiescet super eum spiritus Domini ; spiritus sapientiæ et intellectus, » etc. Secundus est malus, et continet septem spiritus nequitiæ, id est, septem vitia capitalia, septem donis opposita. Opponitur enim sapientiæ luxuria ; intellectui, gula ; consilio, avaritia ; fortitudini, acedia ; scientiæ, ira ; pietati, invidia ; timori, superbia. Et de his Marcus dicit [13], quod de Maria Magdalena ejecta fuerant septem dæmonia. Tertius septenarius continet septem simulationes, quas Dominus vocat spiritus nequiores, quia sub specie sanctitatis decipiunt innocentes, de quibus in *Proverbiis* [14] : « Septem nequitiæ sunt in corde illius, » etc. Has omnes inducit hypocrisis, quæ est donorum Spiritus sancti simulatrix. In cujus rei signum Dominus septem facit exclamationes ad hypocritas, comminans eis [15] : *Væ!*

[1] *Jac.*, IV, 7. — [2] *Isa.*, XXXVII, 34. — [3] *Joan.*, VIII, 34. — [4] *Prov.*, V, 9, 10. — [5] *Psal.* LXXVI, 7. — [6] *Psal.* XLIV, 14. — [7] Inf., 39. — [8] *Matth.*, XXIII, 25. — [9] *Sap.*, I, 4. — [10] *Isa.*, I, 16. — [11] *Matth.*, XII, 44. — [12] *Isa.*, XI, 1. — [13] *Marc.*, XVI, 9. — [14] *Prov.*, XXVI, 25. — [15] *Matth.*, XXIII, 13-15, 23, 25, 27, 29.

(*a*) *Vulg.* facit. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*c*) Qui.

Octavum (*a*) autem additur [1], nec ponitur ibi hypocrita. Ii ergo spiritus nequiores secure habitant, quia quanto malitia minus apparet, tanto minus arguitur, et tanto requiescit securius, secundum illud *Isaiæ* [2] : « Requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus : et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi, » ubi strangulantur monstra vitiorum. Et quoniam quanto diabolus securius habitat in homine, tanto pejus est homini, quia magis est servus; ideo subdit : *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, sive propter recidivationem, ob quam [3] : « Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; » et *Petrus* [4] : « Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, » etc.; unde Chrysostomus : « Difficilior est pœna posteriorum vitiorum, » sive propter iniquitatis duplicationem, quæ fit propter simulationem, secundum illud [5] : « Non semines mala in sulcis injustiæ, et non metas (*b*) ea in septuplum. » Ex quo apparet quod Pharisæi non tantum sunt convicti de falsitate, sed etiam redarguti de dolositate. Possunt autem allegorice ista exponi de populo judaico, et gentili, secundum quod Beda exponit satis bene in Glossa [6] : « Exiit a Judæis, » etc.

27. *Factum est autem*, etc. Post expressionem fraudis judaicæ, et reprobationem fraudis expressæ, subdit hic Evangelista commendationem veritatis apertæ. Et hoc quidem conveniens erat, ut manifestata veritate, veritas ipsa seipsam manifestans laudaretur manifeste coram tota multitudine. In descriptione autem hujus commendationis laudativæ tria introducuntur : primum est conditio personæ laudantis; secundum est expressio laudis divinæ; tertium est approbatio laudis expressæ.

Primo igitur, quantum ad conditionem laudantis personæ, dicit : *Factum est autem, cum hæc diceret*, scilicet ad confutationem falsitatis, *extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi*, ad veritatis commendationem, et Pharisæorum confutationem. In quo duplex notatur conditio in persona laudante, scilicet virilitas, et modicitas. Virilitas notatur in hoc quod vocem extollebat, secundum illud [7] : « Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem : exalta, noli timere. » Modicitas in hoc, quod *quædam mulier*, non nominata, nec nobilis, sed de turba, ut impleretur illud [8] : « Pauper et inops laudabunt nomen tuum. » Ex quo apparet quod laudator divini nominis non debet esse timidus, ut laudare non audeat; nec timidus, ut laudare erubescat; sed virilis et humilis. Unde, cum quidam ex timore tacerent, quidam blasphemarent ex superbia et tumore, hæc mulier, humilis et virilis, nec tacuit cum timidis, nec vituperavit cum blasphemis. Unde in Glossa : « Magna fiducia inter blasphemos confitetur Dei Filium. » Ideo poterant sibi dicere illud [9] : « O mulier, magna est fides tua, quæ scilicet tantum te fortificavit, cum dicatur [10] : Mulierem fortem quis inveniet? » In te verificatum est illud [11] : « Fundamenta æterna supra petram solidam : sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ. »

Secundo vero, quantum ad expressionem laudis divinæ, subditur : *Beatus venter qui te portavit*. In quo laudat Christum Dei filium, extollens laudis ejus præconium ex beatitudine matris, quasi dicat : beata mulier, quæ portavit tam bonum filium. Et recte, quia decebat sexum fœmineum sic laudare : nec tantum fœminas, imo etiam viros. Nam supra, primo, dixit Virgo [12] : « Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Et nota, quod beatificat Virginis ventrem; et hoc, quia portavit Dei Filium novem mensibus et sex diebus, qui pro uno mense accipitur [13] : « In ventre matris figura-

[1] *Matth.*, XXIII, 16. — [2] *Isa.*, XIII, 21. — [3] *Joan.*, V, 14. — [4] II *Petr.*, II, 20. — [5] *Eccli.*, VII, 3. — [6] Bed., *in Luc.*, ubi sup. — [7] *Isa.*, XL, 9. — [8] *Psal.* LXXIII, 21. — [9] *Matth.*, XV, 28. — [10] *Prov.*, XXXI, 1. — [11] *Eccli.*, XXVI, 24. — [12] Sup., I, 48. — [13] *Sap.*, VII, 1.

(*a*) *Cæl. edit.* Octavo. — (*b*) *Vulg.* metes.

tus sum caro decem mensium tempore. » Unde in laude Virginis dicitur [1] : « Venter tuus sicut acervus tritici : » quia Christus erat *granum frumenti* [2], secundum quod dicit in *Joanne* (*a*) : et hoc tritico fuit venter ejus impletus. Et ideo beatus propter tria privilegia, quia, ut dicit Bernardus : « Fuit sine corruptione fœcunda, sine gravedine gravida, sine dolore puerpera. [3] « Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? » Sive propter tria miracula. Primum est, conjunctio infinite distantium : Deus enim ibi factus est homo; Creator, creatura; immensus, parvus; Verbum, infans; æternus, temporalis, secundum illud [4] : « Et Verbum caro factum est. » Et in *Hieremia* [5]: « Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum. » Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem factus est in ventre. Unde in *Psalmo* [6] : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Et post : « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.» De hoc potest exponi illud *Ecclesiastici* [7] : « Vas admirabile opus Excelsi. » Tertium miraculum, quia qui continet omnia, continetur in ventre; et ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Unde cantat Ecclesia : « Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. » Unde *Isaias* [8] : « Vere tu es Deus absconditus. » Nec tantum beatificat Virginem propter portationem, sed ubera propter lactationem, cum subdit : *Et ubera quæ suxisti*, scilicet beata sunt. Ex quo datur intelligi, quod a solis uberibus Virginis beatissimæ lactatus fuit. Quod designatum fuit in Moyse, qui lactari, ut dicitur, noluit a muliere Ægyptiaca. Et ideo quæsita fuit mulier Hebræa, scilicet mater propria, sicut dicitur in *Exodo* [9]. Hæc autem designat Virginem Mariam, cujus ubera suxit Christus, secundum illud [10] : « Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, » etc. Ideo autem junxit ista duo, ut ostenderetur Virgo Maria fuisse mater Christi vera et perfecta, quia non solum genuit, sed et educavit, et sicut vere educavit, ita vere genuit : et in hoc arguitur, ut dicitur in Glossa, impietas Manichæ et aliorum, qui dicunt ipsum attulisse corpus æthereum. Unde Beda [11] : « Ex eodem fonte, et lac nutriendis, et semen procreandum pueris manat. » Ergo de semine Virginis, secundum physicos, potuit concipi, qui de lacte ejus potuit nutriri.

Tertio vero, quantum ad approbationem laudis expressæ, subdit (v. 23) : *At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei.* Hoc non dicit adversando, sed potius superaddendo, quasi diceret : Non solum beatus venter, qui portavit me, Verbum carnem (*b*) factum, verum etiam beatior qui suscipit verbum a me prolatum. Unde et Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestavit in mente, secundum quod dicit Augustinus : « Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam carnem Christi. » Beatus est enim omnis, qui audit et obedit, secundum illud [12] : « Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. » Et ideo subdit; *Et custodiunt illud.* Et ideo *Jacobus* [13] : « Estote factores verbi, et non auditores tantum. » In quo verbo Christus noluit laudare matris cognationem carnalem per se, nam supra [14], dicitur Judæis : « Ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham, » etc.; sed spiritualem, quia sanctior est copula mentium, quam corporum. Et ideo, cum quærerent eum mater et fratres ejus, dixit [15] : « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est. » Et propter hoc Virgo Maria fuit laudabilis in concipiendo, quia fidem concepit. Et ideo dixit ei Elisabeth [16] : « Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ

[1] *Cant.*, III, 2. — [2] *Joan.*, XII, 24. — [3] *Isa.*, LXVI, 8. — [4] *Joan.*, I, 14. — [5] *Jerem.*, XXXI, 22. — [6] *Psal.* LXXXVI, 3, 5. — [7] *Eccli.*, XLIII, 2. — [8] *Isa.*, XLV, 15. — [9] *Exod.*, II, 7-9. — [10] *Cant.*, VIII, 1. — [11] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. XLIX. — [12] *Joan.*, XIII, 17. — [13] *Jac.*, I, 22. — [14] Sup., III, 8. — [15] *Matth.*, XII, 50. — [16] Sup., I, 45.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes.— (*b*) caro.

dicta sunt tibi a Domino. » Ex quo apparet mira commendatio veritatis, quæ omnes sibi adhærentes beatos efficit : non solum adhærentes carnali cognatione, ut Virgo Maria, verum etiam spirituali dilectione, sicut quælibet anima sancta. Ut enim dicit Augustinus : « Beatitudo est gaudium de veritate. » Ad quod gaudium venient qui veritatem audiunt, diligunt et faciunt, secundum illud [1] : « Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt : et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. »

Spiritualis sensus.

Spiritualiter autem hic notandum est, quod mulier de turba typum gerit legis, quæ generationem commendat carnalem, secundum quod facta est repromissio Abrahæ [2] : « Suspice cœlum, » etc. Et David in *Psalmo* [3] : « De fructu ventris tui, » etc. Unde *ad Romanos* [4] : « Ex quibus Christus secundum carnem, » etc. Sed Christus typum gerit gratiæ et spiritus. Qui quidem generationem commendat spiritualem, secundum illud [5] : « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ? » Hujus generationis spiritualis conceptio primo fit in fide, quasi in unitate Ecclesiæ [6] : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, » etc. In cujus etiam rei signum, Virgo Maria per fidem concepit [7] : « Beata quæ credidisti. » Partus autem fit per operationem [8] : « Dixi : Rigabo hortum plantationum, » etc. Sed illi qui credunt et non operantur, sunt sicut illi de quibus *Isaias* [9] : « Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. » Sed illi qui credunt et operantur, sunt illi de quibus Petrus [10] : « Sicut modo geniti infantes, rationabile et sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, scilicet per dilectionem et contemplationem [11] : « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, » etc. Et in *Proverbiis* [12] : « Cerva charissima, et gratissimus hinnulus : ubera ejus inebrient te in omni tempore. » Et sic in his tribus insinuatur susceptio gratiæ, exercitatio activæ, et consolatio contemplativæ. Et hoc totum clauditur in fide quæ per dilectionem operatur, quam soli qui habent, erunt beati.

29. *Turbis autem concurrentibus*, etc. Postquam Salvator confutavit fallaciam blasphematorum, sive obtrectatorum, hic secundo confutat fallaciam incredulorum, qui sub specie studiositatis quærebant signa curiositatis. Confutatur autem fallacia incredulitatis Judæorum, et hoc triplici via. Primo enim gens illa arguitur, quia dubia ad credendum; secundo, quia tepida ad discendum; tertio, quia frigida ad pœnitendum.

Primo igitur arguitur gens fallax et incredula, quia dubia ad credendum, cum dicitur : *Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est.* Turbæ namque concurrebant, id est, ex diversis causis ad ipsum currebant : quidam, ad audiendum documenta; quidam, ad videndum miracula; quidam, causa famis pellendæ; quidam, causa sanitatis recuperandæ; quidam, ad insidiandum; alii, ad obsequendum, secundum diversa genera personarum, quæ in Evangelio exprimuntur. Ii autem, sicut dicit Glossa, currebant ad mirabilia quæ ab eo fieri audiebant, quæ volebant videre, non ex zelo fidei, sed potius ex dolo, et curiositate, et fraudulentia veri. Et propterea dicit : *Generatio hæc generatio nequam est.* Et *Matthæus* dicit [13] : « Generatio mala et adultera signum quærit : » nequam enim et adultera est, propter infidelitatem, et idololatriam. Unde competit ei illud *Proverbiorum* [14] : « Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit. » Et illud *Deuteronomii* [15] : « Generatio perversa est, et infideles filii eorum. » Infidelitas apparet ex quæstione curiositatis : propter quod subdit : *Signum quærit*, scilicet de cœlo; Glossa : « Quasi illa quæ vide-

[1] *Eccli.*, XXIV, 31. — [2] *Gen.*, XV, 5. — [3] *Psal.* CXXXI, 11. — [4] *Rom.*, IX, 5. — [5] *Matth.*, XII, 49. — [6] *Joan.*, VII, 38. — [7] Sup., I, 45. — [8] *Eccli.*, XXIV, 42. — [9] *Isa.*, XXXVII, 3. — [10] I *Petr.*, II, 2. — [11] *Cant.*, I, 1. — [12] *Prov.*, V, 19. — [13] *Matth.*, XII, 39. — [14] *Prov.*, XXX, 11. — [15] *Deut.*, XXXII, 20.

rant, non fuerint signa. » Et quia hujusmodi propter incredulitatem non erant cœlestes, sed terreni; non spirituales, sed potius animales; ideo denegantur eis signa cœlestia, sed conceduntur terrestria; ideo dicit: *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Hoc quidem dicit, non quia alia signa non dederit, unde Lazarum suscitavit quadriduanum, sicut dicit *Joannes* [1]; et [2] « Vox de cœlo ad eum facta est; » et: « Multa alia fecit signa » in conspectu omnium, de quibus dicit *Joannes* [3], quod « non sunt scripta in libro » suo; et rursus [4]: « Sol obscuratus est » in morte: sed quia in omnia alia signa non valent nisi credenti Deum passum tertia die resurrexisse, cujus figura præcessit in Jona propheta. Et ideo in *Joanne* (*a*) Pharisæis quærentibus [5]: « Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? » etc., dixit eis: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Subjungitur: « Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Et hujus figura præcessit in Jona, quem tertia die evomuit piscis: et ideo creditum fuit ei a Ninivitis. Propter quod subdit (v. 30): *Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita et erit filius hominis generationi isti.* Jonas enim fuit Ninivitis signum non tantum verbo, sed etiam miraculi facto, quia in mare projectus, et a pisce absorptus, die tertia est ad superna regressus: per quod designavit Christum passum, mortuum et suscitatum. Unde aptatur hujusmodi signum propositum hoc modo [6]: « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. » Qui ergo huic signo non credit, durior est Ninivitis, nec alia signa Domini in aliquo prosunt ei.

Judæorum generatio tepida.

Secundo arguitur Judæorum generatio, quia tepida ad discendum, cum subditur (v. 31): *Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus.* Ex quo apparet quod resurrectio erit universalis, non tantum bonorum, sed etiam malorum; et quod erit ad judicia, secundum illud *Joannis* [7]: « Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent, » etc. Sed quia mali condemnabuntur comparatione meliorum, ideo subdit: *Et condemnabit illos:* Beda [8]: « Non potestate judicii, sed comparatione melioris facti, » quod factum ostendit in hoc quod ait: *Quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis*, secundum quod dicitur [9]: « Regina Saba cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus, in Jerusalem. » Simile lib. *Regum* (*b*) [10] dicitur. Unde in tribus fuit laudabilis: et primo, quia mota fuit fama sapientiæ Salomonis; secundo vero, quia venit de remotis partibus; tertio vero, quia venit ad hominem paris conditionis. Et e contrario hic populus tripliciter erat vituperabilis: quod notat, cum subdit: *Et ecce plus quam Salomon hic.* In hoc enim, quod dicitur: *Ecce,* notat se cognitum, non tantum per auditum, sed per visum, secundum illud [11]: « Post hæc in terris visus est, » etc. In hoc quod addit: *Hic*, ostendit quod non erat absens, sed præsens, ut possit eis merito dici illud *Deuteronomii* [12]: « Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est procul situm, » etc. In hoc vero quod dicit: *Plus quam Salomon*, ostendit quod non tantum credendum est ei, sicut viro sapienti, sed sicut principio et fonti totius sapientiæ, secundum illud [13]: « Ego principium, qui et loquor vobis. » Major erat namque Christus Salomone ratione potentiæ, ratione scientiæ, et ratione justitiæ. Unde sibi competit præcipue illud *Psalmi* [14]: « Deus, judicium tuum regi da, » etc., qui in laude Salomonis creditur a Judæis factus: cum ibi dicatur: « Dominabitur a mari usque ad mare. » Et iterum: « Ante solem permanet nomen

[1] *Joan.*, XI, 39 et seq. — [2] Sup., III, 22. — [3] *Joan.*, XX, 30. — [4] Inf., XXIII, 45. — [5] *Joan.*, II, 18, 19, 21. — [6] *Matth.*, XII, 40. — [7] *Joan.*, V, 28. — [8] Bed., ubi sup. — [9] II *Paral.*, IX, 1. — [10] III *Reg.*, X, 1 et seq. — [11] *Bar.*, III, 38. — [12] *Deut.*, XXX, 11. — [13] *Joan.*, VIII, 25. — [14] *Psal.* LXXI, 2, 8, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) *Cæt. edit. non habetur* lib. Regum *nisi in margine.*

ejus. » Et iterum : « Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, » etc. Ille Salomon pacificus fuit ad tempus ; sed iste æternaliter : *Isaias* [1] : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. » Ille sapiens : sed iste *Sapientia* [2] : « Christum Dei virtutem et sapientiam, » etc. Et [3] : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi, » etc. Ille faciens justitiam ; sed iste ipsa justitia [4] : « Qui factus est nobis sapientia et justitia, » etc. Ideo his septem præeminentias meretur regina illa Austri, comparatione ad Judæos incredulos : Regina sexus fragilis, de remotis, cum difficultate, relicto imperio, cum muneribus, ad purum hominem, sola fama cognita venit, sicut expresse [5] colligitur. Sed Judæi viri, Christum præsentem, gratis oblatum, sui generis beneficum, Deum et hominem miraculis probatum, contemnunt et despiciunt.

Judæorum generatio frigida.

Tertio arguitur Judæorum generatio, quia frigida ad pœnitendum, cum subdit (v. 32) : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam.* Et hoc, propter eorum pœnitentiam, et Judæorum impœnitentiam. Ex comparatione enim meliorum arguuntur minus boni. Propter quod subdit : *Quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ.* [6] « Crediderunt Ninivitæ in Dominum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis. » Et Jonas erat ignotus, prædicavitque paucis diebus ; erat etiam homo purus, et nullum fecit miraculum : sed majora his ostendit Christus Judæis ; ideo subdit : *Et ecce plusquam Jonas hic :* quia Christus non tantum erat homo, verum etiam Deus. Quod ostendebat magnitudine miraculorum. Non prædicavit paucis diebus, sed multis, hoc est, tribus annis. Ideo magis condemnatur duritia incredulitatis in Judæis. Unde Chrysostomus [7] : « Ninivitæ intra (*a*) tres dies facti sunt populus Dei, qui tamen prophetas non habuerunt ; Judæi intra tres dies crucifixionis, facti sunt populus diaboli. Illi evaserunt vindictam imminentem ; isti pertulerunt atrocissimam. » Sic patet, quomodo fraudulentia Judæorum, qui quærebant signa, ut tentarent, per exempla convicta sit, ut in infidelitatis duritia non permaneret. Sic etenim Judæi, qui audiebant legem et prophetas, et Christum videbant, et non credebant, arguuntur comparatione reginæ Saba, et Ninivitarum. Sic clerici et alii litterati argui possunt comparatione mulierum et laicorum : nam clerici Christum in Scripturis, et manibus contrectant in sacramentis ; et tamen minus credunt et venerantur, quam mulieres et laici. Unde nunc possumus dicere illud [8] : « Publicani et meretrices præcedent vos, » etc. Et rursus Augustinus in libro *Confessionum* [9] : « Idiotæ rapiunt cœlum, et nos cum litteris nostris ad inferna demergimur. » Possent et his exemplis argui omnes Christiani, qui tardi sunt ad audiendum verbum Dei et ad faciendam pœnitentiam de peccatis, qui ad sui excusationem quærunt signa miraculorum, cum tamen ante oculos habeant Christum crucifixum, ita ut possit eis dici illud [10] : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus ? » Habentes igitur et videntes signum crucis Christi, non debemus cum Judæis esse dubii ad credendum, nec tepidi ad audiendum, nec frigidi ad pœnitendum et operandum, ne comparatione reginæ Austri et Ninivitarum, condemnemur a Domino.

33. *Nemo lucernam accendit*, etc. Postquam Salvator confutavit fallaciam blasphematorum et incredulorum, sive tentatorum, in hac parte confutat fallaciam simulatorum. Habet autem pars ista duas partes, in quarum prima commendat simplicitatem intentionis rectæ ; in secunda vero confutat dolositatem simulationis malignæ, ibi [11] :

[1] *Isa.*, IX, 7. — [2] I *Cor.*, I, 24. — [3] *Coloss.*, II, 3. — [4] I *Cor.*, I, 30. — [5] III *Reg.*, X, 1 et seq. — [6] *Jon.*, III, 5. — [7] Chrysost., *in Genes.*, hom. XXV, n. 2. — [8] *Matth.*, XXI, 31. — [9] Aug., *Confes.*, lib. VIII, c. VIII. — [10] *Gal.*, III, 1. — [11] Inf., 37. — (*a*) *Cæt. edit.* inter.

Et cum loqueretur, rogavit eum, etc. Ad commendandam igitur simplicitatem rectæ intentionis, primo tria introducuntur, scilicet similitudo rationalis, adaptatio similitudinis, et informatio commendabilis.

Primo itaque introducitur similitudo rationalis, cum dicit : *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio.* Lucerna dicitur vehiculum luminis, sive vas luminis contentivum, quæ sive materialis sit, sive spiritualis, non est abscondenda. Lucerna enim materialis abscondita, lumen non tribuit, sed est prorsus inutilis : similiter nec spiritualis, unde in *Ecclesiastico* [1] : « Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam. » Et ideo hæc lucerna non debet abscondi, sed manifestari; unde subdit : *Sed supra candelabrum*, scilicet ponit, *ut qui ingrediuntur lumen videant.* Quanto autem lucernæ altius ponuntur, tanto clarius resplendent; et ideo *supra* (*a*) *candelabrum*, sicut supra locum excelsum debent poni, juxta visionem Zachariæ [2] : « Vidi, et ecce candelabrum aureum, lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud. »

Secundo vero adjungitur adaptatio similitudinis, cum subditur (v. 34) : *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Corporis namque materialis oculus, corporalis est lucerna, quia totum corpus dirigit et illuminat. Corporis vero spiritualis, id est, congeriei bonorum operum lucerna, est oculus spiritualis, id est, intentio. Intentio namque dicitur oculus et lucerna : oculus, in quantum illuminatur a Deo ad totius hominis directionem; lucerna vero, in quantum omnium actionum, cogitationum et affectionum congeriem dirigit, quasi gressus hominis, in viam pacis, secundum illud supra [3] : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, » etc. Lucernæ enim est illuminare. Et propterea verbum Dei dicitur lucerna, secundum illud [4] : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis, » scilicet quantum ad credenda; [5] « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, » quantum ad agenda. Dicitur mandatum [6] : « Mandatum lucerna est, et lex lux. » Dicitur etiam prædicator [7] : « Ipse erat lucerna ardens et lucens; » et *ad Philippenses* [8] : « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. » Dicitur et donum Spiritus sancti [9] : « Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, » id est, dona septem Spiritus sancti supra Christum. Dicitur etiam opus, infra [10] : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. « Dicitur etiam intentio, quæ, si fuerit ficta, extinguitur, secundum illud [11] : « Lux obtenebrescet in tabernaculo illius : et lucerna quæ super eum est, extinguetur; » si autem recta est, totum illuminat bonorum operum corpus. Unde lucerna primo competit verbo Dei, et dono Spiritus sancti; et per hoc competit intentioni cordis; et inde descendit in eloquium prædicationis veræ, et in opus conversationis sanctæ. Dicitur autem de his secundum quoddam genus analogiæ. Est ergo lucerna intentionis rectæ quasi media, suscipiens a superiori, et redundans in totam congeriem operum. Propter quod subdit : *Si oculus tuus fuerit simplex*, id est intentio recta, *totum corpus tuum lucidum erit.* Ut enim dicit Ambrosius, intentio operi tuo nomen imponit. Ex quo apparet, quod de oculo cordis intelligit, cujus optima dispositio est simplicitas, secundum illud [12] : « Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas. » Dicitur autem oculus simplex, qui unicum bonum et summum, quod indivisibile est, intendit. Et talis solus est rectus, qui tendit ad illud.

[1] *Eccli.*, XX, 32, 33. — [2] *Zach.*, IV, 2. — [3] Supra, I, 79. — [4] *Psal.* CXVIII, 105. — [5] II *Petr.*, I, 19. — [6] *Prov.*, VI, 23. — [7] *Joan.*, V, 35. — [8] *Philip.*, II, 15. — [9] *Exod.*, XXV, 37. — [10] Infra, XII, 35. — [11] *Job*, XVIII, 6. — [12] I *Paral.*, XXIX, 17. — (*a*) *Cæt. edit.* super.

Unde de Job dicitur [1], quod « erat vir ille simplex et rectus. » Et talis diligit Deum, secundum illud [2] : « Recti diligunt te. » Et in *Canticis* [3] : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui, » id est, unitate et simplicitate intentionis rectæ, quæ sola Deo placet. Et quia tales, quidquid faciunt, ex charitate faciunt, ideo totum rectum est, et bonum et lucidum, secundum illud [4] : « Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est, in omni bonitate, et justitia, et veritate, » etc. Et quoniam de corde sic illuminato non procedunt nisi opera lucis, sicut nec arbor bona potest malos fructus facere; ita ex corde tenebroso non procedunt opera, nisi tenebrarum, sicut nec arbor mala fructus facit, nisi malos. Et ideo subditur : *Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Oculus enim nequam depravat voluntatem, et facit eam iniquam : illa autem depravata, depravantur et opera. Unde *Ecclesiasticus* [5] : « Nequam est oculus lividi et avertens faciem suam, » scilicet a Deo, « et despiciens animam suam. » Et paulo post : « Oculus malus ad mala. » Unde, cum depravatur intentio, derivatur (*a*) a via lucis, et incedit per tenebras, secundum illud [6] : « Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt. » Cum autem obtenebratur intentio et deformatur, obtenebratur et deformatur opus. Unde in Glossa : « Semper perversa intentio præcessit pravum opus, etiamsi justum videatur. » Et ideo dicitur corpus tenebrosum, quod quidem dicitur peccati opus, de quali habetur [7] : « Abjiciamus opera tenebrarum. » In hoc ergo aptatur similitudo lucernæ, ut, sicut lucerna supra candelabrum, sic intentio simplex et sursum directa est lucida, deorsum vero est curva, nequam et obscura. Non ergo debet quis in suis operibus procedere cum duplicitate et simulatione hypocrisis, sed magis cum luce et simplicitate intentionis. Nam in *Proverbiis* [8] : « Justitia simplicis diriget viam ejus, et in impietate sua corruet impius. »

Tertio subditur informatio commendabilis, cum dicit (v. 35) : *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint,* id est, ne intentio, per quam debes esse lux, vitiorum tenebris obscuretur. Loquitur autem conversis ad se, de quibus ait Apostolus [9] : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate, » ut scilicet sitis filii illius lucis [10], quæ « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; » non filii hominis, de quibus *Joannes* [11] : « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera. » Quoniam ergo prava intentio totum opus depravat, ideo docet eam præcipue esse cavendam, cum dicit : *Vide ergo*, etc. Sed rursus, quia intentio non potest esse lucida, nisi adsit operatio bona, ideo subdit : *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum*, ut videlicet non sit pravitas in intentione, nec cogitatione, nec affectione, nec locutione, nec operatione, quæ sunt partes totalitatis nostræ, et operationis meritoriæ, sive demeritoriæ. Si igitur in his non fuerit ex aliqua parte impuritas, erit verum illud quod sequitur : *Erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te*, id est, conscientiam tuam, secundum petitionem propheticam [12] : « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas, » secundum quod habetur in *Psalmo*. Illuminabit etiam te ad ædifidandum Christi Ecclesiam, secundum illud mandatum Domini [13] : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » Illuminabit etiam te ad confutandam pravitatem alie-

[1] *Job*, I, 1. — [2] *Cant.*, I, 3. — [3] *Cant.*, IV, 9. — [4] *Ephes.*, V, 8, 9. — [5] *Eccli.*, XIV, 8, 10. — [6] *Eccli.*, XI, 16. — [7] *Rom.*, XIII, 12. — [8] *Prov.*, XI, 5. — [9] *Ephes.*, V, 8. — [10] *Joan.*, I, 9. — [11] *Joan.*, III, 19. — [12] *Psal.* XVII, 29. — [13] *Matth.*, V, 16.

(*a*) *Ita Edit. Rom., Edit. Ven.* deviatur.

nam, secundum illud [1] : « Sitis sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. » Illuminabit etiam te ad habendam divinam notitiam, secundum illud [2] : « Qui timetis Dominum, diligite illum; et illuminabuntur corda vestra. » Illuminabit etiam te ad videndam claritatem divinam; *Tobias* [3] : « Luce, inquit, splendida fulgebis, » etc.

37. *Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se.* Postquam Evangelista commendavit simplicitatem intentionis rectæ, in hac parte confutat dolositatem simulationis malignæ. Habet autem pars ista partes duas : in quarum prima præmittitur increpatio duplicitatis; in secunda subditur comminatio calamitatis, ibi [4] : *Sed væ vobis Pharisæis*, etc. Circa increpationem duplicitatis, introducuntur tria : primum est Judaicæ simulationis malignitas; secundum est increpationis severitas; tertium vero charitativæ admonitionis suavitas. Primo igitur, quantum ad simulationis malignitatem ex parte Pharisæi, dicit : *Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se.* In quo facto exterius prætendebat pietatem in relevanda Christi indigentia, de qua ipse in *Psalmo* dicit [5] : « Ego autem mendicus sum et pauper. » Ad quam relevandam, Christus eleemosynas accepit; nec tantum accepit, sed et mendicavit, cum adhuc esset annorum duodecim, sicut dicit Bernardus [6] in quodam sermone : « *Cum factus esset Jesus,* » etc., ubi quærit quis eum in illo triduo cibaverit, et dicit sic : « Ut te per omnia nostræ conformares paupertati, et omnes vitæ humanæ calamitates susciperes, quasi unus ex turba pauperum, stipem per hostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel illius divini edulii reliquiis saginari? »

Divisio.

Unde Glossa, super illud [7] : « Propter vos egenus factus est, » etc. : « Non erubescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui pro nobis factus est pauper. » Unde ad suam indigentiam relevandam, non solum a bonis, sed etiam a malis accipiebat eleemosynam. Unde subditur : *Jesus autem ingressus recubuit.* In quo dat nobis formam, quod peccatores occulti non sunt vitandi, et quod a malis eleemosynæ licite accipi possunt, ut fiant boni, dummodo non dent de alienis, vel male acquisitis; et quod peccatores sunt per benevolentiam attrahendi, et quod inimicis et seductoribus nostris debemus esse benevoli, sicut ille, qui cum illo recubuit a quo sciebat in corde se despici et judicari. Propter quod subditur (v. 38) : *Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere,* id est, rationem et causam inquirere, scilicet *quare non baptizatus esset,* id est lotus more Judæorum, *ante prandium,* ac per hoc ipsum judicans tanquam immundum, et contemptorem paternarum traditionum. Unde simile leguntur Pharisæi Domino et ejus discipulis objecisse [8] : « Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas cum manducant. » Hoc autem erat apud Judæos præcipuum; unde dicitur [9] : « Pharisæi enim et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum : et a foro, nisi baptizentur, non comedunt. » Et ratio hujus erat, quia maximam vim faciebant in servanda munditia corporum. Unde duplex ostenditur ex hoc simulatio in Pharisæo : prima, quia eum, quem pie reficiebat exterius, impie judicabat interius; secunda, quoniam zelabat munditiam corporalem, nec attendebat spiritualem. Et ideo hypocrita erat tam in conspectu hominum, quam Dei, contra illud *Ecclesiastici* [10] : « Ne accesseris ad illum duplici corde, et ne fueris hypocrita in conspectu hominum. »

Simulatio duplex in Pharisæo.

[1] *Philip.*, II, 15. — [2] *Eccli.*, II, 10. — [3] *Tob.*, XIII, 13. — [4] Infra, 42. — [5] *Psal.* XXXIX, 18. — [6] Hom. Bern. adscripta, quæ incipit : « Petis a me, » est vero Ælredi abb. Rievallensis, inter *Opera* Bern., t. II, col. 579, n. 6, edit. 1690. Doctor noster Seraphicus eadem dicit in lib. *de paupertate Christi*, q. 2, et in *Apolog. pauperum*, resp. III, part. I, art. 1. — [7] II *Cor.*, VIII, 9. — [8] *Matth.*, XV, 2. — [9] *Marc.*, VII, 3, 4. — [10] *Eccli.*, I, 36.

Secundo, quantum ad increpationis severitatem ex parte Magistri, subdit (v. 39) : *Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis.* Calix est vas ad bibendum, catinum ad manducandum; et hæc vasa maxime mundabant Pharisæi et Judæi, quia putabant se inquinari per cibum et potum, et inquinari per immunditiam vasorum. Unde dicitur [1] quod « multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, » etc. Quia vero, ut dicit Ambrosius [2], calix est vas vitreum, et catinum vas fictile, et quia utrumque fragile, recte designat fragilitatem humani corporis circa quam Pharisæi erant potissime intenti, neglecta munditia conscientiæ. Et hoc erat reprehensibile; nam dicit *Isaias* [3] : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. » Et *Jeremias* [4] : « Lava a malitia cor tuum, Hierusalem, ut salva fias. » Quod Pharisæi non observabant; propter quod addit : *Quod autem intus vestrum plenum est rapina et iniquitate*, ac per hoc immundum et abominabile; unde de eis poterat dici illud [5] : « Divites ejus repleti sunt iniquitate; et habitantes in eo loquebantur mendacium. *Ecclesiasticus* [6] : « Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia : » quia non habet intra, quod simulat extra. Et ista erat non tantum malitia, sed et stultitia, quia, neglecto meliori, de corpore tantum curabant. Unde subditur (v. 40) : *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est*, scilicet corpus, *etiam quod de intus est fecit?* scilicet spiritum. In quo simul damnatur hæresis Manichæorum, qui Deo auctori (*a*) tribuunt spiritum, et diabolo corpus, cum tamen dicatur in *Genesi* [7] : « Formavit Dominus Deus hominem ex limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » Confutatur etiam hypocrisis Pharisæorum, qui Deo satagebant placere solius corporis purificatione, cum tamen Dominus fecerit utrumque, et maxime sit conditor animæ, secundum illud [8] : « Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. » Et Dominus præcipue se vocat Deum animarum [9] : « Omnes animæ meæ sunt; ut anima patris, ita et anima filii. » Et propter hoc vult maxime animarum munditiam, et tali promittit suam præsentiam, secundum illud [10] : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt : » et ideo Pharisæi, qui de hac non curabant, ut stulti erant. Unde Chrysostomus : « Deus neque corporum munditiam laudat, neque sordes condemnat. Pone tamen quod sordes odit vasorum, quanto igitur magis conscientiæ sordes odit? Unde de hac præcipue curandum, quia sine munditia conscientiæ nihil est mundum. » [11] « Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens, et conscientia. »

Calix. Catinus.

Tertio, quantum ad admonitionis suavitatem ex parte mendici, subjungit (v. 41) : *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam.* Quod superest, hoc est, remedium quod restat, est, ut per eleemosynam purgetis nequitiam. Secunda enim tabula, quæ restat post naufragium, est pœnitentia. Et hoc modo accipitur hic eleemosyna; quod patet in hoc quod sequitur : *Et ecce omnia munda sunt vobis.* Impossibile enim est, omnia posse mundari per solius exterioris eleemosynæ erogationem; sed vocatur hic donatio eleemosynæ quodlibet opus misericordiæ ordinatæ, quæ primum incipit a se, secundum illud [12] : « Miserere animæ tuæ, placens Deo. » Hanc misericordiam sibi impendit, cum se per pœnitentiam purgat a vitiis. Nam aliter crudelis est sibi, secundum illud [13] : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. » Aliter potest exponi de eleemosyna proprie dicta, ut sit sensus : *Quod*

[1] *Marc.*, VII, 4. — [2] Ambros., in hunc loc. Lucæ, lib. VII. — [3] *Isa.*, I, 16. — [4] *Jerem.*, IV, 14. — [5] *Mich.*, VI, 12. — [6] *Eccli.*, I, 40. — [7] *Gen.*, II, 7. — [8] *Eccle.*, XII, 7. — [9] *Ezech.*, XVIII, 4. — [10] *Matth.*, V, 8. — [11] *Tit.*, I, 15. — [12] *Eccli.*, XXX, 24. — [13] *Psal.* X, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* actori.

superest date eleemosynam, id est, de eo quod superest, ut sic tangatur eleemosynæ forma, secundum illud [1] : « Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. » Et post formam subditur efficacia, cum ait : *Ecce omnia munda sunt vobis* : quia elemosyna disponit ad gratiam, per quam mundatur anima tota. Et propter hoc dicitur [2] : « Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. » Licet autem eleemosyna dicatur valere ad tria principaliter, tamen septiformis ostenditur ejus efficacia in Scriptura. Prima est, quia animam mundat a culpa, sicut hic habetur; et etiam *Ecclesiasticus* [3] : « Eleemosyna patris non erit in oblivione. » Et paulo post : « Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. » Secunda est, quia liberat a pœna æterna [4] : « Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. » Tertia, quia defendit a pœna transitoria [5] : « Peccata tua eleemosynis redime, » etc. Quarta est, quia mitigat fomitis concupiscentiam [6] : « Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. » Quinta, quia dat de hoste victoriam [7] : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit. » Et paulo post : « Super scutum potentis, et super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit. » Sexta, quia conservat gratiam, secundum illud [8] : « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit. » Septima, quia dat fiduciam perveniendi ad gloriam [9] : « Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna facientibus eam. » Hi septem effectus sunt ipsius eleemosynæ, quæ tam corporaliter, quam spiritualiter exhibetur. Opera misericordiæ corporalis hoc versu designantur :

Septiformis est eleemosynæ efficacia.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo;

De quibus, præterquam de ultimo, disceptatur [10] in judicio. De ultimo vero fit mentio in Tobia. [11] Ad hoc autem quod eleemosyna habeat has efficacias, necessaria est primo simplicitas in corde; unde [12] : « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, » etc. Secundo vero discretio in electione, secundum illud [13] : « Si benefeceris, scito cui benefeceris. » Tertio vero compassio in affectione [14] : « Cum effuderis esurienti animam tuam, » etc., « orietur in tenebris lux tua. » Et in *Job* [15] : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. » Quarto vero, dulcedo in sermone [16] : « Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius, quam datum. » Quinto, hilaritas in facie [17] : « In omni dato hilarem fac vultum tuum. » [18] « Jucundus homo, qui miseretur, » etc. Sexto, debita quantitas in munere [19] : « Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, » etc. Septimo vero, celeritas in opere et exhibitione [20] : « Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere, » etc. Et tunc fit eleemosyna ex toto homine, ac per hoc est Deo accepta et placens.

42. *Sed væ vobis Pharisæis*, etc. Post increpationem duplicitatis, subditur hic duplicitatis et hypocrisis comminatio calamitatum. Unde quasi superadditur ista determinatio [21] : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ*. Et quoniam hæc duo genera personarum, scilicet Pharisæorum et Scribarum, simulabant maxime religionem; ideo contra has duas personas facit suam invectionem; sed in Matthæo simul; hic autem distincte. Ideo pars ista habet duas : in prima comminatur *væ* ipsis Pharisæis; in secunda vero Scribis, sive Legisperitis, ibi [22] : *Respondens autem quidam ex Legisperitis*, etc. Comminatio autem damnationis æternæ tertio replicatur contra Pharisæos propter triplicem causam, scilicet propter negligen-

[1] II *Cor.*, VIII, 13. — [2] I *Tim.*, IV, 8. — [3] *Eccli.*, III, 15, 17. — [4] *Tob.*, XII, 9. — [5] *Dan.*, IV, 24. — [6] *Eccli.*, III, 33. — [7] *Eccli.*, XXIX, 15, 18. — [8] *Eccli.*, XVII, 18. — [9] *Tob.*, IV, 12. — [10] *Matth.*, XXV, 35-45. — [11] *Tob.*, I, 21; II, 7. — [12] *Matth.*, VI, 3. — [13] *Eccli*, XI, 1. — [14] *Isa.*, LVIII, 10. — [15] *Job*, XXX, 25. — [16] *Eccli.*, XVIII, 16. — [17] *Eccli.*, XXXV, 11. — [18] *Psal.* CXI, 5. — [19] *Tob.*, IV, 8. — [20] *Prov.*, III, 28. — [21] *Matth.*, XXIII, passim. — [22] Infr., 45.

tiam, propter arrogantiam, et propter fraudulentiam, ut sit negligentia in omissione boni, arrogantia in commissione mali, fraudulentia in occultatione mali, et ostentatione boni.

Primo igitur comminatur Pharisæis pœnam æternam propter negligentiam, quia, minimis intenti, omittebant maxima; et hoc, cum dicit : *Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham (a), et rutam, et omne olus*, quasi multum sitis intenti ad impletionem divinorum mandatorum. Unde infra [1] se jactabat Pharisæus : *Decimas do omnium, quæ possideo.* Sed tamen per hoc non justificabantur, propter omissionem optimorum; unde addit : *Et præteritis omne judicium, et charitatem Dei;* id est justitiam et misericordiam. Et hoc est quod maxime requirit Deus, secundum illud [2] : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam. » Et hanc vocat charitatem Zacharias [3] : « Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. » Ita quod sit judicium respectu sui, et charitas, sive misericordia, respectu proximi. Vel per judicium intelligatur divinum præceptum, secundum illud [4] : « Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, » etc. Charitas autem dicitur *præcepti finis* et complementum [5] : « Finis præcepti est charitas, » etc. Vel per judicium intelliguntur præcepta judicialia, secundum illud [6] : « Hæc sunt judicia quæ propones eis : Si emeris servum, » etc.; per charitatem, moralia, unde *ad Romanos* [7] : « Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, » etc. Arguit igitur eos, quia propter cæremonialia dimittebant judicialia et moralia, quæ magis sollicite erant facienda ; et propterea addit : *Hæc autem oportuit facere*, scilicet judicium et charitatem primo et principaliter, unde *Oseas* [8] : « Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocausta : *Et illa non omittere*, quia *Ecclesiasticus* [9] : « Qui spernit modica, paulatim decidet; » et in *Ecclesiaste* [10] : « Qui timet Deum, nihil negligit. »

Secundo, hanc comminationem iterat propter arrogantiam, cum subdit (v. 43) : *Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis*, quantum ab ambitionem dignitatis. Unde Glossa : « Arrogantiam redarguit, quia primatus dignitatem appetebant. » Hæc autem non est appetenda; unde *Ecclesiasticus* [11] : « Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. » Nam talis cathedra non est veræ excellentiæ, sed magis pestilentiæ, secundum illud *Psalmi* [12] : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit : » super quam tamen sedebant Scribæ et Pharisæi, verumtamen ut indigni, quia verba habebant, et non facta idonea. Unde dicitur [13] : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere. » Et quia ad ambitionem dignitatis sequitur appetitus laudis, propterea subdit : *Et salutationes in foro*, id est, laudes in conspectu multorum, ut cæteris honoratiores viderentur. Unde additur : « Amant salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. » Unde hic arguuntur propter vanam gloriam, propter quam veritatem cognitam confiteri non audebant, secundum illud [14] : « Ex principibus autem multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. » Ex quo apparet quod laudes et honores hominum secundum divinam informationem omnino debemus con-

[1] Infra, XVIII, 12. — [2] *Mich.*, VI, 8. — [3] *Zach.*, VII, 9. — [4] *Psal.* XVIII, 10. — [5] I *Tim.*, I, 5. — [6] *Exod.*, XXI, 2. — [7] *Rom.*, XIII, 8, 9. — [8] *Ose.*, VI, 6. — *Eccli.*, XIX, 2. — [10] *Eccle.*, VII, 19. — [11] *Eccli.*, VII, 4. — [12] *Matth.*, XXIII, 2, 3. — [13] Ibid., 7. — [14] *Joan.*, XII, 42.

(a) Cæt. edit. *mentam*.

temnere, non, ut Pharisæi, appetere. Etenim qui hæc amat, ut dicit Hieronymus, non est Christi discipulus, sed Scriba et Pharisæus. Christus enim, cum petebatur ad regnum, fugit in montem : cumque laudaretur, secedebat in desertum ad orandum.

Tertio hanc comminationem replicat propter fraudulentiam, cum subdit (v. 44) : *Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent*, scilicet qualia sunt intus, quia fœtida et immunda sunt intus, sed extra sunt pulchra. Unde addit : *Et homines ambulantes supra nesciunt*. Tales sunt hypocritæ, qui cum intra sint mali, extra tamen videntur boni et perfecti. Unde merito dicuntur sepulchra, id est, semipulchra, secundum illud [1] : « Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis, » etc. Et ideo non sunt filii sponsi, imo omnino oppositi. Nam [2] : « Nigra sum, sed formosa. » Isti autem albi sunt, sed fœtidi ; ideo merito dicuntur monumenta. « Unde [3] : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent (*a*) hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. » Unde Chrysostomus : « Justorum corpora templa dicuntur ; corpora vero peccatorum sepulchra, quia intus est anima mortua : nec enim viva putanda est, quæ nihil vivum, id est, spirituale egit in corpore. » Et post : « Dic, hypocrita ; si bonum est bonum esse, cur non vis esse quod vis apparere ? Quod autem turpe est apparere, turpius est esse. Aut ergo esto quod appares, aut appare quod es. » Ex his Domini verbis potest intelligi, qui sint illi, qui debent hypocritæ judicari, scilicet in quibus regnat negligentia, arrogantia, fraudulentia. Hi autem sunt qui minima præferunt maximis, transitoria æternis, apparentia veris. De his autem judicare non est hominis cujuslibet, sed Christi qui cor aspicit, secundum illud [4] : « Nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, » etc. Nam Dominus non reprehendit bonitatem apparentem et evidentem, sed sophisticam et non existentem.

Sepulcrum, id est sepulcrum.

45. *Respondens autem quidam ex Legisperitis*, etc. Postquam comminatus est *væ* Pharisæis, hic secundo comminatur *væ* Legisperitis, et hoc tribus de causis : primo propter desidiam, contra veritatem vitæ ; secundo propter perfidiam, contra veritatem justitiæ, ibi (v. 47) : *Væ vobis, quia ædificatis monumenta*, etc. ; tertio propter fallaciam, contra veritatem doctrinæ, ibi (v. 52) : *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem*, etc. Hæc enim triplex veritas maxime debet esse in doctoribus legis ; sed in Legisperitis nihil erat, nisi hypocrisis. In comminando igitur gehennam propter desidiam, primo præmittitur ostentatio auctoritatis ; secundo adjungitur comminatio calamitatis. Primo igitur quantum ad ostentationem auctoritatis ex parte Legisperiti, dicitur : *Respondens autem quidam ex Legisperitis*, qui scilicet sibi peritus esse videbatur, secundum illud *Isaiæ* [5] : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. » Et quia tales videntur sibi et docti et magni, ideo contumeliosum putant ab aliquo argui. Propter quod subdit : *Ait illi : Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis*. Quod non diceret, nisi ex conscientia sentiret se similiter transgredi, et ex superbia nollet reprehendi. Unde poterat sibi dici illud ad *Romanos* [6] : « Confidis teipsum ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, » etc. « Qui ergo alium doces, teipsum non doces. » Doctrinam sanam putant contumeliam, quia, ut dicitur in *Proverbiis* [7] : « Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus. » Et vere talis erat stultus, qui reputabat se eruditum ; quoniam ibidem dicitur [8] : « Vidisti hominem sapientem sibi videri ? magis illo spem habebit insipiens. »

[1] *Psal.* v, 11. — [2] *Cant.*, i, 4. — [3] *Matth.*, xxiii, 27. — [4] *I Cor.*, iv, 5. — [5] *Isa.*, v, 21. — [6] *Rom.*, ii, 19-20. — [7] *Prov.*, xviii, 2. — [8] *Prov.*, xxvi, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* foris patent.

Secundo vero, quantum ad comminationem calamitatis, propter desidiam bene agendi, dicitur (v. 46): *At ille ait: Et vobis Legisperitis væ*, scilicet damnationis æternæ. Et ratio hujusmodi est, quia multa dicebant, et pauca faciebant. Ideo subdit: *Quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt*, id est, præceptis et traditionibus superstitiosis ac inutilibus, ut merito dicatur illud *Actuum*[1]: « Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? » Unde *Matthæus*[2]: « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, » etc., ad quæ scilicet nemo tenetur, et ipsi dicunt eos ad ea teneri. Et quia hæc onera imponebant dicendo, sed non portabant faciendo, addit: *Et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas*. Nota signanter quod dicit: *Uno digito non tangitis*. Non dicit: *Non portatis*. Frequenter doctor docet quod facere non potest; verumtamen non est doctrina ejus contemnenda, si facere vult, quia voluntas ei computatur pro facto. Unde in libris *Regum*[3]: « Æqua pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. » Et hoc dicitur pro viris, qui lassi substiterant: sed qui non vult digitum ad sarcinas apponere, manifestum est quod nihil laboris vult sustinere. Et talis, sive imponat per modum magistri, sive per modum prælati, omnino est reprehensibilis; nec est imitator Christi, de quo dicitur[4]: « Cœpit Jesus facere, et docere. » Unde contra istos[5]: « Non habebis in sacculo diversa pondera. » Et in *Proverbiis*[6]: « Pondus, et pondus; mensura, et mensura: utrumque abominabile est apud Dominum. » Hoc autem est, cum homo sibi est misericors, et proximo vel subdito durus; cum nihil portat, sed totum aliis portandum imponit. Unde Chrysostomus: « Vis apparere et esse sanctus? contra vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. »

Sanctus quomodo quis

47. *Væ vobis qui ædificatis*, etc. Postquam comminatus est eis *Væ* pro culpa desidiæ, ex defectu veritatis vitæ, hic secundo replicat idem pro culpa perfidiæ, contra veritatem justitiæ, quæ quidem erat in impia justorum persecutione. Circa quam primo exaggeratur ipsorum culpa; deinde aggravatur vindicta.

Primo igitur, quantum ad exaggerationem culpæ, dicit: *Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum*, prætendentes pietatem in facto, sed gerentes impietatem in animo, sicut et patres eorum. Propter quod subdit: *Patres autem vestri occiderunt illos*, scilicet tanquam impii justos. Unde dixit beatus Stephanus[7]: « Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi. » Sed et isti, licet aliud simularent, erant imitatores eorum. Propter quod addit (v. 48): *Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum*, id est, consentitis hæc fuisse opera patrum vestrorum. Unde dicitur[8]: « Testes (*a*) estis vobismetipsis quod estis filii eorum, qui occiderunt prophetas. » Ideo addit: *Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra*. Et sic signo et verbo testes erant, quod patres eorum ipsos occiderant. Et hoc quidem simulabant se verbo et signo reprobare. Unde dicitur[9]: « Ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum, » etc. Sed approbant consimili facto et voto, quod ipsi et patres eorum erant persecutores bonorum: et ex hoc testes erant, se consentire operibus patrum. Unde Hieronymus: « Contra vosmetipsos testes estis; opere enim vos esse imitatores patrum testificamini, quorum facinora detestamini verbo. » Unde dicitur[10]. « Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resisti-

[1] *Act.*, xv, 10. — [2] *Matth.*, xxiii, 4. — [3] I *Reg.*, xxx, 24. — [4] *Act.*, i, 1. — [5] *Deut.*, xxv, 13. — [6] *Prov.*, xx, 10. — [7] *Act.*, vii, 52. — [8] *Matth.*, xxiii, 31. — [9] Ibid., 29, 30. — [10] *Act.*, vii, 51.

(*a*) *Vulg.* Testimonio.

tis; sicut patres vestri (*a*) et vos. » Et quia malitia quam gerebant in corde, permissione Dei propalanda erat in opere, ideo subdit (v. 49) : *Propterea et sapientia Dei dixit*, id est, ab æterno disposuit, vel ipse Christus disposuit, vel prævidit, qui est Dei virtus, et Dei sapientia. Vel *dixit*, id est prædixit voce prophetica. *Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur*, secundum illud *Jeremiæ* [1] : « Misi ad vos omnes servos prophetas per diem, consurgens diluculo, mittens, et non audierunt me, sed nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, et pejus operati sunt, quam patres eorum. » Hoc verificatum est in istis, qui non tantum prophetas, sed et Dominum prophetarum occiderunt. Unde dicit eis Petrus [2] : « Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis. » Occiderunt etiam et persecuti sunt omnes testes ipsius. Nam [3] Jacobus occisus est, et Petrus comprehensus. Persecuti sunt etiam ipsum Paulum et Barnabam, ut transmigrarent ad gentes. Etiam discipuli flagellati sunt.

Secundo vero, quantum ad aggravationem vindictæ, dixit (v. 50) : *Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum.* Inquiritur namque per vindictam; unde in *Psalmo* [4] : « Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, » etc.; et in *Genesi* [5] : « De manu viri fratris ejus, requiram animam hominis : quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. » Inquiretur igitur sanguis, id est, vindicta effusionis sanguinis; propter quod addit : *Qui effusus est a constitutione mundi*, id est, ab initio usque ad finem. Inquiretur, inquam, *a generatione ista*, quasi dicat, quod vindicta omnis sanguinis sancti viri effusi erit super generationem (*b*) Judæorum : quia ipsi effuderunt sanguinem illius, qui erat sanctus sanctorum, scilicet Christus [6] : « Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. » Unde ipsi dixerunt [7] : « Non habemus regem nisi Cæsarem. » Et in *Matthæo* (*c*) [8] : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » Vel hoc dicitur, ut ipsi puniantur in exemplum aliorum, quia, cum viderent malum in aliis puniri, se non correxerunt. Unde Chrysostomus : « Quid aliorum peccata vindicat Deus in istis, si soli sint passi talia, cum non soli peccassent? Sicut multis servis peccantibus, castigatur unus pro suo peccato, et tamen pro omnibus flagellatus, pertulit solus quod in omnibus est commissum. » Ratio autem quare magis ad istos pœna pervenit, redditur ab eodem Joanne : « Quia, inquit, vos audistis de Cain, et de cæteris malis vindictam factam, et si non estis per eorum exempla correcti, graviori pœna feriemini, et venient super vos exempla priorum. » Et propterea exemplificat secundum testimonia scripta, cum subdit (v. 51) : *A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ.* Abel namque primus fuit justus a fratre occisus, secundum quod dicitur, *Gen.*, IV, 8. Zacharias autem iste fuit filius Joiadæ, qui occisus fuit a rege Joas, qui multa bona acceperat ab ejus patre, secundum quod historia narrat. Verumtamen iste non fuit interfectus ultimo; sed ideo magis conjungitur cum primo, quia Abel pastor ovium fuit, et necatus in agro; Zacharias vero sacerdos, et necatus in atrio templi. Qui duos ordines martyrum designant, scilicet laicos, et eos qui altaris officio mancipantur. Ideo loco mortis hujus totum designat, cum subditur : *Inter altare et ædem*, id est, occisus fuit inter templum et altare holocausti. Duo namque altaria erant in templo, unum interius, scilicet incensi, et aliud exterius, scilicet holocausti, secundum quod legitur, *Exod.*, XL, 5, 6. Et inter hoc, et templum, Zacharias a Judæis fuit occisus, secundum

[1] *Jerem.*, VII, 25. — [2] *Act.*, III, 14, 15. — [3] *Act.*, XII, 2, 3, etc. — [4] *Psal.* IX, 13. — [5] *Gen.*, IX, 5, 6. — [6] *Dan.*, IX, 26. — [7] *Joan.*, XIX, 15. — [8] *Matth.*, XXVII, 25. — (*a*) *Vulg. add.* ita. — (*b*) *Al.* generatione. — (*c*) Et Matthæus.

quod scribitur [1] : « Congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium, in atrio domus Domini. » Sequitur : « Qui, cum moreretur, » ait : « Videat Dominus et requirat. » Hoc dixit attendens æquitatem divinæ justitiæ, quæ nihil dimittit inultum. Ad cujus infallibilitatem notandam iterat futuram vindictam, cum subdit : *Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. Ita,* ut per pronomen fiat demonstratio generationis malignæ. Dicit enim Glossa Bedæ [2] : « Omnes maligni una generatio sunt, una civitas, unum corpus diaboli; sicut omnes boni unum corpus, una generatio sunt Dei. » Unde de hac generatione iniqua intelligi potest illud [3] : « Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus. » Hæc est generatio, a qua requiretur vindicta. Sed in hac specialiter a gente Judaica, quia consummata in eis fuit perfidia. Unde Chrysostomus : « Sicut bonis per multas generationes promisit Deus Christum venturum, præstitit autem novissimis sanctis, ita per singulas generationes, comminatus est malis. » Reddet autem generationi novissimæ : Nunquam enim talis gratia data est hominibus, qualis in Christo, aut talis interitus venit super impios, sicut super Judæos. Unde possunt ipsi dicere illud *Genesis* [4] : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. » Et post : « En sanguis ejus requiritur. »

52. *Væ vobis Legisperitis*, etc. Hic tertio replicat *Væ*, propter fraudulentiam contra veritatem doctrinæ. Et quia mali et seductores proficiunt in pejus, ideo primo præmittitur comminatio gehennæ; secundo vero adjungitur obduratio nequitiæ. Primo igitur, quantum ad comminationem pœnæ proter defectum veritatis doctrinæ, dicit : *Væ vobis Legisperitis, quia* (*a*) *tulistis clavem scientiæ*, scilicet quantum ad officium dispensationis doctrinæ. Hæc autem clavis principaliter est Christi, tanquam summi doctoris : « Quia magister vester, unus est Christus, » secundum quod dicitur, *Matth.*, XXIII, 10. Et de hac *Isaias* [5] : « Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, » etc. Hanc tulerant Scribæ, simulantes se recte docere; sed tamen non recte docebant, quia negligebant seipsos et increpabant alios. Propter quod subdit : *Ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.* Ipsi namque non introibant, quia licet haberent verba, non habebant facta. Unde poterat eis dici illud ad *Romanos* [6] : « Qui alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris. » Et quia sola verba habebant, intrare non poterant. [7] « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, » etc. Jam non solum per sola verba non intrabant, sed alios etiam impediebant per mala exempla; unde verificatum est illud *Jeremiæ* [8] : « Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos; » scilicet a recta via, vel malis exemplis, vel falsis doctrinis, secundum illud [9] : « Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas : » quia ex falsis assumptionibus fere omnes conscientiæ distortæ formantur, per quas homines a regno Dei ejiciuntur, et in illud intrare prohibentur. Unde Chrysostomus : « Lex et prophetæ Christi adventum manifeste prædicabant; sed hanc januam intellectus pravis expositionibus claudebant. » Et ideo prohibebant intrare avocando (*b*) a via veritatis, exemplo, et verbo. Contra quod in *Proverbiis* dicitur [10] : « Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac. »

Secundo, quantum ad obdurationem nequitiæ, subdit (v. 53) : *Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et Legis-*

[1] II *Paral.*, XXIV, 21, 22. — [2] Bed., in *Luc.*, cap. XI. — [3] *Prov.*, XXX, 14. — [4] *Gen.*, XLII, 21. — [5] *Isa.*, XXII, 22. — [6] *Rom.*, II, 21. — [7] *Matth.*, VII, 21. — [8] *Jerem.*, L, 6. — [9] *Thren.*, II, 14. — [10] *Prov.*, III, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) vocando.

periti graviter insistere. In quo ostendunt cor suum esse obduratum et aggravatum, audiendo verbum divinum, ut ostendatur in eis esse verificatum illud *Isaiæ*[1] : « Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere ; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. » Et *Matthæus*[2] : « Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. » Nec tantum erat in eis obduratio, sed veritatis impugnatio. Unde addit : *Et os ejus opprimere de multis,* quasi os illud mundissimum locutum esset malum vel falsum. Unde verificatum est illud [3] : « Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. »[4] « Non potest mundus odisse vos ; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. » Et ideo in *Proverbiis*[5] : « Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : » quia convertitur ad convicia, propter veritatem auditam. Et quia non sufficit obstinatæ malitiæ conviciari quæ odit, sed etiam nititur machinari ad mortis interitum, propterea subdit (v. 54) : *Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere ex ore ejus, ut accusarent illum.* Non enim audebant aperte ipsum occidere, propter timorem turbarum ; sed volebant occulte occidere, propter odium veritatis auditæ. Unde in *Joanne* (*a*)[6] : « Nunc autem me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a patre meo. » Quod quærebant caute et malitiose ; unde *Matthæus*[7] : « Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut Jesum caperent in sermone. »

[1] *Isa.*, VI, 9, 10. — [2] *Matth.*, XIII, 15. — [3] *Amos*, V, 10. — [4] *Joan.*, VII, 7. — [5] *Prov.*, IX, 7. — [6] *Joan.*, VIII, 37. — [7] *Matth.*, XXII, 15. — [8] Sup., VI, 19. — [9] Inf., XV, 2. — [10] *Job*, XXIX, 25.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) tanta.

CAPUT XII.

1. *Multis autem turbis concurrentibus,* etc. Postquam Dominus in Pharisæis redarguit dolositatem simulationis malignæ, hic discipulos invitat ad cautelam simulationis redargutæ. Et quoniam hujusmodi duplicitatem causat timor male humilians, vel amor male accendens ; ideo pars ista dividitur in duas : in quarum prima monet ad cavendam duplicitatem ex timiditate venientem ; in secunda vero cupiditatem, infra, eodem (v. 13) : *Ait autem ei quidam de turba*, etc. Prima autem pars habet quatuor partes : in quarum prima informat ad cavendam dolositatem ; in secunda confortat ad repellendam timiditatem, ibi (v. 4) : *Dico autem vobis amicis ;* in tertia autem invitat ad conservandum veracitatem, ibi (v. 8) : *Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus*, etc. ; in quarta vero animat ad habendam securitatem, ibi (v. 11) : *Cum autem inducent vos in synagogas.* Et sunt istæ partes sibi correspondentes, quia duæ postremæ correspondent duabus primis. Informat autem discipulos ad cavendam dolositatem informatione celebri, et informatione credibili : celebri, inquam, propter multitudinem turbæ ; credibili, propter certitudinem causæ. Divisio.

Primo igitur, quantum ad multitudinem turbæ reddentis informationem celebrem, dicitur : *Multis autem turbis concurrentibus, ita ut se invicem conculcarent.* Et hoc quia unusquisque volebat ei appropinquare, sive propter salutem habendam, sicut supra[8] : « Omnis turba quærebat eum tangere, » etc. ; sive propter doctrinam suscipiendam, sicut infra[9] : « Erant appropinquantes ad Jesum publicani, » etc., sive propter ipsius Christi videndam benignitatem, sicut in figura dicitur[10] : « Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. » In tantæ (*b*) multitudinis præsentia celebris erat doctrina. Propter

quod subdit : *Cœpit dicere ad discipulos suos :* in aperto, quia veritas non quærit latebras, secundum illud *Joannis* [1] : « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, » etc. Et talem decebat esse doctrinam ad confutandam Pharisæorum malitiam, quæ semper quærit latebram; quia contraria contrariis curantur, et tenebra per lumen expellitur. Propter quod additur : *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, id est, cavete ne sitis hypocritæ, sicut Pharisæi : quorum vita et doctrina, propter malitiam et fallaciam, *fermentum* dicitur, quia corrumpit imperceptibiliter [2] : « Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. » Corrumpit etiam universaliter, sicut dicitur [3] : « Modicum fermentum totam massam corrumpit. » Ideo subditur [4] : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. » Hoc autem est vetus fermentum, quod consistit in fraudulentia doctrinæ, et malitia vitæ. Unde ibidem subditur [5] : « Neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. » Ab hoc fermento revocat in hoc loco; et de hoc in figura dicitur [6] : « Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis. » Quia hæc simulatio et hypocrisis debet elongari a cunctis operibus nostris, et maxime a devotione spirituali, in *Levitico* enim dicitur [7] : « Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet; » ab afflictione corporali, ut in *Deuteronomio* [8] : « Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem; » a prædicatione divini verbi [9] : « Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ. » Unde Scriptura docet hoc vitium esse vitandum, tanquam maxime corruptivum. Licet autem sit maxime corruptivum, non tamen est capitale peccatum, quia ejus corruptio aliunde causatur : nam hypocrisis originem trahit a vana gloria, et hæc a superbia. Et ideo merito comparatur hypocrisis fermento : nam, sicut fermentum inflat, et inflando vanum facit, et sic corrumpit; sic superbia inflando introducit vanitatem gloriæ, et hæc vanitas introducit falsitatem corrumpentem. Unde hoc fermentum cavetur per veritatem humiliationis voluntariæ, gloriationis internæ, signationis extrinsecæ, secundum illud [10] : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. »

Hypocrisis origo.

Secundo vero, quantum ad certitudinem causæ reddentis informationem credibilem, subdit (v. 2) : *Nihil enim opertum, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur :* ut per *opertum* intelligatur cognitio latens in intellectu; et per *absconditum*, delectatio latitans in affectu. Quorum utrumque manifestum est Deo, secundum illud *Jeremiæ* [11] : « Ego Dominus scrutans corda et probans renes, qui do, » etc. [12] « Scrutans corda et renes Deus. » Et ideo, quia ipsius erit omnia abscondita manifestare et revelare in judicio, secundum illud [13] : « Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera nostra, et cogitationes scrutabitur; » et *ad Corinthios* [14] : « Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » etc. Et sic vitanda sunt omnia mala, quantumcumque occulta, quia omnia fient manifesta in judicio, et, quod plus est ad majorem confusionem, fient ibi manifesta omnibus. Propter quod subdit (v. 3) : *Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur.* Hoc dicit quantum ad manifestationem respectu visus. Hujus exemplum in David habetur, cum dicit Dominus per Nathan ad David [15] : « Tu fecisti abscondite; ego autem faciam ver-

[1] *Joan.*, XVIII, 20. — [2] *Ose.*, VII, 4 — [3] I *Cor.*, V, 6. — [4] Ibid., 7. — [5] Ibid., 8. — [6] *Deut.*, XVI, 3. — [7] *Levit.*, II, 11. — [8] *Deut.*, XVI, 3. — [9] *Exod.*, XXIII, 18. — [10] II *Cor.*, I, 12. — [11] *Jerem.*, XVII, 17. — [12] *Psal.* VII, 10. — [13] *Sap.*, VI, 4. — [14] I *Cor.*, IV, 5. — [15] II *Reg.*, XII, 12.

bum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. » Lumen enim solis visui cætera manifestat. Quantum autem ad manifestationem respectu auditus, dicitur : *Et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis*, id est, audientibus cæteris. Hoc quidem in judicio fiet, quando scilicet, secundum illud [1] : « Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. » Et tunc manifestabuntur susurrationes detractionum, secundum illud [2] : « Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim, » etc. Ideo consilium datur in *Ecclesiaste* [3] : « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui non maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam. » Propter judicium ergo manifestans cuncta in futuro, vitanda est omnis hypocrisis in præsenti sæculo. [4] « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. » Sequitur : « Et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te. » Et nota quod est notabilissima causa, propter quam hypocrisis est vitanda, scilicet universalis manifestatio et plena interiorum, quæ maxime opponitur simulationi hypocritarum. Hæc autem manifestatio fiet per Christum, qui est [5] « splendor gloriæ paternæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ. » Et quia ipse est splendor intimus, ideo ipsius est omnia detegere. [6] « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes, » etc. Quia vero ipse est sermo vivus, ideo sibi omnia patent, et omnia patefacit ut verbum [7] : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, » etc., usque ibi : « Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. » Et ideo Christus judex, quia omnia deteget in judicio, dicitur [8] « venire sicut fulgur, » et [9] « descendere in voce Archangeli, » quia omnia omnibus clarissima reserabit.

4. *Dico autem vobis amicis*, etc. Postquam informavit ad cavendam dolositatem, hic secundo confortat ad repellendam timiditatem. Ad hoc autem inducit duplicem considerationem, scilicet gehennalis punitionis, in qua nullus hominum potest deficere; et generalis provisionis, quam nullus hominum potest effugere. Primum respicit divinam potentiam; secundum, divinam providentiam. Et primum incutit verum timorem; secundum, veram spem. Et utrumque horum est medicamentum contra timorem mundanum. Primo igitur revocat a timore hominum, qui nihil possunt contra gehennale supplicium, quod solum est timendum. Propter quod dicit : *Dico autem vobis amicis*, id est, qui me amatis et a me amamini, secundum illud *Joannis* [10] : « Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, » etc. Talibus dicit : *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.* Hic non timeatis corporalis mortis supplicium, quia corporale est et momentaneum. Unde *Isaias* [11] : « Quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum, ita exarescet? » Et item [12] : « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis, » etc. Unde, quia transitoria est eorum pœna, ideo non est timenda, nec eorum supplicia. Unde Seneca : « Mors, exilium, luctus, dolor, non sunt supplicium, sed tributa vivendi : quod debeo, paratus sum solvere, ubi me fœnerator appellat. » Et Chrysostomus : « Si gratis post modicum morituri sumus, quare non et ante modicum in causa Dei cum gloria morimur? Si mutuo acceperis bovem aut equum, operaris instanter, et dicis : « Forte cras tolletur a me. Quare hoc non facis in corpore? » Non sunt etiam timenda a spiritu quæ fiunt

[1] *Joan.*, v, 28. — [2] *Sap.*, I, 8. — [3] *Eccle.*, x, 20. — [4] *Eccli.*, I, 37, 39. — [5] *Hebr.*, I, 2. — [6] *Eccli.*, XXIII, 28. — [7] *Hebr.*, IV, 12-13. — [8] *Matth.*, XXIV, 27. — [9] I *Thess.*, IV, 15. — [10] *Joan.*, XVI, 27. — [11] *Isa.*, LI, 12. — [12] I *Mach.*, II, 62.

in carne, et ita quasi extra, ut in vestimento, juxta quod dicitur[1] : « Nolumus expoliari, sed supervestiri. » Ideo Chrysostomus : « Propter animam Deus fecit corpus, et multum hanc zelat et persequitur inimicus. Corpus vero vestimentum est animæ. Sicut ergo, si quis scindit vestem alterius, ille quidem injuriam sentit, damnum autem in persona non patitur; sic anima (*a*) occisionis sentit dolorem, damnum autem non patitur in natura. Propterea corporale supplicium non est timendum, nec etiam ille qui infert; sed spirituale est maxime formidandum, et solus ille qui illud infert. » Et propter hoc addit (v. 6) : *Ostendam autem vobis quem timeatis*, ut bono scilicet timore, malum declinetis, secundum illud *Jeremiæ*[2] : « Nolite timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. » Et post : « Quis non timebit te, o rex gentium? » etc. Cæterum, quamvis non timeamus mundanam potentiam, oportet nos timere divinam. Propter quod dicitur : *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Unde in *Psalmo*[3] : « Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. » Et quia hujusmodi timor maxime utilis est et necessarius, ideo iterat : *Ita dico vobis, hunc timete.* Unde *Isaias*[4] : « Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. » Et *Jeremias*[5] : « Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea, » etc.?

Secundo vero revocat a timore hominum, quia nihil possunt contra generalem Dei providentiam. Quantum ad hoc dicit (v. 6) : *Nonne quinque passeres veneunt dipondio?* Dipondius hic nomen est monetæ habentis duos obolos, sive asses. Unde Beda[6] : « Dipondius est pondus ex duobus assibus compositum. » Quod autem in numeris est unum, et hoc in ponderibus est as; quod duo, hoc dipondius. Huic concordat, nec discordat, quod dicitur in *Matthæo* (*b*)[7] : « Nonne duo passeres asse veneunt? » Quia, sicut videmus, cum quinque ova venduntur pro uno denario, duo dantur pro obolo. Parvi igitur pretii est passer, cum tot ibi veneant pro uno denario. Tamen nec ipse est alienus a divino patrocinio; propter quod additur : *Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo;* imo divina providentia gubernatur, secundum illud[8] : « Diligis omnia quæ sunt, et nihil eorum odisti quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti. » Ex quo apparet quod divina providentia usque ad minima se extendit, nec contradicit, juxta illud[9] : « Numquid de bobus cura est Deo? » Illud enim intelligitur de cura providentiæ specialis, qua manuducit per viam æternæ salutis; hoc autem intelligitur de providentia generalis administrationis et conservationis, de quo in *Psalmo*[10] : « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. » Et nota quod dicitur : *Non est in oblivione coram Deo.* Minus enim dicens, plus significat, quia nihil eis evenit nisi secundum divinam providentiam ordinantem. Unde in *Matthæo* (*c*)[11] : « Unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. » Et tamen passeres facillime cadunt : unde morbum caducum habere dicuntur. Et propterea potissime ponit de eis exemplum, tanquam de re manifesta. Ex quo colligitur tanquam a minori, quod maxime circa regimen hominis divina providentia sit intenta. Ad cujus expressionem addit (v. 7) : *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Ex quo datur intelligi, quod maxime est illi cura de homine. Unde Beda[12] : « *Sed et capilli*, ut de massa corporis taceam, nam et minutæ particulæ Dei providentia conservantur. » Unde numeratio non tam refertur ad cognitionem, quam ad diligentissimam conservationem, quia de corporibus sanctorum patientium

Dipondius.

Passe morb caduc habe dicun

[1] II *Cor.*, IV, 4. — [2] *Jerem.*, X, 5, 7. — [3] *Psal.* XXXII, 8. — [4] *Isa.*, VIII, 13. — [5] *Jerem.*, V, 22. — [6] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LI. — [7] *Matth.*, X, 29. — [8] *Sap.*, XI, 25. — [9] I *Cor.*, IX, 9. — [10] *Psal.* CXLVI, 9. — [11] *Matth.*, X, 29. — [12] Bed., ubi sup. — (*a*) *Cæt. edit.* ruina. — (*b*) dicit Matthæus. — (*c*) Unde Matthæus.

nec capillus perire potest. Unde infra [1] : Capillus de capite vestro non peribit. Tanta est igitur Deo cura de nobis, ut nec capillus capitis nostri sine ejus nutu possit auferri. Ideo non oportet nos sollicitari per timorem, secundum illud [2] : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » Et hoc est, quod infert : *Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos*, id est, majoris pretii. In quo simul tangitur conclusio, et ratio illationis, per locum a minori. Si enim cura et sollicitudo est Deo omnipotenti de minori, multo fortius de majori. Et si cura est Deo de nobis, non decet nos nimium sollicitos esse pro nobismetipsis. Majoris autem pretii sumus quam creaturæ brutales, quam volucres, quia rationales creaturæ sumus; et hoc, quia ad imaginem Dei facti. Propter quod cætera subjecta sunt homini [3] : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, » etc. Et ideo homo immediatissime est sub protectione Dei, et maxime homo justus et amicus Dei. Et propterea non oportet quod habeat auxilium alicujus caduci. Unde dicitur in *Genesi* [4] : « Noli timere, Abraham; ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis; » quasi diceret : Noli timere, quia nihil pati potes pro defectu auxilii, vel etiam pati potes sine retributione præmii, quamdiu adhæseris mihi.

8. *Dico autem vobis : Omnis*, etc. Postquam invitavit ad cavendam dolositatem, et repellendam timiditatem, hic invitat ad servandam veracitatem. Veracitas enim confessionis est contra dolositatem simulationis. Ad hoc autem inducit dupliciter : primo insinuando æquitatem divinæ sententiæ; secundo insinuando irremissibilitatem peccati blasphemiæ. Per primum monet ad veritatem confitendam; per secundum, ad falsitatem declinandam.

Primo ergo monet ad confitendam veritatem propter divinæ sententiæ æquitatem, cum dicitur : *Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus*, etc. *Me* demonstrat personam in duabus naturis, id est, qui confitetur me esse verum Deum et hominem, non tantum corde dicens, secundum illud [5] : « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto; » sed et ore exprimens, secundum quod dicitur [6] : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Nec tantum ore, sed etiam opere, contra hypocritas et malos christianos, de quibus *ad Titum* [7] : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Contra quos [8] : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, » etc. Ideo *Joannes* [9] : « Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » Qui sic confitetur, plene confitetur, scilicet corde, ore, opere. De tali subjungit : *Et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei*, scilicet quod ipse sit de suis, secundum illud [10] : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum, » etc. Unde verificabitur illud [11] : « Anima quæ benedicit, impinguabitur. » Ex quo apparet æquitas retributionis respectu confitentium; et ut nihil desit, ostenditur æquitas respectu negantium, cum subdit (v. 9) : *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*, quando scilicet Dominus dicet illud [12] : *Nescio vos*, etc. Unde supra [13] : « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, » etc. Et hoc exigit æquitas divinæ sententiæ, de qua dicitur [14] : « Qui me honorificaverit, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, » etc. Et nota quod qui veritatem confitetur, quam Christus docuit, Christum confitetur, sive in fide, sive in moribus; qui autem illam negat, per consequens negat et Christum. Qui dicit illam esse falsam, dicit Christum esse per consequens mendacem, ac per hoc

[1] Inf., XXI, 18. — [2] I *Petr.*, V, 7. — [3] *Gen.*, I, 26. — [4] *Gen.*, XV, 1. — [5] I *Cor.*, XII, 3. — [6] *Rom.*, X, 10. — [7] *Tit.*, I, 16. — [8] *Matth.*, VII, 21. — [9] I *Joan.*, III, 18. — [10] *Matth.*, XXV, 34. — [11] *Prov.*, XI, 25. — [12] *Matth.*, XXV, 12. — [13] Sup., IX, 26. — [14] I *Reg.*, II, 30.

Deum non esse verum, sed seductorem. Et nota quod confessio nominis Christi magnam recompensationem habet, quia confessio, qua Christus confitebitur confitentem se, erit approbativa, honorificativa, et salvativa. Nam Christus est rex, judex et pontifex. Confessio etiam ejus est publica, præclara, et perpetua; nostra vero modica et momentanea. Et similiter per contrarium intelligitur de negatione sua : quod manifeste apparet in disceptatione judiciali[1] : « Venite, benedicti, » etc.; et : « Ite, maledicti, » etc. Hæc igitur est nobilissima propositio, quæ mentes nostras erigit ad veracitatem. Ratio autem hujus hæc est : quia veritas est verax, ideo non potest negare se, nec confitentem se; nec confiteri mendacem, nec contra se. Unde[2] : « Si negaverimus, et ille negabit nos : si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. »

Secundo vero monet ad declinandam falsitatem propter irremissibilitatem blasphemiæ, quæ, licet remissibilis sit, cum fit per ignorantiam, irremissibilis tamen est, cum fit ex certa malitia. Propter quod dicit (v. 10) : *Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi.* In Filium hominis verbum dicit, qui aliquid falsum imponit per ignorantiam deceptus. Et talis ignorantia remissionem potest consequi. Unde *remittetur* non dicit actum, quia non omnes pœnitent; sed aptitudinem, quia ignorantia excusat. Peccatum autem ex ignorantia dicitur esse in Filium; et hoc modo blasphemavit Paulus, ideo fuit misericordiam consecutus. Unde dicit[3] : « Qui blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. » Non sic autem est, cum quis blasphemat ex certa malitia; propter quod subditur : *Ei autem, qui in Spiritum blasphemaverit, non remittetur.* In Spiritum sanctum blasphemat, qui ex certa malitia veritatem impugnat, et de Deo indigna dicit. Et de tali dicitur quod non remittetur, non quia nunquam talis consequatur remissionem, sed quia ineptus est ad remissionem, eo quod peccatum illud nullum habeat excusationis colorem. Unde Richardus : « Quidam blasphemat ex coactione, et hic peccat in Patrem; alius ex deceptione, et hic in Filium; alius ex sola malignitate, et hic in Spiritum sanctum. » Est autem in hoc genere sceleratissimum, in quo malitia crevit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur. Quid ergo aliud videtur spiritus blasphemiæ, quam desiderium vituperationis divinæ? Ex hoc ergo, quod hoc malum nihil habet in se excusationis, nihil meretur recipere remissionis. Ineptus etiam est ad remissionem, quia impugnat divinam gratiam, per quam præparatur quis ad pœnitentiam. Unde talis aptus est ad impœnitentiam : in qua si perduret, nunquam remittetur culpa. Unde Beda[4] : « Qui gratiam Spiritus sancti, qua pœnitentia inspiratur et ad conversionem redditur, non cognoscens, impœnitenti corde perseveraverit, cum jam hoc non sit humanum, sed diabolicum, irremissibile erit. » Et de tali blasphemia, quæ adjunctam habet finalem impœnitentiam, verum est quod nunquam remittetur. Unde *Matthæus*[5], quod « non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Ineptus est tertio, quia licet per approbationem approprietur Spiritui sancto, talis maxime inhonorat totam Trinitatem. Qui enim scienter et prudenter veritatem salutarem impugnat, et ex certa malitia, maximus est contemptor divinæ virtutis, maximus calumniator divinæ veritatis, maximus persecutor summæ bonitatis, secundum illud *Job*[6] : « Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. » Unde quia talis contemptus, calumnia et persecutio, non potest esse sine cordis obduratione, et hanc concomitatur impœnitentia, et hanc peccati irremissibilitas; ideo blasphe-

Peccatum ignorantiæ, est peccatum in Filium Dei.

Peccatum malitiæ est peccatum in Spiritum sanctum

[1] *Matth.*, XXV, 34, 41. — [2] II *Tim.*, II, 12. — [3] I *Tim.*, I, 13. — [4] Bed., ubi sup. — [5] *Matth.*, XII, 32. — [6] *Job*, XV, 26.

mia in Spiritum sanctum non remittetur.

11. *Cum autem inducent vos*, etc. Hic jam quarto hortatur ad habendam securitatem contra pusillanimitatem. Hoc autem facit duplici via, scilicet auferendo sollicitudinem de periculo, et conferendo certitudinem de præsidio. Primo igitur aufert sollicitudinem de periculo, cum dicit: *Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates* : in quo innuit discipulos tribulationem passuros a Judæis et gentibus. Unde dicitur hoc expressius[1] : « Tradent enim vos in conciliis et in synagogis, » etc. Unde, in *Psalmo*[2] : « Assisterunt reges terræ, » etc. Et nota quod tria genera personarum enumerat, coram quibus formidat homo loqui, scilicet coram multis, coram peritis, et coram magnis. Coram multis, cum dicit : *In synagogis*. E contrario dicitur[3] : « Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me. » Coram peritis, unde addit : *Ad magistratus* : unde in *Actibus*[4] : « Adduxerunt apostolos ad magistratus, » etc. Coram magnis, cum subdit : *Et potestates*[5] : « Vis non timere potestatem? Bonum fac. » Primi non sunt timendi, quia[6] : « Plures nobiscum, » etc. Secundi non, quia prudentior nobiscum, quia dicitur[7] : « Non poterant resistere sapientiæ et spiritui, » etc. Similiter nec tertii[8] : « Vicistis eos, quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in mundo. » Et quoniam periculum est loqui in conspectu multitudinis observantis, et periculum inducit timorem, et timor sollicitudinem, et sollicitudo inquietudinem, et inquietudo turbationem, et turbatio est occasio impatientiæ ac ruinæ ; ideo revocat a superflua sollicitudine, cum subdit : *Nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis*, scilicet interrogantibus malitiose, *aut quid dicatis*, scilicet volentibus addiscere. In quo verbo non tollit sollicitudinem studiositatis, sed curiositatis, de qua[9] : « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum : » quia, sicut dicitur[10] : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, » etc. Et illud maxime faciendum est in articulo necessitatis, ubi non est quærendus ornatus verborum, nec profunditas sententiarum, sed mera et simplex fidei veritas cum multa constantia et fervore prolata. Juxta quod dicitur[11] : « Sermo meus, etc., non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, » etc. Non autem intendit retrahere a studio veritatis, cum dicat[12] : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; » sed intendit persuadere ut homo in periculo mortis non confidat de inventionibus, quia homo deficit in inveniendo, fallitur in judicando, et ideo deviat frequenter innitens ingenio suo. Propter quod in *Proverbiis*[13] : « Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. »

Secundo confert certitudinem de præsidio, cum subdit (v. 2) : *Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere*. Hic autem Spiritus sanctus est optimus doctor, quia docet hominem intelligere, et ornate exprimere. Propter primum dicitur[14] : « Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam ; » et[15] : « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » : quia, sicut dicitur[16] : « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. » Propter secundum dicitur[17] : « Sapientia aperuit os mutorum, » etc. Et[18] : « Vos non estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, » etc. Ideo dicebat Apostolus[19] : « An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? » De his autem duobus infra[20] : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere et resistere omnes adver-

[1] *Matth.*, x, 17. — [2] *Psal.* II, 2. — [3] *Job*, XXXI, 34. — [4] *Act.*, VI, 12, quoad sensum. — [5] *Rom.*, XIII, 3. — [6] IV *Reg.*, VI, 16. — [7] *Act.*, V, 10. — [8] I *Joan.*, IV, 4. — [9] *Philip.*, IV, 6. — [10] *Jac.*, I, 5. — [11] I *Cor.*, II, 4. — [12] *Joan.*, V, 39. — [13] *Prov.*, III, 5. — [14] *Job*, XXXII, 8. — [15] *Joan.*, XVI, 13. — [16] I *Cor.*, II, 10. — [17] *Sap.*, X, 21. — [18] *Matth.*, X, 20. — [19] II *Cor.*, XIII, 3. — [20] Inf., XXI, 15.

sarii vestri. » Et *Joannes* [1] : « Unctio ejus docet vos de omnibus. » Unde Bernardus : « Bona est lectio; sed melior unctio, quæ docet de omnibus. » Nam unctio docet dilectionem Dei et proximi, et « in hoc universa lex pendet et prophetæ, » secundum quod dicitur (*a*) [2]; tota etiam sapientia philosophiæ, sicut dicit Augustinus, hoc est, physica, ethica et civilis. Spiritus etiam sanctus, faciendo animam adhærere Deo, facit eum animæ familiarem, et per hoc facit revelari secreta [3] : « Vos autem dixi amicos, » etc. Fervor etiam spiritus elevat animam supra se, ubi audit et videt arcana, sicut Paulus [4], et sicut Ezechiel (*b*) [5] : « Assumpsit me spiritus, » etc.; sicut *Joannes* [6] : « Fui in spiritu, » etc.

13. *Ait autem ei quidam*, etc. Postquam dissuasit dolositatem venientem ex humana timiditate, et ipsam timiditatem, in hac parte dissuasit cupiditatem, et habet hæc pars duas partes; in quarum prima revocat a sollicitudine avaritiæ; in secunda vero invitat ad sollicitudinem providentiæ, infra, eodem [7] : *Sint lumbi vestri præcincti*, etc. A sollicitudine autem avaritiæ revocat quadrupliciter : primo scilicet documento rationali; secundo, exemplo terribili, ibi [8] : *Dixit autem ad illos similitudinem*, etc.; tertio, argumento irrefragabili [9] : *Dixit ad discipulos suos*, etc.; quarto, promisso desiderabili, ibi [10] : *Et vos nolite quærere quid manducetis*, etc. Circa documentum rationale, per quod revocat a sollicitudine avaritiæ, tria introducuntur : primum est confutatio petitionis avari; secundum est dissuasio avaritiæ; tertium est assignatio causæ.

Primo igitur, quantum ad confutationem petitionis avari : *Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Vere iste de turba erat, quia de terra sollicitus erat, secundum illud *Isaiæ* [11] : « De humo eloquium tuum mussitabit, » etc. Contra se etiam loquebatur, dum Magistrum eum vocabat, quia Christus non fatebatur se magistrum in docendo temporalia acquiri et dividi, sed potius derelinqui. Unde adolescenti quærenti et dicenti [12] : « Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? » respondit : « Si vis perfectus esse, vade et vende, » etc. Unde Christus non docebat, quo modo augeretur pecunia, sed quo modo servaretur inopia. Contra se etiam loquitur, dum vult dividi a fratre, cui debet conjungi. Veniebat autem hæc quæstio ex privato amore, qui dividit conjuncta : quod maxime facit diabolus, non Dominus. *Oseas* [13] : « Ipse inter fratres dividet. » Et quoniam, sicut dicit Beda [14] in Glossa. Christus non est Deus dissensionis, sed pacis ac unitatis, ideo confutat petitionem prædictam, cum subdit (v. 14): *At ille dixit ei*, scilicet Jesus : *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos*? judicem scilicet litium, et divisorem facultatum. Glossa : « Designatur esse judex litium, aut arbiter facultatum, qui vivorum et mortuorum habet judicium, et meritorum arbitrium. Verum est utique, sicut dicitur in *Psalmo* [15], quod ipse constitutus est « rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : » et quod [16] « in ditione ejus cuncta sunt posita. » Sed quia Deus miserat eum ad spiritualia communicanda, ideo descendere recusabat ad temporalia dividenda, insinuans in hoc illud [17] : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. » Et nota quod Christus vocat eum hominem animalem et brutalem, propter amorem in terrenis, et litem divisionis. Unde [18] : « Cum sit inter vos zelus et contentio, » etc. Et in Psalmista [19] : « Filii hominum, usquequo gravi corde? » etc. Unde in hoc confutatio insinuatur petitionis avaræ.

Secundo, quantum ad dissuasionem ava-

[1] I *Joan.*, II, 27. — [2] *Matth.*, XXII, 40. — [3] *Joan.*, XV, 15. — [4] II *Cor.*, XII, 4. — [5] *Ezech.*, III, 12. — [6] *Apoc.*, I, 9. — [7] Inf., 35. — [8] Inf., 16. — [9] Inf., 22. — [10] Inf., 29. — [11] *Isa.*, XXIX, 4. — [12] *Matth.*, XIX, 16, 21. — [13] *Ose.*, XIII, 15. — [14] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LIII. — [15] *Psal.* II, 6. — [16] *Esth.*, XIII, 9. — [17] II *Tim.*, II, 4. — [18] I *Cor.*, III, 3. — [19] *Psal.* IV, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit Matthæus. — (*b*) Ezechias *mendose.*

ritiæ, subdit (v. 15): *Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia. Videte*, scilicet ut providi, et *cavete*, ut cauti [1]: « Videte, fratres, quo modo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, » etc. Providentia namque facit cavere pericula, in quæ incidit quis per avaritiam [2]: « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim malorum est cupiditas, » etc. Unde ipsa excæcat hominem : quod significatum fuit in excæcatione Tobiæ per stercora hirundinum. Et ideo dicit: *Videte*, scilicet æterna; *et cavete ab avaritia*, quæ quærit temporalia [3]: « Non contemplantibus vobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. » Et quoniam appetitus cujuslibet boni transitorii, scilicet pecuniæ, et potentiæ, et honoris, avaritia potest dici ; ideo dicit : *Cavete ab omni avaritia.* [4] « Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Et sequitur : « Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere. »

Tertio, quantum ad assignationem rationis et causæ, subdit : *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet*, id est, nullus propter abundantiam divitiarum vivere potest diutius [5]: « Relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in æternum. » Et *Job* [6]: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet. » Et Psalmista [7] : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Unde abundantia vitam non prolongat, sed frequenter abbreviat [8]: « Multos perdidit aurum et argentum. » Et in *Actibus* [9]: « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » Et propterea ipsa perdenda est, ne perdat possessorem. Et in *Ecclesiastico* [10] : « Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. »

16. *Dixit autem similitudinem ad illos dicens*, etc. Hic secundo revocat a sollicitudine avaritiæ per exemplum terribile. Circa quod tria introducuntur, scilicet vanæ securitatis occasio, vanæ securitatis conceptio, et vanæ securitatis subtractio.

Primo igitur, quantum ad vanæ securitatis occasionem venientem ex fructuum ubertate, dicit : *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit.* Hæc enim consueverunt esse bona divitum ex ubertate fructuum temporalium [11] : « Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtosæ, » etc. Unde *Job* [12] : « Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ? etc. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, non est virga Dei super illos. » Et quia divitiæ sic faciunt securum, ut reddant sollicitum, ideo subdit (v. 17) : *Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* [13] « Reperi et aliam vanitatem sub sole. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis. » Imo certe sollicitantur [14] : « Saturitas divitis son sinit eum dormire. » Et hujus ratio est, quia cogitur multa cogitare. Et ideo subditur (v. 18) : *Et dixit : Hoc faciam. Destruam horrea mea, et majora faciam : et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea.* Glossa : « Ecce magna sollicitatio ex avaritia, quia sollicitudo destruendi facta, et ædificandi nova : licet enim essent horrea plena, cupiditas adhuc vacua quærebat nova receptacula. [15] « Avarus non implebitur pecunia, » etc. Et in *Ecclesiastico* [16] : « Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam. » Impletum erat horreum; sed

[1] *Ephes.*, v, 25. — [2] I *Tim.*, vi, 9, 10. — [3] II *Cor.*, iv, 18. — [4] *Isa.*, xxxiii, 14, 15. — [5] *Psal.* xlviii, 12. — [6] *Job*, xxvii, 19. — [7] *Psal.* lxxv, 6. — [8] *Eccli.*, viii, 3. — [9] *Act.*, viii, 20. — [10] *Eccli.*, xxix, 13. — [11] *Psal.* cxliii, 13, 14. — [12] *Job*, xxi, 7, 9. — [13] *Eccle.*, iv, 8. — [14] *Eccle.*, v, 11. — [15] *Eccle.*, v, 9. — [16] *Eccli.*, xiv, 9.

cor erat vacuum : tum quia animam Trinitatis capacem solus Deus potest implere; tum quia hæc temporalia nan intrant cor, nisi secundum phantasticam similitudinem; tum quia concupiscentiam augent; tum quia animam non faciunt meliorem; tum etiam quia sunt omnino alterius naturæ: sicut angelus et corporalis locus, sic anima et corporalis thesaurus: tum etiam, quia anima, cum sit quanta non mole, sed virtute, non impletur quantitate materiali, sed spirituali, sicut est gratia Spiritus sancti.

Secundo vero, quantum ad vanæ securitatis conceptionem per stolidam promissionem, subditur (v. 19) : *Et dicam animæ meæ,* id est animalitati [1] : « Qui amat animam suam, perdet eam : » *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* [2] « Dicis : Dives sum, et locupletatus, et nullius egeo. » Et *Zacharias* [3] : « Benedictus Dominus, divites facti sumus. » Et quia abundantia cum securitate parit malum lasciviæ, ideo subdit : *Requiesce :* ecce negligentia [4] : « Stultus complicat manus suas, » etc., dicens : « Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. » *Comede :* ecce gula [5] : « Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus. » *Bibe*, quantum ad crapulam. Contra quod dicitur in *Proverbiis* [6] : « Noli esse in conviviis potatorum, » etc. Sequitur : « Qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur. » *Et epulare :* ecce lascivia [7] : « Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. » Hæc enim consueverunt esse vitia divitum [8] : « Væ qui opulenti estis in Sion. » Et post : « Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege. » Subjungitur : « Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, » etc. Istius autem lasciviæ causa est securitas vana, quam anima stulte concipit, promittendo sibi longam vitam temporalem per præsumptionem, secundum illud *Isaiæ* [9] : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum : flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos ; » vel contemnendo per desperationem [10] : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. »

Tertio, quantum ad vanæ securitatis subtractionem per divinæ sententiæ æquitatem, subditur (v. 20) : *Dixit autem illi Deus.* Glossa [11] : « Dicere Dei ad hominem est pravas ejus machinationes subita animadversione compescere. » Propter quod addit sententiam : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te.* [12] « Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. » Stultum eum vocat pro sapientia terrena, quia [13] « stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. » Stultus est qui non prævidet futura pericula [14] : « Sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat, » quia de futuris incertus, securus dormit. Contra quod dicitur in *Proverbiis* [15] : « Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. » Et *Jacobus* [16] : « Quæ est vita nostra ? Vapor est ad modicum parens. » Et quia, vita perdita, perduntur hæc temporalia, ideo subditur : *Quæ autem parasti, cujus erunt?* Ambrosius : « Non sunt hominis bona, quæ secum auferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. » Unde [17] : « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. » Et *Job* [18] : « Cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit; cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. » Et quia hæc sententia communis est omnibus avaris, ideo subditur (v. 21) : *Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.* Thesaurizat sibi, qui thesauros sibi in terra multiplicat [19] : « Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. » In Deum autem dives est,

[1] *Joan.*, XII, 25. — [2] *Apoc.*, III, 17. — [3] *Zach.*, XI, 5. — [4] *Eccle.*, IV, 5, 6. — [5] *Eccli.*, XI, 19. — [6] *Prov.*, XXIII, 20, 21. — [7] *Jac.*, V, 5. — [8] *Amos*, VI, 1, 4, 6. — [9] *Isa.*, XXVIII, 15. — [10] *Isa.*, XXII, 13. — [11] Bed., *in Luc.*, ubi sup. — [12] I *Thess.*, V, 3. — [13] I *Cor.*, I, 20. — [14] *Eccle.*, II, 14. — [15] *Prov.*, XXVII, 1. — [16] *Jac.*, IV, 15. — [17] I *Tim.*, VI, 7. — [18] *Job*, XX, 22. — [19] *Psal.* XXXVIII, 7.

qui abundat in meritis et operibus pietatis [1] : « In omnibus divites facti estis in illo. » Sequitur : « Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. » Ideo dicitur [2] : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur. » Sequitur : « Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. » Facit autem nos divites esse in Deum spes, quam in ipsum habemus, secundum illud [3] : « Regeneravit nos in spem vivam. » Sequitur : « In hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in cœlis. » Hæc autem spes radicatur in paupertate. Unde [4] : « Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Talis erat Paulus [5] : « Habeo omnia, et abundo. » Tales nos fecit Christus; unde ad *Corinthios* [6] : « Egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » Et ideo talibus dicit [7] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

22. *Dixitque ad discipulos suos*, etc. Hic jam tertio revocat a sollicitudine avaritiæ per argumentum irrefragabile, quod sumptum est a triplici genere creaturæ : primo, a creatura rationali; secundo, a sensibili, ibi (v. 24) : *Considerate corvos*, etc.; tertio, a vegetabili, ibi (v. 27) : *Considerate lilia quomodo crescunt*, etc.

Primo igitur a creatura rationali sumit tale argumentum : Qui dat quod majus est, dabit quod minus est : sed anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum : ergo qui dedit animam et corpus, dabit victum et vestitum : non oportet ergo de his sollicitum esse. In qua ratione, primo ponit conclusionem; deinde adjungit probationem. Præmittit ergo primo principalem conclusionem, cum dicit : *Ideo dico vobis : Nolite solliciti essæ anime vestræ quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini*, id est, nolite sollicitari de victu et vestitu, quæ sunt maxime necessaria vitæ, multo minus nec de aliis quæ spectant ad vitam præsentem [8] : « Nihil solliciti sitis; sed in oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. » Et nota quod non prohibet sollicitudinem, quæ provenit ex providentia animi, sed illam quæ venit ex diffidentia Dei, quasi Deus non habeat curam de nobis. Contra quod dicitur [9] : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » Et in *Psalmo* [10] : « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. » Et Ambrosius : « Indecorum est homini curare de cibo, vel veste, qui militat regi : novit enim rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, et vestiat. » Deinde addit probationem, cum dicit (v. 23) : *Anima plus est quam esca : et corpus plus quam vestimentum.* Ex quo sequitur : Si dedit quod majus est, supplebit etiam quod minus est. Ambrosius : « Absurdum est ut victus copiam nobis defuturam putemus, qui vivendi jugem substantiam a Deo consequimur. » Anima enim et corpus sunt partes hominis constitutivæ, propter quem factæ sunt cæteræ creaturæ, secundum illud [11] : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, » etc. Unde Chrysostomus [12] : « Omnia fecit Deus propter hominem; hominem autem propter se : omnia fecit Deus in sapientia; hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam. » Unde *Sapiens* [13] : « Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. » Et Augustinus, *de Agone Christiano* : « Rationales animas per seipsum Deus curat et angelos, cætera vero per ipsos gubernat. » Et nota quod recte comparat animam, et præfert escæ, et corpus vestimento, quia anima vigorem dat

[1] I *Cor.*, I, 5, 7. — [2] *Matth.*, VI, 19, 20. — [3] I *Petr.*, I, 3, 4. — [4] II *Cor.*, VI, 10. — [5] *Philip.*, IV, 18. — [6] II *Cor.*, VIII, 9. — [7] *Matth.*, V, 3. — [8] *Philip.*, IV, 6. — [9] I *Petr.*, V, 7. — [10] *Psal.* LIV, 23. — [11] *Gen.*, I, 26. — [12] Chrysost., *in Gen.*, c. I, hom. VIII. — [13] *Sap.*, VI, 8.

corpori illud vegetando, et corpus est quasi indumentum animæ, quod extra apparet. Si ergo Deus providet corporalem vigorem animæ vegetantis, multo fortius alimoniæ sufficientiam. Rursus, si animæ providet indumentum corporis, multo fortius tegumentum vestis exterioris.

24. *Considerate corvos, quia non seminant,* etc. Hic sumit argumentum a creatura sensibili. Et primo ponit exemplum, deinde elicit argumentum.

Proponit igitur exemplum considerandum, cum dicit : *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt :* ecce principio non habent corvi ullum laboris exercitium. *Quibus non est cellarium neque horreum* : ecce non habent repositorium. *Et Deus pascit illos :* ecce non patiuntur defectum. [1] « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. » Et nota quod magis exemplum proponit de corvis, quam de aliis avibus : tum quod maximæ sunt edacitatis, unde dicitur [2] quod Noe « dimisit corvum, qui egrediebatur et non revertebatur, » et ratio hujus est, quia insederat super cadaver; tum etiam quod hæc fertur esse natura corvi, quod pullos suos in principio non pascit, quia non putat suos esse, donec videat eos factos nigros. [3] « Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagientes, eo quod non habeant cibos? » Unde per corvos merito alia volatilia intelligi possunt [4] : « Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, » etc.

Deinde elicit argumentum, cum addit : *Quanto magis vos pluris estis illis*? Glossa : « Propter rationem et immortalitatem, quæ vobis promittitur, plus valetis. » [5] « Numquid de bobus cura est Deo? » Subjungitur : « Nam propter nos scripta sunt. » Sed quia posset aliquis contra argumentari, quod nobis competit magis sollicitudo, quam corvis, propter excellentiam rationis, ostendit quod hoc nihil est. Si enim (*a*) augmentum corporis non fit per humanam cogitationem, sed per divinam dispositionem, pari ratione et alimentum. Propter quod dicit (v. 25) : *Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* quasi dicat : Nullus : quia hoc non est hominis cogitantis, sed opus Dei providentis. Unde dicitur [6] : « Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi. » Et [7] : « Deus dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus. » Unde et Philosophus dicit quod omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti. Si ergo hæc minima non sunt in humana, sed in divina providentia constituta, multo minus alia. Ideo addit (v. 26) : *Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?* quasi dicat : frustra et stulte. Beda [8] : « Illi tegendum corpus relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit pervenire. » Verumtamen ista ratio non videtur valere, quia, licet non oporteat sollicitari de augmento, possumus tamen et debemus de nutrimento. Licet enim vis augmentativa non sit subjecta voluntati et rationi, nihil tamen impedit de nutritiva, quin sit ei opus regimine et providentia. Verumtamen ad hoc est responsio, quod ratio est bona : quia si illa quæ sunt commissa providentiæ naturæ, non oportet hominem regere et curare, pari ratione nec illa quæ commissa sunt providentiæ supernæ. Rursus, sicut non potest corpus augere, sic nec terminum vitæ, quem præfixit Dominus, protelare. Postremo, si non oportet sollicitari de ipsius corporis mensura, sed est homo contentus ea, quam Dominus dedit, quare non similiter de alimonia extrinseca?

27. *Considerate lilia quomodo crescunt,* etc. Hic jam tertio sumit argumentum de

[1] *Psal.* CXLVI, 9. — [2] *Gen.*, VIII, 6. — [3] *Job*, XXXVIII, 41. — [4] *Matth.*, VI, 26. — [5] I *Cor.*, IX, 9, 10. — [6] II *Mach.*, VII, 22. — [7] I *Cor.*, XV, 38. — [8] Bed., ubi sup., paucis mutatis.

(*a*) *Cæt. edit.* autem.

vegetabili. Et primo præmittit similitudinem sensibilem, deinde subdit adaptationem.

Præmittit ergo similitudinem, cum dicit: *Considerate lilia quo modo crescunt : non laborant, neque nent.* Ambrosius[1] : « Aperta comparatio. Lilia non, sicut ceteri fructus, aliquem agricolarum cultum requirunt. » Unde ipsa crescunt non humano studio, sed divino imperio, quod datum fuit ab ipso mundi exordio[2] : « Germinet terra herbam virentem, » etc. Et quia opus summi Artificis est excellentius omni opere humanæ artis, ideo addit : *Dico autem vobis : neque Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.* Et tamen Salomon circa ornatum vestium fuit curiosissimus, simul habens voluntatem, industriam et facultatem ad ornandum se. Unde de ipso dicitur[3] : « Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, » etc.; sequitur : « Ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra (*a*) spiritum. » Et hæc omnia ordinaverat secundum humanam industriam ingeniosissime; sed tamen operibus et industriæ naturæ, quæ est opus Dei, æquare non poterat. Unde Beda[4] : « Quæ purpura regum, quæ pictura textricum potest floribus comparari. »

Deinde, post similitudinem subdit adaptationem, et infert conclusionem (v. 28) : *Si autem fœnum quod hodie est in agro et cras in clibanum mittitur*, id est, cito marcescit[5] : « Fiant sicut fœnum tectorum, quod, priusquam evellatur, exaruit ; » et *Jacobus*[6] : « Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit : » *Deus sic vestit*, pulchro scilicet ornatu et decoro : Beda : « Ipse color dicitur vestimentum floris : » *Quanto magis vos, pusillæ fidei ?* id est, quanto magis vos vestiet, etiam si modicum habueritis de fide, quia tam ratione naturæ, quam ratione fidei præcellitis. Unde Petro, de Dei potentiam in temtestate dubitanti, dicitur[7] : « Modicæ fidei, quare dubitasti ? » Modicam fidem habet de regimine paternæ providentiæ, qui timet quotidie mori fame[8] : « Non crediderunt in Deum, nec speraverunt in salutari ejus. » Et sequitur : « Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, » etc. Si quis igitur veræ fidei, credens omnia gubernari superna providentia, cum providentia Dei majorem curam gerat et gerere debeat de præcellentioribus et dignioribus, et durabilioribus, et rationalibus, quam de irrationalibus, aut de vegetabilibus : et de his gerit talem providentiam, quod nil eis deest : multo magis ergo (*b*) curam gerit de iis quæ spectant ad regimen hominis, tanquam pretiosioris, immortalis, et inter cæteras creaturas dignioris, quia rationalis est ad imaginem Dei factus. Est ergo ratio ista irrefragabilis, quia, si quis contrarium hujus dicat, tollit regimen divinæ providentiæ, et ordinem universi; et ideo non est tantum modicæ fidei, verum etiam examinationis perversæ.

29. *Et vos nolite quærere quid manducetis*, etc. Hic quarto revocat a sollicitudine avaritiæ per promissum desiderabile. Circa quod tria introducuntur : dissuadet enim sollicitudinem avaritiæ et cupiditatis, promittendo sufficientiam viatici, superexcellentiam præmii, et superabundantiam thesauri.

Primo igitur dissuadet sollicitudinem avaritiæ et cupiditatis, promittendo sufficientiam viatici, cum dicit : *Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis*, videlicet ut cupidi et curiosi quærunt, ut abundent et superbiant : ideo addit : *Et nolite in sublime tolli*, pro acquisitione terrenorum.[9] « Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum. » Nam sic terrena quærere, non est hominum cœlestium, sed terrenorum.

[1] Ambr., *in Luc.*, lib. VII, n. 127. — [2] *Gen.*, I, 11. — [3] III *Reg.*, X, 5. — [4] Bed., ubi sup. — [5] *Psal.* CXXVIII, 6. — [6] *Jac.*, I, 11. — [7] *Matth.*, XIV, 31. — [8] *Psal.* LXXVII, 22, 24. — [9] I *Tim.*, VI, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* citra. — (*b*) *Suppl.* credere debet quod.

Ideo addit (v. 30) : *Hæc autem omnia gentes mundi quærunt*, quia mundanam habent sapientiam. [1] « Filii Agar, qui exquirunt (*a*) prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ (*b*) et Themam. » Viri autem cœlestes non debent iis esse intenti, quia sunt de familia summi Patris. Unde addit : *Pater autem vester scit quoniam his indigetis.* Et non est dubium quin possit providere [2] : « Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. » Non est dubium etiam quin velit; *Isaias* [3] : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? » etc. Et ideo volentes tendere ad patriam, non derelinquentur in via ob defectum cibi; propter quod addit (v. 31) : *Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus*, tanquam principale intentum ; *et hæc omnia adjicientur vobis*, tanquam viaticum, quia qui paratus est dare regnum, absque dubio non denegabit cibum. Qui dare paratus est æterna, non denegabit temporalia. Unde Augustinus [4] : « Ostendit Dominus temporalia non esse petenda, tanquam bona nostra, etsi necessaria. Regnum autem Dei petendum est, et in illo finis ponendus est, propter quem omnia faciamus. » Ideo sollicitudo nostra non debet esse pro acquirendo cibo, sed pro acquirendo regno æterno. [5] « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Chrysostomus [6] : « Regnum Dei, retributio ; justitia est via, per quam venimus ad regnum Dei. » Ideo in *Matthæo* (*c*) [7] : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, » etc. Et nota quod hæc promissio est satis recta, quia qui quærit regnum et justitiam ejus, est Dei servus, Dei amicus, et Dei filius [8] : « Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » Quod autem Deus desit servo suo amico et filio, ut ei non provideat quæ sunt necessaria, valde perversum est sentire. Nam talis habet Deum, et talis habetur a Deo, et ideo habet per consequens quæ habet Deus. Unde Apostolus [9] : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. »

Secundo dissuadet sollicitudinem avaritiæ, promittendo superexcellentiam præmii, cum subdit (v. 32) : *Nolite timere, pusillus grex. Pusillus grex* dicitur respectu multitudinis reproborum hominum [10] : « Multi sunt vocati, pauci vero electi ; » vel *pusillus* ratione modicitatis propriæ [11] : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, » etc.; vel *pusillus* ratione humilitatis voluntariæ [12] : « Vos autem greges mei, etc., homines estis, et ego Dominus Deus vester. » Est enim Deus humilium [13] : « Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Et talibus promittit Deus regnum [14] : « Sinite parvulos, » etc. ; subjungitur : « Talium enim est regnum cœlorum. » Ideo subdit : *Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* [15] « Humilem spiritu suscipiet gloria. » Et *Job* [16] : « Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. » Hæc autem superexcellentia regni promissi inducit spem, et inducendo spem inducit securitatem, et per hoc aufert pusillanimitatem timoris, et ardorem cupiditatis [17] : « Sicut egentes, multos autem locupletantes ; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. » Solum enim illud regnum est vera cordis possessio, quæ cor implet, et auferri non potest, quia intus est [18] : « Ecce regnum Dei intra vos. » Et nota quod Patri complacuit pusillis, id est, pauperibus spiritu dare regnum gloriæ. Unde *Matthæus* [19] : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum ; » quia tales desiderant æterna [20] : « Desiderium suum justis dabi-

Dei sill lun

[1] *Baruc.*, III, 23. — [2] *Rom.*, X, 12. — [3] *Isa.*, XLIX, 15. — [4] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. II, c. XVI, n. 53, quoad sensum.— [5] *Rom.*, XIV, 17.— [6] Imo auctor Op. imp. *in Matth.*, hom. XVI. — [7] *Matth.*, VI, 33. — [8] *Rom.*, VIII, 14.— [9] I *Cor.*, III, 22, 23.— [10] *Matth.*, XX, 16. — [11] I *Cor.*, I, 26. — [12] *Ezech.*, XXXIV, 17, 31. — [13] *Eccli.*, III, 21. — [14] *Matth.*, XIX, 14. — [15] *Prov.*, XXIX, 23. — [16] *Job*, XXII, 29. — [17] II *Cor.*, VI, 10. — [18] Inf., XVII, 21. — [19] *Matth.*, V, 3. — [20] *Prov.*, X, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* exquisierunt. — (*b*) terræ. — (*c*) Matthæus.

tur. » Et in *Psalmo* [1] : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; » quoniam contemnunt temporalia [2] : « Qui reliquerit patrem , aut matrem , centuplum accipiet, » etc.; amplectuntur spiritualia [3] : « Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. » Item complacuit Deo dare eis veniam [4] : « Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio, » scilicet ad dandam veniam. [5] « Misereor cui voluero, » etc. Placuit dare gratiam [6] : « Ecce servus meus, suscipiam eum ; electus meus , » etc. Placuit dare sapientiam [7] : « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Placuit dare gloriam æternam, sicut hic : *Nolite timere, pusillus grex*, etc.[8] « Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. »

Tertio dissuadet (*a*) sollicitudinem avaritiæ promittendo superabundantiam thesauri pro dimissione sæculi, cum dicit (v. 33) : *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam,* id est, distribuite bona vestra pauperibus, secundum illud *Matthæi* [9] : « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Et quia durum est vendere et dare absque recompensatione, ideo addit : *Facite vobis sacculos qui non veterascunt. Ecclesiasticus* [10] : « Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit : et postea resurget, et retribuet illis retributionem unicuique in caput ipsorum. » Et quia ista retributio est opulentissima quæ est in his sacculis, ideo subdit : *Thesaurum non deficientem in cœlis* ; subintelligitur : Facite, et hoc fit per eleemosynam. Unde *Tobias* [11] : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, quam thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. » Et quod iste thesaurus cœlestis sit indeficiens, ostendit, quia non potest amitti per fures, non potest corrumpi in se; ideo addit : *Quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Chrysostomus [12] : « Omnia bona mundi triplex interitus tollit : aut enim ex seipsis veterascunt, aut dominorum luxu consumuntur, aut ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur. » Et propterea in terris thesaurus indeficiens non potest haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, dispergat in terris, ut abundet in cœlis [13] : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Unde Augustinus : « Non jussit Dominus ut thesaurum perderemus, sed locum ostendit quo poneremus. » Est autem magna vis facienda, quo modo locetur thesaurus, quia eodem locatur et animus : ideo subjungitur (v. 34) : *Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.* Thesaurus est illud quod principaliter amat animus, secundum illud *Matthæi* [14] : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, » etc. Ubi est principale amatum, ibi abundabit animus. Unde Bernardus : « Verius est anima ubi amat, quam ubi animat. » Et ideo ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Beda : « Si in terra est, cor deorsum est; si in cœlestibus, in Christo fixum est : necesse est enim ut, quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc et cogitationis sequatur affectus. » Et quia sapiens thesaurum habet in cœlis, et stultus in terris, ideo *Ecclesiastes* (*b*) [15] : « Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius, » etc. [16] « Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. » Thesaurus enim iste visibilis et terrestris consistit in pecunia; sed thesaurus invisibilis consistit in sapientia. [17] « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. » Et post : « Infinitus enim

Omnia bona mundi triplex interitus tollit.

[1] *Psal.* x, 17. — [2] *Matth.*, xix, 29. — [3] *Gal.*, v, 25, 26. — [4] *Judit.*, ix, 16. — [5] *Exod.*, xxxiii, 19. — [6] *Isa.*, xlii, 1. — [7] *Matth.*, xi, 25. — [8] *Psal.* cxlvi, 11. — [9] *Matth.*, xix, 21. — [10] *Eccli.*, xvii, 18, 19. — [11] *Tob.*, xii, 8, 9. — [12] Imo auctor Op. imp. *in Matth.*, hom. xv. — [13] *Psal.* cxi, 9. — [14] *Matth.*, xiii, 44. — [15] *Eccle.*, x, 2. — [16] II *or.*, iv, 18. — [17] *Sap.*, vii, 11, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* assuadet. — (*b*) Item *Ecclesiasticus*.

thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. » Et nota quod iste qui consistit in sapientia, incipit a timore reverentiæ [1] : « Divitiæ salutis, sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus ejus. » Proficit autem in studio disciplinæ » [2] : « Omnis scriba doctus in regno cœlorum, » etc. Conservatur in sanctitate conscientiæ [3] : « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, » etc. Consummatur autem in sublimitate gloriæ [4] : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. » Et de talibus loquitur hic. Unde pauperibus promittit viaticum refectionis, regnum excellentiæ, et thesaurum abundantiæ, quia pauperes consueverunt esse afflicti, et despecti, et egeni pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

35. *Sint lumbi vestri præcincti,* etc. Postquam revocavit a sollicitudine avaritiæ, hic secundo invitat ad sollicitudinem providentiæ (*a*), ne quis crederet quod omnem vellet sollicitudinem amovere a corde. Invitat autem ad hujusmodi sollicitudinem ex consideratione duplicis adventus : primo scilicet consideratione secundi adventus, qui erit terribilis; secundo vero consideratione primi adventus, qui fuit amabilis, ibi (v. 49) : *Ignem veni mittere in terram,* etc. Prima pars habet duas, in quarum prima invitat ad sollicitudinem vigilantiæ omnes communiter, in secunda vero prælatos specialiter, ibi (v. 41) : *Ait autem ei Petrus*, etc. Circa generalem invitationem (*b*) omnium ad sollicitudinem vigilantiæ procedit hoc ordine : primo præmittit vigilantiæ modum; secundo adjungit motivum, ibi (v. 37) : *Beati servi illi,* etc.; tertio subjungit stimulativum, ibi (v. 39) : *Hoc autem scitote*, etc. Primum horum respicit meritum; secundum respicit præmium; tertium respicit imminens periculum. Circa modum autem vigilantiæ duo introducit Evangelista, ad quæ Dominus discipulos invitat, scilicet ad promptitudinem expeditionis in corpore, et ad sollicitudinem expectationis in corde.

Primo igitur, quantum ad promptitudinem expeditionis in corpore, dicit : *Sint lumbi vestri præcincti.* Sicut ille expeditus est, qui est præcinctus ad viam progrediendum, sic ille expeditus est qui restringit in se carnalia desideria. Unde [5] : « A principali sexu, lumborum nomine luxuria designatur. *Job* [6] : « Fortitudo ejus in lumbis ejus, » etc. Lumbos ergo præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia non sufficit mala non agere, nisi etiam quis studeat bonis operibus insudare, protinus subditur : *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lucernas quippe ardentes in manibus habemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.» Lucerna enim dicitur recte divinum mandatum [7] : « Mandatum lucerna est, et lex lux, » etc. Hæc lucerna est lux in manu, quando mandatum est in operatione [8] : « Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, » etc. Et in *Matthæo* (*c*) [9] : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, » etc. Et nota quod sicut lucerna abscondit lumen a vento, sed non a visu, sic bona opera comparantur lucernæ, quia [10] « sic debet opus esse in publico, quatenus intentio maneat in occulto. » Sic velit homo aliis dare exemplum virtutis, ut tamen non quærat minimum transitorii favoris.

Secundo, quantum ad sollicitudinem expectationis in corde, subdit (v. 36) : *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis,* id est, quando veniet ad judicium descendendo de cœlis. Unde Gregorius [11] : « Ad nuptias Dominus abiit, cum post resurrectionem suam

[1] *Isa.*, XXXIII, 6. — [2] *Matth.*, XIII, 52. — [3] Sup., VI, 45. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XIII, n. 7. — [6] *Job*, XL, 11. — [7] *Prov.*, VI, 23. — [8] *Prov.*, XXXI, 18, 19. — [9] *Matth.*, V, 16. — [10] Greg., *in Evang.*, hom. XI, n. 7. — [11] Ibid., hom. XIII, n. 2, 8.

(*a*) *Forsan legendum* prudentiæ. — (*b*) *Cæt. edit.* introductionem. — (*c*) Matthæus.

angelorum sibi multitudinem novus homo copulavit. Qui tunc revertetur, cum per judicium nobis manifestabitur (*a*). » Unde a bonis semper debet expectari [1] : « Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, » etc. Et hæc expectatio non est vana [2] : « Gemma gratissima expectatio præstolantis. » Non est etiam somnolenta [3] : « Expecta Dominum, viriliter age. » Et ideo subdit : *Ut cum venerit*, properando ad judicium : *Et pulsaverit*, per infirmitatis flagellum ; *Confestim aperiant ei*, per desiderium intimum [4] : « Ecce sto ad ostium et pulso ; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, » etc. Beda [5] : « Non vult aperire judici pulsanti, qui timens videre statum quem contempsit, de corpore exire metuit. Aperit qui judicem lætus et securus sustinet, et de propinqua morte gaudet. » [6] « Vox dilecti mei pulsantis. » Et post : « Surrexi ut aperirem, » etc.

Hoc Evangelium iste legitur in festis Confessorum.

Et notandum est hic quod evangelium istud legitur in festis Confessorum, propterea quod in eo commendantur tripliciter, scilicet quantum ad declinationem mali in præcinctione lumborum, et quantum ad operationem boni in portatione lucernarum, et quantum ad expectationem optimi in similitudine hominum expectantium Dominum suum, secundum illa tria quæ dicuntur [7] : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, » respectu tui ; « et diligere misericordiam, » respectu proximi ; « et sollicitum ambulare cum Deo tuo, » respectu Dei.

Lumbi tripliciter præcingendi

Ad hoc autem quod malum in nobis perfecte deficiat, sunt lumbi tripliciter præcingendi, scilicet lumbi carnalis contactus, de quibus [8] : « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea, » etc. Et ii præcingendi cingulo castitatis [9] : « Accingite lumbos vestros, super ubera plangite, » etc. Item lumbi carnalis affectus cingulo virtutis [10] : « Accinge sicut vir lumbos tuos ; » et [11] : « Accinge lumbos tuos, surge, et loquere ad eos. » Item lumbi carnalis cogitatus cingulo veritatis [12] : « Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, » etc.

Ad hoc autem quod bonum in nobis perfecte clarescat, portanda est lucerna rectæ intentionis, supra [13] : « Lucerna corporis tui, est oculus tuus. » Item portanda lucerna veræ prædicationis [14] : « Lucerna pedibus meis verbum tuum ; » et [15] : « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. » Item portanda lucerna honestæ conversationis [16] : « Ille erat lucerna ardens et lucens ; » et in *Psalmo* [17] : « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. »

Postremo, ad hoc quod desiderium perfecte ignescat (*b*), expectandus est Christus fidenter [18] : « Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, » etc. Item expectandus gaudenter [19] : « Expectatio justorum lætitia, » etc. Item expectandus vigilanter [20] : « Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. » Et hoc modo expectant servi dominum, quando revertatur a nuptiis. Sic beati Confessores perfecte laudantur, secundum illa *ad Titum* [21] : « Sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, » etc.

37. *Beati servi illi*, etc. Hic secundo introducit motivum ad sollicite vigilandum. Et hoc est duplex, scilicet beatificatio vigilantium sine defectione, et sine omni exceptione.

Primo igitur, quantum ad beatificationem vigilantium sine defectione, dicit : *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* [22] « Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie. »

[1] *Philip.*, III, 20. — [2] *Prov.*, XVII, 8. — [3] *Psal.* XXVI, 14. — [4] *Apoc.*, III, 20. — [5] Glossa. Bedæ ex Greg., *in Evang.*, hom. XIII, n. 3. — [6] *Cant.*, V, 2, 5. — [7] *Mich.*, VI, 8. — [8] *Psal.* XXXVII, 8. — [9] *Isa.*, XXXII, 11. — [10] *Job*, XL, 2. — [11] *Jerem.*, I, 17. — [12] 1 *Petr.*, I, 13. — [13] Sup., XI, 34. — [14] *Psal.* CXVIII, 105. — [15] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [16] *Joan.*, V, 35. — [17] *Psal.* CXXXI, 17. — [18] *Habac.*, II, 3. — [19] *Prov.*, X, 28. — [20] *Job*, XIV, 14. — [21] *Tit.*, II, 13. — [22] *Prov.*, III, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* manifestatur. — (*b*) ignoscat.

Et ideo in *Ecclesiastico* [1] : Cor suum tradet ad vigilandum diluculo, » etc. Tales Dominus beatificat [2] : « Si diluculo consurrexeris ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus...; » subditur : « Statim evigilabit ad te, et peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. » Ideo subdit : *Amen dico vobis, quod præcinget se,* præparando ad retributionem [3] : « Dominus regnavit, decorem indutus est, » etc. *Et faciet illos discumbere,* in æterna refectione [4] : « Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam. » *Et transiens ministrabit illis,* per liberalissimam communicationem. *Transiens,* id est, transire faciens. In *Ecclesiastico* [5] : « Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, » etc. Quia a Christo, et per Christum, transimus ad Christum, a gloria scilicet corporis ad gloriam animæ, et ab hac ad gloriam divinitatis. Propter quod dicit [6] : « Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur. » Et [7] : « Ego sum via, veritas et vita. » Ministrare autem dicitur Christus, quia semper dabit materiam gaudii actualis refectionis indeficientis [8] : « Non esurient neque sitient amplius...; » sequitur : « Quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet ad vitæ fontes aquarum. » [9] « Beati igitur qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; » in qua Agnus sine macula erit sponsus, cibus, dominus, et minister. » [10] « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Iste ministrabit et invitabit, secundum illud [11] : « Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. »

Deinde, quantum ad beatitudinem sine exceptione, subdit (v. 38) : *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Nota hic quod per tres vigilias intelliguntur tres status præsentis vitæ, scilicet pueritiæ, juventutis, et senectutis. Unde Glossa Bedæ [12] : « Vigilias vocat ad similitudinem excubantium in nocte. Prima vigilia custodiæ, pueritiæ est, secunda est juventutis, et tertia senectutis. Si quis in pueritia vigilare neglexerit, non tamen desperet. Si in juventute neglexerit, saltem tandem in senio resipiscat, quia pius Dominus pœnitentiam nostram patienter expectat. » *Isaias* [13] : « Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus : beati omnes qui expectant eum. » Et nota quod in *Marco* (*a*) insinuantur quatuor vigiliæ secundum modum distinctionis horarum apud excubantes. « Vigilate, inquit [14], nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. » Et per has vigilias intelliguntur quatuor status, in quibus homo utitur libertate arbitrii : primus et ultimus, et duo intermedii, unus in profectu, et alter in declinatione. In quo insinuatur quod Dominus omni hora, sine exceptione, nostram acceptat vigiliam, sed potissime illam quæ incipit a pueritia [15] : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Et tamen etiam ultimum senium non recusat Dominus; unde dicitur [16], quod « quarta vigilia noctis venit ad discipulos ambulans super mare. » Qualibet ergo hora non est inutile, sed perutile vigilare, infra [17] : « Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante filium hominis. »

Vigi quatu quid.

39. *Hoc autem scitote*, etc. Hic tertio subjungit stimulativum ad vigilandum, quod introducit per hunc modum, in proponendo exemplum parabolicum, et concludendo principale intentum.

Primum ergo exponit exemplum parabolicum, cum dicit : *Hoc autem scitote, quo-*

[1] *Eccli.*, XXXIX, 6. — [2] *Job*, VIII, 5, 6. — [3] *Psal.* XCII, 1. — [4] *Ezech.*, XXXIV, 15. — [5] *Eccli.*, XXIV, 26. — [6] *Joan.*, X, 9. — [7] *Joan.*, XIV, 6. — [8] *Apoc.*, XVI, 17, 18. — [9] *Apoc.*, XIX, 9. — [10] *Psal.* XXXV, 9. — [11] *Cant.*, V, 1. — [12] Gloss., ex Beda *in Luc.*, lib. IV, c. LIV, vel potius ex Greg., *in Evang.*, hom. XIII, n. 5. — [13] *Isa.*, XXX, 18. — [14] *Marc.*, XIII, 35. — [15] *Thren.*, III, 27. — [16] *Matth.*, XIV, 25. — [17] Inf., XXI, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* quod dicit Marcus.

niam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, scilicet ad custodiam domus, ne fur furtim aliquid asportaret. Ideo dicit : *Et non sineret perfodi domum suam.* Et si semper haberet horam suspectam, numquid relinqueret domum suam sine custodia? Alioquin non sapienter, sed stulte curam familiæ procuraret. Exemplum de Isboseth, de quo legitur [1] quod « Isboseth dormiebat super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter...; » subjungitur : « Et percusserunt eum in inguine Rechab et Banaa frater ejus, et fugerunt. » Sic spiritualiter fit ei qui negligit domum suam vigilanter custodire. Unde Gregorius [2] : « Ostiaria dormiente Isboseth interficitur, quia, dum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. » Et ideo vir spiritualis e contrario dicit illud *Isaiæ* [3] : « Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem ; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. » Et ideo dicit Petrus [4] : « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, » etc.

Deinde concludit principale intentum (v. 40) : *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Glossa [5] : « Ultimam horam semper ignorari voluit Dominus, ut semper sit suspecta, et ad eam semper præparemur. » Unde dicitur (*a*) [6] : « De die illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater. » Et [7] : « Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. » Et post : « Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. » Et in *Ecclesiaste* (*b*) [8] : « Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo. » Sic et illi qui non se præparant; ideo dicitur [9] : « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. » Unde Alcuinus : « Dissoluta est cogitatio, de crastina conversione cogitare, et hodiernam negligere. » Et Seneca : « Quilibet dies vitæ nostræ ordinatus est ultimus. » Propter hoc ergo ut semper simus parati, voluit Dominus nos ignorare horam mortis et diem judicii. Nihil enim est certius morte, et nihil incertius hora mortis. Ideo in *Ecclesiastico* [10] : « Memor esto judicii mei; sic enim erit tuum : mihi heri, et tibi hodie. » Et de hora judicii dicitur in *Matthæo* (*a*) [11] : « Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam illi. » Et post : « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. » Gregorius [12] : « O si sapere palato cordis possit, quid admirationis habet, *Venit sponsus ;* quid dulcedinis ; *Intraverunt cum eo ad nuptias*, quid amaritudinis; *Clausa est janua !* etc.

41. *Ait autem ei Petrus*, etc. Postquam invitavit ad vigilantiam omnes generaliter, hic invitat prælatos specialiter. Quod quidem facit hoc ordine : primo namque commendat prælatorum vigilantiam; secundo arguit insolentiam, ibi (v. 45) : *Quod si dixerit servus ille*, etc.; tertio aggravat negligentiam, ibi (v. 47) : *Ille autem servus qui cognovit*, etc. Commendans autem vigilantiam prælatorum, primo commendat eam quantum ad prærogativam meriti; secundo, quantum ad præcellentiam præmii.

Primo igitur, quantum ad prærogativam meriti, quam ostendit in respondendo ad quæstionem Petri (*c*), dicit : *Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Bene quærit et utiliter, ut sciat ad quid debeat obligari. Unde in *Ecclesiastico* [13] : « Quæ præcepit tibi Deus,

[1] II *Reg.*, IV, 5, 6. — [2] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVIII, al. XXXV, n. 49. — [3] *Isa.*, XXI, 8. — [4] I *Petr.*, V, 8. — [5] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LIV. — [6] *Matth.*, XXIV, 36. — [7] I *Thess.*, V, 2, 4. — — [8] *Eccle.*, IX, 12. — [9] *Eccli.*, V, 8. — [10] *Eccli.*, XXXVIII, 23. — [11] *Matth.*, XXV, 6, 10. — [12] Greg., *in Evang.*, hom. XII, n. 4. — [13] *Eccli.*, III, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* dicit Matthæus. — (*b*) Item *Ecclesiastico.* — (*c*) *Suppl.* Evangelista.

illa cogita semper. » Et maxime illa sunt discenda, quæ sunt parabolice dicta [1] : « Audiens sapiens, sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum. »

Huic autem quæstioni Petri superficie tenus non videtur Dominus respondere. Sed si profundius attendatur, respondet perfecte, insinuans quod prædicta parabola de vigilantia spectat communiter ad universos, sed specialiter ad prælatos, cum dicit (v. 42) : *Dixit autem Dominus : Quis putas est fidelis dispensator et prudens?* Dispensatores prælatos vocat [2] : « Sic nos æstimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, » etc. Tales difficile est invenire fideles; unde ibidem : « Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. » Et in *Proverbiis* [3] : « Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet? » *Quis putas est* ergo *dispensator fidelis*, intentione [4] : « Fidelem me existimavit... » ; subjungitur : « Sed ideo misericordiam consecutus sum, » etc. Et in *Apocalypsi* [5] : « Esto fidelis usque ad mortem. » *Et prudens*, in electione; in *Proverbiis* [6] : « Acceptus est regi minister intelligens. » Unde in *Proverbiis* [7] : « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. » *Quem constituit Dominus super familiam suam*, per auctoritatem commissam [8] : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo quemadmodum et (*a*) Aaron. » [9] « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. » *Ut det illis in tempore tritici mensuram*, communicando sanam doctrinam [10] : « Tempus et responsionem cor sapientis intelligit, » etc. Attendat etiam audientium capacitatem; unde dicit : *Mensuram*. Gregorius : « Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum; ut et sua singulis congruenter tribuat, et tamen a communis ædificationis arce nunquam recedat. » Hujus exemplum habemus in Joseph, qui ad dispensandum frumentum constitutus est super terram Ægypti; in quo fuit fidelitas et prudentia, auctoritas et vigilantia, seu diligentia. Et quia ista fuerunt in sanctis prælatis, ideo evangelium istud decantatur in laudem Confessorum et Pontificum, qui in his quatuor præmissis commendabiles extiterunt. Et de his quatuor dicitur in Glossa Bedæ : « Quam rarus est Domino propter Dominum serviens, oves Christi non ad lucrum, sed ad amorem Christi pascens ! » *Prudens*, in futuro (*b*) sibi providens. *Quem constituit Dominus*, id est, quam rarus qui sit vocatus a Deo tanquam Aaron, et non magis se ingesserit; et qui non magis se pascat, quam oves? Unde, propter defectum fidelitatis, dicitur [11] : « Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? » Et ad *Philippenses* [12] : « Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. » Pauci etiam sunt prudentes; unde *Isaias* [13] : « Sicut populus, sic sacerdos; sicut servus, sic dominus ejus, » etc. Et *Oseas* [14] : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. » Pauci etiam sunt divinitus constituti; ideo dicitur [15] : « Ipsi regnaverunt, et non ex me. » Pauci similiter utilitati gregis intenti : unde *Ezechiel* [16] : « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini; et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. » Et ideo signanter præmittit : *Quis putas*, propter raritatem, et difficultatem, et pretiositatem qua tales excellunt in prærogativa meriti.

Secundo, quantum ad præcellentiam præmii, subdit (v. 43) : *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facien-*

[1] *Prov.*, I, 5, 6. — [2] I *Cor.*, IV, 1, 2. — [3] *Prov.*, XX, 6. — [4] I *Tim.*, I, 12, 13. — [5] *Apoc.*, II, 10. — [6] *Prov.*, XIV, 35. — [7] *Prov.*, XVII, 23. — [8] *Hebr.*, V, 4. — [9] *Psal.* II, 6. — [10] *Eccle.*, VIII, 5. — [11] *Malac.*, I, 10. — [12] *Philip.*, II, 21. — [13] *Isa.*, XXIV, 2. — [14] *Ose.*, IV, 6. — [15] *Ose.*, VIII, 4. — [16] *Ezech.*, XXXIV, 2, 3.

(*a*) *Vulg.* tanquam. — (*b*) *Leg.* futurum.

tem. [1] « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra (*a*) multa te constituam, » etc. *Ita facientem*, id est, fideliter, prudenter, et vigilanter, secundum illud [2] : « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. » Et Chrysostomus : « Hæc dicta sunt de sermone, de virtute, de pecuniis, et de omni dispensatione quæ unicuique commissa est : unumquemque enim ad communem utilitatem uti oportet his quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis, non ad nocumentum conservorum. » Hujus autem usui gratiæ redditur perfectus fructus gloriæ. Unde subdit (v. 44) : *Vere dico vobis, quoniam super* (*b*) *omnia quæ possidet, constituet illum.* Beda : « Id est, super omnia cœlestis regni gaudia, non utique ut horum solus dominium teneat, sed ut ejus abundantius cæteris sanctis æterna possessione fruatur, tum pro sua vita, tum pro sui gregis custodia. » Unde Petrus [3] : « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, » etc. Sequitur : « Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Unde Chrysostomus [4] : «Bene agente populo, unusquisque pro suo bono remuneratur; sacerdos autem pro bonis omnium. » [5] « Quæ est nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum in adventu ejus? »

45. *Quod si dixerit servus ille,* etc. Postquam commendavit prælatorum vigilantiam et providentiam, seu curam, hic vituperat insolentiam : quod quidem facit arguendo enormitatem peccati, et comminando severitatem judicii.

Primo ergo, quantum ad increpationem enormitatis peccati, ait : *Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus venire :* Glossa : « Id est, si dissimulaverit judicium in proximo venturum, securitatem sibi promittens, » secundum illud *Ezechielis* [6] : « Quod est proverbium istud vobis in terra Israel dicentium : In longum differentur dies, et peribit omnis visio? » Et Petrus [7] : « Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio aut adventus ejus? Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. » Et quoniam talis cogitatio parit securitatem, et securitas contemptum, et contemptus iniquitatem ; ideo subdit : *Et cœperit percutere servos et ancillas,* scilicet parvulos scandalizando, cum tamen deberet fovere verbo et exemplo. Propter quod *Isaias* [8] : « Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? » Et hoc est grave peccatum [9] : « Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. » Et maxime quando in parvulos peccant [10] : « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, » etc. Et quia perfidiæ mater est concupiscentia, ideo addit : *Et edere, et bibere, et inebriari*, scilicet cœperit, faciendo voluntatem scilicet carnis, secundum illud *Isaiæ* [11] : « Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate. » Et hoc maxime indecens est pastoribus et prælatis, in quibus regnare debet spiritus sapientiæ et intellectus [12] : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. » Sed e diverso [13] : « Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. Et canes impudentissimi nesciunt saturitatem. »

Secundo, quantum ad comminationem severitatis judicii, adjungit (v. 46) : *Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat,*

[1] *Matth.*, XXV, 21, 23. — [2] I *Petr.*, IV, 10. — [3] Ibid., V, 2, 4. — [4] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, c. XIV, hom. LI. — [5] I *Thess.*, II, 19. — [6] *Ezech.*, XII, 22. — [7] II *Petr.*, III, 3-4. — [8] *Isa.*, III, 15. — [9] I *Cor.*, VIII, 12. — [10] *Matth.*, XVIII, 6. — [11] *Isa.*, XXVIII, 7. — [12] *Malac.*, II, 7. — [13] *Isa.*, LVI, 10-11.

(*a*) *Vulg.* super. — (*b*) *Supra.*

et hora qua nescit. [1] « Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. » Et *Sphonias* [2] : « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. » Et licet sit juxta, tamen venit mundanis ex improviso. Unde *Ecclesiastes* (*a*) [3] : « Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. » Et quia contemptoribus judicis grave imminet judicium, ideo subdit : *Et dividet eum*, scilicet a consortio bonorum, secundum illud *Matthæi* [4] : « Statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. » *Partemque ejus cum infidelibus ponet*, quia scilicet jam judicati sunt [5] : « Qui non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filii Dei. » Et hoc recte, quia dicitur [6] : « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. » Hæc pars est valde mala, secundum illud *Psalmistæ* [7] : « Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Et in *Apocalypsi* [8] : « Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure; quod est mors secunda. » Ex quo patet quod sicut est magna merces bonorum prælatorum, ita et maxima erit pœna reproborum [9] : « Judicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur. »

47. *Ille autem servus qui cognovit*, etc. Postquam invitavit ad vigiliam, et vituperavit insolentiam; hic tertio aggravat negligentiam; quod facit dupliciter, scilicet ratione majoritatis scientiæ, et ratione auctoritatis commissæ. Primo ergo, quantum ad exaggerationem negligentiæ ratione majoritatis scientiæ, dicit : *Ille autem servus qui cognovit voluntatem Domini sui*, per donum scientiæ [10] : « Scientia inflat; charitas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. » *Et non se præparavit*, ad suscipiendum donum gratiæ. [11] « Hominis est, animam præparare ; » unde [12] : « Præparate corda vestra Domino. » *Et non fecit secundum voluntatem ejus*, scilicet per vitium propriæ negligentiæ [13] : « Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi. » *Vapulabit multis*, scilicet per severitatem divinæ sententiæ. Unde [14] : « Melius erat illi (*b*) non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti, » etc. Et *ad Romanos* [15] : « Qui (*c*) cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, » etc. Sequitur : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. » Et ratio hujus est, quia, dicit Gregorius : « Ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ : nam ignorantia pro parte excusat. » Unde subdit (v. 48): *Qui autem non cognovit*, per defectum notitiæ, *et fecit digna plagis*, per commissionem culpæ, *vapulabit paucis*, per mitigationem divinæ sententiæ. Et nota quod est ignorantia simplex, et hæc excusat, secundum illud [16] : « Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci. » Et infra [17] : « Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt. » Est et ignorantia affectata, de qua *Psalmista* [18] : « Noluit intelligere ut bene ageret. » Tales graviter punientur. Unde [19] : « Si quis ignorat, ignorabitur. » Et *Oseas* [20] : « Populus non intelligens vapulabit. » Et hoc dicit Beda in Glossa, quia

[1] *Deut.*, XXXII, 35. — [2] *Sophon.*, I, 14. — [3] *Eccle.*, IX, 12. — [4] *Matth.*, XXV, 33. — [5] *Joan.*, III, 18. — [6] I *Tim.*, V, 8. — [7] *Psal.* X, 7. — [8] *Apoc.*, XXI, 8. — [9] *Sap.*, VI, 6, 7. — [10] I *Cor.*, VIII, 1-2. — [11] *Prov.*, XVI, 1. — [12] I *Reg.*, VII, 3. — [13] *Jac.*, IV, 17. — [14] II *Petr.*, II, 21. — [15] *Rom.*, I, 21, 24. — [16] I *Tim.*, I, 13. — [17] Inf., XXIII, 34. — [18] *Psal.* XXXV, 4. — [19] I *Cor.*, XIV, 38. — [20] *Ose.*, IV, 14.

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiasticus*. — (*b*) *Vulg.* illis. — (*c*) *Vulg.* quia.

in *Proverbiis* [1] : « Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. » Et in *Psalmista* [2] : « Furor illis secundum similitudinem serpentis; sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, » etc.

Secundo, quantum ad aggravationem negligentiæ ratione auctoritatis commissæ, dicit : *Omni* (*a*) *autem cui multum datum est*, scilicet in munere, *multum quæretur ab eo*, in ratione reddenda. Unde Gregorius [3] : « Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum Deo promptior debet quisque ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. » [4] « Redde rationem villicationis tuæ. » Unde subdit : *Et cui commendaverunt multum*, scilicet divina judicia, vel Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, *plus petent ab eo*, scilicet in futuro judicio universorum. [5] « Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. » Unde a prælatis, quibus cura subditorum commissa est, requiret Dominus non tantum animas proprias, verum etiam animas commissas. Propter quod dicitur [6] : « Obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Nam unicuique eorum dicitur illud [7] : « Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. » Et *Jeremias* [8] : « Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum ? Quid dices cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum. » Et ideo in *Actibus* [9] : Dicebat Paulus ad majores natu Ecclesiæ : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. » Et *Ezechiel* [10] : « Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos. »

49. *Ignem veni mittere in terram*, etc. Postquam excitavit ad vigilantiam ex consideratione secundi adventus, hic excitat ad considerationem primi adventus. Et habet hæc pars duas; in quarum prima, ostendendo primi adventus efficaciam, excitat ad vigilantiam, in secunda reprehendit Judæorum desidiam et negligentiam, ibi (v. 54) : *Dicebat autem ad turbas*. In exprimendo igitur efficaciam primi adventus ad sollicitam vigilantiam, ostendit se venisse ad tria, scilicet ad immittendum dilectionis incendium, ad perficiendum passionis remedium, et ad introducendum affectus carnalis divortium.

Primo igitur, quantum ad immissionem incendii amoris per efficaciam adventus primi, dicit : *Ignem veni mittere in terram*, ignem scilicet divini amoris qui igni comparatur [11] : « Fortis est, ut mors, dilectio; dura, sicut infernus, æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis, » etc. Sed dilectio carnalis est sicut ignis infernalis. *Job* [12] : « Ignis est usque ad perditionem devorans. » Et in *Ecclesiastico* [13] : « Ignem ardentem extinguit aqua, » etc. Dilectio autem spiritualis est sicut ignis cœlestis [14] : « De excelso misit ignem in ossibus meis, » etc. Hunc mittit Dominus communicando doctrinam [15] : « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. » Et *Jeremias* [16] : « Numquid non verba mea quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? » Item infundendo gratiam [17] : « De cœlo te fecit audire vocem suam ut doceret te, et in terra ostendet tibi ignem suum maximum. » Item inflammando ad justitiam [18] : « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. » Unde, quia in ipso erat ignis divini zeli, de quo Sopho-

[1] *Prov.*, XXVIII, 9. — [2] *Psal.* LVII, 7. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. IX, n. 1. — [4] Inf., XVI, 2. — [5] *Matth.*, XXV, 19. — [6] *Hebr.*, XIII, 17. — [7] III *Reg.*, XX, 39. — [8] *Jerem.*, XIII, 21. — [9] *Act.*, XX, 28. — [10] *Ezech.*, XXXIV, 10. — [11] *Cant.*, VIII, 6. — [12] *Job*, XXXI, 12. — [13] *Eccli.*, III, 33. — [14] *Thren.*, I, 13. — [15] *Psal.* CXVIII, 140. — [16] *Jerem.*, XXIII, 29. — [17] *Deut.*, IV, 36. — [18] *Eccli.*, XLVIII, 1.

(*a*) Cæt. edit. *Quoniam*.

nias [1] : « In igne zeli mei devorabitur omnis terra; » ideo merito ad verbum ipsius ignis de cœlo descendit super sacrificium [2], et super principem quinquagenarium [3] : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos, » etc. Et quoniam hic ignis frustra mittitur, nisi accendatur, ideo subdit : *Et quid volo, nisi ut accendatur?* Hunc accendit meditatio beneficiorum præsentium [4] : « Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. » Et infra [5] : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? » etc. Item rememoratio præteritorum [6] : « Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, » etc. Item per præmeditationem futurorum promissorum, in *Proverbiis* [7] : « Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. »

Secundo, quantum ad perfectionem remedii passionis, subditur (v. 50) : *Baptismo autem habeo baptizari.* Nota quod passio Christi dicitur baptisimus, quia in ejus sanguine purificamur, quasi in lavacro baptismali [8] : « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in sanguine agni. » Et Apostolus [9] : « Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, » etc., « emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi! » Hoc baptismate fuit Christus baptizatus, quia totum corpus ejus fuit hoc sanguine rubricatum [10] : « Quis est iste qui venit de Edom (*a*), tinctis vestibus de Bosra? » Et post quæritur : « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? » etc. Et nota quod passio Christi comparatur baptismo, sicut hic; quia fuit universalis [11] : « Omnes fluctus tuos induxisti super me. » Item comparatur calici [12] : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; » quia voluntaria [13] : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » Item, quia acerbissima et gravis, comparatur torculari [14] : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » Hoc ergo baptismo Christus baptizatus est, non pro indigentia necessitatis, sed pro abundantia charitatis; ideo subdit : *Et quo modo coarctor usque dum perficiatur?* scilicet per amorem, qui habet cordis dominium [15] : « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, » etc. Et nota quod amor coarctat per violentiam attractivam; *Joannes* [16] : « Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. » [17] « In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. » Unde Hugo : « Magnam vim habes, charitas : ut sola Deum trahere potuisti de cœlo ad terras, æque forte vinculum tuum, quo et Deus ligari potuit, et hoc ligatus vincula iniquitatis destruxit. Nescio quid majus in tuam laudem dicere possum, quam quod Deum de cœlo ad terram traxeris, et hominem de terra ad cœlum sublevaveris. » Unde *Oseas* [18] : « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Item dilatat per benevolentiam diffusivam [19] : « Latum mandatum tuum nimis. » [20] « Cor nostrum dilatatum est. » Item elevat per adhærentiam excessivam [21] : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? » etc. [22] « Qui biberit, etc., fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Item inclinat per condescendentiam dignativam [23] : « Qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me. » Propter ista quatuor dicitur [24] : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimi-

Passio Christi baptismus.

[1] *Sophon.*, III, 8. — [2] III *Reg.*, XVIII, 38. — [3] IV *Reg.*, I, 10, 12. — [4] *Psal.* XXXVIII, 4. — [5] Inf., XXIV, 32. — [6] *Levit.*, VI, 12. — [7] *Prov.*, XXX, 35. — [8] *Apoc.*, VII, 14. — [9] *Hebr.*, IX, 13-14. — [10] *Isa.*, LXIII, 1, 2. — [11] *Psal.* LXXXVII, 8. — [12] *Matth.*, XXVI, 39. — [13] *Matth.*, XX, 22. — [14] *Isa.*, LXIII, 3. — [15] *Ephes.*, II, 4-5. — [16] *Joan.*, III, 16. — [17] *Jerem.*, XXXI, 3. — [18] *Ose.*, XI, 4. — [19] *Psal.* CXVIII, 96. — [20] II *Cor.*, VI, 11. — [21] *Cant.*, VIII, 1. — — [22] *Joan.*, IV, 14. — [23] *Galat.*, II, 20. — [24] *Ephes.*, III, 17-18. — (*a*) *Cæt. edit.* Edon.

tas, et profundum, » etc. Et quoniam hæc charitas ostensa fuit in passione perfecte, ideo dicit : *Usque dum perficiatur*, scilicet in effusione sanguinis [1] : « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Et *Joannes* [2] : « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. » Et hoc erat quod Christus in cruce sitiebat [3] : « Sciens Jesus quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit : Sitio, » etc. Sequitur : « Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. »

Tertio, quantum ad introductionem divortii affectus carnalis, subjungit (v. 51) : *Putatis quia pacem veni mittere in terram*, pacem scilicet terrenam? Nam hanc non venit dare, sed tollere, quia hæc est pax mala, de qua *Isaias* [4] : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. » Hanc pacem vir justus reprobat [5] : « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. » Quia talis pax, est pax prava [6] : « Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei. » Est pax falsa [7] : « Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax; et non erat pax. » Est pax momentanea [8] : « Cum enim dixerint : Pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus. » Est pax deceptoria [9] : « In ore suo pacem cum amico (*a*) suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. » Est pax turbativa [10] : « Ecce in pace amaritudo mea amarissima. » [11] « O mors, quam amara est memoria tua homini, videlicet diviti, pacem habenti in substantiis suis! » Hæc pax est inimica veræ paci : nam Christi pax, est pax bona [12] : « In terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Ideo Apostolus [13] : « Gratia vobis et pax. » Est pax vera [14] : « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Est pax permansiva [15] : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quo modo mundus dat, ego do vobis. » Est pax directiva, supra [16] : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos... ; » sequitur : « Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Est pax consolatoria [17] : « Ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, » etc. [18] « Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras. » Quoniam ergo hæc pax per omnia contrariatur paci mundanæ, et contraria simul esse non possunt; ideo non potest introduci ab auctore pacis, nisi per dissolutionem hujus fictæ pacis; ideo subdit : *Non, dico vobis*, id est, assero vobis quod non veni pacem dare, sed separationem, secundum illud [19] : « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. » Et Apostolus [20] : « Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus. » Et in *Matthæo* (*b*) [21] : « Veni enim separare hominem adversus patrem suum, » etc. Et ratio hujus est, quia dicitur ibidem : « Qui amat patrem plusquam me, non est me dignus. » Et ideo infra [22] : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, aut matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » Et proptera subdit (v. 52) : *Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi*, id est, ab affectu carnali separati. Et secundum illud *Deuteronomii* [23] : « Qui dixerit patri et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos (*c*), et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. » Et subdit modum divisionis : *Tres in duos, et duos in tres dividentur*, etc., id est, personæ quæ maxime videntur per carnem conjunctæ, per spiritum charitatis erunt a carnali amore sejunctæ. Nec mirum, si hoc fiat per ver-

[1] *Apoc.*, I, 5. — [2] I *Joan.*, III, 16. — [3] *Joan.*, XIX, 28-30. — [4] *Isa.*, XXVIII, 15. — [5] *Psal.* LXXII, 3. — [6] *Deut.*, XXIX, 19. — [7] *Jerem.*, VI, 14. — [8] I *Thess.*, V, 3. — [9] *Jerem.*, IX, 8. — [10] *Isa.*, XXXVIII, 17. — [11] *Eccli.*, XLI, 1. — [12] Sup., II, 14. — [13] *Rom.*, I, 7. — [14] *Rom.*, XIV, 17. — [15] *Joan.*, XIV, 27. — [16] Sup., I, 78, 79. — [17] *Joan.*, XVI, 33. — [18] *Philip.*, IV, 7. — [19] *Isa.*, LII, 11. — [20] II *Cor.*, VI, 17. — [21] *Matth.*, X, 35, 37. — [22] Infr., XIV, 26. — [23] *Deut.*, XXXV, 9.

(*a*) *Cæl. edit.* animo. — (*b*) Matthæus. — (*c*) illos.

bum divinum, quia [1] : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum, » etc. Et subdit modum et exemplum (v. 53) : *Pater in filium, et filius in patrem suum,* scilicet *dividentur*. Chrysostomus [2] : « Solus Deus omnium animarum sanctarum (*a*) pater est. Carnalibus patribus præbete (*b*) carnis obsequium; spiritualibus patribus animæ sanctitatem. » Nec tantum hoc erit in sexu virili, verum etiam in muliebri; ideo subdit : *Mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.* Et nota quod quinque personas præmisit Dominus, et sex necessitudines posuit : patris, et filii; matris, et filiæ; nurus et socrus : quia una persona est mater, et socrus. Et ponit duos viros, et tres mulieres; sive quia mulieres magis pronæ sunt ad divisionem propter earum instabilitatem, sive quia plures sunt effœminati et carnales, quam spirituales. Unde Apostolus [3] : « Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. » Ad litteram ita factum est, sicut dicit, post ejus prædicationem. Unde Glossa Bedæ [4] : « Post baptisma passionis, post adventum ignis, totus orbis contra se divisus est, unaquæque domus habuit fideles et infideles, his contra fidem, illis pro fide pugnantibus, » secundum illud [5] : « Neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione, et dimisi omnes homines unumquemque contra proximum suum. » Et in *Ecclesiastico* [6] : « Intuere (*c*) omnia opera Altissimi : duo contra duo, et unum contra unum. » [7] « Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

Spiritualis sensus.

Spiritualiter quilibet homo est domus vel Dei, vel diaboli, secundum quod est in eo pax mala, quæ est peccati, cujus diabolus est pater [8] : « Vos ex patre diabolo estis. » Caro autem est nurus, et mater [9] : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, » id est garrula. Tunc autem dividitur filius contra patrem, et matrem, et socrum, quando carnis relinquit desideria, et renuntiat diabolo, et pompis ejus, et ab eis dividitur per baptismum. Unde *Psalmus* [10] : « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me. » Ad istam divisionem faciendam, oportet nasci denuo [11] : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » Ignis enim divini amoris, et baptismus tam flaminis quam fluminis et sanguinis, omnes dividit a domesticis inimicis : et hæc est efficacia adventus primi.

54. *Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu,* etc. Postquam excitavit ad vigilantiam, hic secundo arguit negligentiam, quæ de gratia Christi venientis non curat. Et habet hæc pars duas : in quarum prima parte redarguit negligentiam respectu gratiæ cognoscendæ; secundo vero, respectu pœnitentiæ faciendæ, ibi [12] : *Aderant autem quidam ipso tempore,* etc. Nam Christus venit ad gratiam conferendam, et pœnitentiam prædicandam. Negligentiam autem respectu gratiæ cognoscendæ redarguit propter tria, scilicet propter commonitionem exterioris judicii, interioris judicii (*d*), et superioris edicti. Primo ergo quantum ad commonitionem exterioris judicii, propter quam negligentia cognoscendi est reprehensibilis, dicit : *Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit*, id est, imber pluviæ. *Et ita fiet,* quia hoc est signum, cum cœlum nube operitur, quod terris pluvia præparetur [13] : « Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. »

55. *Et cum austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit, et ita fit.* [14] « Nonne vestimenta tua

[1] *Hebr.*, IV, 12. — [2] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, hom. XXVI. — [3] I *Cor.*, XI, 30. — [4] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LV. — [5] *Zach.*, VIII, 10. — [6] *Eccli.*, XXXIII, 15. — [7] *Matth.*, X, 21. — [8] *Joan.*, VIII, 44. — [9] *Ezech.*, XVI, 3. — [10] *Psal.* XXVI, 10. — [11] *Joan.*, III, 3. — [12] Infr., XIII, 1. — [13] *Psal.* CXLVI, 8. — [14] *Job*, XXXVII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* Deus animarum. — (*b*) præbet. — (*c*) *Vulg. add.* in. — (*d*) *Cæt. edit. deest* interioris judicii.

calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? » Et quia ex his sensibilibus manuducitur homo ad intelligentiam, quam illi considerare negligebant, ideo subdit (v. 56) : *Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare, hoc autem tempus quo modo non probatis?* Ideo eos dicit *hypocritas*, quia magis profitebantur notitiam Scripturarum, sicut Catholici, quam naturarum et stellarum, sicut astrologi; et tamen magis intendebant istis quam illis. Et hoc est hypocrisis in Christiano, scilicet magis sollicitari circa naturalia, quam circa gratuita. Unde Augustinus : « Laudabilior est animus, cui nota est propria infirmitas, quam qui cœlorum constellationes et terrarum fundamenta scrutatur. » Ideo in *Ecclesiastico* [1] : « Quæ præceperit tibi Deus, cogita illa semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. » Illi ergo sunt reprehensibiles, qui solliciti sunt considerare tempus hujus pluviæ, et negligunt considerare tempus gratiæ; maxime cum per hæc sensibilia manuduci possunt ad spiritualia: unde reliquerant patriam propter viam, et faciem Domini propter ejus vestigia. Contra quos Augustinus [2] : « Væ his qui reliquerunt te ducem, et oberrant in vestigiis tuis; qui nutus tuos pro se amant, et obliviscuntur quid innuas. »

Propter quod intelligendum quod nubes insinuat sanguinem Christi [3] : « Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum. » Apparitio nubis ab occasu designat carnem Christi resurgentem et ascendentem [4] : « Qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. » Descensus nimbi et pluviæ descensum Spiritus sancti post Christi ascensionem designat [5] : « Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. » Subditur : « Et facta est pluvia grandis. » Per austrum flantem flatus Spiritus sancti venientis in discipulos [6] : « Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum. » Hoc factum est, quando [7] « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. » Per æstum subsequentem fervor intelligitur charitatis, qui omnes messes Ecclesiæ maturavit [8] : « Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis. »

Moraliter autem per nubem venientem ab occasu intelligitur dolor compunctionis, ex memoria mortis nascens; per nimbum intelligitur imber lacrymarum; per austrum flantem, devotio lætificans; per æstum, devotio inflammans [9] : « Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. » Unde is est ordo descensus gratiæ in cor nostrum, quia primo homo considerat finem suum et mortem, et deinde concipit dolorem, post hæc prorumpit in lacrymas, deinde sentit consolationem, tandem inflammatur ad dilectionem. Unde supra de pœnitente peccatrice dicitur [10], quod « stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et unguento ungebat, » etc. Sensus moralis.

Secundo, quantum ad commonitionem interioris judicii, subditur (v. 57) : *Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est?* Quasi dicat: Et si negligitis exteriorem commonitionem, non negligatis interiorem. Unde [11] : « Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso, » id est, ex tuo naturali judicatorio. Insertum enim est homini naturale judicatorium, per quod dirigitur ad videndum et eligendum [12] : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Et *Isaias* [13] : « Redite, prævaricatores, ad cor; » ibi enim dictatur quod justum est. Et inter omnia quæ justa sunt, hæc (*a*) dictat ratio naturalis, quæ dixit Antiochus [14] : « Justum est subditum esse Deo, et mortalem hominem non paria Deo sentire. » Hoc ergo potissime est justum, quod debet judicare quilibet, scilicet Deum esse colendum, et Christum honoran-

[1] *Eccli.*, III, 22. — [2] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVI, n. 43. — [3] *Isa.*, XIX, 1. — [4] *Psal.* LXVII, 5. — [5] III *Reg.*, XVIII, 44. — [6] *Cant.*, IV, 16. — [7] *Act.*, II, 2. — [8] *Prov.*, X, 5. — [9] *Tob.*, III, 22. — [10] Sup., VII, 36. — [11] *Eccli.*, XXXI, 18. — [12] *Psal.* IV, 7. — [13] *Isa.*, XLVI, 8. — [14] II *Mach.*, IX, 12.

(*a*) *Cæl. edit.* hoc.

dum, et Spiritus sancti donum cum reverentia suscipiendum: quia Joannes [1] : « Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, » etc. Justum est etiam judicare quod Deus [2] « judicabit orbem terrarum in æquitate; » et seipsum judicando, debet prævenire illud judicium, quia [3] : « Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. » Unde conscientia naturaliter remurmurat, et ipsa testatur quod mala nostra non remanebunt inulta. Et ideo ex ipsa debemus sollicitari ad divinam gratiam promerendam [4] : « Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, » etc.

Tertio, quantum ad commonitionem superioris edicti, subdit (v. 58) : *Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via*, etc. Beda [5] : « Adversarius noster in via est sermo Dei contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita; princeps noster est Christus [6] : « Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit. » Ad hunc principem sermo Dei dirigit nos triplici via, scilicet 1. innocentiæ, de qua in *Psalmo* [7] : « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat; » 2. via pœnitentiæ [8] : « Viam trium dierum pergemus in solitudinem; » 3. via sapientiæ [9] : « Viam sapientiæ monstravi tibi, et duxi (*a*) te per semitas æquitatis, » etc. Has vias petebat Propheta demonstrari sibi, dicens [10] : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. » Has autem ostendit exemplo [11] : « Ego sum via, veritas, et vita. » Ostendit verbo *Isaiæ* [12] : « Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea. » Ostendit etiam dono divinitus inspirato; *Sapiens* [13] : « Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. » Quoniam ergo sermo Dei dirigit nos per viam rectam per quam carnalitas ire recusat, et ratio magis debet credere verbo Dei, quam suggestioni carnali, ideo subdit : *Da operam liberari ab illo*, implendo præcepta, declinando prohibita, sperando promissa, et timendo comminationes. Qui hæc facit, securus est ab adversario [14] : « Extolle (*b*) adversarium, et afflige inimicum. » Qui enim verbum divinum extollit, inimicum, id est, carnem, mundum, et diabolum affligit. Unde Beda [15] : « Cum in hac vita præparas te ad placitam (*c*) faciem judicis videndam, quamvis sermo Dei sit contrarius tuæ carni, tamen eo utere sicut custodia data tibi in hoc itinere, ne contemptus te accuset. » Ideo subdit : *Ne forte trahat te ad judicem*, scilicet Christum [16] : « Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, » etc. *Et judex tradat te exactori*, id est diabolo, qui exiget (*d*) peccata. *Job* [17] : « Non exaudierunt vocem exactoris. » *Et exactor mittat te in carcerem*, scilicet infernalem [18] : « Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, » quia pœna ista est irremediabilis; propterea subjungitur (v. 59) : *Dico tibi, non exies inde donec novissimum minutum reddas*, id est, nunquam, quia nunquam reddes. Beda [19] : « Reddet semper pœnas pro peccatis patiendo, sed nunquam veniam assequendo. » Unde *donec* non ponit hic terminum, sicut nec ibi [20] : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. » Augustinus [21] : « *Donec* non terminum pœnæ significat, sed semper solves et nunquam persolves. » Et dicitur solvere novissimum minutum, quia non tantum pro magnis, sed

[1] *Joan.*, v, 23. — [2] *Psal.* xv, 13. — [3] I *Cor.*, xi, 31. — [4] *Rom.*, ii, 14-15. — [5] Bed., ubi sup. — [6] *Isa.*, xxxii, 8. — [7] *Psal.* c, 6. — [8] *Exod.*, viii, 27. — [9] *Prov.*, iv, 11. — [10] *Psal.* xxiv, 4. — [11] *Joan.*, xiv, 6. — [12] *Isa.*, xxx, 20-21. — [13] *Sap.*, x, 10. — [14] *Eccli.*, xxxvi, 9. — [15] Gloss. ex Bed., ubi sup. — [16] *Act.*, x, 42. — [17] *Job*, iii, 18. — [18] *Isa.*, xxiv, 22. — [19] Bed., ubi sup. — [20] *Psal.* cix, 1, 2. — [21] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. I, c. xi, n. 30.

(*a*) *Vulg.* monstrabo... ducam. — (*b*) Tolle. — (*c*) *Forsan legendum* placidam. — (*d*) *Cæt. edit.* exegit.

etiam pro minoribus reprobi puniuntur. Unde Chrysostomus : « Si semel condemnatus missus fueris in carcerem, jam non solum pro gravibus peccatis, sed etiam pro verbo otioso, quod locutus es, exigentur a te supplicia. » In hæc supplicia præcipitantur qui non custodiunt divina verba, quæ mittunt hominem ad divinam gratiam et ad Christum. Unde [1] : « Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. » Ex his igitur apparet quod negligentia hominis ad Dei gratiam cognoscendam et suscipiendam est inexcusabilis, pro eo quod ad illam commonitione triplici excitatur, scilicet per librum creaturæ conscientiæ et scripturæ, quasi per tres testes, quorum unus exterior, alter interior, tertius superior. Quapropter, sicut dicitur [2] : « Abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est (*a*) sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? »

CAPUT XIII.

1. *Aderant autem quidam ipso in tempore*, etc. Supra redarguit negligentiam respectu gratiæ cognoscendæ; hic redarguit negligentiam respectu pœnitentiæ faciendæ. visio. Et hoc quidem facit tripliciter : primo, exemplo audito; secundo, exemplo assumpto, ibi (v. 4) : *Sicut illi decem et octo*, etc.; tertio, exemplo adinvento, sive excogitato, ibi (v. 6) : *Dicebat autem hanc similitudinem*, etc. Circa exemplum auditum hoc ordine procedit : primo proponitur atrocitas supplicii; secundo negatur enormitas delicti; tertio concluditur necessitas pœnitendi.

Primo ergo introducitur narratio atrocitatis supplicii, cum dicitur : *Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis*, scilicet dura et terribilia, quæ maxime consueverunt recitari. Unde et subdit : *Quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.* Secundum historiam quam narrat Josephus, quidam erat in Galilæa faciens se Messiam in lege promissum, et multi de Galilæis sequebantur ipsum, quibus assignaverat diem, quo ascensurus erat in cœlum, videntibus illis, de monte Garizim. Videns autem Pilatus quod multos seduxerat de tetrarchia Herodis, timuit ne post seduceret eos qui erant de tetrarchia sua. Cum ergo dies assignata esset, et illi, quos seduxerat, adorarent eum, et sacrificarent ei, repente supervenit Pilatus, et interfecit eos inter sacrificia eorum. Et inter illos occidit illum qui faciebat se Christum. Unde de hoc arbitror intelligi illud [3] : « Ante hos dies extitit Theodas dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, et omnes qui credebant ei dissipati sunt et redacti ad nihilum. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit; et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. » Et sic acerbitas fuit supplicii, quia repente graviter et in multitudine traditi sunt in horrendam mortem.

Secundo, quantum ad negationem majoris enormitatis delicti, subditur (v. 2) : *Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?* Hoc enim frequenter consuevit credi ab hominibus qui judicant secundum exteriora; et tamen non est ita judicandum. Ideo subdit (v. 3) : *Non, dico vobis*, id est assero quod non erant præ aliis peccatores : ideo non est temere judicandum, sed potius formidandum, quia secreta sunt judicialia Dei. Unde dicitur [4] : « Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum. » Et post : « Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi

[1] *Joan.*, v, 39. — [2] *Hebr.*, ii, 1-2. — [3] *Act.*, v, 36-37. — [4] *Eccle.*, viii, 10, 14. — (*a*) *Cæt. edit. omis.* est.

opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. » Et iterum [1] : « Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti. » Et ideo dicitur [2] : « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. » Ut enim dicit Gregorius [3] : « Judicia Dei non sunt temere discutienda, sed formidoloso silentio veneranda. »

Tertio, quantum ad conclusionem necessitatis pœnitendi, subjungitur : *Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* [4] « Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes : Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. » Sed sicut dicitur [5] : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Quia in *Psalmo* [6] : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit « arcum suum tetendit, et paravit illum. » Et in *Ecclesiastico* [7] : « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

Et nota quod duodecim de causis perit aliquis, sicut colligitur ex scripturis.

Primo, propter defectum pœnitentiæ, sicut habetur hic : *Si non habueritis pœnitentiam, omnes simul peribitis.* Et infra [8] : « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ! ego autem hic fame pereo. » Contra [9] : « Non tardat Dominus promissionem (*b*), sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. »

Secundo, propter defectum providentiæ [10] : « Quia nullus intelligit, in æternum peribunt. » Contra, per *Ecclesiasticum* [11] : « Doctrinam oris audite, filii : et qui custodierit illam, non periet labiis suis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. »

Tertio, propter defectum patientiæ [12] : « Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. » [13] « Peccator videbit, et irascetur ; dentibus suis fremet et tabescet ; desiderium peccatorum peribit. » Contra [14] : « Non in finem oblivio erit pauperis ; patientia pauperum non peribit in finem. »

Quarto, propter defectum innocentiæ [15] : « Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti : periit memoria eorum cum sonitu, » etc. Contra per Job [16] : « Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt ? »

Quinto, propter defectum clementiæ [17] : « Increpasti gentes, et periit impius ; nomen eorum delesti in æternum et in sæculum sæculi. » [18] « Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. »

Sexto, propter defectum sapientiæ [19] : « Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. » Contra [20] : « Cum inveneris sapientiam, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit. »

Septimo, propter defectum credulitatis [21] : « Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. » Contra per *Joannem* [22] : « Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. »

Octavo, propter defectum charitatis [23] : « Iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. » Contra per *Joannem* [24] : « Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. »

[1] *Eccle.*, IX, 2. — [2] I *Cor.*, IV, 5. — [3] Greg., in lib. IV, *Reg.*, c. 1. — [4] *Eccli.*, II, 21-22. — [5] *Hebr.*, X, 31. — [6] *Psal.* VII, 13. — [7] *Eccli.*, V, 8-9. — [8] Inf., XV, 17. — [9] II *Petr.*, III, 9. — [10] *Job*, IV, 20. — [11] *Eccli.*, XXIII, 7. — [12] *Matth.*, XXVI, 52. — [13] *Psal.* CXI, 10. — [14] *Psal.* IX, 19. — [15] Ibid., 7. — [16] *Job*, IV, 17. — [17] *Psal.* IX, 6. — [18] *Joan.*, XI, 50. — [19] *Baruc.*, III, 28. — [20] *Prov.*, XXIV, 14. — [21] I *Cor.*, X, 9. — [22] *Joan.*, III, 14. — [23] II *Thess.*, II, 10. — [24] *Joan.*, XVII, 12.

(*a*) *Vulg.* vibrabit. — (*b*) *Suppl.* suam.

Nono, propter defectum veritatis [1] : « Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur, non effugiet. » Et ibidem [2] : « Testis mendax peribit. »

Decimo, propter defectum pacis et unitatis [3] : « Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. » Et de schismaticis qui contra Dominum murmuraverunt [4] : « Descenderunt vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. »

Undecimo, propter defectum liberalitatis [5] : « Divitiæ conservatæ in malum domini sui : pereunt enim in afflictione pessima, » id est, perire faciunt. Et *Timotheo* [6] : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. »

Duodecimo, propter defectum humilitatis, ut in *Ecclesiastico* [7] : « Audax secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peribit. » Contra, per *Matthæum* [8] : « Non est voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. » [9] « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum. »

4. *Sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris,* etc. Hic redarguit negligentiam pœnitendi per exemplum assumptum quod est conforme ad exemplum auditum : in quo præmittitur gravitas pœnæ, negatur profunditas nequitiæ, et concluditur necessitas pœnitentiæ.

Primo igitur, quantum ad gravitatem et horribilitatem pœnæ repentinæ, dicit : *Sicut illi decem et octo super quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos.* Isti decem et octo Hierosolymitæ erant, qui ad litteram ædificaverunt turrim juxta Siloe, et ruina turris oppressi sunt, quasi ex improviso. Et hoc justo judicio Dei, quia [10] : « Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. »

Secundo, quantum ad negationem profunditatis nequitiæ, subditur : *Putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem,* quia soli puniti sunt (v. 5.) *Non, dico vobis,* quia certe multi alii erant peccatores in ea [11] : « Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem, et propitius ero ei. »

Tertio, quantum ad conclusionem necessitatis pœnitentiæ, subjungitur : *Sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis,* non quantum ad pœnam temporalem, sed quantum ad spiritualem et gehennalem. Sicut enim super istos cecidit turris; sic super omnes reprobos cadet ille lapis angularis, de quo [12] : « Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum. » Hic autem lapis qui crevit in montem, recte dicitur turris propter fortitudinem et altitudinem [13] : « Turris fortissima nomen Domini. » Hos reprobos conteret hæc turris in judicio, secundum illud [14] : « Conteretur cum delinquente delictum, » etc. Et tunc peribunt cum peccatis suis [15] : « Vana sunt, et opus risu dignum : in tempore visitationis suæ peribunt. » Tales sunt qui opera pœnitentiæ negligunt, et crucem Christi contemnunt [16] : « Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. »

Nota autem quod homo puniri consuevit decem de causis, videlicet :

Ad purgationem, ut Maria soror Moysi [17] : « Maria apparuit candens lepra quasi nix, » etc.

Ad probationem, ut *Job* [18] : « Egressus Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus. »

Ad humiliationem, ut Paulus [19] : « Ne ma-

[1] *Prov.*, XIX, 5. — [2] Ibid., XXI, 28. — [3] I *Cor.*, X, 10. — [4] *Num.*, XVI, 33. — [5] *Eccle.*, V, 13. — [6] I *Tim.*, VI, 9. — [7] *Eccli.*, VIII, 18. — [8] *Matth.*, XVII, 14. — [9] *Joan.*, X, 28. — [10] *Prov.*, XVII, 16. — [11] *Jerem.*, V, 1. — [12] *Matth.*, XXI, 44. — [13] *Prov.*, XVIII, 10. — [14] *Eccli.*, XXVII, 3. — [15] *Jerem.*, X, 15. — [16] I *Cor.*, I, 18. — [17] *Num.*, XII, 10. — [18] *Job*, II, 7. — [19] II *Cor.*, XII, 7.

gnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, ut (*a*) me colaphizet, » etc.

Ad glorificationem divinæ potentiæ, ut cæcus natus [1] : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. »

Ad commendationem divinæ clementiæ, sicut pater Joannis Baptistæ [2] : « Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, » etc.

Ad manifestationem divinæ justitiæ, sicut Herodes [3] : « Percussit eum angelus Domini. » Sequitur : « Et consumptus a vermibus, expiravit. » Et sic [4] Antiochus.

Ad punitionem parentum [5] : « Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem. » Propter quod pueri Sodomitarum [6] submersi sunt.

Ad terrorem aliorum [7] : « Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. » Sic et isti puniti sunt, de quibus agitur hic, ut cæteri terreantur.

Ad exempla posterorum [8] : « Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daret exemplum patientiæ. »

Ad detestationem criminum, sicut Dathan et Abiron [9] : « Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. » Et sic Giezi [10] : « Lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. » Et sic Ananias [11] : « Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat : et venundatum, erat in tua potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? » etc. Et sequitur : « Cecidit et expiravit. » In hoc ostenditur, quantum Simonia oporteat detestari scissuram simoniacam, et apostosiam, ob quam statim sic puniti sunt. apostasia.

6. *Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam*, etc. Hic tertio subditur exemplum excogitatum, sive adinventum, de infructuosa ficulnea excidenda : sub cujus metaphora intelliguntur tria circa animam, quæ negligit pœnitentiam, scilicet defectus negligentiæ in non fructificando, rigor sententiæ in comminando, et necessitas pœnitentiæ in remediando.

Primo ergo, quantum ad defectum negligentiæ in fructificando, ait : *Dicebat autem et hanc similitudinem :* « Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, » scilicet ad fructum suscipiendum ex ea : quem tamen tollit negligentia : unde subdit : *Et venit quærens fructum in illa, et non invenit.* » Per vineam intelligitur congregatio ecclesiastica [12] : « Vinea Domini exercituum domus Israel est. » Per ficum infructuosam, sed foliis plenam, intelligitur anima quæ recusat pœnitentiam propter negligentiam. [13] « Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam et projecit, albi facti sunt rami ejus. » Hæc ficus est foliis plena, quando verbis abundat ad excusationem sui [14] : « Consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. » Et hæc est Domini maledictione digna [15] : « Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur. »

Secundo, quantum ad rigorem sententiæ in comminando, subditur (v. 7) : *Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio.* Per tres annos intelligitur pueritia, adolescentia, et juventus, in quibus negligit quis pœnitentiam agere, secundum illud [16] : « Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam. » Cultor istius vineæ est præ-

[1] *Joan.*, IX, 3. — [2] Sup., I, 20. — [3] *Act.*, XII, 23. — [4] II *Mach.*, IX, 28. — [5] *Exod.*, XX, 5. — [6] *Gen.*, XIX, 25. — [7] *Prov.*, XIX, 25. — [8] *Tob.*, II, 12. — [9] *Num.*, XII, 10. — [10] IV *Reg.*, V, 27. — [11] *Act.*, V, 3-5. — [12] *Isa.*, V, 7. — [13] *Joel.*, I, 7. — [14] *Gen.*, III, 7. — [15] *Matth.*, XXI, 19. — [16] *Job*, XXIV, 23.

(*a*) *Vulg.* qui.

dicator et maxime prælatus, de quo Apostolus[1] : « Ego plantavi, Apollo rigavit. » Augustinus, *Contra quinque hæreses*[2] : « Ubi estis, o boni agricolæ? quid agitis? quare vacatis? Videtis quo malo ista plena sit terra? Hinc spinæ, hinc tribulus, hinc fœnum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, fœnum secate, nova semina bona spargite, non terreat hiems, et si abundet iniquitas, tamen ferveat vestra charitas. Serite hieme, quod metatis æstate, » etc. Tali agricolæ negligenti competit comminari severitatem divini judicii. Propter quod subdit : *Succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat?* id est, denuntia eam succidendam, secundum quod dicebat Joannes Baptista[3] : « Facite fructum dignum pœnitentiæ; » sequitur : « Jam enim securis ad radicem posita est; omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. » Et Paulus[4] : « Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, » etc. Et David in *Psalmo*[5] : « Propterea Deus destruet te in finem, et evellet, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. »

Tertio, quantum ad necessitatem pœnitentiæ in remediando, subjungitur (v. 8) : *At ille respondens dixit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno*, id est in tempore senectutis, *usque dum fodiam circa illam et mittam stercora*, id est, donec reducam ad memoriam ei suam fragilitatem et ejus iniquitatem. Fodit enim, qui se humiliat[6] : « Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. »[7] « Facite alveo torrentis hujus fossas et fossas. » Unde Glossa : « Fossa quippe in imo est, quando increpatio mentem sibi demonstrat et humiliat; stercora mittit, qui peccatum ad memoriam reducit. Unde Glossa Bedæ[8] : Mittam stercora, id est, malorum, quæ fecit, abominationem ad animum reducam, et compunctionis gratiam, cum fructibus boni operis, quasi de putredine stercoris exsuscitem. » Peccata enim stercora dicuntur. Unde *Joel*[9] : « Computruerunt jumenta in stercore suo. » Et in *Threnis*[10] : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. » Horum recogitatio animam fœcundat. Unde in *Isaia*(*a*)[11] : Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » Et *Jeremias*[12] : « Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. » Sicut autem fructificat arbor, quando circa eam mittuntur stercora; sic et anima, dum peccatorum suorum recordatur. Ideo subditur (v. 9) : *Et si quidem fecerit fructum*, scilicet dimittes eam. Et est locutio figurativa, in qua deficit dictio necessaria : sed tamen communis est modus loquendi. *Sin autem, in futurum succides eam*, per gladium judicialis sententiæ. In canonica Judæ[13] : « Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ : fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. » Vel succides per mortem[14] : « Si qua ligna non sunt pomifera, sed agrestia; » etc., « succide. » Et *Job*[15] : « De mane usque ad vesperam succidentur : et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. »

Et nota : Sex hominis ætates sunt quasi sex anni, scilicet infantia, pueritia, adolescentia, juventus, senectus, et senium. In prima ætate non quærit fructum Dominus, propter liberi arbitrii defectum. In secunda vero requirit aliquo modo, scilicet in pueritia. In adolescentia magis, et in juventute maxime : expectat tamen negligentem, frequenter usque ad senectutem. Et tunc tandem ad extremum profert severitatem sententiæ adversus negligentem.

[1] I *Cor.*, III, 6. — [2] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *contra quinque hæres.*, c. VI, n. 8, inter Opera S. Augustini, tom. VIII, Append. — [3] *Matth.*, III, 8, 10. — [4] *Rom.*, II, 4, 5. — [5] *Psal.* LI, 7. — [6] *Isa.*, II, 50. — [7] IV *Reg.*, III, 16. — [8] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LVI. — [9] *Joel.*, I, 17. — [10] *Thren.*, IV, 5. — [11] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [12] *Jerem.*, XXXI, 21. — [13] *Jud.*, 12, 13. — [14] *Deut.*, XX, 20. — [15] *Job*, IV, 20. — (*a*) *Al.* Isaias.

Possunt autem hæc allegorice exponi de synagoga, in qua Dominus quæsivit fructum in tribus ætatibus mundi intermediis, in quibus Synagoga viguit, et adhuc ad pœnitentiam expectat, ut in triplici tempore, scilicet Patriarcharum, Judicum, et Regum, et tandem expectavit in tempore Prophetarum. Et quia non fuit conversa ad verba eorum, ideo succisa est in Christi adventu.

Vel isti tres anni referuntur ad tempus triplicis legis, scilicet Naturæ, Scripturæ, et Gratiæ : sed hæc sufficienter exponuntur in Glossa.

Secundum autem morum informationem spiritualiter notandum, quod arbor infructuosa succiditur, maxime quæ per triennium fructum non facit. In quo intelligitur recte homo negligens ad opera virtutis, et quidem recte per ficum infructuosam negligentia humana arguitur.

Primo, quia ficus habet folia multa et magna : et in illo potissime arguitur negligentia illius qui magna habet verba, ut in *Ecclesiastico* [1] : « Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. » Contra [2] : « Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. »

Secundo, quia folia ficus manui similia. Et in illo potissime reprehenditur negligentia ejus, qui alios ad operandum invitat, cum ipse nihil operetur [3] : « Qui alium doces, » etc. Contra [4] : « Cœpit Jesus facere et docere. »

Tertio, quia fructus ficus est suavis, ideo merito ipsius carentia negligentiam designat, et præsentia ipsius designat opus virtutis, quod est suave et valde delectabile : nam qui (*a*) continet, et hoc ipso gaudet, ille solus est castus.

Sunt autem virtutum opera suavia virtutem inchoanti, suaviora virtute proficienti, suavissima jam virtute consummato. Propter quod dicitur [5] : « Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear ? »

Habere autem dicitur ficus fructus suavissimos ad designandum triplex genus fructuum. Quidam enim fructus sunt suaves, ut fructus pœnitentiæ ; quidam suaviores, ut fructus justitiæ ; sed quidam suavissimi, ut fructus sapientiæ. Hæc tria genera fructuum quærit Dominus in tribus annis, quia in triplici statu. Nam fructus pœnitentiæ quæritur ab incipientibus ; fructus justitiæ, a proficientibus ; fructus autem sapientiæ a perfectis. Primo ergo in primo anno requirit fructum pœnitentiæ ; de quo supra [6] : « Facite fructus dignos pœnitentiæ. » Hic autem fructus in tribus consistit.

Primo, in resecatione superfluitatis [7] : « Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus et bona illius. » Carmelus interpretatur scientia circumcisionis, et designat resecationem superfluitatis. Carmelus.

Secundo, in mortificatione carnis [8] : « Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. »

Tertio, in purificatione mentis. *Isaias* [9] : « Dimittetur iniquitas domui Jacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus. »

In secundo anno, scilicet in statu proficientium, requirit Dominus fructum justitiæ [10] : « Sitis sinceri et sine offensa in die Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei. »

Hunc autem fructum justitiæ concordia inchoat, sive seminat [11] : « Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem. » *Job* [12] : « Habeto pacem, et per hanc habebis fructus optimos. »

Clementia patefacit et provehit, ut in *Psalmo* [13] : « Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo. »

[1] *Eccli.*, IV, 34. — [2] *Ose.*, X, 1. — [3] *Rom.*, II, 21. — [4] *Act.*, I, 1. — [5] *Judic.*, IX, 11. — [6] Sup., III, 8. — [7] *Jerem.*, II, 7. — [8] *Joan.*, XII, 25. — [9] *Isa.*, XXVII, 9. — [10] *Philip.*, I, 11. — [11] *Jac.*, III, 18. — [12] *Job*, XXII, 21. — [13] *Psal.* I, 3. — (*a*) *Suppl.* se.

Et in *Psalmo* [1] : « A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt. »

Patientia conservat [2] : « Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ; patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. » Et [3] : « Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

Perseverantia colligit; infra [4] : « Videte ficulneam et omnes arbores : cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. » Ut in *Proverbiis* de muliere forti dicitur [5] : « De fructu manuum suarum plantavit vineam. »

In tertio anno requirit fructum sapientiæ, de quo in *Proverbiis* [6] : « Primi et purissimi fructus ejus. »

Hic autem fructus est speciosissimus ad videndum [7] : « De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli et rore, atque abysso subjacente; de pomis fructuum solis et lunæ. »

Fragrantissimus ad odorandum; in *Ecclesiastico* [8] : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. » [9] « Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. »

Sapidissimus ad degustandum [10] : « Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Item in *Canticis* [11] : « Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum, » etc.

Pretiosissimus ad possidendum [12] : « Melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. »

Sempiternus ad perdurandum, ut in Sapientia [13] : « Bonorum laborum gloriosus est fructus; et quæ non concidit, radix sapientiæ; » et quia sapientia hic inchoatur, et durat in sempiternum. Cum igitur Dominus requirat in arbore, quam plantavit, in primo statu fructum pœnitentiæ, et ille sit triformis; et in secundo fructum justitiæ, et iste sit quadriformis; et in tertio fructum sapientiæ, et iste sit quinquiformis (*a*), requirit igitur duodecim fructus in arbore plantata. In cujus figuram dicitur in *Apocalypsi* [14] : « Ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. »

10. *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis,* etc. Pars illa in qua confutat Salvator Judæorum pervicaciam calumniantium miracula sua, divisa fuit in duas partes secundum duplicem modum calumniandi miracula Christi, scilicet ex parte causæ efficientis, et ex parte circumstantiæ temporis. Prima parte determinata, hic incipit secunda. Et dividitur hæc pars in duas, secundum duplicem temporis opportunitatem. In prima confutat calumniantes Christi miracula, quæ fiebant in sabbato, in concilio; in secunda vero confutat in convivio, ibi [15] : *Et factum est, cum intraret* (*b*), etc. Prima dividitur in duas : primo enim confutat eos qui dicebant sabbato non facienda esse miracula; secundo vero, occasione accepta, ostendit quod sine intermissione facienda sunt bona opera, ibi [16] : *Cui simile estimabo regnum Dei,* etc. Circa autem confutationem calumniantium miracula propter sabbatum, procedit hoc modo : primo præmittitur operatio creationis mirificæ; secundo adjungitur objurgatio superstitionis judaicæ, ibi [17] : *Respondens autem archisynagogus,* etc.; tertio subjungitur confutatio objectionis propositæ, ibi [18] : *Respondens autem ad illum Dominus,* etc.; quarto subinfertur assecutio gloriosæ victoriæ, ibi [19] : *Et cum hæc diceret, erubescebant,* etc.

Circa operationem autem curationis mi-

[1] *Psal.* IV, 8. — [2] *Jac.*, V, 7. — [3] *Hebr.*, XII, 11. — [4] Inf., XXI, 30. — [5] *Prov.*, XXXI, 16. — [6] Ibid., III, 14. — [7] *Deut.*, XXXIII, 14. — [8] *Eccli.*, XXIV, 23. — [9] *Cant.*, IV, 13. — [10] Ibid., II, 3. — [11] Ibid., V, 1. — [12] *Prov.*, VIII, 19. — [13] *Sap.*, III, 15. — [14] *Apoc.*, XXII, 2. — [15] Inf., XIV, 1. — [16] Inf., 20. — [17] Inf., 14. — [18] Inf., 15. — [19] Inf., 17.

(*a*) *Edit. Ven.* quinqueformis. — (*b*) Cæt. edit. *introisset.*

rificæ introducuntur tria, scilicet solemnitas diei (*a*), gravitas inveterata morbi, virtus accelerati miraculi.

Primo igitur, ad solemnitatem diei sacri, dicit : *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.* Nota quod Dominus sabbatis docebat : sive propter conservandam Judæorum consuetudinem [1] : « Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur; sive etiam propter doctrinæ publicationem, quia tunc tanquam in die solemni magis communiter erant verbo Dei intenti [2] : « Ego semper docui in synagoga, etc., quo omnes Judæi conveniunt; » sive quod sabbatum erat dies quietis, et ipse venerat annuntiare pacem et quietem, unde [3] : « Veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope ; » sive etiam quia præceptum de Sabbato, quod spectabat ad charitatem, præcipue erat figura temporis gratiæ, in quo præcipitur [4] : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; sive etiam propter servandum ordinem, quia ibi debebat incipere reparatio, ubi terminata est conditio, ut in *Genesi* dicitur [5] : « Complevit die septimo opus suum quod fecerat ; » subjungitur : « Et benedixit die septimo, » etc.; sive ad dandam informationem, quod intentus sapientiæ ab omnibus debet cessare, secundum illud [6] : « Sapientiam scribe in tempore vacuitatis; » sive etiam, ex septima causa, ut ostenderet se Dominum legis et sabbati, faciendo miracula in sabbato [7] : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. »

Secundo quantum ad gravitatem inveterati morbi, subdit (v. 11) : *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo*, quantum ad infirmitatis diuturnitatem [8] : « Languor prolixior gravat medicum; brevem languorem præcidit medicus. » *Et erat inclinata,* quantum ad infirmitatis gravitatem, secundum quod ille lugebat in *Psalmo* [9] : « Miser factus sum usque in finem, » etc. *Nec omnino poterat sursum respicere,* ob infirmitatis continuitatem, secundum illud [10] : « Dedit me Dominus in manum de qua non potero surgere. » Potest autem per hanc incurvationem longævam intelligi morbus avaritiæ et cupiditatis quæ incurvat cor ad temporalia, ut in *Psalmo* [11] : « Oculos suos statuerunt declinare in terram. » Et hoc quærunt dæmones; *Isaias* [12] : « Incurvare ut transeamus. » Hæc infirmitas curvativa durat per decem et octo annos, id est per senarium triplicem, hoc est per totum tempus vitæ, quia, ut dicit Hieronymus : « Cum cætera vitia senescant in senibus, sola avaritia juvenescit. » Et in *Ecclesiaste* dicitur de avaro [13] : « Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente quiescit. » Et [14] : « Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. » Hæc etiam infirmitas non sinit respicere sursum; unde dicitur [15] : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Et in *Psalmo* [16] : « Supercecidit ignis (scilicet cupiditatis) et non viderunt solem, » ut recordarentur, etc.

Tertio, quantum ad virtutem accelerati miraculi, subjungit (v. 12) : *Quam cum videret Jesus,* scilicet oculo pietatis [17] : « Quia pro spexit (*b*) de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, et solveret filios interemptorum. » Et [18] : « Audivi orationem tuam, vidi lacrymam tuam. » *Vocavit eam ad se*, per affectum benignitatis; *Joannes* [19] : « Dixit Martha Mariæ : Magister adest, et vocat te. »

[1] *Act.*, XV, 21. — [2] *Joan.*, XVIII, 20. — [3] *Ephes.*, II, 17. — [4] *Joan.*, XV, 12. — [5] *Gen.*, II, 2, 3. — [6] *Eccli.*, XXXVIII, 25. — [7] *Joan.*, V, 17, 18. — [8] *Eccli.*, X, 11, 12. — [9] *Psal.* XXXVII, 7. — [10] *Thren.*, I, 14. — [11] *Psal.* XVI, 11. — [12] *Isa.*, LI, 23. — [13] *Eccle.*, II, 23. — [14] *Ose.*, VII, 9. — [15] *Matth.*, VI, 21. — [16] *Psal.* LVII, 9. — [17] *Psal.* CI, 20, 21. — [18] IV *Reg.*, XX, 5. — [19] *Joan.*, XI, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* Dei. — (*b*) *Edit. Ven.* respexit.

Et [1] : « Voca Sunamitidem istam. » Subditur : « Quid vis ut faciam tibi? » *Et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua*, per promissum veritatis. Unde, ratione certitudinis, ponit præteritum pro futuro proximo [2] : « Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? »

13. *Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum*, quantum ad effectum virtutis [3] : « Omne quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est. » Ideo autem manus imponit, ut ostendat, quia ipse est manus per quam Omnipotens operatur cuncta, et per quam reparat universa. *Isaias* [4] : « Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat. » Et [5] : « Respondit Dominus Moysi : Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. » Et propterea in *Ecclesiastico* dicitur [6] : « Innova signa et immuta mirabilia : glorifica manum et brachium dextrum. » Et nota quod hic quatuor dicit de incurvatione hujus mulieris, quæ Dominus exercet in sanatione cujuslibet animæ fidelis. Nam primo videt prædestinando; *Sapientia* [7] : « Respectus in electos illius. » Secundo vero vocat exterius attrahendo ; in *Matthæo* (*a*) [8] : « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Et in *Proverbiis* [9] : « Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis. » Tertio manum imponit justificando : *Ezechiel* [10] :« Abii amarus in indignatione spiritus mei : manus enim Domini erat mecum confortans me. » Et supra [11] : « Etenim manus Domini erat cum illo. » Quarto erigit glorificando [12] : « Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. » De his quatuor similiter dicitur *ad Romanos* [13] : « Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et magnificavit. »

14. *Respondens autem archisynagogus*, etc. Hic secundo subjungitur objurgatio superstitionis judaicæ : circa quam primo introducitur commotio zeli inordinati in animo ; secundo simulatio zeli inordinati in verbo.

Primo igitur, quantum ad commotionem zeli inordinati in animo, dicit : *Respondens autem archisynagogus indignans, quia sabbato curasset Jesus*, quasi dicat quod ejus responsio ex indignatione animi originem traxit. Hæc autem indignatio oriebatur ex præsumptione justitiæ. Unde solum [14] « vera justitia compassionem habet; sed falsa justitia, indignationem. » Hæc autem falsa justitia erat æmulatrix legis quantum ad observantiam sabbati, sed æmulatione stulta [15] : « Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam : ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. » Unde stulta præsumptio parit æmulationem, et æmulatio indignationem, et indignatio divinæ legis transgressionem, secundum illud [16] : « Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata proclivior. » Unde stultus legis zelator est ipsius legis destructor. Propter quod *ad Galatas* [17] : « Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam. » Subjungitur : « Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. »

Secundo, quantum ad simulationem zeli inordinati in verbo, subdit (v. 14) : *Dicebat turbæ : Sex dies sunt in quibus oportet operari.* Ecce allegatio veritatis [18] :« Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. » *In his ergo venite et curamini :* Ecce simulatio pietatis; unde sibi competit quod dicitur de simulatoribus [19] : « Habentes spe-

[1] IV *Reg.*, IV, 12, 13. — [2] *Num.*, XXIII, 19. — [3] *Eccle.*, VIII, 4. — [4] *Isa.*, LIX, 1. — [5] *Num.*, XI, 23. — [6] *Eccli.*, XXXVI, 7. — [7] *Sap.*, IV, 15. — [8] *Matth.*, IX, 13. — [9] *Prov.*, IX, 3. — [10] *Ezech.*, III, 14. — [11] Sup., I, 66. — [12] I *Reg.*, II, 8. — [13] *Rom.*, VIII, 30. — [14] Ex Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, n. 2. — [15] *Rom.*, X, 2, 3. — [16] *Prov.*, XXIX, 22. — [17] *Gal.*, I, 13, 14. — [18] *Exod.*, XX, 9, 10. — [19] II *Tim.*, III, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus.

ciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.» Unde dicit : *Et non in die sabbati :* Ecce ostentatio sanctitatis, quia tanquam sanctus diem sabbati ostentat se velle servare ut sanctum, secundum illud [1] : « Sex diebus facietis opus; dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. » Unde Judæi dicebant [2] : « Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. » Sed diei sancti observantia in archisynagogo potius erat ad simulationem justitiæ, quam ad impletionem, secundum illud *Isaiæ* [3] : « Neomeniam et sabbatum, et festivitates alias non feram. » Subditur : « Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea. » Et ratio hujus est, quia potius servabant ad superstitionem, quam propter devotionem. Unde [4] : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. »

15. *Respondens autem ad illum Dominus,* etc. Hic tertio subjungitur confutatio objectionis propositæ : circa quam præmittit exemplum sensibile ; deinde elicit argumentum rationabile.

Primo igitur, præmittens exemplum sensibile, dicit : *Respondens autem ad illum Dominus dixit : Hypocritæ,* etc. In quo respondet Dominus secundum illud quod de eo dicitur in *Matthæo*, quod [5] « erat docens eos, sicut potestatem habens. » Et hoc faciebat potissime cum alios increpabat, sicut istum quem hypocritam vocat, quia ejus occulta videbat; unde [6] : « Qui autem judicat me, Dominus est. » Ipse enim novit abscondita cordis, et maxime odit vitium hypocrisis. Ideo in *Ecclesiastico* [7] : « Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. » Subjungitur : « Ne revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te : « sicut fecit hunc, quem exemplo evidenti et sensibili confutat et convincit. Ideo subdit : *Unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?* Glossa [8] : « Merito hypocritas simulatores vocat, qui cum magistri plebium videri appetunt, sanationem hominum non verentur postponere curæ pecorum. » In istis impletur illud *Isaiæ* [9] : « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo. » Et illud etiam hodie impleri videtur, secundum illud Bernardi : « Perit anima, et non est qui curet : cadit asina, et est qui sublevet. » Hypocritam ergo vocat eum, qui zelum legis simulans, magis curat de pecore vel de pecunia, quam de anima.

Secundo eliciens argumentum rationabile, subjungit (v. 16) : *Hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis,* cui debetur misericordia, et quia mulier infirma ex sexu [10] : « Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ. » Et quia infirma ex oppressione (*a*) dæmonis ; unde in *Matthæo* (*b*) [11] : « Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a dæmonio vexatur. » Quia etiam erat de semine Abrahæ, quem Deus sibi elegit. Unde in *Matthæo* (*b*) [12] : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » Ex his ergo causis optimis multo fortius colligitur, quod curatio mulieris propter sabbatum non debuit differri. Ideo subdit : *Non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* Imo certe oportuit, quia opportunitas temporis fuit : tum quia in infinitum major cura debet esse de salute hominis, quam bruti animalis ; propter quod [13] : « Numquid de bobus cura est Deo? » Tum etiam quia sabbatum non est introductum in præjudicium hominis, sed potius in salutem humani generis ; unde in *Joanne* (*c*) [14] : « Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? » tum etiam quia sabbato vetantur omnia servilia ; unde [15] : « Nullum servile opus facietis in eo. » Non autem opera spiri-

[1] *Levit.*, XXIII, 3. — [2] *Joan.*, IX, 16. — [3] *Isa.*, I, 13, 14. — [4] *Thren.*, I, 7. — [5] *Matth.*, VII, 29. — [6] I *Cor.*, IV, 4. — [7] *Eccli.*, I, 37, 39. — [8] Bed., ubi sup. — [9] *Isa.*, LVII, 1. — [10] I *Petr.*, III, 7. — [11] *Matth.*, XV, 22. — [12] Ibid., 24. — [13] I *Cor.*, IX, 9. — [14] *Joan.*, VII, 23. — [15] *Levit.*, XXIII, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* expressione. — (*b*) Matthæus. — (*c*) Joannes.

tualia; unde dicitur in *Matthæo* (*a*) [1] : « Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? » Non vetantur etiam opera divina et miraculosa. Unde in *Joanne* (*b*) [2] : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor : » [3] « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. » Non vetantur etiam opera necessaria ad sanitatis conservationem, ut comedere et bibere : igitur nec ad curationem. Ex quo datur intelligi quanta homini debeat esse sollicitudo et diligentia, ut peccator de laqueis diaboli absolvatur. Unde etiam, si fieri posset, ut nec modicum retardetur, ut in *Proverbiis* [4] : « Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. » In cujus signum dicitur de filio prodigo revertente, infra [5] : « Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. » Et nota quod non est aliud filiam Abrahæ solvi a vinculo satanæ, quam animam solvi a reatu culpæ. Unde Glossa [6] : « Filia Abrahæ, quæque fidelis anima. » Hanc solvit Christus ministerio sacerdotum [7] : « Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » Sed oportet quod homo seipsum disponat quasi ab interiori; *Isaias* [8] : « Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. » Et tunc Deus operatur a superiori; ut in *Psalmo* [9] : « Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis. » Unde in hac solutione operantur sacerdotes per exteriorem dispensationem sacramenti, et peccator per interiorem detestationem peccati, et Deus per superiorem infusionem gratiæ Spiritus sancti.

17. *Et cum hæc diceret*, etc. Hic quarto subjungit assecutionem gloriosæ victoriæ, quantum ad duo, quæ hic introducuntur : scilicet confusio rebellium, et lætificatio fidelium.

Primo ergo quantum ad confusionem rebellium, dicit : *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus.* Glossa : « Adversarii, Scribæ et Pharisæi, qui non aperte veritati contradicere possunt, nec propter invidiam credere volunt. » De talibus [10] : « Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus. » Tales non instruuntur, sed confunduntur, cum veritas declaratur; *Isaias* [11] : « Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te : erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, et non invenies viros rebelles tuos. »

Secundo, quantum ad lætificationem fidelium, subdit : *Et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.* Beda [12] : « *Populus*, id est, simplices et humiles verba veritatis, et miracula amantes. » Ii gaudent de manifestatione gloriæ divinæ; unde [13] : « Pauperes homines in sancto Israel exultabunt. » Exultabunt, inquam, *in universis quæ gloriose fiebant ab eo*, ut in *Ecclesiastico* [14] : « Gloria Domini plenum est opus ejus. » Et nota quod opera Christi erant gratiosa quantum ad condescensionem divinæ dignationis, et de his est regratiandum; apud *Tobiam* (*c*) [15] : « Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei : quia fecit vobiscum misericordiam suam. » Erant etiam gloriosa quantum ad operationem virtutis, et manifestationem majestatis, et de his est gaudendum et exultandum; in *Psalmo* [16] : « Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua, Domine! In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. »

Possunt autem hæc allegorice exponi de Ecclesia ex gentibus congregata, quæ per triplicem annorum senarium fuit curva, hoc

[1] *Matth.*, XII, 5. — [2] *Joan.*, V, 17. — [3] Ibid., IX, 4. — [4] *Prov.*, VI, 3. — [5] Inf., XV, 20. — [6] Bed., ubi sup. — [7] *Matth.*, XVIII, 18. — [8] *Isa.*, LII, 2. — [9] *Psal.* CXV, 17. — [10] *Job*, XXIV, 13. — [11] *Isa.*, XLI, 11, 12. — [12] Gloss. ex Bed., ubi sup. — [13] *Isa.*, XXIX, 19. — [14] *Eccli.*, XLII, 16. — [15] *Tob.*, XII, 6. — [16] *Psal.* LXV, 1, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* dicit Matthæus. — (*b*) Joannes. — (*c*) Tobias.

est sub dictamine legis naturæ, legis Mosaicæ, et etiam prophetiæ : in quorum quolibet opera facta sunt ad sex dies spectantia, hoc est opera servilia, quæ ex timore fiebant. Et hæc non possunt animam sursum erigere, quia timor deprimit, et solus amor sursum erigit. Unde supra [1] : « Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. » Et hoc fit per spiritum charitatis [2] : « Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. » Hæc solvitur die sabbati, sicut bos et asinus qui ducuntur adaquare, quia Ecclesia ista congregata est ex populo judaico et gentili, qui per bovem et asinum habent intelligi, secundum illud [3] : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Et [4] : « Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Utrumque autem Dominus solvit, et Judæos ad Ecclesiam venientes ab onere servitutis legalis, et Gentiles a vinculo servitutis idololatriæ [5] : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et (*a*) reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem; interficiens inimicitias in semetipso. » De hac autem solutione confunditur populus Judæorum Christo adversantium, et exultat populus Gentilium, secundum illud [6] : « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, etc. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. » Et hoc, propter rebellionem. Unde [7] : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcipit nobis Dominus. »

18. *Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ?* etc. Postquam confutavit calumniantes miracula in sabbato facta, hic secundo ostendit, quod sine cessatione facienda sunt opera bona. Et primo ad hoc incitat per manuductionem naturalis exempli; secundo vero per manifestationem divini decreti, ibi [8] : *Et ibat per civitates et castella*, etc. Manuducit ergo per exemplum dupliciter : per primum informamur ad proficiendum continuo in notitia veritatis; per secundum vero, ad proficiendum in fervore charitatis, ibi [9] : *Et iterum dixit*, etc. Primo igitur continuum profectum in notitia veritatis ostendit sub metaphora grani sinapis; et hoc tripliciter, videlicet quantum ad proprietates, quas granum sinapis habet secundum seipsum, et in quantum seminatum, et in quantum augmentatum.

Primo igitur, quantum ad proprietatem grani sinapis secundum seipsum, per quam assimilatur notitiæ veritatis, dicit : *Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ?* Regnum cœlorum dicitur hic veritatis notitia vel doctrina. Unde Beda [10] in Glossa : « Regnum cœlorum prædicatio est evangelica : » dequa alibi [11] : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus : » ubi hæc notitia recte dicitur *regnum cœlorum*, quia revera regnum cœlorum non est aliud, quam perfecta notitia divinæ veritatis [12] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Et hæc in patria est sublimis et jucunda; sed in via debet esse humilis et fervida : in cujus designationem, subdit (v. 19) : *Simile est grano sinapis*. Ideo grano sinapis assimilatur, quia ipsum est modicum mole, et magnum in virtute sive savore (*b*). In quo insinuatur quod nostra notitia debet esse humilis, secundum illud [13] : « Noli altum sapere, sed time. » Et [14] : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei : »

[1] Sup., I, 69. — [2] *Ezech.*, II, 2. — [3] *Isa.*, I, 3. — [4] Ibid., XXXII, 20. — [5] *Ephes.*, II, 14-16. — [6] *Matth.*, VIII, 11-12. — [7] *Act.*, XIII, 46, 47. — [8] Inf., 22. — [9] Inf., 20. — [10] Bed., *in Luc.*, c. LVII. — [11] *Matth.*, XXI, 43. — [12] *Joan.*, XVII, 3. — [13] *Rom.*, XI, 20. — [14] Ibid., XII, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* ut. — (*b*) fervore.

quia, ut dicitur in *Proverbiis* [1] : « Ubi humilitas, ibi et sapientia. » Insinuatur etiam quod debet esse fervida et ardens ; unde Glossa Bedæ [2] : « Notitia Scripturarum grano sinapis comparatur ob fervorem fidei, quia venena dicitur expellere, id est, omnia dogmata pravitatis. » Ideo dicitur infra [3] : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis. »

Secundo, quantum ad proprietatem ipsius, in quantum seminatum, subdit : *Quod acceptum homo misit in hortum suum.* Per hortum istum intelligitur Ecclesia militans [4] : « Hortus conclusus soror mea sponsa ; hortus conclusus, et fons signatus. » Hic est hortus voluptatis, ubi crescunt semina virtutum : in quo primo seminandum est semen fidei ; sed hoc fit per hominem, quia prædicatio fidei per humanum ministerium seminatur : in cujus rei figuram [5] : « Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso (*a*) voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. » Talis fuit Paulus [6] : « Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit. » Hominis enim, id est, rationalis et prælati, est prædicare documenta fidei. Summus autem seminator hujus fidei fuit Christus, qui *homo* dicitur per antonomasiam, secundum illud in *Psalmo* [7] : « Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, » etc. Unde et ipse ubique se vocat filium hominis, quia homo fuit secundum plenissimam rationem, et quantum ad perfectionem, et quantum ad infirmitatem. *Ad Philippenses* [8] : « In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Et hic homo seminavit hoc semen, cum doctrinam Evangelii prædicavit, ut dicit in *Matthæo* (*b*) [9] : « Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. » Huic homini adversatur, qui prædicat falsitatem. Unde subditur ibi : « Cum autem dormirent homines, » id est prælati, « venit inimicus homo, et superseminavit zizania in medio tritici, » etc.

Tertio, quantum ad proprietatem ipsius, in quantum augmentatur, subdit : *Et crevit, et factum est in arborem magnam.* Quod dicitur ad profectum fidei in robore virium. Unde Glossa [10] : « Crescit, non sicut herbæ quæ cito arescunt et corruunt, sed sicut arbor quæ longa annositate et opima (*c*) fertilitate gaudet [11] : « In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad nos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut et in vobis. » Et paulo post : « Ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. » Hæc autem notitia tanto altius crescit per veritatem, quanto radix profundius descendit per humilitatem, ut *Isaias* ait [12] : « Mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum. » Et quia notitia fidei crescens in se redundat in aliorum salutem, ideo subdit : *Et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Per volucres cœli intelliguntur viri spirituales [13] : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ? » de quibus in *Proverbiis* [14] : « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. » Per ramos arboris intelliguntur documenta virtutis procedentia ex ore sapientis. Unde in *Ecclesiastico* dicit sapientia [15] : « Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. » Volucres ergo cœli requiescunt in ramis sinapis crescentis, quia quietantur sub doctrina doctoris fidelis, quo ad (*d*) notitiam veritatis perveniant (*e*). Unde Glossa [10] : « In ramis ejus, id est, in diversis sententiis viri spirituales requiescunt, qui pennis virtutum in alta conscendunt. » In cujus figuram Daniel dicit [16] : « Videbam, et

[1] *Prov.*, XI, 2. — [2] Bed., *in Luc.*, c. LVII. — [3] Inf., XVII, 6. — [4] *Cant.*, IV, 12. — [5] *Gen.*, II, 15. — [6] I *Cor.*, III, 6. — [7] *Psal.* LXXXVI, 5. — [8] *Philip.*, II, 7. — [9] *Matth.*, XIII, 24, 25. — [10] Ex Bed., ubi sup. — [11] *Coloss.*, I, 5, 6, 10. — [12] *Isa.*, XXXVII, 31. — [13] Ibid., LX, 8. — [14] *Prov.*, I, 17. — [15] *Eccli.*, XXIV, 22. — [16] *Dan.*, IV, 7, 9. — (*a*) *Cæt. edit.* paradisum. — (*b*) Matthæus. — (*c*) inopinata. — (*d*) *Edit. Ven.* quod ad. — (*e*) *Cæt. edit.* perveniunt.

ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia.» Sequitur : «Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conservabantur volucres cœli. » Sic ergo paululum semen crescit in magnitudinem arboris per continuum incrementum. Qui ergo est parvulus, laborare continue debet in profectum meriti, ut sic arbor fiat, cujus cacumen pertingat ad cœlum per spem et desiderium æternorum.

20. *Et iterum dixit : Cui simile æstimabo*, etc. Postquam præmisit exemplum incitativum ad proficiendum continue in notitia veritatis, hic adjungit exemplum incitativum ad proficiendum in fervore charitatis; et hoc sub metaphora fermenti, ex cujus assimilatione incitat ad continue proficiendum in charitate, quantum ad ejus similitudinariam proprietatem, (*a*) triplicem scilicet, quam habet fermentum : ex parte naturæ propriæ, ex parte industriæ alienæ, et ex parte utriusque.

Primo igitur quantum ad proprietatem, quam habet ex parte naturæ propriæ, per quam intendit nos ad charitatis profectum excitare, dicit : *Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei?* Et hic per *regnum Dei* intelligitur recte amor Dei, quia in solis illis regnat Deus, qui ipsum diligunt [1] : « Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ. » Quia, ut dicitur *ad Romanos* [2] : « Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. » Et quoniam charitas et gaudium cor dilatat et calefacit interius, et hoc habet manifestam similitudinem cum fermento, ideo subdit (v. 21) : *Simile est fermento*. Et nota quod per fermentum aliquando intelligitur corruptio pacis et veritatis, sicut supra [3] : « Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. » Et hoc satis recte, quia fermentum est pasta vetus, et ex vetustate corrupta, et in acorem versa, quæ reliquam massam corrumpit, et in acorem vertit. Ideo signanter dicitur *ad Corinthios* [4] : « Expurgate vetus fermentum. » Aliquando per fermentum intelligitur fervor et dilectio, sicut hic, quia fermentum pastam calefacit, et quemdam fervorem inducit quasi ab occulto et interiori. Unde non incongrue fermentum est charitas. Nec est contrarium rationi quod fermentum capiatur aliter atque aliter, ratione diversæ proprietatis. Unde Augustinus [5] : « Quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus : nam et in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret [6] : *Cavete a fermento Pharisæorum;* et in laude cum diceret [7] : *Simile est regnum cœlorum mulieri, quæ abscondit fermentum in farinæ sata tria.* » Hujusmodi autem, ut dicit, multa sunt similia in Scriptura. Sicut leo Christum significat in *Apocalypsi* [8] : « Vicit leo de tribu Juda ; » et diabolum [9] : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, » etc. Sic et alia plurima sunt : cujus diversitatis causa est multiplicitas proprietatum, ex quibus diversitas similitudinum et repræsentationum oritur in figuris.

Fermentum.

Secundo, quantum ad proprietatem ex parte industriæ alienæ, subdit : *Quod acceptum mulier abscondit in farina sata tria*. Secundum litteram, ut dicit Beda [10] : « Satum eat genus mensuræ, juxta morem (*b*) provinciæ Palestinæ modium et dimidium capiens. »

Et nota quod per hanc mulierem intelligitur sapientia divina, vel Ecclesia, ut in *Proverbiis* [11] : « Mulierem fortem quis inveniet? » etc. Farina autem sunt fideles, qui teruntur inter duas molas, superiorem scilicet et inferiorem, timorem videlicet et

[1] *Coloss.*, I, 13.— [2] *Rom.*, XIV, 7. — [3] *Luc.*, XII, 1. — [4] 1 *Cor.*, V, 7. — [5] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. III, c. XXV, n. 35. — [6] *Matth.*, XVI, 11. — [7] *Luc.*, XIII, 21.— [8] *Apoc.*, V, 5. — [9] 1 *Petr.*, V, 8. — [10] Bed., ubi sup. — [11] *Prov.*, XXXI, 1. — (*a*) *Cæt. edit. præmis.* in — (*b*) *omis.* morem.

spem [1] : « Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam. » Ex qua farina fit unus panis, quem Christus in corpus suum mysticum trajicit [2] : « Unus panis, et unum corpus multi sumus. »

Sed tria sata sunt tres differentiæ fidelium, in quibus Dei sapientia dilectionem (*a*) abscondit in via, scilicet boni prælati, boni contemplativi, et boni activi. Unde Glossa : « Tria sata, tria genera hominum, Noe, Daniel, et Job,» ut in *Ezechiele* [3] : « Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas. » Hæc ergo prima expositio magis secundum litteram consonat : aliter etiam ac multipliciter exponit Beda [4] in Glossa, ut ex hoc appareat multiformis sapientia Dei, quæ in mysterio abscondita est.

Secundo, per sata tria intelliguntur tres modi diligendi Deum, scilicet ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente. Unde Glossa Bedæ [4] : « Abscondit Ecclesia fermentum dilectionis in farinæ sata (*b*), quia præcipit ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute [5] : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. » Et in *Matthæo* (*c*) [6] : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. »

Tertio modo, per sata tria intelliguntur spiritus et anima et corpus, ex quibus homo conflatur. Glossa [7] : « Ut spiritus et anima et corpus redacta in unum non discrepent inter se, » secundum illud [8] : « Integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur (*d*). »

Quarto modo, per sata tria intelliguntur tres animæ vires, quæ reformantur charitate. Glossa [7] : « Tres animæ vires in unum redigantur, ut in ratione possideamus prudentiam, in ira odium vitiorum, in cupiditate desiderium virtutum,» secundum illud [9] : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. »

Quinto modo sic, ut charitas juncta sit et quodam modo immixta fidei Trinitatis, ut non tantum credat quis Deum unum, sed etiam credendo tendat in eum. Unde Glossa : « Ecclesia fidem hominis in farinæ sata tria miscet, id est, credulitati Patris et Filii et Spiritus sancti. » Unde de charitate dicitur [10] quod *omnia credit*.

Sexto modo sic : Per sata tria triplex fructus, ad quem charitas ordinatur. Unde Glossa [4] : « Possunt in his tribus satis illius dominici seminis fructus intelligi, trigesimus scilicet, sexagesimus, et centesimus, id est, conjugatorum, continentium, et virginum, » de quibus in *Matthæo* [11] : « (Fructum affert, et facit) aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum. »

Septimo per sata tria farinæ possunt intelligi tres partes generis humani a tribus filiis Noe disseminatæ per universum orbem, de quibus in *Genesi* [12] : « Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, et Japhet.»

Octavo modo, secundum Hilarium [13], per farinam intelligitur Scriptura ; per sata, tres partes Scripturæ, scilicet Mosaica, Prophetica, et Evangelica. Et in his abscondit Dei sapientia charitatem, quia [14] : « In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. »

Nono modo, secundum Ambrosium [15] scilicet, *Mulier*, Ecclesia ; *farina* ejus nos susumus quæ Dominum nostrum Jesum abs-

[1] *Deut.*, XXIV, 6. — [2] I *Cor.*, X, 17. — [3] *Ezech.*, XIV, 14. — [4] Bed., ubi sup. — [5] *Deut.*, VI, 5. — [6] *Matth.*, XXII, 37-40.— [7] Ex Bed., *in Matth.*, lib. II. — [8] I *Thess.*, V, 23. — [9] *Mich.*, VI, 8. — [10] I *Cor.*, XIII, 7. — [11] *Matth.*, XIII, 8. — [12] *Gen.*, X, 1. — [13] Imo Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 188, 189. — [14] *Matth.*, XXII, 40.— [15] Ambros., ubi sup., n. 187.

(*a*) *Cæt. edit.* dilectionum. — (*b*) *Suppl.* tria. — (*c*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*d*) conservetur.

condit, ut fermentum, in interioribus nostris, donec ea (*a*) calor cœlestis sapientiæ obducat.

Decimo, secundum Bernardum [1], sic : Mulier, virgo Maria; sata tria, triplex natura, seu substantia, in una persona Christi, scilicet caro, anima et divinitas. Primum satum est antiquum; secundum est novum; sed tertium est æternum. Hæc autem miscuit per fermentum suæ fidei et dilectionis. Unde Hugo : « Quia amor in mente ejus singulariter ardebat, ideo in carne ejus miracula faciebat. » In cujus figura dicitur in *Genesi* [2] : « Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei : Accelera, tria sata similæ commisce. » Et sic fecit beata Virgo, quia ad verbum Angeli statim consensit [3] : *Ecce*, inquiens, *ancilla Domini*, etc. Ex his ergo apparet quomodo de una re parvula Spiritus sanctus varios intellectus exterius eduxit per sanctos suos, ut ex hoc appareat multiformis sapientia Dei, quæ ad modum mulieris fermentum in satis abscondit. Nam, sicut dicit Dionysius, « tota mystica Theologia (quæ scilicet in mystico abscondita est) consistit in dilectione excessiva secundum triplicem vim hierarchiarum, purgativam, illuminativam, et perfectivam. »

Tertio, quantum ad effectum ex parte utriusque, subdit : *Donec fermentaretur totum.* Glossa : « Tamdiu charitas in mente abscondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil præter Deum diligat. » Sicut enim fermentum magis ac magis diffunditur, sic et charitas Dei. Unde Gregorius [4] : « Nunquam est amor Dei otiosus : operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. » Et Bernardus [5] : « Charitas aut proficit, aut deficit. » Unde charitas nunquam excidit, sed totum, ad modum fermenti et ignis, in sui naturam convertit. Unde [6] : « Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne. » Hic enim ignis et calor charitatis inchoatur in via, sed totum cor occupat in patria. *Isaias* [7] : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem. » Unde sicut a corde, quod est in centro, manat vitalis calor in totum corpus, sic a charitate perfecta omnes congregationes operum virtutum calorem et vigorem suscipiunt, per quem tendant sursum. Et sic dicitur in *Matthæo* [8] : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. » Sic, si cor tuum fuerit calens, totum corpus tuum calefactum erit; si divinum, totus homo divinus per amorem deificum, secundum illud *Psalmi* [9] : « Defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. »

22. *Et ibat per civitates et castella*, etc. Supra ostendit sine cessatione facienda esse bona opera, per manuductionem exempli naturalis; hic ostendit hoc ipsum per manifestationem divini decreti. Quod quidem manifestat dupliciter : primo, quoad severitatem divinæ districtionis in judicando; secundo, quoad sublimitatem divinæ dispositionis in redimendo, ibi [10] : *In ipsa die accesserunt quidam.* Severitas autem districtionis in judicando ostenditur tripliciter : primo, quantum ad difficultatem in merito; secundo, quantum ad rigiditatem in judicio, ibi [11] : *Cum autem intraverit paterfamilias;* tertio, quantum ad calamitatem in supplicio, ibi [12] : *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Difficultatem autem in merito ostendit dupliciter : exemplo, scilicet in facto; et documento, in verbo. Divi

Primo igitur, quantum ad exemplum, quo ostendit difficultatem ingrediendi in cœlum, dicit : *Et ibat per civitates et castella docens, et iter faciens in Hierusalem.* In

[1] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. x, n. 22. — [2] *Gen.*, XVIII, 6. — [3] Sup., I, 38. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXVI. — [6] *Exod.*, XIX, 18. — [7] *Isa.*, XXXI, 9. — [8] *Matth.*, VI, 22; *Luc.*, XI, 34. — [9] *Psal.* LXXII, 26. — [10] Inf., 31. — [11] Inf., 25. — [12] Inf., 28.

(*a*) *Cæt. edit.* eum. *Ambrosius ipse* : in interioribus nostræ mentis abscondat, donec animi nostri secreta penetralia.

hoc quod ibat et circuibat, patet quod sine cessatione laborabat. Unde poterat dicere illud *Psalmi* [1] : « Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. » Et exemplum aliis dabat ad laborandum [2] : « Discurre, festina, suscita amicum tuum. » In hoc autem quod in Jerusalem ibat, patet quod ad passionem currebat. Unde in *Matthæo* [3] : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte. » Et in hoc exemplum aliis dabat ad sustinendum, quia ait Petrus [4] : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Unde Jacobus [5] : « Exemplum accipite, fratres, exitus mali, et longanimitatis, et laboris, et patientiæ per prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini : ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. » Ex hoc ergo exemplo Domini, qui tantum laborem, et in fine passionem sustinuit, apparet quod difficilis sit aditus cœli. Unde infra [6] : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » Et hinc est quod oportet per tribulationes intrare in cœlum [7] : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. »

Et nota quod in his verbis tria nobis insinuantur exempla Domini, per quæ pervenit quis ad gloriam paradisi, scilicet actio bona, prædicatio vera, et contemplatio tranquilla. Operatio insinuatur in hoc : *Ibat per civitates et castella;* prædicatio in hoc : *Ibat docens*; contemplatio in hoc : *Erat iter faciens in Hierusalem,* quæ est visio pacis per anagogiam [8] : « Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, » etc. Sequitur : « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, » etc. Primum horum spectat ad prudentiam; secundum, ad intelligentiam; tertium autem, ad sapientiam. Vel primum ad bonitatem, secundum ad disciplinam, tertium ad scientiam [9] : « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. »

Secundo, quantum ad documentum in verbo, in quo respondens ad quæstionem de paucitate salvandorum, subdit (v. 23) : *Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Hoc quærit iste, quia non audierat divinam sententiam, qua dicitur [10] : « Multi sunt vocati, pauci vero electi; » in cujus figura dicitur [11] : « Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. » Vel ideo hanc quæstionem faciebant, ut occasionem daret docendi verbo, quod ostendebat exemplo. Unde subdit : *Ipse autem dixit ad illos* (v. 24) : *Contendite intrare per angustam portam.* [12] « Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! » Porta ista est Christus, secundum illud *Joannis* [13] : « Ego sum ostium. » Similiter ipse est via [14] : « Ego sum via, et veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. » Hæc via arcta est, et porta angusta, non propter parvitatem potentiæ, sed propter arctitudinem modestiæ (*a*), et rectitudinem justitiæ. Unde Chrysostomus [15] : « Porta arcta est Christus, non potestatis parvitate, sed humilitatis ratione. » Christus illos in se non recipit, nisi qui se exuerunt a peccatis, et deposuerunt omnem sarcinam mundi. Et propterea in *Matthæo* (*b*) ait [16] : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Ideo ergo porta cœli dicitur angusta, quia nisi quis se redigat ad parvitatem et austeritatem, non potest intrare. Et quia pauci sunt tales, ideo subdit : *Quia multi, dico vobis, quærent intrare,* Glossa [17] : « Salutis et præmiorum amore provocati : » *Et non poterunt,* itineris asperitate perterriti, quia non quærunt voluntate integra et plena.

[1] *Psal.* LXXXVII, 16. — [2] *Prov.*, VI, 3. — [3] *Matth.*, XX, 18. — [4] I *Petr.*, II, 21. — [5] *Jac.*, V, 10-11. — [6] Inf., XXIV, 26. — [7] *Act.*, XIV, 21. — [8] *Psal.* CXXI, 3, 4. — [9] *Psal.* CXVIII, 66. — [10] *Matth.*, XX, 16. — [11] *Mich.*, VII, 1. — [12] *Matth.*, VII, 14. — [13] *Joan.*, X, 9. — [14] Ibid., XIV, 6. — [15] Imo auctor Oper. imperf. *in Matth.*, VII, 14, hom. XVIII. — [16] *Matth.*, XIX, 24. — [17] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LVII.

(*a*) *Leg.* molestiæ. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus.

Nam volunt Christum consequi, et nolunt eum sequi, secundum illud [1] : « Vult et non vult piger. » Unde Chrysostomus [2] : « Nisi ambulaverit quis per viam, non poterit pervenire ad patriam. Si non fuisti nec es in via justitiæ, et putas te cognoscere Christum, mentiris. Sicut qui audit mel esse dulce, et non gustat, nomen mellis scit, gratiam autem et saporem mellis ignorat. » Unde pigri qui volunt et nolunt, intrare non possunt. Similiter nec isti qui volunt simul præsens sæculum et Deum; de quibus *Oseas* [3] : « In gregibus suis, et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non (*a*) invenient. » Et de talibus dicitur [4] : « Nemo potest duobus dominis servire. » Subditur : « Non potestis Deo servire et mammonæ. » Hi non vadunt recte in cœlum. Unde in libro *Regum* [5] : « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. » Quia impossibile est cum cupiditatibus terrenorum introire in regnum cœlorum, et difficile est has deponere, ideo oportet conari contra appetitum. Propterea dicit : *Contendite intrare per angustam portam.* Quasi dicat : « Impossibile est intrare cum desideriis carnalibus, quæ multi quærunt; sed vos saltem nitimini, desideriis carnis calcatis, et charitatis ardore accensi. Unde et in *Matthæo* (*b*) ait [6] : « A diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Nec obstat illud quod ibidem dicitur [7] : « Jugum meum suave est, » quia porta et via cœlestis arcta est intrantibus, sed dilatatur proficientibus, et ampla est pervenientibus. Pro primis dicebat Psalmographus [8] : « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. » Pro secundis [9] : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » Pro tertiis ibidem [10] : « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. » Pro tribus his dicitur [11] : « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. » Et iterum ibidem [12] : « Duxi te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. »

25. *Cum autem intraverit paterfamilias*, etc. Postquam excitavit ad continue proficiendum in opere bono propter difficultatem in merito, hic secundo excitat ad hoc propter rigiditatem in futuro judicio, quam ostendit dupliciter, videlicet, quia repellit supplicationem precum, et allegationem rationum.

Primo, quantum ad repulsam supplicationis, dicit : *Cum autem intraverit paterfamilias et clauserit ostium*, per judiciariam districtionem [13] : « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. »

Et nota quod Christus dicitur paterfamilias respectu justorum. Unde in *Matthæo* (*b*) [14] : « Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. » Dicitur autem paterfamilias, quia habet multam familiam. In cujus figuram [15] : « Fuit possessio Job septem millia ovium, tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. » Et dicitur judex respectu malorum, quibus claudit ostium misericordiæ. Unde dicitur [16] : « Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis et adoretis eos : iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant. » Hæc porta aperta est per totum spatium viæ, sed clauditur in fine; *Ezechiel* [17] : « Porta autem non claudetur usque ad vesperam. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis et in Kalendis coram

[1] *Prov.*, XIII, 4. — [2] Imo auctor Oper. imp. ubi sup. — [3] *Ose.*, V, 6. — [4] *Matth.*, VI, 24. — [5] III *Reg.*, XVIII, 21. — [6] *Matth.*, XI, 12. — [7] Ibid., 30. — [8] *Psal.* XVI, 4. — [9] *Psal.* CXVIII, 32. — [10] Ibid., 14. — [11] *Prov.*, IV, 18. — [12] Ibid., 11. — [13] *Matth.*, XXV, 10. — [14] *Matth.*, XX, 1. — [15] *Job*, I, 3. — [16] *Deut.*, XI, 16, 17. — [17] *Ezech.*, XLVI, 2, 3.

(*a*) *Cæt. edit. deest* non. — (*b*) Matthæus.

Domino. » Et quia subtractio misericordiæ ducit hominem in recognitionem propriæ miseriæ, et hæc iterum ducit ad precum importunitatem; ideo subdit : *Et incipietis foris stare, et pulsare ostium*, per seram pœnitudinem [1] : « Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. » Sequitur : « Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, » etc. Et ad *Hebræos* [2] : « Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. » *Dicentes: Domine, aperi nobis*, per importunam supplicationem. Novissime veniunt et reliquæ virgines dicentes [3] : « Domine, Domine, aperi nobis. » *Et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis*, per finalem reprobationem [4] : « Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint. » Unde etiam dicitur [5] : « Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus. » Et nota quod Dominus dicitur nescire nos, non quia non cognoscat per simplicem notitiam, cum dicatur [6] : « Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur; » et in *Psalmo* [7] : « In libro tuo omnes scribentur : » sed quia non novit notitia approbationis, quia dicitur [8] : « Cognovit Dominus qui sunt ejus. » Ideo *Job* [9] : « Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet : Non novi te. »

Secundo, quantum ad repulsionem allegationis rationum, subdit (v. 26) : *Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus :* ecce allegatio familiaritatis in vita. *Et in plateis nostris docuisti*, quantum ad familiaritatem in doctrina. Vel potest primum referri ad miracula, quæ fecit Christus inter Judæos, quando panes multiplicavit, et aquam in vinum convertit; secundum ad documenta : nam isti viderant miracula, et audierant documenta. Unde in *Matthæo* (*a*) [10] : « Væ tibi, Corozaim; væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. » Sic allegant notitiam Christi, quia cognoverunt ejus opera et miracula. Cognoverunt etiam verba et documenta : tales erunt mali Christiani in judicio, de quibus ad *Titum* [11] : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Et quoniam parum valet allegatio cognitionis sine imitatione operis, ideo subdit (v. 27) : *Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis.* Chrysostomus [12] : « Imaginem meam non cognosco in vobis. Non potestis meorum stipendia militum accipere, qui tyranni vexilla portastis. » Hoc autem dicit Chrysostomus, non quantum ad imaginem Creationis, de qua in *Psalmo* [13] : « In imagine pertransit homo; » sed quantum ad imaginem recreationis, de qua Augustinus [14] : « Non novit eos Dominus, dum apud eos characterem fidei et dilectionis non invenit. » Unde negatio notitiæ non respicit extraneitatem personarum, contra quam ipsi allegant familiaritatem ; sed solum diversitatem morum, secundum illud *Habacuc* [15] : « Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. » Ideo subdit : *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* [16] « Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem. » Ratio autem hujus discessionis est distantia inter justitiam et iniquitatem [17] : « Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? » Quoniam ergo reprobi erunt injusti et tenebrosi et viri Belial, Christus autem judex erit justus, erit lux vera, erit sine fine bonus; ideo compellet malos descendere in infernum per finale judicium, dicendo [18] : « Discedite

[1] *Sap.*, v, 2, 3. — [2] *Hebr.*, xii, 17. — [3] *Matth.*, xxv, 11. — [4] *Prov.*, i, 28, 29. — [5] Ibid., vi, 34. — [6] *Job*, xii, 16. — [7] *Psal.* cxxxviii, 16. — [8] II *Tim.*, ii, 19. — [9] *Job*, viii, 18. — [10] *Matth.*, xi, 21. — [11] *Tit.*, i, 16. — [12] Imo auctor Oper. imperfect. *in Matth.*, hom. lii. — [13] *Psal.* xxxviii, 7. — [14] August., *in Psal.* c, n. 7. — [15] *Habac.*, i, 13. — [16] *Psal.* vi, 9. — [17] II *Cor.*, vi, 14, 15 — [18] *Matth.*, xxv, 41.

a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Quoniam ergo homo judicabitur non secundum magnitudinem cognitionis, sed fortitudinem operis, continue intendendum est operibus bonis. Unde *ad Romanos*[1] : « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. » Propter quod in *Psalmo*[2] : « Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua. »

28. *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Hic jam tertio, postquam excitavit ad continue proficiendum, ostendendo difficultatem in merito, et rigiditatem in judicio; excitat ad hoc ipsum ostendendo calamitatem in supplicio. Quod quidem facit dupliciter, scilicet ex consideratione dejectionis propriæ, et consideratione glorificationis alienæ. Primo igitur, quantum ad considerationem dejectionis propriæ, dicit : *Ibi erit fletus et stridor dentium*, quantum scilicet ad pœnam sensus. Et tangitur pœna caloris, ex qua fletus oculorum; et pœna frigoris, ex qua stridor oritur dentium. Ideo autem hæ duæ pœnæ corporales magis exprimuntur, sive quia istæ duæ qualitates sunt activæ et magis afflictivæ, propter quod dicitur[3] : « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium; » sive quia dupliciter peccatur in corpore, scilicet, per concupiscentiam oculorum et concupiscentiam carnis; unde in his puniuntur[4] : « Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur; » sive quia fletus venit ab interiori, et stridor dentium venit ab exteriori. Et ab his intelligitur universitas pœnarum maxime corporalium. Nota, inquit Beda, per fletum, qui est oculorum, et stridorem, qui est dentium, veram resurrectionem intelligi corporum impiorum. Hic autem fletus non erit resolutionis humoris, sed per dolorem et gemitum. Vel, si erit, fiet mirabilis restitutio humoris, sicut etiam mirabiliter in tantis cruciatibus habebunt corpora a spiritibus vegetari. Et quia pœna sensus conjuncta est pœnæ damni, quæ erit amissio societatis sanctorum in gloria paradisi, ideo subdit : *Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei*, id est, omnes patriarchas et prophetas. Quorum primi fuerunt exemplar vivendi in vita, unde in *Joanne* (*a*)[5] : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; » secundi, in vita et doctrina[6] : « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes. » Vel *patriarchæ* fuerunt illi quibus facta est promissio; *prophetæ*, illi per quos facta est promissionis promulgatio, secundum illud[7] : « Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus, » etc. Et tam isti, quam illi, excitaverunt et vocaverunt ad regnum Dei intrandum; quod non intrabunt, sed excludentur, qui sunt filii carnis, et sanctorum imitatores esse recusaverunt. Ideo subdit : *Vos autem expelli foras.*[8] « Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. » In cujus figuram dicitur[9] : « Ejice ancillam hanc et filium ejus : non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac : » quia dicitur[10] : « Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. »

Secundo, quantum ad considerationem glorificationis alienæ, subdit (v. 29) : *Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro,* hoc est de universitate gentium ex omni parte mundi congregatorum. Judæis enim repulsis propter suam carnalitatem, convocavit Dominus gentes, tanquam filios spirituales. Unde dicitur[11] : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere. » Hæ oves congregatæ sunt ab omni parte mundi per ministerium apostolorum, secundum illud *Psal-*

[1] *Rom.*, II, 13. — [2] *Psal.* LXI, 12. — [3] *Job*, XXIV, 19. — [4] *Sap.*, XI, 17. — [5] *Joan.*, VIII, 39. — [6] II *Petr.*, I, 19. — [7] Sup., I, 70. — [8] *Apoc.*, XXII, 15. — [9] *Gen.*, XXI, 10. — [10] *Joan.*, VIII, 35. — [11] *Joan.*, X, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes.

mi [1] : « Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. » Et in *Isaia* (*a*) [2] : « Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te; dicam Aquiloni : Da; et Austro : Noli prohibere. » Ideo dicuntur de tam distantibus partibus convocari propter diversitatem morum, a quibus vocantur ad unitatem charitatis et felicitatis. Propter quod subdit : *Et accumbent in regno Dei.* [3] « Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. » Et quia hoc erit ad confusionem improborum et ad gloriam electorum, ideo subdit (v. 30) : *Et ecce sunt novissimi, qui erant primi; et sunt primi, qui erant novissimi.* Primi sunt novissimi propter superbiam, et novissimi primi propter humilitatem, quia dicitur [4]. « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » Quare hoc? Quia in Psalmo dicitur [5] : « Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. » Exemplum hujus maxime apparet in duplici populo, scilicet Judæorum, qui sunt electi; *ad Romanos* [6] : « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. » Exemplum etiam hujus apparet in Juda qui fuit Apostolus, et damnatus; et in latrone, qui fuit salvatus. Et exemplo hujus omnes excitantur ad timorem divinum, secundum illud [7] : « Qui se existimat stare, videat ne cadat. » Ex hac ergo consideratione futuri judicii inducimur ad insistendum continue operibus bonis propter triplicem rationem præmissam. Primo, quia difficile est in conspectu Domini justificari, propter difficultatem in merito. Unde *Psalmus* [8] : « Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » Et Petrus [9] : « Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? » Secundo, quia impossibile est excusari, propter rigiditatem in judicio [10] : « Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. » Et *Job* [11] : « Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. » Tertio, quia necesse habet tribulari, propter calamitatem in supplicio [12] : « Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. » Et in *Matthæo* dicitur (*b*) de eo, qui non habebat vestem nuptialem [13] : « Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. » Et propterea bonum est consilium Sapientis [14] : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. »

Conclusio.

31. *In ipsa autem die,* etc. Postquam excitavit ad faciendum incessanter opera bona propter severitatem districtionis in judicando, hic secundo excitat ad idem ipsum propter sublimitatem dispositionis in redimendo. Habet autem pars ista partes duas, in quarum prima exprimitur sublimitas dispositionis divinæ in redemptione humani generis; in secunda vero, in reprobatione plebis rebellis, ibi [15] : *Jerusalem, Jerusalem,* etc. Sublimitas autem divinæ dispositionis in redimendo ostenditur tripliciter, scilicet quia passio Christi ante tempus fuit frustra intentata, in tempore debito fuit a Christo voluntarie suscepta, ab æterno vero fuit infallibiliter præordinata.

Primo igitur insinuatur passio Christi ab homine ante tempus frustra intentata, cum dicitur : *In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Hic Herodes erat filius illius, qui volens infantu-

[1] *Psal.* LXXXV, 9. — [2] *Isa.*, XLIII, 5. — [3] Ibid., XXV, 6. — [4] Inf., XVIII, 14. — [5] *Psal.* CXXXVII, 6. — [6] *Rom.*, XI, 25, 26. — [7] I *Cor.*, X, 12. — [8] *Psal.* CXLII, 2. — [9] I *Petr.*, IV, 18. — [10] *Prov.*, XXVIII, 9. — [11] *Job.*, XLI, 3. — [12] *Apoc.*, XX, 15. — [13] *Matth.*, XXII, 13. — [14] *Eccle.*, IX, 10. — [15] Inf., 34.

(*a*) *Cæt. edit.* Isaias. — (*b*) Matthæus dicit.

lum Jesum occidere ante tempus, interfecit pueros Bethlehemitas, secundum quod dicitur [1] : « Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, etc., mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. » Sic et iste filius, paterni sceleris imitator, volebat eum occidere ante tempus, sicut interfecerat præcursorem suum, sicut dicitur [2] : « Misit Herodes, et decollavit Joannem in carcere. » Sic etiam et nunc facere volebat Christo jam adulto, et inde nepos hoc facere voluit jam glorificato. Unde primus Herodes fuit malus, secundus pejor, tertius pessimus. Et omnes persecuti sunt Christum; sed frustra, quia dicitur in *Psalmo* [3] : « Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. » Et nota quod Pharisæi hoc nuntiabant Christo, sive quod aliqui ex eis fortassis erant boni; sive quia volebant Christum deterrere, et a se repellere; sive etiam quia volebant eum tentare, si ob timorem desisteret a prædicatione veritatis. Et illud etiam est magis credibile, quia hoc consueverunt facere. Unde *Matthæus* [4] : « Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, » etc. Et nota hic secundum mysticum intellectum, Herodes interpretatur, *in pellibus glorians*, quod designat quemlibet superbum et vane gloriosum, qui gloriatur in ostentatione exteriorum operum et verborum. Et talis persequitur Christum nascentem in Bethleem, quia nascitur tanquam pauper; quia vane gloriosi consueverunt persequi pauperes Christi. Unde Bernardus [5] : « Patet quantum noceat iniqua potestas; quomodo caput impium subjectos quosque suæ conformet impietati. Misera plane civitas in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ particeps erit malitiæ. Herodiana vero malitia est nascentem velle extinguere religionem. Si quid ergo ad salutem pertinens, si quid religionis exoritur, quicumque resistit, nascentem persequitur Salvatorem. »

Omnes qui vocati sunt Herodes, mali fuerunt.

Mysticus sensus nominis Herodis.

Secundo vero insinuatur passio Christi, ut ab ipso voluntarie suscepta, cum dicitur (v. 32) : *Et ait illis : Ite* (*a*), *et dicite vulpi illi.* Vulpem vocat Herodem propter malitiam et dolositatem; quæ tamen sapientiæ Christi non prævalet [6] : « Sapientiam non vincit malitia. »[7] « Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Et quia mors Christi non erat consummanda secundum machinationem humanæ malitiæ, sed secundum dispositionem propriæ sapientiæ et voluntatis suæ, ideo subdit : *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras*, per miraculorum operationem. [8] « Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo. » *Et tertia die consummor*, per passionis perpessionem, in qua dixit (*b*) [9] : « Consummatum est. » Et ad *Hebræos* [10] : « Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. » Unde per istos dies possent intelligi tres anni, in quibus Dominus prædicavit, et miracula fecit, et ita quod in ultimo voluntarie passus fuit, et secundum suam voluntatem [11] : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » Unde, quando voluit, nemo eum lædere potuit, secundum illud *Joannis* [12] : « Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. » Unde vulpina malitia machinari potuit mortem Christi; verumtamen non potuit perficere, nisi quando ipse voluit. De quo *Isaias* [13] : « Oblatus est, quia ipse voluit. » Et per hoc etiam spiritualiter intelligitur quod Christi corpus mysticum non patitur ab impiis hæreticis, nisi secundum quod Deus disponit : quos Christus intelligi

Spiritualis sensus.

[1] *Matth.*, II, 16. — [2] Ibid., XIV, 10. — [3] *Psal.* XXXII, 10. — [4] *Matth.*, XXII, 15, 16. — [5] Bern., *in Epiph.*, serm. III, n. 3. — [6] *Sap.*, VII, 30. — [7] Ibid., VIII, 1. — [8] *Act.*, X, 38. — [9] *Joan.*, XIX, 30. — [10] *Hebr.*, II, 10. — [11] *Joan.*, X, 18. — [12] Ibid., VII, 30. — [13] *Isa.*, LIII, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* etc. — (*b*) *Cæt. edit.* dixit Joannes.

vult per Herodem, attribuens ei nomen et proprietatem vulpis.

Tertio insinuatur Christi passio, ut ab æterno infallibiliter præordinata. Unde subjungitur (v. 33) : *Verumtamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare.* Opportunitas illa non fuit ex compulsione, sed ex superna dispositione secundum illud [1] : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ, » etc. Hoc enim Deus providerat, secundum quod dicitur [2] : « Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis. » Hoc etiam prophetæ prædixerunt secundum quod dicitur [3] : « Deus autem, qui prænuntiavit per os omnium suorum prophetarum pati Christum suum, sic implevit. » Istam opportunitatem divinæ dispositionis insinuavit ipse in passione sua, cum oravit, sicut dicitur [4] : « Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. » Et quia divina dispositio non tantum præordinavit tempus, verum etiam locum, ideo subdit : *Quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.* Non capit, id est, non convenit, non capit scriptura prophetalis; vel non capit divina providentia. Propheta iste per excellentiam Christus est, qui cuncta futura prænoscit, de quo in *Deuteronomio* [5] : « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus. » Et supra [6] : « Propheta magnus surrexit in nobis. » Istum non convenit mori nisi in Hierusalem, secundum Scripturas, et quia illa erat civitas regalis, sacerdotalis, et magistralis, et Christus erat summus rex, et magister, et sacerdos, et ideo non debebat mori nisi in illo loco. Unde infra [7] : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis : » nam prophetæ hoc universaliter prædixerunt, quod de Hierusalem veniret lex nova. » Unde *Isaias* [8] : « Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. » sequitur : « quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. » Et *Zacharias* [9] : « In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Et nota quod Christus in Hierusalem condemnatus est, sed extra portam passus. Unde ad *Hebræos* [10] : « Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. »

Mystice vero notandum est, quod istud triduum, secundum diversos expositores, exponitur tripliciter : allegorice, moraliter, et anagogice. Mysticus sensus.

Allegorice sic : Prima dies est lex naturæ; secunda est lex scripturæ, et tertia est lex gratiæ : de quo *Marcus* [11] : « Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, » etc. Vel primus dies est passionis; secundus, sepulturæ; et tertius, resurrectionis. Et in *Joanne* (*a*) [12] : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Vel prima dies est decursus sextæ ætatis; secunda, quies animarum; et tertia, resurrectio corporum, quæ est in vitam [13] : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. » Allegoricus sensus.

Moraliter sic, ut prima dies sit compunctionis; secunda, confessionis; et tertia, satisfactionis. [14] « Deus Hebræorum vocat nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem. » Vel prima dies est bona cogitatio; secunda est bona locutio; et tertia, bona operatio. Jonas, secundum translationem Septuaginta [15] : « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur. » Vel tres dies sunt triplex votum religionis, scilicet castitatis, obedientiæ, et paupertatis [16] : « Tres adhuc dies sunt in quibus recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum. » Moralis sensus.

Anagogice sic, ut prima dies sit purgatio; Anago-

[1] Inf., XXIV, 25. — [2] *Act.*, II, 23. — [3] Ibid., III, 18. — [4] *Matth.*, XXVI, 42. — [5] *Deut.*, XVIII, 15. — [6] Sup., VII, 16. — [7] Inf., XVIII, 31. — [8] *Isa.*, II, 3. — [9] *Zach.*, XIII, 1. — [10] *Hebr.*, XIII, 12. — [11] *Marc.*, VIII, 2. — [12] *Joan.*, II, 19. — [13] *Ose.*, VI, 3. — [14] *Exod.*, III, 18. — [15] *Jon.*, III, 4. — [16] *Gen.*, XL, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* Et Joannes.

gicus sensus.

secunda, illuminatio; et tertia, perfectio [1] : « Factum est post triduum, invenerunt illum in templo. » Vel, ut prima dies sit contemplatio Dei in suo vestigio; secunda sit in imagine, sive in speculo; tertia, in seipso [2] : « Arca fœderis Domini præcedebat eos per dies tres, providens castrorum locum. » Vel prima dies sit contemplatio subcœlestis hierarchiæ; secunda, cœlestis; et tertia supercœlestis. In prima est dæmoniorum ejectio; in secunda est sanitatis (*a*) perfectio; sed in tertia, omnis boni consummatio. Et de hoc triduo dicitur [3] quod « exploratores pervenerunt ad montana, et manserunt ibi per tres dies. » Hæc arca Christus est, qui in qualibet istarum hierarchiarum est hierarcha altissimus et dux noster, ut veniamus ad terram promissionis nobis repromissam. In cujus figuram dicit se per triduum ambulare, quia facit nos per hanc triplicem hierarchiam semper sursum ascendere, nisi forte descendamus ad actiones. In cujus figuram dicitur [4] : « Vidit Jacob in scala angelos Dei ascendentes, et descendentes. » Nullus vidit eos stantes : in quo significatur quod semper in bono proficiendum est. Hoc est enim appropinquare ad supernam Hierusalem, cui non appropinquamus passibus corporis, sed affectibus cordis et mentis.

34. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas,* etc. Postquam manifestavit sublimitatem divinæ dispositionis in redemptione humani generis, hic secundo manifestat in reprobatione plebis rebellis. Et primo insinuat rebellionem, deinde obdurationem, et tertio desertionem.

Primo igitur, quantum ad illius gentis rebellionem, dicit : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te.* Hic accipitur continens pro contento [5] : « Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, » etc. « Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? » Unde habetur [6] : « Sanguinem innocentem fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Jerusalem usque ad os. » Et hoc faciebant, qui habebant odio veritatem, juxta illud *Amos* [7] : « Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. » Et hoc erat, quia nolebant argui. « Qui enim [8] male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. » Dicitur etiam [9] : « Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me; ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii dura facie, et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te. » Et hoc significat ipsa lapidatio.

Secundo, quantum ad illius gentis obdurationem, subdit : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti?* In quo nimia eorum apparet obduratio, quæ tanta benignitate noluit emolliri. Christus autem comparavit se avi in communi, quia proprietatem multiplicem habet avis.

Gallinæ proprietas.

Quantum ad superabundantiam pietatis, comparatur gallinæ in conversatione, quia gallina in sua pietate et vigilantia movetur ad pullos, et eos congregat, et eos alis defendit contra rapacitatem milvi. Sic et Christus fecit, quamdiu in carne fuit. Ideo in *Matthæo* (*b*) dicit [10] : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti. »

Pellicani proprietas.

Comparatur etiam pellicano in passione, quia pellicanus fertur pullos suos occisos triduo lugere, et post, rostro sanguinem suum fundere, et sic vivificare. Hoc modo Christus ter flevit pro salute humani generis : primo [11] super Lazarum; secundo [12], super Jerusalem; tertio [13], in cruce : et post

[1] Sup., II, 46. — [2] *Num.*, X, 33. — [3] *Jos.*, II, 22. — [4] *Gen.*, XXVIII, 12. — [5] *Act.*, VII, 51, 52. — [6] IV *Reg.*, XXI, 16. — [7] *Amos*, V, 10. — [8] *Joan.*, III, 20. — [9] *Ezech.*, II, 3. — [10] *Matth.*, XXIII, 37. — [11] *Joan.*, XI, 35. — [12] Inf., XIX, 41. — [13] *Hebr.*, V, 7.

(*a*) *Forsan legendum* sanctitatis. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus.

sanguinem suum fudit, de quos et nos vivificavit. Unde in *Psalmo* [1] : « Similis factus sum pellicano solitudinis. »

Aquilæ proprietas.

Tertio comparatur aquilæ in resurrectione et ascensione, quæ pullos excitat, ut sursum tendant, et in solem aspiciant, et in sublimia volent; et ut hoc possint, lambunt ejus sanguinem. Unde *Job* [2] : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. Pulli ejus lambunt sanguinem; et ubicumque cadaver fuerit, statim adest. » Hæc autem avis, licet dura sit extraneis, valde tamen intenta est providentiæ suæ prolis : propter quod merito assimilatur ei Christus Redemptor nosnoster. Unde dicitur [3] : « Circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. » Hanc benignitatem recusare, est summæ obdurationis et perfidiæ. Propter quod *Isaias* [4] : « Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis? Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. »

Tertio, quantum ad illius gentis desertionem, subdit (v. 35) : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* [5] « Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ sunt igni. » Subdit : « Et derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. » Et quoniam sicut obdurationi conjungitur desertio, ita devotioni juncta est visitatio, ideo subditur : *Dico vobis : Quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini.* [6] « Benedictus qui venit in nomine Domini; » sequitur : « Deus Dominus, et illuxit nobis. » Istud autem referri potest ad visionem fidei, qua non videt, nisi qui credit eum verum hominem et verum Deum. Dixit Dominus cæco nato [7] : « Tu credis in filium Dei? Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. » Potest etiam referri ad visionem speciei, ad quam non pervenit, nisi qui benedicit vita et lingua [8] : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, » secundum aliam translationem [9]; secundum autem nostram dicitur : « In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. » Et nota quod, secundum quod exponit Glossa, loquitur hic de visione in judicio, quia post visionem Christi in humilitate, non expectatur nisi visio in majestate. Et hæc erit duplex, divinitatis et humanitatis : divinitatis, et hæc erit bonorum solummodo, quia habebit gaudium adjunctum maximum, *Job* [10] : « Videbit faciem ejus in nubilo, et reddet homini justitiam suam. » *Isaias* [11] : « Regem in decore suo videbunt. » Alia est visio humanitatis, et hæc erit omnibus communis. Omnes enim certitudinaliter videbunt potentiam et dominium Christi [12] : « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. » Vult ergo Dominus dicere quod ille populus judaicus non videbit Christum ad suam salutem, nisi convertatur ad fidem ipsius et laudem, quod tandem expectatur in finali tempore post gentium plenitudinem. Unde Paulus [13] : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. » Et Isaias clamat pro Israel [14] : « Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. » Et in hoc manifeste apparet magnitudo dispensationis divinæ. Propter quam exclamat Apostolus [15] :

[1] *Psal.* CI, 8. — [2] *Job*, XXXIX, 27, 30. — [3] *Deut.*, XXXII, 10, 11. — [4] *Isa.*, I, 4. — [5] Ibid., 7, 8. — [6] *Psal.* CXVII, 26, 27. — [7] *Joan.*, IX, 35-38. — [8] *Isa.*, XXVI, 10. — [9] Ex LXX. — [10] *Job*, XXXIII, 26. — [11] *Isa.*, XXXIII, 17. — [12] *Apoc.*, I, 7. — [13] *Rom.*, XI, 25-26. — [14] *Isa.*, X, 22. — [15] *Rom.*, XI, 33.

« O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! »

CAPUT XIV.

1. *Et factum est, cum introisset*, etc. Supra confutavit calumniantes Christi miracula in concilio: hic aperte confutat eos in convivio. In his enim duobus locis consueverunt potissime fieri detractiones et observationes, scilicet in conciliis, et in conviviis. Dividitur autem pars ista, quæ continet præsens capitulum, in tres partes, in quarum prima confutat Pharisæos observantes; in secunda informat convivas discumbentes, ibi [1]: *Dicebat autem et ad invitatos*, etc.; in tertia vero erudit turbas subsequentes, ibi [2] : *Ibant autem et turbæ multæ cum eo*, etc. Circa autem confutationem observantium hoc ordine procedit: primo ponitur observatio Pharisæorum; secundo adjungitur detectio observatorum, ibi [3] : *Et ecce homo quidam hydropicus*, etc.; tertio, detractorum confutatio, ibi [4] : *Ipse vero apprehensum sanavit eum*, etc. Observatio autem Pharisæorum, qua observabant Christum, describitur quantum ad duo, scilicet quantum ad benignitatem Christi, et Pharisæorum malignitatem. Quantum ergo ad Christi benignitatem, dicit: *Et factum est, cum introisset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem.* In quo apparet mira Christi benignitas. Magna in hoc, quod conversabatur cum hominibus mortalibus, cum esset Deus [5] : « Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum; » subditur : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Major quidem, quia conversabatur cum suis persecutoribus; unde impletum est in eo illud *Ezechielis* [6] : « Fili (*a*) hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. » Sed maxima benignitas, quia conversabatur usque ad familiare contubernium, ut impleatur illud [7] : « Ecce sto ad ostium, et pulso; » subditur : « Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. » In hoc ergo quod intravit domum alienam, commendatur Christi humilitas; in hoc quod in domum Pharisæi, charitas; in hoc quod manducavit panem alienum, ipsius Christi paupertas. Et in his ostenditur summa benignitas, quia Altissimus voluit pro nobis humiliari; justissimus, cum impiis conversari; ditissimus, inter homines pauper fieri. Unde dicitur [8] : « Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. »

Secundo autem, quantum ad observantium malignitatem, subdit: *Et ipsi observabant eum.* Non dicit Evangelista in quo, ut insinuet quod observabant et verba et miracula. Et observabant ad comprehendendum et arguendum [9] : « Cœperunt Pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, et quærentes aliquid capere ex ore ejus, ut accusarent eum. » Unde in *Joanne* (*b*) [10] : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. » Observabant etiam miracula, secundum quod dicitur [11] : « Observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent eum. » Unde hæc observatio procedebat ex malitia insidiante, contra quod dicitur [12] : « Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. » Sed quia difficillimum est homini malitioso declinare proximi observationem, ideo dicitur [13] : « Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus, quoniam in similitudinem arioli et conjectoris æstimat quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi : mens ejus non est tecum. Cibos

[1] Inf., 7. — [2] Inf., 25. — [3] Inf., 2. — [4] Inf., 4. — [5] *Bar.*, III, 36, 38. — [6] *Ezech.*, II, 6. — [7] *Apoc.*, III, 20. — [8] II *Cor.*, VIII, 9. — [9] Sup., XI, 53. — [10] *Joan.*, XV, 20. — [11] *Marc.*, III, 2. — [12] *Prov.*, XXIV, 15. — [13] Ibid., XXIII, 6, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* Filii. — (*b*) Joannes.

quos comederas, evomes: et perdes pulchros sermones tuos. »

2. *Et ecce homo quidam hydropicus*, etc. Post descriptam observationem Pharisæorum, hic secundo describit detectionem observatorum. Circa quam introducuntur tria, scilicet ægritudo ad detectionem disponens, quæstio detegens, simulatio tegens.

Primo ergo quantum ad ægritudinem disponentem, et ad observatorum detectionem, dicit: *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Ad litteram, hic hydropicus, sua infirmitate manifesta et gravi, viam præbebat ad confutandam et detegendam Judæorum perfidiam. Et quoniam tempus et locus se offerebant, ideo dicit: *Et ecce*, quasi Dominus tunc adduxisset eum in medium. Unde *Ecclesiasticus* [1]: « Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corruent in malum. Non est dicere: quid est hoc, aut quid est illud? Omnia enim in tempore suo quærentur. » Et post: « Omnia opera Domini bona, et omne opus hora sua subministravit. » Unde hæc ægritudo corporalis valebat ad impugnandam et expurgandam ægritudinem spiritualem, quia directe erat illi contraria. Nam hic homo hydropicus erat ante Jesum ad misericordiam implorandam, quam Pharisæi impugnabant. Implorabat namque misericordiam Dei, quia erat homo, nam dicitur [2]: « Misericordia Dei super omnem carnem; » et quia homo infirmus, secundum illud *Ecclesiastici* [3]: « Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate, et oculus Dei respexit illum in bono. » Et quia etiam ante illum erat, quia tales recurrunt ad Deum, et talibus condescendit Deus [4]: « Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum, » etc.

Secundo, quantum ad quæstionem detegentem, subdit (v. 3): *Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos et Pharisæos.* Signanter dicit: *Respondens*, cum nullus prius aliquis quæreret, quia respondebat ad eorum cogitationes, quas videbat et audiebat, secundum illud *Matthæi* [5]: « Cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? » Unde Glossa [6]: « Respondet Jesus insidiosis observatoribus, quia dixit *Sapiens* [7]: « Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non absconditur. » Et ideo respondet cogitationibus, movendo illam quæstionem quam et ipsi cogitabant, cum subdit: *Dicens: Si licet sabbato curare?* Hanc quæstionem leguntur Pharisæi Domino fecisse, sicut legitur [8]: « Interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? » ut accusarent eum. Sed Matthæus expressit illorum cogitatus verbo; Lucas non exprimit verbo. Hoc quærebat Dominus ab eis, quia ipsi fatebantur se legis peritos. Unde Glossa: « A legisperitis judicium legis quærit. » Proter quod dicitur [9]: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus. » Et Glossa ibidem: « Si sacerdos de lege interrogatur, doceat; alioquin frustra jactat dignitatem, cujus non exhibet operationem. »

Tertio, quantum ad simulationem tegentem, subdit (v. 4): *At illi tacuerunt.* Ideo tacuerunt, quia videntes se deprehensos et detectos, timebant suam responsionem confundi. Unde Glossa Bedæ [10]: « Merito tacent, qui contra se dictum, quidquid dixerint, vident. » Si enim licet, cur observant? Si non licet, cur pecora curant? Unde ipsi tacendo simulabant ignorantiam, ut cooperirent malitiam. Simile habetur in *Matthæo* [11], ubi cum quæsisset Dominus de baptismo

[1] *Eccli.*, XXXIX, 24-26, 39. — [2] Ibid., XVIII, 12. — [3] Ibid., XI, 12. — [4] *Psal.* CI, 20, 21. — [5] *Matth.*, IX, 1. — [6] Gloss. interlin. in hunc loc. — [7] *Sap.*, I, 10. — [8] *Matth.*, XII, 10. — [9] *Malac.*, II, 7. — [10] Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LIX. — [11] *Matth.*, XXI, 25.

Joannis unde erat, noluerunt respondere, ne convincerentur de incredulitate. Unde poterat de istis dici illud *Ecclesiastici* [1] : « O præsumptio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitia, et dolositate illius? » Quando autem istis deficiebant folia verborum, recurrebant ad ignorantiæ tenebras, et defectum verborum : Unde tacebant non ex prudentia, sed ex ignorantia quæ habet adjunctam malitiam. Unde *Ecclesiasticus* [2] : « Est tacens, non habens sensum loquelæ; et est tacens, sciens tempus apti temporis. » *Ipse vero apprehensum sanavit*, etc. Post detectionem observatorum, subditur hic confutatio detectorum : quam describit Evangelista, scilicet quantum ad magnificentiam facti, cum dicit : *Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.* In hoc quod apprehendit, apparet ejus humilitas, quia non dedignatur tangere infirmitates, ad docendam humilitatem. Propter quod dicit Apostolus [3] : « Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. » In hoc quod sanavit, apparet virtuositas; unde supra [4] : « Virtus de illo exibat et sanabat omnes. » In hoc quod dimisit, scilicet abire liberum, apparet liberalitas. Non enim redegit in servitutem, propter collatum beneficium, sed dimisit abire liberum. Glossa : « Dimisit eum corporaliter abire sanatum, ut se transferret ad salutem animarum. » Unde supra [5] ad illum dæmoniacum, quem sanaverat, dixit : « Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. » Ac per hoc Christus in modo faciendi illud miraculum, per humilitatem confutat Judæorum superbiam; per virtutem, eorum desidiam; per liberalitatem et benignitatem, eorum perfidiam, cum ipsi nec dignarentur tangere, nec possent curare, nec vellent liberare.

Secundo, quantum ad efficaciam verbi, subdit (v. 5) : *Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet*, scilicet per casualem eventum, quia hæc temporalium possessio multis modis potest periclitari, et amitti aliquando. 1. Ab interiori, per propriam mortem, sicut tota die videmus; 2. Ab exteriori, per alienam tyrannidem, sicut *Job* [6] : « Boves arabant, et asinæ pascebantur, » etc., « et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia. » 3. A superiori, per pestilentiam [7] : « Ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos, et asinos, et camelos, et oves, et boves pestis valde gravis. » 4. Ab inferiori, per ruinam, sicut hic. Unde non sunt hæc multum amanda, quæ possunt tot modis amitti. Et tamen istas possessiones diligebant multum Pharisæi. Unde Glossa : « Omnes in hac avaritia similes estis. » Amor enim bovis et asini faciebat eos non curare de observantia sabbati; ideo dicit : *Et non continuo extrahet illum die sabbati?* Per velocem succursum. Glossa [8] : « Non animali, sed suæ avaritiæ consulens. » Et hoc quidem reputabant se facere sine offensione legis. Si ergo salus hominis præferenda est saluti asini et bovis, manifestum est in curatione hominis sabbatum non solvi. Et est argumentum a majori. Magis enim videtur quod sabbatum debeat solvi per opus magis servile, quia dicitur [9] : « Omne opus servile non facietis in eo. » Sed magis est servile opus, eruere asinum aut bovem, quam sanare hominem. Si ergo ille non solvit sabbatum, qui bovem de fovea extrahit, multo fortius nec ille qui hominem sanat. Nam si opus avaritiæ non solvit, ergo nec opus misericordiæ, cum opus avaritiæ sit servitutis, opus misericordiæ libertatis.

Tertio, quantum ad evidentiam signi, subdit (v. 6) : *Et non poterant ad hæc respondere illi.* Glossa : « Convicti. » Tunc enim est evidens signum quod homo sit convictus, quando deficit via aliqua ad fugiendum. Nec mirum, si non poterant respondere sapientiæ Christi, cum nec sapientis-

[1] *Eccli.*, XXXVII, 3. — [2] *Eccli.*, XX, 6. — [3] *Hebr.*, II, 16. — [4] Sup., VI, 19. — [5] Sup., VIII, 39. — [6] *Job*, I, 14. — [7] *Exod.*, IX, 3. — [8] Gloss. interlin. ex Bed., ubi sup. — [9] *Levit.*, XXIII, 7.

simi possent resistere ejus discipulis. Unde infra [1] : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere, et resistere omnes adversarii vestri. » Et hoc impletum est in Stephano, de quo dicitur [2] : « Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, dieputantes cum Stephano : et non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur. »

His autem secundum litteram declaratis, tria nobis consideranda occurrunt secundum spiritualem intelligentiam, quæ secundum sanctos elici possent ex verbis præmissis. Primum est morbus hydropis, cujus proprium est, sicut dicit Glossa [3], quod quanto plus bibit, tanto plus sitit. Et in hoc designat omnem concupiscentiam, quæ nunquam satiari potest, et maxime avaritiæ, secundum illud [4] : « Ignis nunquam dicit : Sufficit. »

Spiritualis sus.

Unde notandum, quod secundum expositores, septem sunt accidentia hydropisis. Primum est tumor corporis, et per hoc superbia intelligitur [5] : « Cunctus populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. » Secundum est compressio spiritualium, et in hoc intelligitur invidia, quæ spiritualia comprimit [6] : « Putredo ossium, invidia. » Tertium est fœtor anhelitus, per quod intelligitur iracundia, quæ facit prorumpere in verba contumeliosa [7] : « Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. » Quartum est pigrities pedum, per quod intelligitur acidia [8] : « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. » Et *Sapiens* [9] : « Pedes eorum pigri ad ambulandum. » Quintum est sitis in appetitu, per quod avaritia intelligitur [10] : « Terra quæ non satiatur aqua, » id est, homo terrenus temporali opulentia. Et *Ecclesiastes* [11] : « Avarus non implebitur pecunia. » Sextum est inflatio genitalium, per quod luxuria designatur; unde *Psalmus* [12] : « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea. » Septimum est infectio cutis, vel partium exteriorum ; in quo intelligitur gula, quæ tota est circa cutem curandam (*a*) [13] : « Quorum Deus venter est, et gloria in confusione (*b*) ipsorum, qui terrena sapiunt. »

Secundum ergo quod considerare debemus, est opus virtutis, in quo intelligitur curatio spiritualis ægritudinis. Circa quod tria dicuntur, scilicet : *Apprehendit, Sanavit, Dimisit.* Apprehendit, scilicet per infusionem gratiæ [14] : « Ego Dominus vocavi te in justitia, apprehendi manum tuam, et servavi te. » Et *Psalmus* [15] : « Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis, » etc. Sanavit autem per expiationem culpæ [16] : « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. » Et in *Matthæo* (*c*) [17] : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Dimisit vero per relaxationem pœnæ [18] : « Misertus autem Dominus servi illius, dimisit illum, et debitum dimisit ei. » Et hoc petimus in oratione Dominica [19] : « Dimitte nobis debita nostra, » etc.

Tertium autem quod considerandum est, est instructionis exemplum, in quo similitudinem ponit de bove et asino ruentibus in puteum, qui in sabbato extrahuntur. Per bovem et asinum intelligitur uterque populus, scilicet gentilis et judaicus, secundum illud [20] : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Nam sic exponit Gregorius [21], ut per bovem et asinum intelligatur (*d*) vir sapiens, et stultus. Unde Glossa [22] super illud *Deuteronomii :* « Non arabis in bove simul et asino : » « Id est,

[1] Inf., XXI, 15. — [2] *Act.*, VI, 10. — [3] Ex Bed., ubi sup. — [4] *Prov.*, XXX, 16. — [5] *Deut.*, XVII, 13. — [6] *Prov.*, XIV, 30. — [7] *Psal.* XIII, 3. — [8] *Tit.*, I, 12. — [9] *Sap.*, XV, 15. — [10] *Prov.*, XXX, 16. — [11] *Eccle.*, V, 9. — [12] *Psal.* XXXVII, 8. — [13] *Philip.*, III, 19. — [14] *Isa.*, XLII, 6. — [15] *Psal.* CXLIII, 7. — [16] *Psal.* CII, 3. — [17] *Matth.*, I, 21. — [18] Ibid., XVIII, 27. — [19] Ibid., VI, 12. — [20] *Isa.*, I, 3. — [21] Greg., *Moral.*, lib. XXXV, c. XI, al. XVI, n. 39, 40. — [22] Ex Bed., *in Deut.*, XXII, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* curanda. — (*b*) confusionem. — (*c*) Matthæus. — (*d*) intelligitur.

fatuum sapienti in prædicatione non sociabis, ut æquali potestate verbum Dei annuntient. » Hi ergo cadunt in puteum concupiscentiæ per originale peccatum, et deinde in limbum infernalem. Et hoc universaliter ante Christi adventum; propter quod dicitur [1] : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. » Hinc ergo Christus extrahit die sabbati, id est septima die, quæ est dies sepulturæ Christi, in qua quies incipit animarum, secundum illud *Zachariæ* [2] : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. »

7. *Dicebat autem ad invitatos*, etc. Postquam confutavit observantes, hic secundo informat convivantes. Dividitur autem hæc pars in tres, secundum triplicem informationem : primo namque informat invitatos ad convivium nuptiale; secundo informat invitatantes ad convivium familiare, ibi [3] : *Dicebat autem et ei qui se invitavit*, etc.; tertio informat invitandos ad convivium æternale, ibi [4] : *Homo quidam fecit cœnam magnam*, etc. Primum horum respicit convivium gratiæ; secundum, naturæ; tertium, gloriæ. Primum sacramentale, secundum materiale, tertium æternale et spirituale. Informans igitur invitatos ad convivium nuptiale, per quod intelligitur status præsentis Ecclesiæ, primo vituperat vanitatem et arrogantiam; secundo commendat humilitatem et reverentiam, ibi [5] : *Sed cum vocatus fueris*, etc. In vituperando autem arrogantiam, tria introducuntur, scilicet occasio introducens parabolam, persuasio reprehendens superbiam, et ratio explicans verecundiam.

Primo igitur, quantum ad occasionem introducentem parabolam, dicit : *Dicebat autem et ad invitatos parabolam.* Glossa [6] : « Parabolam aliud mystice significantem. » Quia enim aliquis posset illud Domini documentum referre ad istas nuptias carnales, ideo ipse Evangelista, dirigens intellectum expositoris, vult illud parabolice intelligi. Hic enim in docendo erat modus Domini Salvatoris, secundum illud *Psalmi* [7] : « Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio, » etc. Et quia parabola non habet gratiam nisi dicatur suo tempore, secundum illud *Ecclesiastici* [8] : « Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo; » et e contrario [9] : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo : » ideo additur opportunitas loci et temporis ad inductionem hujus parabolæ de convivio nuptiali, cum subdit : *Intendens quomodo primos accubitus eligerent*, more scilicet superborum; qui quidem mos erat Pharisæis [10] : « Amant enim primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. » Et hoc in signum honoris, secundum illud [11] : « Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. » Primum enim et summum conjuncta sunt. Et superbia, et ambitio, inordinatus appetitus est superioritatis et prioritatis. Unde hujusmodi quærunt superbi, qui ab aliis cupiunt honorari, exemplo Saul [12] : « Nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel. »

Secundo vero, quantum ad persuasionem reprehendentem superbiam, subdit : *Dicens ad illos :* (v. 8) *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Licet autem istud posset intelligi de carnalibus nuptiis, tamen textus ipse sequens, et expositores, volunt intelligi de nuptiis spiritualibus. Unde Glossa [13] : « Cum per gratiam fidei vocatus a prædicatore, membris Ecclesiæ te junxeris, non te, de meritis gloriando, quasi cæteris sis sublimior, extollas. » Nuptiæ autem istæ non sunt quæcumque, sed nuptiæ Agni, de quibus dicitur [14] : « Vene-

[1] *Psal.* LXVIII, 16. — [2] *Zach.*, IX, 11 — [3] Infr., 12. — [4] Inf., 16. — [5] Inf., 10. — [6] Gloss. interlin. in hunc loc. — [7] *Psal.* LXXVII, 2. — [8] *Eccli.*, XX, 22. — [9] *Prov.*, XXV, 11. — [10] *Matth.*, XXIII, 6. — [11] *Job*, XXIX, 25. — [12] I *Reg.*, XV, 30. — [13] Ex Bed., *in Luc.*, c. LIX. — [14] *Apoc.*, XIX, 7.

runt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se. » Has nuptias fecit Deus Pater, secundum quod dicitur [1] : « Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. » Hæ nuptiæ celebratæ sunt in thalamo uteri Virginalis [2] : « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Ibi consummatum est matrimonium inter divinam et humanam naturam, et inter Christum et Ecclesiam, per consequens, secundum illud quod Apostolus de matrimonio dicit [3] : « Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. » Convivium in his nuptiis est in susceptione sacramentorum Ecclesiæ, et documentorum sacræ Scripturæ [4] : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et posuit (*a*) mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis, » etc. Ad hoc convivium vocantur omnes qui vocantur ad fidem per veritatis prædicationem [5] : « Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. » Sic invitati discumbunt, et manducant per divinorum verborum et mysticorum perscrutationem et ruminationem. In cujus signum cibus ille cœlestis vocatus
Manhu. est [6] *manhu*, quod interpretatur : *Quid est hoc?* quia oportet intelligere, quæ suscipiant. Unde et in *Levitico* dicitur [7] quod « animal quod non ruminat, immundum est. » In primo autem loco discumbit, qui aliis præfertur, sive in officio dignitatis, sive in privilegiis sanctitatis, sive in magisterio veritatis. Et ad hoc non debet quis ex seipso conscendere, quia dicitur [8] : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, quemadmodum et (*b*) Aaron. » Et ideo *Ecclesiasticus* [9] : « Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua. » Nec etiam coram aliis; unde subditur [10] : « In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. »

Tertio autem, quantum ad rationem explicantem vercundiam, subdit : *Ne forte honoratior te sit invitatus ab illo*, et propter gratiam interiorem majori honore dignus. Glossa [11] : « Gratiosior invitatori, etsi aliis sit occultus. » Unde dicitur [12] : « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico. Homo autem (*c*) videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur cor. » (v. 9.) *Et veniens qui te et illum vocavit*, per justitiæ dispositionem : nam [13] « spiritum ponderator est Dominus. » *Dicat tibi : Da huic locum*, propter dignitatis prælationem : quia [14] « scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te : » (v. 9) *Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere*, per manifestam dejectionem, secundum illud *Psalmi* [15] : « Exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus. » Et ideo *Ecclesiasticus* [16] : « Attende, ne seductus in stultitia humilieris. » Ille autem seducitur stultitia, qui se reputat aliquid magnum [17] : « Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. » Et talis humiliatur a Deo, justo Dei judicio, secundum illud [18] : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » De hujusmodi judicio dicitur [19] : « Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. » Ideo dicitur [20] : « Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris : » Quia [21] : « Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. »

10. *Sed cum vocatus fueris*, etc. Postquam vituperavit arrogantiam, hic secundo inci-

[1] *Matth.*, XXII, 2. — [2] *Psal.* XVIII, 6. — [3] *Ephes.*, V, 32. — [4] *Prov.*, IX, 1-3. — [5] *Matth.*, XXII, 3. — [6] *Exod.*, XVI, 15. — [7] *Levit.*, XI, 26. — [8] *Hebr.*, V, 4. — [9] *Eccli.*, VI, 2. — [10] Ibid., XI, 4. — [11] Gloss. interlin. in hunc loc. — [12] I *Reg.*, XVI, 7, 8. — [13] *Prov.*, XVI, 2. — [14] I *Reg.*, XV, 28. — [15] *Psal.* LXXXVII, 16. — [16] *Eccli.*, XIII, 10. — [17] *Gal.*, VI, 3. — [18] Sup., I, 52. — [19] *Eccli.*, XI, 5-6. — [20] *Eccli.*, VII, 4. — [21] *Prov.*, XX, 21.

(*a*) *Vulg.* proposuit. — (*b*) tanquam. — (*c*) enim.

tat ad reverentiam : quod quidem facit persuadendo humilitatem perfectam, assignando utilitatem adjunctam, confirmando per æquitatem divinam.

Primo igitur persuadens humilitatem perfectam, dicit : *Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco*, teipsum scilicet omnibus postponendo, secundum illud [1] : « Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Unde ipse resedit in novissimo loco [2] : « Vidimus eum novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus. » In hujus humilitatis commendationem sedes excellentiorum remotiores sunt ab altari, et in processionibus (*a*) priores dignitates sunt posteriores, ad ipsius scilicet Christi imitationem, qui utique ad hanc humilitatem invitabat, cum omnium apostolorum pedes lavit [3] : « Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, etc. Quia [4] « non est servus major domino suo, » etc. Et ideo Apostolus dicebat [5] : « Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. » Et rursus [6] : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » Et iterum [7] : « Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. » Et ideo dicebat princeps apostolorum Petrus [8] : « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum. » *Recumbe* igitur *in novissimo loco*, te inferiorem omnibus reputando. Sed dices : Quomodo me vere reputabo omnibus pejorem, cum multi sint me pejores ? Ad hoc respondet Bernardus [9] : « Si enim in quonam (*b*) statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus, nec supra sane, nec infra sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, et sermo absconditus est a nobis, ita ut nemo sciat si dignus sit amore, an odio, justius tutiusque profecto, juxta ipsius veritatis consilium, si novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam si (*c*) præsumimus altiorem, unde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque te reputes minorem, quam sis, hoc est, quam te veritas habeat; est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modice plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim, si per ostium transeas, cujus superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaveris, nocet autem si vel transversi digiti spatio plus quam ostii patitur mensura erexeris, ita ut impingas, et capite quassato collidaris; sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda, vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modo præ te, qui forte jam sobrie, et juste, et pie vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum : quid scis, inquam, si melior et te et illis mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit,

[1] *Matth.*, XX, 26, 28. — [2] *Isa.*, LIII, 3. — [3] *Joan.*, XIII, 14, 15. — [4] *Joan.*, XV, 20. — [5] I *Cor.*, IX, 19. — [6] Ibid., XV, 9. — [7] *Ephes.*, III, 8. — [8] I *Petr.*, II, 13. — [9] Bern., *in Cant.*, serm, XXXVII, n. 6.

(*a*) *Cæt. edit.* possessionibus. — (*b*) *Cæt. edit.* quoniam. — (*c*) *Item deest* si.

sed : *Recumbe*, inquit, *in novissimo loco*, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. » Hæc Bernardus.

Secundo autem assignans utilitatem adjunctam, subdit : *Ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius.* Qui nos invitavit, est Christus, qui venit ad nos vel per inspirationem, secundum illud [1] : « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; » vel venit per mortem [2] : « Ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant illi ; » vel venit per finale examen [3] : « Etiam venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. » Hic veniens vocat humiles amicos, Christus namque amicus verus est, secundum illud [4] : « Omni tempore diligit, qui amicus est. » Et humiles recognoscet amicos, et tales obediunt ei [5] : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. » Et tunc vocat non nomine servi, sed amici [6] : « Jam non dicam vos servos, » subdit : « Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Tali dicit : *Ascende superius*, id est ad superiorem honorem et dignitatem [7] : « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, » etc. Et ideo subdit : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, id est, coram omnibus. Unde dicitur [8] : « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. » [9] « Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. » Et propter hoc dicitur apud (*a*) *Job* [10] : « Qui humiliatus fuerit, erit in gloria : et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. »

Tertio, confirmans per æquitatem divinam, adjungit (v. 11) : *Quia omnis, qui se exaltat*, secundum illud [11] : « Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? » *Humiliabitur*, per judiciariam districtionem [12] : « Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et curvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. » Et postea [13] : « Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. » Hujus exemplum patuit in Lucifero [14] : « Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? » Subditur : « Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. » Et ideo corruit, quia se exaltavit. Unde dicitur [15] : « Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei, idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, etc., polluent decorem tuum, et interficient te, et detrahent te, et morieris in interitu occisorum. » Propter quod dicitur imitatori Luciferi, cuilibet superbo, illud Abdiæ [16] : « Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. » Et post : « Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. » Ideo consulit Sapiens [17] : « Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam. » Sequitur : « Et relinquaris velut lignum aridum in eremo. » Sic divina justitia superbos humiliat, et e contrario humiles exaltat. Ideo subdit : *Et qui se humiliat*, per voluntariam abjectionem [18] : « Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, et liberavit me. » Et [19] : « Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. *Exaltabitur*, per divinam glorificationem. Exemplum est in Domino Salvatore [20] : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. » Et post : « Propter quod et Deus exal-

[1] *Joan.*, XIV, 23. — [2] Sup., XII, 36. — [3] *Apoc.*, XXII, 12. — [4] *Prov.*, XVII, 17. — [5] *Joan.*, XV, 14. — [6] *Joan.*, XV, 15. — [7] *Psal.* CXXXVIII, 17. — [8] *Prov.*, XXIX, 23. — [9] *Psal.* XC, 15, 16. — [10] *Job*, XXII, 29. — [11] Ibid., XV, 12. — [12] *Isa.*, II, 11, 12. — [13] Ibid., 17. — [14] Ibid., XIV, 12, 13. — [15] *Ezech.*, XXVIII, 2, 7-8. — [16] *Abd.*, 3, 4. — [17] *Eccli.*, VI, 2, 3. — [18] *Psal.* CXIV, 6. — [19] II *Reg.*, VI, 12. — [20] *Philip.*, II, 8, 9. — (*a*) *Cæt. edit.* dicit.

tavit illum, » etc. Et ideo dicitur [1] : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » Et de his duobus in *Psalmo* [2] : « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi. » Et apud *Ezechielem* (*a*) [3] : « Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile. » Ratio autem hujus justitiæ et æquitatis est, quia quanto quis magis se exaltat, tanto minus honorat Deum, et tanto minus magnificat Deum, ac per hoc tanto magis est aversus a Deo, et sic per consequens tanto minus est [4] : « Nihili factus es, et non eris in perpetuum. » Rursus, quanto magis se exaltat, tanto magis se supra seipsum erigit, ac per hoc tanto magis evanescit. Et quanto magis evanescit, tanto plus a veritate recedit, et tanto minus est. Ergo quanto quis magis a se exaltatur, tanto magis dejicitur [5] : « Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide. » Postremo quanto quis magis se exaltat, tanto gloriam hominum magis amat : et quanto illam magis amplectitur, tanto plus est subjectus humanis laudibus, et propter hoc tanto magis hominum servus, et tanto magis dejectus [6] : « Verumtamen propter dolos posuisti eis : dejecisti eos, dum allevarentur. » Sed e contrario, quanto quis magis se humiliat, tanto magis Deum honorat [7] : « Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Et quanto magis Deum honorat, tanto magis ad ipsum appropinquat, ac per hoc tanto ad sublimiora elevatur. Ambrosius : « Quanto magis se humiliat homo, tanto redit ad interiora : et quanto magis interius colligitur, tanto virtus ejus major efficitur. » Quanto igitur quis magis humiliatur, tanto secundum veritatem major efficitur. Unde dicitur [8] : « Virtus in infirmitate perficitur. » Postremo, quanto magis humiliatur, tanto terrenorum gloriam minus æstimat : et quanto minus eam æstimat, tanto magis calcat : et quanto magis eam calcat, tanto ad sublimiora surripitur, et ita tanto major efficitur [9] : « Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, et gaudium in generatione et generationem. » Igitur omnis qui se exaltat, quanto magis se exaltat, tanto magis se elongat a superioribus : et quanto se magis elongat a superioribus, tanto magis recedit ab interioribus, ac per hoc tanto magis subjicit se inferioribus. Ergo quanto quis magis effertur, tanto magis secundum veritatem dejicitur, et secundum divinum judicium est dejiciendus. Et e contrario, omnis qui se humiliat, quanto magis se humiliat, tanto magis appropinquat ad superiora, et tanto magis redit ad interiora, ac tanto magis calcat inferiora : ergo quanto magis se humiliat sub Deo, tanto magis exaltatur divino judicio.

12. *Dicebat autem et ei*, etc. Postquam informavit invitatos ad convivium nuptiale, hic secundo informat invitantes ad convivium familiare. In qua informatione primo retrahit invitantes a curialitate mundana; secundo allicit ad curialitatem divinam, ibi : *Sed cum facis convivium*, etc. Retrahens igitur a mundana curialitate, tria introducit ad hujusmodi refectionem, scilicet occasionem inducentem, exhortationem erudientem, et rationem persuadentem.

Primo igitur quantum ad occasionem inducentem, dicit : *Dicebat autem et ei qui se invitaverat.* Hoc ideo illi dicebat, quia invitatio illius dedit occasionem loquendi de modo invitandi, secundum illud *Ecclesiastici* [10] : « In medio insensatorum serva verbum tempori. » Vel ideo illi dicebat, ut ministranti sustentationem corporalem rependeret spiritualem eruditionem, ut sic vicissim ostendat dona divina esse communicanda, secundum illud [11] : « Unusquisque sicut accepit

[1] I *Petr.*, v, 6. — [2] *Psal.* LXXIV, 11. — [3] *Ezech.*, XVII, 24. — [4] Ibid., XXVIII, 19. — [5] *Job*, XXX, 22. — [6] *Psal.* LXXII, 18. — [7] *Eccli.*, III, 21. — [8] II *Cor.*, XII, 9. — [9] *Isa.*, LX, 15. — [10] *Eccli.*, XXVII, 13. — [11] I *Petr.*, IV, 10. — (*a*) *Cæt. edit.* Et Ezechiel.

gratiam, in alterutrum illam administrantes. » Unde forma datur hic viro spirituali suscipienti cibum corporalem, ut hospiti suo dispenset spiritualem, sicut insinuatur supra [1] : « Martha suscepit Christum in domum suam. Et soror ejus Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. » In cujus designatione dicit Sapiens de sapientia, videlicet Christo [2] : « Proposui hanc adducere mihi ad convivandum (*a*), sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. » In hoc etiam datur forma quod in conviviis virorum spiritualium spiritualia verba sunt miscenda. Ideo consuetudo est quod in corporali refectione misceatur lectio spiritualis, propter verbum Domini, quod [3] « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. »

Secundo, quantum ad exhortationem erudientem, subdit : *Cum facies prandium aut cœnam.* Prandium, mane; cœnam, vesperi. *Noli vocare amicos tuos,* ratione sodalitatis [4] : « Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? » Quia dicitur [5] : « Sodalis amico condolet causa ventris, et contra hostem accipiet scutum. » *Neque cognatos,* ratione affinitatis [6] : « Miseratio hominis circa proximum suum; misericordia autem Dei super omnem carnem. » *Neque vicinos,* ratione familiaritatis. Ideo dicitur [7] : « Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ. » *Neque fratres,* ratione consanguinitatis, quia dicitur [8] : « Obliviscere populum tuum, et domum patris tui. » Et [9] : « Qui dixerit patri suo, et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro illos (*b*), et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. » *Neque divites,* ratione pompæ, quia dicitur [10] : « Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. » Et post subdit, quod « sepultus est in inferno. » Hæc autem non dicit, quia contra præceptum sit invitare notos, cum scribatur [11] : « Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. » Et de Joseph scribitur, quod fecit *convivium* [12] fratribus suis. Sed hoc dicitur, quod homo in hujusmodi invitationibus, si vult vitam æternam mereri, non debet habere intentionem carnalem, sed spiritualem; non terrenam, sed cœlestem; non mercenariam, sed piam. Propter quod nota, quod est convivium indifferens, quod quidem est familiaritatis humanæ, de quo legitur [13] : « Ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. » Et est convivium malum, et hoc triplex, scilicet malum, pejus, pessimum. Primum est gastrimargiæ, de quo *ad Romanos* [14] : « Non in comessationibus et ebrietatibus, » etc. [15] « Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia (*c*) vacantes potibus, et dantes symbola consumentur. » [16] « Et epulati estis super terram, et in luxuriis nutristis corda vestra. » Secundum est jactantiæ, de quo *Daniel* [17] : « Balthassar rex fecit grande convivium optimatibus suis, » etc. Et [18] : « Herodes natalis sui cœnam fecit principibus et tribunis et primis Galilææ. » Et in primo convivio devastata et dehonestata fuerunt vasa Domini; in secundo interfectus est præcursor Christi. Tertium est malitiæ, de quo dicitur [19], quod Absalon vocavit Amnon (*d*) fratrem suum ad convivium, ubi sequitur quod in convivio interfecit eum. Et in *Machabæis*

Varia convivia.

[1] Sup., x, 38, 40. — [2] *Sap.*, VIII, 9. — [3] *Matth.*, IV, 4, ex *Deut.*, VIII, 3. — [4] *Matth.*, V, 46. — [5] *Eccli.*, XXXVII, 5. — [6] Ibid., XVIII, 11. — [7] III *Joan.*, 5. — [8] *Psal.* XLIV, 11. — [9] *Deut.*, XXXIII, 9-10. — [10] Inf., XVI, 19, 22. — [11] I *Tim.*, V, 8. — [12] *Gen.*, XLIII, 16. — [13] *Job*, I, 4. — [14] *Rom.*, XIII, 13. — [15] *Prov.*, XXIII, 20, 21. — [16] *Jac.*, V, 5. — [17] *Dan.*, V, 1. — [18] *Marc.*, VI, 21. — [19] II *Reg.*, XIII, 27 et seq.

(*a*) *Vulg.* convivendum. LXX : πρὸς συμπόσιον. — (*b*) *Vulg.* vos. — (*c*) *Cæl. edit.* Qui.— (*d*) Ammon.

dicitur [1] quod filius Abobi fecit convivium magnum Simoni : et cum inebriatus esset, occidit eum et duos filios ejus. Est etiam convivium bonum triplex, scilicet bonum, melius, et optimum. Primum est pietatis, de quo infra [2] : « Cum facis convivium, voca pauperes et debiles, » etc. Secundum est charitatis, de quo *in Canticis* [3] : « Comedite, amici, et bibite, et inebriamini. » Tertium est felicitatis [4] : « Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. » Primum convivium, id est indifferens, permittitur; secundum, id est, illud malum, prohibetur ; tertium vero suadetur.

Tertio, quantum ad rationem persuadentem, subdit : *Ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.* Quia qui opera facit pro terrena mercede, non habet nisi terrenam retributionem et temporalem. Nam merces æterna commutatur in temporalem per amorem gloriæ [5] : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. » Unde de hypocritis dicitur [6] : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, » pro amore terrenitatis. Unde super illud [7] : « Timuerunt obstetrices Deum, et ædificavit illis domos, » dicit Glossa quod « merces æterna illis in temporalem commutata est pro amore carnalitatis. » [8] « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. » Et hoc est, quia, sicut dicitur [9], « nemo potest duobus dominis servire. » Et : « Intentio operi tuo, ut dicit Ambrosius, nomen imponit. » Ideo qui facit rem pro mercede temporali, fraudatur mercede æterna, quia nulli operi debetur cœlum, quod fit propter mundum. Sed contra, ea quæ propter Deum fiunt, utraque mercede digna sunt; unde dicitur [10] : « Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. » Et ideo dicebat Dominus [11] : « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » Homini vero mundano dicitur [12] : « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. »

13. *Sed cum facis convivium*, etc. Postquam retraxit a curialitate mundana, hic secundo invitat ad curialitatem divinam. Quod quidem facit tripliciter, scilicet per commendationem pietatis fraternæ, per assignationem rationis inductivæ, et per approbationem rationis inductæ. Primo igitur, quantum ad commendationem pietatis fraternæ, dicit : *Sed cum facis convivium, voca pauperes*, propter defectum rerum exteriorum [13] : « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam, » etc. Et hoc præcipiebatur in lege [14] : « Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. » Huic pauperi debes aperire manum, et maxime justo. Unde *Ecclesiasticus* [15] : « Viri justi sint tibi convivæ, et in timore (*a*) Dei sit tibi gloriatio. » Et in *Tobia* dicitur [16] : « Cum esset dies festus, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo : Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum. » Unde *Ecclesiasticus* [17] : « Da bono, et non receperis peccatorem. Benefac humili, et non dederis impio. » Verumtamen non excluditur hic, quin etiam aliis pauperibus debeat fieri eleemosyna, et quin ipsi debeant vocari, sicut satis innuit Chrysostomus *super Matthæum* dicentem [18] : « Quamdiu non fecistis uni mini-

[1] I *Mach.*, XVI, 15. — [2] Inf., V, 13. — [3] *Cant.*, V, 1. — [4] *Isa.*, XXV, 6. — [5] *Matth.*, VI, 1. — [6] Ibid., 2. — [7] *Exod.*, I, 17. — [8] *Matth.*, X, 37. — [9] Ibid., VI, 24. — [10] I *Tim.*, IV, 8. — [11] *Matth.*, VI, 33. — [12] Inf., XVI, 25. — [13] *Isa.*, LVIII, 7. — [14] *Deut.*, XV, 11. — [15] *Eccli.*, IX, 22. — [16] *Tob.*, II, 1-2. — [17] *Eccli.*, XII, 5, 6. — [18] *Matth.*, XXV, 45.

(*a*) *Cæt. edit.* timorem. LXX : ἐν φόβῳ.

morum horum, neque mihi fecistis, » dicit Dominus. Ait enim [1] : « Non de discipulis hoc solum dictum est, neque de his qui elegerunt monachorum vitam, sed de omni homine fideli. Qui enim talis est, etsi servus fuerit, etsi eorum qui in foro mendicant, credat autem in Deum, justum est ut omnium fruatur devotione. Et si despexerimus talem hominem nudum vel esurientem, hæc audiemus verba, » etc. *Debiles*, propter defectum virium [2] : « Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. » Et in *Matthæo* [3] : « Infirmus eram, et visitastis (*a*) me, » dicet Dominus; quia qui infirmitati alienæ condescendit, quod illi facit, Christo impendit. *Claudos et cæcos*, propter defectum membrorum [4] : « Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc. » Et hoc quidem recte, quia miseris impendenda est misericordia, et subventio his qui habent penuriam. Unde dicitur [5] : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. »

Secundo, quantum ad assignationem rationis inductivæ, subdit (v. 14) : *Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Ideo oportet quod alius retribuat pro eis [6] : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis : » quod dicitur propter immensitatem mercedis, de qua subditur : *Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum*, id est, in gloria æterna. De qua resurrectione in *Apocalypsi* [7] : « Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. » Et infra [8] : « Illi, qui digni habebuntur sæculo illo et (*b*) resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt. Æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. » In hac resurrectione resurgent mali ad mortem; sed justi, ad vitam [9] : « Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. » In hac retributio fiet misericordibus. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [10] : « Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino. » Et maxime de eleemosyna; unde in *Matthæo* [11] : « Venite, benedicti patris mei, » etc. Et post : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. Et ideo (*c*) ait [12] : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Unde operibus pietatis maxime fit retributio felicitatis. Propter quod dicitur [13] : « Eleemosyna viri quasi signaculum (*d*) cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit : et postea resurget, et retribuet illi retributionem unicuique in caput ipsorum. » Ratio autem hujus est, quia nemo est dignus misericordia, nisi qui facit misericordiam; quia [14] : « Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. » Et nullus ad æternam beatitudinem venit, nisi per misericordiam [15] : « Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. » Et [16] : « Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. »

Tertio, quantum ad approbationem rationis inductæ, subdit (v. 15) : *Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus.* Audisset, inquam, non tantum aure corporis, verum etiam aure mentis vel cordis, secundum illud [17] : « Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis; » et quoniam qui sic audit, credit, secundum illud [18] : « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi; » id est : qui credit audiendo, testimonium reddit loquendo et confitendo [19] : « Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. » Ideo subdit :

[1] Chrysost., *in Matth.*, hom. LXXIX, al. LXXX, n. 1, quoad sensum. — [2] *Eccli.*, VII, 39. — [3] *Matth.*, XXV, 35. — [4] Inf., 21. — [5] *Marc.*, VIII, 2. — [6] *Prov.*, XIX, 17. — [7] *Apoc.*, XX, 6. — [8] Inf., XX, 35. — [9] *Joan.*, V, 29. — [10] *Eccli.*, XII, 2. — [11] *Matth.*, XXV, 34, 35. — [12] Ibid., V, 7. — [13] *Eccli.*, XVII, 18-19. — [14] *Jac.* II, 13. — [15] *Psal.* XXXV, 8. — [16] *Tit.*, III, 5. — [17] *Apoc.*, II, passim. — [18] *Rom.*, X, 17. — [19] *Job*, XXIX, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* visitasti. — (*b*) in. Græc. καὶ. — (*c*) *Item add.* Matthæus. — (*d*) *Item* sacculus. LXX : σφραγὶς.

Dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei, quasi dicat : Melior est retributio quæ erit in resurrectione mortuorum, quam ista quæ est in præsenti, quia ista est misera, illa vero beata : quia [1] : « Melior est dies una in atriis tuis super millia. » Unde in *Apocalypsi* [2] : « Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. » Et nota quod cibus ille, qui erit in regno Dei, non erit cibus carnalis, sed panis spiritualis. Et iste panis est Verbum increatum, et Verbum incarnatum. Quem quidem panem manducamus sacramentaliter, secundum illud [3] : « Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat; » in patria vero manducabimus spiritualiter, videndo facie ad faciem [4] : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Et [5] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Hic panis promittitur nobis edendus post egressum de hac vita. Unde *Psalmus* [6] : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris. » Sicut autem nemo venit ad somnum quietis, nisi per senarium laboris; sic istius panis manducationem præcedit senarius panum qui sunt præparatorii ad illum cibum æternum, quem manducabimus in patria.

Primus panis est doloris pœnitentiæ [7] : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, » etc. Et iterum [8] : « Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. » De hoc pane dicitur in figura [9] : « Dedit Abraham Agar panem, et utrem aquæ, etc., et dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine, » etc.

Secundus est panis laboris et justitiæ [10] : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. » Et [11] : « Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit. »

Tertius est panis instructionis et doctrinæ [12] : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » De hoc dicitur [13] : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. »

Quartus est panis sacramenti Eucharistiæ, de quo in *Joanne* [14] : « Panis quem ego dabo, caro mea est. » Et in *Matthæo* [15] : « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, etc.

Quintus est panis consolationis internæ [16] : « Dederunt puero Ægyptio panem, » etc. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est. » Et *Sapiens* [17] : « Panem de cœlo præstitisti illis sine labore. »

Sextus est panis contemplationis supernæ, de quo in *Genesi* [18] : « Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. » Et [19] : « Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Et [20] : « Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. » Per hos sex panes venitur ad septimum, de quo hic : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Sed multi sunt ita miseri, quod non possunt venire de pane ad panem. Unde ad panem cœlestis convivii non veniunt, quia panes alios præambulos manducare nolunt. In figura horum septem panum dicitur [21] : « Accipiens Jesus septem panes, etc., gratias agens fregit, » etc. Incipiendo namque a pane doloris pœnitentiæ, pervenitur ad panem refectionis æternæ : quem qui manducaverit, non habebit ulterius ullam penuriam [22] : « Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet. » Quia nec habebit fastidium, secundum illud *Ecclesiastici* [23] : « Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient, » etc., usque ibi : « Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. »

16. *At ipse dixit ei : Homo quidam,* etc. Postquam invitatos informavit ad convivium nuptiale, et invitantes ad convivium familiare, hic informat invitandos ad convivium

[1] *Psal.* LXXXIII, 11. — [2] *Apoc.*, XIX, 9. — [3] I *Cor.*, XI, 28. — [4] *Joan.*, VI, 52. — [5] Ibid., XVII, 3. — [6] *Psal.* CXXVI, 2. — [7] *Psal.* XLI, 4. — [8] *Psal.* CXXVI, 2. — [9] *Gen.*, XXI, 14. — [10] *Gen.*, III, 19. — [11] *Psal.* CXXVII, 2. — [12] *Matth.*, IV, 4. — [13] *Thren.*, IV, 4. — [14] *Joan.*, VI, 52. — [15] *Matth.*, XXVI, 26. — [16] I *Reg.*, XXX, 11, 12. — [17] *Sap.*, XIX, 20. — [18] *Gen.*, XLIX, 20. — [19] *Prov.*, IX, 5. — [20] *Eccli.*, XV, 3. — [21] *Matth.*, XV, 36. — [22] *Joan.*, VI, 48, 35. — [23] *Eccli.*, XXIV, 31.

æternale per introductionem parabolæ. In hac autem parabola tria introducuntur, quorum primum est invitatio plurimorum; secundum est excusatio invitatorum, de qua ibi [1] : *Et cœperunt simul omnes excusare*, etc.; tertium est repulsio contemptorum, ibi [2] : *Et reversus servus*, etc. Circa autem invitationem plurimorum tria introducuntur ab Evangelista, scilicet præparatio refectionis æternæ, vocatio multitudinis ad fidem, et excitatio ejusdem ad devotionem.

Primo igitur, quantum ad præparationem refectionis æternæ, dicit : *Homo quidam fecit cœnam magnam*, id est, Christus præparavit refectionem æternam. Nam Christus dicitur *homo quidam* singulariter, conceptus sine virili semine, natus sine matris dolore, immunis ab omni peccato, et mortuus pro hominum peccato. De quo homine in *Psalmo* [3] : « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. » Hic fecit cœnam, quia præparavit refectionem summam et ultimam. Unde Glossa [4] : « Hoc convivium non prandium, sed cœna dicitur, quia post prandium, de quo Matthæus [5] agit, cœna restat, et post cœnam nullum convivium restat. » De hac cœna dicitur [6] : « Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. » Hæc cœna magna est, quia inæstimabilis. Unde in *Genesi* [7] : « Ego merces tua magna nimis. » Quia interminabilis [8] : « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus. » Ideo autem æstimari non potest, quia tam cibus, quam ille qui ministrat, Deus est, et summum bonum [9] : « Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. » De quo in *Psalmo* [10] : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. »

Secundo, quantum ad vocationem multitudinis ad fidem, subdit : *Et vocavit multos*, ad fidem, quia de omni statu, et gente, et ætate, secundum illud *Joelis* [11] : « Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera. » Qui sic vocantur, per consequens ad æternam refectionem vocantur. Unde *Petrus* [12] : « Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, » etc., « ipse perficiet, » etc. Ideo autem vocat multos, ut ostendat summam liberalitatem (*a*) et benignitatem; sed ideo paucos elegit, ut ostendat judicii severitatem. Propter quod in *Matthæo* (*b*) [13] : « Multi sunt vocati; pauci vero electi. » Unde hæc vocatio multitudinis comparatur captioni sagenæ, quæ capit ex omni genere piscium [14] : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ, etc., et ex omni genere piscium congreganti, » etc.

Tertio, quantum ad excitationem ejusdem multidinis ad devotionem, subdit : *Et misit servum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent.* Servus iste, ut dicit Glossa, est ordo prædicantium : qui cum sint multi, intelliguntur tamen nomine unius servi, pro unitate officii; de qua missione [15] : « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis. » De hoc servo *Isaias* ait [16] : « Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, etc. : Parum est, ut sis mihi servus ad suscipiendas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. » Hora cœnæ, est finis sæculi, hoc est, tempus sextæ ætatis, secundum illud [17] : « In quos fines sæculorum devenerunt. » Et [18] : « Filioli (*c*), novissima hora est. » Hi servi dicunt invitatis, ut veniant ad cœnam, veniant, inquam, per

[1] Inf., 18. — [2] Inf., 21. — [3] *Psal.* LXXXVI, 5. — [4] Ex Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LX. — [5] *Matth.*, XXII, 4. — [6] *Apoc.*, XIX, 9. — [7] *Gen.*, XV, 1. — [8] *Bar.*, III, 24. — [9] Inf., XXII, 29-30. — [10] *Psal.* XXXV, 9. — [11] *Joel.*, II, 15. — [12] I *Petr.*, V, 10. — [13] *Matth.*, XX, 16. — [14] Ibid., XIII, 47. — [15] *Prov.*, IX, 3. — [16] *Isa.*, XLIX, 5, 6. — [17] I *Cor.*, X, 11. — [18] I *Joan.*, II, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* libertatem.— (*b*) Matthæus.— (*c*) Filii.

internum desiderium et devotionem, secundum illud *Psalmi*[1] : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? » Hi servi Dei debent prædicare, secundum illud *Isaiæ*[2] : « Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos, » etc. ; quia secundum illud in *Apocalypsi*[3] : « Et qui audit, dicat : Veni. » Et quia nihil tantum excitat desiderium, ut veniat ad Deum, quantum consideratio illorum præmiorum, ideo subdit : *quia jam parata sunt omnia.* Parata sunt habitacula[4] : « In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis : quia vado vobis parare locum. Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum. » Item præparata sunt grandia[5] : « Oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus iis, qui diligunt illum. » Acceptum est de *Isaia*[6] : « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. » Item præparata est mensa[7] : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me, » etc. Item præparata est sponsa cum iis qui prædestinati sunt ad vitam[8] : « Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se ; » quia, sicut dicitur[9] : « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. »

18. *Et cœperunt simul omnes.* Post invitationem plurimorum, sequitur hic excusatio vocatorum, quia multi veniunt ad fidem, qui tamen nolunt pervenire usque ad charitatem, propter vitiorum pronitatem, quam in excusationis velamen assumunt. *Et cœperunt simul omnes excusare.* Glossa : « Excusat se omnis qui plus terrena quam cœlestia diligit, etiamsi ad cœlestia se tendere dicat. » Quoniam ergo triplex est radix omnis peccati, quæ nos retrahit a charitate Christi, ideo hic tria genera hominum citationem hujus reprobantium introducit, secundum triformem excusationem : quarum prima venit ex ambitione superbiæ; secunda, ex sollicitudine avaritiæ; tertia vero, ex libidine lasciviæ.

Primo igitur, quantum ad primam excusationem, quæ venit ex ambitione superbiæ, dicit : *Primus dixit illi : Villam emi.* Iste primus est superbus, qui semper vult obtinere primatum[10] : « Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia. » Hujus est villam emere, quia nihil aliud quærit, quam dominari et præesse. Unde Augustinus[11] : « In empta villa dominatio notatur et superbia. Habere enim villam, homines sibi in illa subdere, superbiæ vitium primum notat (*b*). » Hanc exemptionem facit superbus dando animam in servitutem diaboli, quia[12] : « Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ. » Unde dum vult esse dominus hominum, efficitur servus vitiorum, et hæc est valde mala permutatio. Unde talis fatetur se servum, cum subdit : *Et necesse habeo exire et videre illam.* Hanc necessitatem inducit superbia, quæ facit hominem evanescere, et quodam modo extra se exire[13] : « Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem. » Et quia vitium palliat se sub pallio virtutis, quia superbus vult videri humilis, ideo subdit : *Rogo te, habe me excusatum.* Glossa[14] : « Ora pro me, quia homo peccator sum. Seipsum humiliat in voce, cum superbiat in corde. » Unde Gregorius[15] : « Humilitas sonat in voce; dum autem venire contemnit, superbia est in actione. » Tales designantur per illos de quibus dicitur[16] : « Genu flexo ante eum, illudebant

[1] *Psal.* XLI, 3. — [2] *Isa.*, II, 3. — [3] *Apoc.*, XXII, 17. — [4] *Joan.*, XIV, 2-3. — [5] I *Cor.*, II, 9. — [6] *Isa.*, LXIV, 4. — [7] *Psal.* XXII, 5. — [8] *Apoc.*, XIX, 7. — [9] *Matth.*, XXV, 10. — [10] *Eccli.*, X, 14-15. — [11] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXXIII, al. CXII, n. 2. — [12] *Job*, XLI, 25 — [13] *Nah.*, I, 11. — [14] Gloss. interlin. in hunc loc. ex Greg. — [15] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVI, n. 4. — [16] *Matth.*, XXVII, 29.

(*a*) *Forsan legendum* gaudia. — (*b*) *Apud ipsum Aug., edit. Benedict., legitur* subdere, dominari delectat. Vitium malum, vitium primum.

ei. » Et de hujusmodi dicitur [1] : « Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. » Et de talibus dicit Propheta in *Psalmo* [2] : « Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. » Et ideo e contrario dicitur de viro justo [3] : « Justus prior est accusator sui. »

Secundo, quantum ad secundam excusationem quæ venit ex sollicitudine avaritiæ, subdit (v. 19) : *Et alter dixit : Juga boum emi quinque.* Sollicitudo namque avaritiæ facit, quod quis non quærit nisi terrena tractare : ideo labori boum comparatur, quorum est terram sulcare et exercere. Et dicuntur quinque juga boum, propter quinque sensus conversos ad hæc terrestria. Unde Glossa : « Hæc juga boum dicuntur, quia per hos terrena reguntur : boves enim terram versant. » Dici etiam possunt juga, quia collum ligant, et cervicem domant, et totum deprimunt in terram, et animam vendunt pro terra [4] : « Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua : » quia, ut dicitur [5] : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Et thesaurus avari est extra se, scilicet in terra; ideo intima hominis avari projecta sunt in terra. Unde necesse est, quod jugo servitus opprimatur, quia vendidit semetipsum. Unde *Ecclesiasticus* [6] : « Inter medium venditionis, et emptionis, angustiabitur peccatum (*a*). » Reddit enim avaritia sollicitum et curiosum : ideo subdit : *Et eo probare illa*, quia curiosus continuam curam de superfluis habet. Unde Glossa [7] : « Recte per quinque sensus curiositas designatur, quæ dum exterius investigat vitam proximi, sua intima nescit; et curiosi animus, quanto est peritior alieni, tanto ignarior fit sui. » Et nota quod charitas non habet nisi jugum unum, quia omnem sollicitudinem reducit ad unum, secundum illud [8] : « Unum est necessarium. » Et [9] : Sollicitum ambulare cum Deo tuo, » etc. Et [10] : « Jugum meum suave est, » etc. Et [11] : « Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Sed curiositas habet quinque, quantum ad universitatem sensibilium circa quæ versatur. Unde *Ecclesiasticus* [12] : « Inveni quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. » Et quoniam vitium cupiditatis et avaritiæ palliat se sub specie providentiæ, ideo subdit : *Rogo te, habe me excusatum.* Sed talibus potest dici illud [13] : « Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et (*b*) malitias tuas docuisti vias tuas (*c*), et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, et innocentium? »

Tertio quantum ad tertiam excusationem, quæ venit ex libidine lasciviæ, subdit (v. 20) : *Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Hæc uxor est concupiscentia carnis, de qua *Ecclesiastes* [14] : « Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus. » Hæc dicitur uxor propter vehementem libidinis adhæsionem [15] : « An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. » Propterea addit : *Et ideo non possum venire*, nec addit : *Habe me excusatum*, quia solum peccatum carnis est, quod minime palliat se sub specie virtutis, et minime excusatur, et tamen secundum veritatem magis est excusabile, propter majorem pronitatem concupiscentiæ, secundum illud [16] : « Video aliam legem in membris meis, et repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. » Et pro tanto dicit : *Non possum venire*, quia, sicut dicit Bernardus [17] : « Sicut ignis et aqua simul esse non possunt, sic spirituales deli-

[1] *Eccli.*, XIX, 23. — [2] *Psal.* CXL, 4. — [3] *Prov.*, XVIII, 17. — [4] *Eccli.*, X, 10. — [5] *Matth.*, VI, 21. — [6] *Eccli.*, XXVII, 2. — [7] Gloss., ex Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LX. — [8] Sup., X, 42. — [9] *Mich.*, VI, 8. — [10] *Matth.*, XI, 30. — [11] *Thren.*, III, 27. — [12] *Eccle.*, VII, 30. — [13] *Jerem.*, II, 33, 34. — [14] *Eccle.*, VII, 27. — [15] 1 *Cor.*, VI, 16. — [16] *Rom.*, VII, 23. — [17] Bern., *ad Fulcon.*, epist. II, n. 10. — (*a*) *Cant. edit.* peccatis. LXX : ἁμαρτία. — (*b*) *Omis.* et. — (*c*) *Item* tuas.

ciæ, et carnales, in eodem se non compatiuntur. » Mentitur tamen iste, quia talis, etsi sit concupiscentiæ servus, potest facere, quo facto habeat gratiam, per quam habeat domandi concupiscentiam. Unde ad *Romanos* [1] : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Et respondet continuo : « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, » quia [2] « Deus est qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate. » Et nota hic quod licet uxor licite habeatur, tamen propter abusum, et propter vitium conjunctum, per rem bonam intelligitur malum; propter quod et Apostolus dicit [3] : « Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint. » Et Glossa [4] dicit quod multi non propter fœcunditatem, sed propter desideria carnis, uxores ducunt. Ideo per rem istam carnalis voluptas designatur. Unde non est inconveniens, quod uxor ratione vinculi sacramentalis designet Ecclesiam sponsam Christi, et ratione libidinis designet carnalis concupiscentiam voluptatis.

21. *Et reversus servus*, etc. Post invitationem plurimorum, et excusationem invitatorum, sequitur hic tertio repulsio contemptorum. Circa quam tria introducuntur ab Evangelista, scilicet vocatio indigentium, compulsio negligentium, et repulsio contemnentium. Quantum ad vocationem indigentium, quæ ortum habuit ex contemptu aliorum, dicit : *Et reversus servus, nuntiavit hæc domino suo*, videlicet vocatorum duritiam et rebellionem. Hanc autem servus nuntiat, quando ordo prædicatorum non quærit proprium commodum, sed honorem divinum : ut sicut missus est a Deo per commissionem auctoritatis, sic revertatur per intentionem puritatis. Et de talibus dicitur [5] : « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Unde *Job* [6] : « Numquid mittes fulgura, et ibunt; et revertentia dicent tibi : Adsumus? » Ibi Glossa [7] : « Vadunt fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant; revertentia dicunt : *Adsumus*, cum non sibi, sed Deo tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. » Vel revertuntur ad Deum per gratiarum actionem, secundum illud [8] : « Ad locum unde exierunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. » Et quia non possunt gratias agere de audientium rebellione, sed potius gemere ex detestatione culpæ, ideo dicuntur Domino nuntiare; sicut et de Apostolis dicitur [9], quod cum molestiam paterentur a Judæis, « unanimiter levaverunt vocem suam ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum, etc., qui Spiritu sancto, per os patris nostri David pueri tui, dixisti : Quare fremuerunt gentes? etc. Nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. » Et sequitur [10] : « Et cum orassent, motus est locus : » in quo intelligitur commotio iræ Dei contra rebellionem auditorum. Propter quod et subdit : *Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis*, id est ad publicam prædicationem, secundum illud [11] : « Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam : in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua. » Exitus iste est ad exercitium prædicationis, secundum illud [12] : « Exiit qui seminat, seminare semen suum : » et quia, repulsis superbis, acceptantur humiles, ideo subdit : *Et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc*; quod secundum Glossam [13] habet exponi tripliciter. Uno modo, ut ista sonent defectus naturales, ut *pauperes*, qui carent rebus; *debiles*, qui carent viribus; *cæcos*, qui habent defectum in visu; *claudos*, qui habent defectum in progressu : quia, ad litteram, et tales admittuntur ad regnum cœlorum [14] : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi

[1] *Rom.*, VII, 24, 25. — [2] *Philip.*, II, 13. — [3] I *Cor.*, VII, 29. — [4] Gloss., ex Bed., ubi sup. — [5] *Ezech.*, I, 14. — [6] *Job*, XXXVIII, 35. — [7] Ex Greg., *Moral.* lib. XXX, II, n. 6. — [8] *Eccle.*, I, 7. — [9] *Act.*, IV, 24-29. — [10] *Act.*, IV, 31. — [11] *Prov.*, I, 20, 21. — [12] *Matth.*, XIII, 3. — [13] Gloss. interlin. in hunc loc. — [14] I *Cor.*, I, 26-29.

sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

Alio modo legitur, ut sonent defectus vitiosos, ut sint *pauperes*, propter defectum gratiæ; *debiles*, propter defectum virtutis; *cæci*, propter defectum prudentiæ; et *claudi*, propter defectum bonæ voluntatis. Et hos elegit, et vocat Deus, quia [1]: « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Unde et per *Matthæum* dictum est Pharisæis [2]: « Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. »

Tertio modo legitur, ut sonent defectus virtuosos, ut dicantur *pauperes*, quantum ad propriam reputationem, ut illos intelligamus pauperes, qui non confidunt de nimia opulentia, de quibus in *Proverbiis* [3]: « Est quasi pauper, cum in multis divitiis sit; » illos autem *debiles*, qui non confidunt de sua virtute [4]: « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; » *cæci*, qui non confidunt de sua scientia, id est qui reputant se cæcos: unde in *Joanne* (*a*) [5]: « Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus: peccatum vestrum manet. » *Claudi*, qui non confidunt de sua rectitudine; unde Jacob, postquam vidit Dominum, dicitur [6] claudicasse. Tales introducit Dominus, scilicet *pauperes*, per contemptum terrenæ opulentiæ [7]: « Parcet pauperi et inopi; *debiles*, per contemptum propriæ confidentiæ [8]: « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; » *cæcos*, par contemptum propriæ industriæ [9]: « In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, » etc. *Claudos*, per contemptum propriæ justitiæ [10]: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » Et pro iis omnibus dicitur supra [11]: « Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: » quia ipsi ad vitam introducuntur, et vocantur: et hic ultimus intellectus videtur magis consonus præcedentibus, quia [12] « Deus superbis resistit. »

Secundo, quantum ad compulsionem negligentium, quæ sequitur vocationem humilium, subditur (v. 22): *Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est:* quia non tot sunt humiles, quot prædestinati ad vitam; nec tot sunt ad vitam æternam voluntarii, quot sunt a Deo prædestinati. Ideo subdit (v. 23): *Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes.* Per vias et sepes, quæ sunt extra urbem, intelliguntur peccatores qui sunt extra Ecclesiæ unitatem, et maxime gentiles. Unde Gregorius [13]: « Cum de vicis et plateis vocat, Judæos significat, qui tenere legem sub urbana conversatione noverant; cum autem de viis et sepibus vocat, agrestem populum gentium significat. » Et per hanc eamdem rationem cæteri peccatores possunt intelligi, et maxime pigri, qui ad bonum trahuntur inviti. Unde subdit: *Et compelle intrare*, comminatione scilicet æternorum suppliciorum, et ostensione præsentium, quia, sicut dicit Gregorius: « Mala quæ nos hic comprimunt, ad Deum ire compellunt. » Propter quod in *Psalmo* [14]: « Cum occideret eos, quærebant eum. » Unde hos compellit (*b*) servus Dei, quando eos terret comminatione severitatis judicii, secundum illud [15]: « Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, » etc. Et ratio hujus est complementum numeri electorum. Unde subdit: *Ut impleatur domus mea.* Glossa [16]: « Numero prædestinatorum fidelium, » qui numerus inexpletus non rema-

Sepes quid.

[1] *Matth.*, IX, 13. — [2] Ibid., XXI, 31. — [3] *Prov.*, XIII, 7. — [4] I *Cor.*, I, 25. — [5] *Joan.*, IX, 41. — [6] *Gen.*, XXXII, 31. — [7] *Psal.* LXXI, 13. — [8] *Isa.*, XL, 31. — [9] *Joan.*, IX, 39. — [10] *Isa.*, XXXV, 6. — [11] Sup., VII, 22. — [12] *Jac.*, IV, 6. — [13] Gloss. in hunc loc., ex Greg., *in Evang.*, hom. XXXVI, n. 8. — [14] *Psal.* LXXVII, 34. — [15] II *Tim.*, IV, 2. — [16] Gloss. interlin. in hunc loc.

(*a*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*b*) compulit.

nebit, de quo numero in *Apocalypsi* [1] : « Ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum. » Hæc ergo domus impletur, quando salvatur universitas electorum, de quibus dicitur [2] : « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. » Et iterum [3] : «Vidi, et ecce agnus stabat (*a*) supra montem Sion, et cum eo centum, » etc. Et in cantico *Deuteronomii* [4] : « Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel ; » ubi dicit Gregorius [5] quot tot salvabuntur homines, quot angeli steterunt. Quidquid tamen sit de hoc, certum est quod perfectus erit numerus electorum; in cujus figuram dicitur [6] : « Dominus apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. »

Salvandorum numerus

Tertio, quantum ad repulsionem contemnentium, subjungit (v. 24) : *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt*, et se excusaverunt, *gustabit cœnam meam :* quia nullus ad cœnam illam pertingit, nisi humilis [7] : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. » Unde et in *Psalmo* dicitur [8] : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » Timentibus autem Dominus reservat; sed superbos repellit. « Si enim [9] angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni, » etc., sicut dicit Petrus; et post : « Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. » Ideo dicitur [10] : « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. » Et ideo dicitur ad *Hebræos* [11] : « Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, quo modo nos effugiemus, si tantam neglexerimus (*b*) salutem? »

25. *Ibant autem turbæ multæ*, etc. Postquam confutavit calumniantes et erudivit convivantes, hic jam tertio informat comitantes. Dividitur autem pars ista in duas : in prima erudit comitantes per verba expressa; in secunda vero, per exempla parabolica, ibi [12] : *Quis enim ex vobis ædificare volens turrim*, etc. Erudiens autem per verba expressa ad Christum specialiter comitandum, procedit hoc ordine, exprimendo scilicet spiritualis comitatus indicium, principium, et complementum. Primo ergo quantum ad spiritualis comitatus indicium, dicit : *Ibant autem turbæ multæ cum eo*, in signum spiritualis comitatus. Unde Glossa [13] : « Ibant turbæ cum eo, captæ scilicet dulcedine prædicationis et miraculorum. » Unde poterant dicere illud [14] : « Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. » Et nota hic quod Pharisæi calumniabantur Christum, turbæ comitabantur ; quia quem superbi despiciunt, humiles comitantur. Unde in *Joanne* (*c*) [15] : « Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. » Sicut oves pastorem [16] : « Videns Jesus turbas, misertus est eis, quia erant vexati et jacentes, sicut oves non habentes pastorem. » Sicut populus regem [17] :« Turbæ quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna, » etc. Sicut discipuli doctorem [18] :« Factum est, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genezareth. »

Secundo, quantum ad spiritualis comitatus principium, subdit : *Et conversus dixit ad illos. Conversus*, inquam, per benignitatem [19] :« Deus, tu conversus vivificabis nos. » *Dixit*, per veritatem doctrinæ : *Si quis venit ad me*, per supererogationem justitiæ [20] :« Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis : » *Et non audit pa-*

[1] *Apoc.*, VI, 12. — [2] Ibid., VII, 9. — [3] Ibid., XIV, 1. — [4] *Deut.*, XXXII, 8.— [5] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, n. 11. — [6] *Deut.*, XXXIII, 2. — [7] *Matth.*, XVIII, 3. — [8] *Psal.* XXX, 20. — [9] II *Petr.*, IV, 4, 9.— [10] *Rom.*, XI, 20, 21. — [11] *Hebr.*, II, 1-2. — [12] Inf., 28. — [13] Gloss. interlin. in hunc loc. — [14] *Joan.*, VI, 69. — [15] Ibid., V, 48-49. — [16] *Marc.*, VI, 34.— [17] *Matth.* XXI, 9.— [18] Sup V, 1. — [19] *Psal.* LXXXIV, 7. — [20] *Matth.*, XI, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* stabit. — (*b*) negleximus.

trem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, per mortificationem affectus carnalis, secundum illud *Psalmi* [1] : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem, » etc.: *Non potest meus esse discipulus,* per assumptionem evangelicæ perfectionis, de qua in *Luca* (*a*) [2]: « Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. » Et ratio hujus est, quia principium spiritualis vitæ, est exuere carnalem affectum; quia [3] « animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, » etc. Et *Isaias* [4] : « Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos a lacte, » etc., hoc est, separatos a carnali affectione. Unde notandum est, quod non præcipit hic odium parentum quantum ad naturam, quia hoc esset impietatis, cum dicat *Joannes* [5] : « Qui odit fratrem suum, homicida est ; » sed quantum ad culpam, sicut dicit Augustinus [6] : « Sic diligendi sunt homines, ut eorum errores non diligantur. » De quo odio in *Psalmo* [7] : « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam? » Et post : « Perfecto odio oderam illos, » etc. Unde Gregorius [8] : « Simul et odisse possumus et diligere, ut ex cognatione nobis conjunctos ex præcepto divino diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. » Unde odium illud non venit ex crudelitate, sed ex charitate, sicut et odium animæ suæ, quam debemus odisse non quantum ad salutem, sed quantum ad carnalitatem. Unde Gregorius [9] : « Tunc animam nostram odimus, cum ejus affectibus carnalibus reluctamur. » De hoc odio dicitur [10] : « Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. » Augustinus [11] : « Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui sic oderunt custodiendo, ne perdant amando. » Hoc est quod expressius dicitur in *Ecclesiastico* [12] : « Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Sicut ergo principium spiritualis vitæ est non concupiscere, ubi omne malum prohibetur, et declinare a malo ; sic fundamentum spiritualis comitatus est carnalitatem omnem declinare, sive ad se, sive ad parentes. Propter quod dicitur [13] : « Deponite (*b*) vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. »

Tertio, quantum ad spiritualis comitatus complementum, subjungit (v. 27) : *Et qui non bajulat crucem suam*, per perfectam carnis mortificationem : *Et venit post me*, per rectam intentionem : *Non potest meus esse discipulus*, per certam imitationem. Et nota quod hic est consummatio discipulatus Christi et comitatus, scilicet in bajulando crucem, quia ibi Christus consummavit, sicut dicitur [14] : « Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. » In cruce enim Christi est summa humilitas [15] : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Summa paupertas, ita ut vere posset dicere Christus illud *Job* [16] : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. » Unde dicitur [17] quod « milites, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes. » Est et ibi summa austeritas, secundum illud *Psalmi* [18] : « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. »

Bajulare crucem quid sit.

Crucem ergo bajulare, est humilitatem in corde, austeritatem in carne, et paupertatem in passione assumere, contra illa tria

[1] *Psal.* XLIV, 11. — [2] Sup., VI, 40. — [3] I *Cor.*, II, 14. — [4] *Isa.*, XXVIII, 9. — [5] I *Joan.*, II, 11. — [6] Aug., *Enarr. in Psal.* C, n. 5, et *in Psal.* CXVIII, serm. XXIV, n. 1. — [7] *Psal.* CXXXVIII, 21, 22. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 2. — [9] Ibid. — [10] *Joan.*, XII, 25. — [11] Aug., *in Evang.*, tract. LI, n. 10. — [12] *Eccli.*, XVIII, 30-31. — [13] *Ephes.*, IV, 22. — [14] *Joan.*, XIX, 17. — [15] *Philip.*, II, 8. — [16] *Job.*, I, 21. — [17] *Joan.*, XIX, 23. — [18] *Psal.* XXI, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* Lucas. — (*b*) *Vulg.* Deponere.

radicalia, et contra triplicem excusationem eorum, qui noluerunt venire ad cœnam, quia hæc crux fuit Christi, quia Christus voluntarie eam suscepit. Similiter, qui vult Christum sequi, oportet quod portet eam voluntarie : ut ferat eam sicut crucem suam, ex voluntate propria, non in angaria, sicut alienam; alioqui non esset imitator Christi, sed potius Simonis, de quo Marcus [1] : « Angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum, etc., ut tolleret crucem ejus. » Ad hanc crucem potissime nos invitat Christus, qui primus eam portavit, sicut vexillum et signum regale. Unde Paulus [2] : « Christus extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, » etc. Qui ergo sic non vult sequi, non est Christi discipulus, quia non vult imitari eum, in quo se præbuit exemplar nobis et magistrum. Unde dicitur [3] : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Propter quod [4] : « Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. » Unde Chrysostomus [5] : « Nullus verecundetur crucem; circumferamus eam ut coronam : etenim omnia, quæ secundum nos sunt, per crucem perficiuntur, regeneratio, consecratio. Propter hoc in domo, in januis, in viis, in frontibus, et in mente eam scribimus. » Hæc igitur bajulanda est, tanquam signum Dei vivi, de quo in *Apocalypsi* [6] : « Vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus suis, » ut sciatur, scilicet, manifeste, quis sit Christi discipulus.

28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare*, etc. Postquam invitavit et informavit comitantes, et hoc per verba expressa, hic secundo informat eosdem per exempla parabolica. Et quoniam Christum debemus imitari in actionibus et passionibus, in primis similes sumus ædificantibus, in secundis similes præliantibus. Ideo primo in hac parte introducit parabolam de homine ædificante; secundo vero adjungit parabolam et exemplum de rege præliante, ibi [7] : *Aut quis rex iturus*, etc.; in tertia vero subjungit adoptationem utriusque, ibi [8] : *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiaverit*, etc. Circa parabolam de homine ædificante, tria introducuntur, scilicet conceptio propositi ædificandi, provisio sufficientis stipendii, declinatio imminentis opprobrii.

Primo igitur, quantum ad conceptionem propositi ædificandi, dicit : *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare*, etc. Per turrim, quæ est ædificium altissimum, possumus intelligere cumulum perfectionis meritorum, quæ gradatim ascendit ab imo usque ad summum, incipiens a fundamento timoris, et perveniens usque ad culmen sapientiæ deiformis.

Et est primo ædificanda turris doni timoris, de qua potest intelligi illud Micheæ [9] : « Tu turris gregis nebulosa, etc., usque ad te veniet, » (*a*) timor parvulum facit ex consideratione judicii.

Secunda turris est pietatis, de qua *Isaias* [10] : « Ædificavit turrim in medio vineæ, et torcular extruxit in ea, » quia pietas oritur ex consideratione passionis.

Tertia est turris scientiæ [11] : « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, » etc. Quod intelligitur de scientia sacræ Scripturæ.

Quarta est turris fortitudinis [12] : « Turris fortissima nomen Domini : ad ipsam currit justus, et exaltabitur. » Et in *Psalmo* [13] : « Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis. »

[1] *Marc.*, XV, 21. — [2] *Hebr.*, XVII, 12. — [3] *Gal.*, V, 24. — [4] II *Cor.*, IV, 10. — [5] Chrysost., *in Matth.*, hom. LIV, al. LV, n. 4. — [6] *Apoc.*, VII, 2-3. — [7] Inf., v. 31. — [8] Inf., v. 33. — [9] *Mich.*, IV, 8. — [10] *Isa.*, V, 2. — [11] *Cant.*, IV, 4. — [12] *Prov.*, XVIII, 10. — [13] *Psal.* LX, 4. — (*a*) *Suppl.* quia.

Quinta est turris consilii, de qua in *Canticis* [1] : « Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum, » quia consilium est contra insidias inimici.

Sexta turris est intellectus, de qua [2] : « Collum tuum sicut turris eburnea : oculi tui sicut piscinæ in Hesebon : » ubi datur intelligi munditia cordis, et limpiditas intelligentiæ spiritualis.

Septima est turris sapientiæ [3] : « Ego murus, et ubera mea sicut turris. » Quod dicitur propter consolationem, quæ est in gustu lactis uberum divinæ sapientiæ. Antequam autem hujus ædificii altitudo erigatur, necessaria est ædificatio ædificii septem virtutum, de qua in *Proverbiis* [4] : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. » Hujus ædificii Christus est fundator, et fundamentum, et complementum : huic tamen ædificationi vir spiritualis comparatur. Unde dicitur [5] : « Dei sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. » Omnis qui proponit ad culmen virtutis ascendere, hic vult turrim ædificare.

Secundo, quantum ad provisionem sufficientis stipendii, subdit : *Non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* Sedere illud, est considerare intra se secreta conscientiæ suæ [6] : « Sedebit solitarius, et tacebit. » Computare, est prævidere per sollicitam considerationem. Unde Glossa [7] : « Omne quod agimus, prævenire per studium considerationis debemus. » Et hoc est quod dicitur [8] : « Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. » Sumptus autem necessarii sunt sufficientes conatus mentis, quibus quis cooperatur gratiæ : 1. viriliter, secundum illud *Psalmi* [9] : « Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » 2. Utiliter [10] : « Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, et lapides pretiosos, » etc. 3. Efficaciter, quia [11] : « Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. » 4. Perseveranter, quia [12] : « Perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini. » Hac ædificatione perfecta, Dominus apparet ad habitandum; unde [13] : « Factum est, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, etc., apparuit ei Dominus. » Hi ergo sumptus sufficientes ad perficiendum consistunt in proposito voluntatis agentis viriliter, utiliter, efficaciter et perseveranter. Sed si quid deest, Dominus supplet; unde dicitur [14] : « Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. » Qui vult ergo opus altum incipere, debet prævidere, si velit persevare, quia, sicut dicitur supra [15] : « Nemo mittens manum ad aratrum, » etc.

Tertio, quantum ad declinationem imminentis opprobrii, subjungit (v. 29) : *Ne posteaquam posuerit fundamentum*, id est, altiorem statum aggrediendo in imitando Christum; hoc enim est ponere fundamentum, de quo dicitur [16] : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus. » Hoc fundamentum incipit quis ponere per fidem et bonam operationem, secundum illud [17] : « Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. » In hac petra fundamentum habitationis collocat, qui Christum vult perfecte imitari, secundum illud [18] : « Relinquite civitates, et habitate in petra, habitores Moab, » etc. *Et non potuerit perficere*, et hoc perseverando; sicut sunt illi, de quibus dicitur [19] : « Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. » Tales sunt qui destruunt recidivando, quidquid ædificaverunt boni inchoando [20] : « Unus ædificans, et unus destruens, quid prodest illis, nisi labor? » Tales sunt dissoluti et remissi [21] :

[1] *Cant.*, VII, 4. — [2] Ibid. — [3] *Cant.*, VIII, 10. — [4] *Prov.*, IX, 1. — [5] I *Cor.*, III, 9. — [6] *Thren.*, I, 28. — [7] Gloss., ex Bed., *in Luc.*, lib. IV, c. LXI. — [8] *Prov.*, IV, 15. — [9] *Psal.* XXVI, 14. — [10] I *Cor.*, III, 12. — [11] *Hebr.*, XII, 15. — [12] III *Reg.*, VII, 51. — [13] Ibid., IX, 1, 2. — [14] *Philip.*, II, 13. — [15] Sup., IV, 62. — [16] I *Cor.*, III, 11. — [17] *Matth.*, VII, 24. — [18] *Jerem.*, XLVIII, 28. — [19] Sup., VIII, 13. — [20] *Eccli.*, XXXIV, 28. — [21] *Prov.*, XVIII, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* faciet.

« Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. » *Omnes qui vident* incœptam perfectionem circumspiciendo [1] : « Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Quod enim in alto ponitur, omnibus ostenditur [2] : « Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. » — *Incipiant illudere ei,* (v. 30) *dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* Et hoc contumelias inferendo, et deridendo, quia hoc valde est opprobriosum retrocedentibus et apostatantibus. Nam deridentur a dæmonibus [3] : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. » Hanc irrisionem abhorret vir spiritualis [4] : « Neque irrideant me inimici mei, » etc. Hi inimici derident imperfectionem, secundum illud [5] : « Tobias Ammanites, etc., ait : Ædificent; si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum. » Unde Ambrosius [6] : « In omni, quod agimus, occultos adversarios considerare debemus, qui nostris operibus insidiantur, et nisi contra eos vigilemus, patimur eos irrisores, quos ad malum habemus persuasores. » Qui autem retrocedit ab incœpto, deridetur pro temeritate in præsumendo, pro instabilitate in prosequendo, pro pusillanimitate in desistendo; et hoc non solum a diabolo, verum et a mundo [7] : « Fauo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius. » Et post : « Quoties et quanti irridebunt eum! » etc.

31. *Aut quis rex iturus committere,* etc. Supra posuit parabolam de homine ædificante; hic proponit parabolam de rege prælante. In qua quidem parte tria introducuntur, scilicet propositio belli, prævisio periculi, et provisio remedii.

Primo igitur, quantum ad propositionem belli, dicit : *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem,* etc. Rex iste est quilibet, qui se regit secundum legem Dei [8] : « Rex qui sedet in solio judicii, » etc. Et in *Apocalypsi* [9] : « Fecisti nos Deo nostro regnum, etc., et regnabimus super terram. » Istius est committere bellum, quia [10] « militia est vita hominis super terram. » Hoc autem tripliciter habet intelligi : vel ut quis committat bellum cum rege superbiæ, de quo *Job* [11] : « Ipse est rex super universos filios superbiæ ; » vel cum rege justitiæ, de quo in *Psalmo* [12] : « Reges eos in virga, » etc.; vel cum rege supernæ providentiæ, de quo *Ecclesiastes* [13] : « Insuper universæ terræ rex imperat, » etc. Committit autem bellum cum rege superbiæ, quando ab ipso dissentit [14] : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; » subdit : « Adversus mundi rectores tenebrarum harum. » Committit bellum cum rege justitiæ, quando vult in conspectu Dei se justificare, quod dicitur in *Jeremia* [15] : « Ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi. » Sic et Job volebat committere, qui dicebat [16] : « Ad omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio. » Et iterum [17] : « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te. » Committit autem bellum cum rege supernæ providentiæ, cum se parat ad conflictum patientiæ, sicut dicit *Job* [18] : « Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus, et qui cœpit, ipse me conterat? » Sic tripliciter cum rege tripliciter dicto committitur bellum : primum committit pœnitentia de peccatis; secundum, confidentia de meritis; tertium autem, patientia in flagellis.

Secundo, quantum ad prævisionem periculi, subdit : *Non sedens prius cogitat,* ad providendum, secundum illud [19] : « Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima pro-

[1] I *Cor.*, IV, 9. — [2] *Matth.*, V, 14, 15. — [3] *Thren.*, I, 7. — [4] *Psal.* XXIV, 3. — [5] II *Esdr.*, IV, 3. — [6] Ambros., in Gloss. ad hunc loc. — [7] *Eccli.*, XX, 17, 18 et seq. — [8] *Prov.*, XX, 8. — [9] *Apoc.*, V, 10. — [10] *Job*, VII, 1. — — [11] Ibid., XLI, 25. — [12] *Psal.* II, 9. — [13] *Eccle.*, V, 8. — [14] *Ephes.*, VI, 12. — [15] *Jerem.*, II, 35. — [16] *Job*, XIII, 3. — [17] *Jerem.*, XII, 1. — [18] *Job*, VI, 8, 9. — [19] *Deut.*, XXXII, 29.

viderent. » Propter quod *ad Ephesios* dicitur [1] : « Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, » etc. *Si possit cum decem millibus occurrere,* scilicet ad resistendum; *Ei, qui cum viginti millibus venit ad se,* ad impetendum. Et hoc tripliciter habet exponi, sicut et præcedens : nam si exponatur de rege superbiæ, occurrimus ei per opera virtutum, quæ immediate resistunt ei, quæ ideo decem millia dicuntur propter observantiam decem mandatorum, et adversarius venit cum numero geminato, quia cuilibet virtuti respondet duplex vitium ex opposito, secundum superabundantiam et defectum. Unde quia pluribus modis est obligari quam dirigi, plures dicuntur esse in exercitu regis nobis contrarii. Unde *Judith* [2] : « Gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. » Sed non est fugiendum nec timendum, quia, sicut dicitur [3] : « Facile est concludi multos in manu paucorum, et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis et in paucis : quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. » Si autem intelligitur de rege justitiæ, occurrimus cum decem millibus, id est, confidentia meritorum, ex observantia decem mandatorum; et ipse cum viginti millibus, hoc est cum severitate judiciorum, in quibus fit discussio operum et cogitationum. Unde Beda : « Cum decem millibus occurrit, qui offert opera decem mandatorum; sed Deus quasi cum duplicato numero contra venit, cum vix in solo illum opere præparatum, simul de opere et cogitatione discutit. » Ex quo datur intilligi, quod sicut (*a*) non est tutum cum decem millibus impugnare viginti millia, sic non est securum cum judice illo contendere. Propter quod *Job* [4] : « Vere scio quod non justificetur homo comparatus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. » Unde *Malachias* [5] : « Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Quis poterit cogitare diem adventus ejus? etc. Ipse enim quasi ignis conflans, » etc. Et in *Psalmo* [6] : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi? » Si vero intelligatur de rege supernæ providentiæ, cum decem millibus vadit, qui vult pro Christo sustinere multa et magna; sed ipse cum viginti millibus, quia pro nobis sustinuit incomparabiliter plura, cum ipse sit gigas geminæ substantiæ. Propter quod in *Psalmo* [7] : « Quid retribuam Domino pro omnibus, » etc. Et *Michæas* [8] : « Quid dignum offeram Domino? » etc.

Tertio, quantum ad provisionem remedii, subdit : *Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt :* videlicet, si suam recognoscit infirmitatem, respectu istius triplicis pugnæ, laborat ad illius pugnæ declinationem. Missio autem istius legationis nihil aliud est, quam missio orationis, quam pro nobis portant angeli ante conspectum Dei, tanquam nostri legati [9] : « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, » sequitur : « Ego obtuli orationem tuam Domino. » Hæc legatio mittenda est pro repellenda pugna tentationum, quæ veniunt a rege superbiæ, sicut orabat Paulus [10] : « Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut (*b*) me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, » etc. Item mittenda est hæc legatio pro repellenda pugna divinarum disceptationum, quæ venit a rege justitiæ, sicut orabat Propheta in *Psalmo* [11] : « Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu, » etc. Mittenda est legatio, pro repellenda pugna tribulationum; quia venit a rege providentiæ, sicut orabat Jonas [12] : « Oravit Jonas ad Dominum Deum suum de

[1] *Ephes.*, v, 15-17. — [2] *Judith*, i, 4. — [3] I *Mach.*, iii, 18-19. — [4] *Job*, ix, 2-3. — [5] *Malach.*, iii, 1-2. — [6] *Psal.* lxxv, 8. — [7] *Psal.* cxv, 12. — [8] *Mich.*, vi, 6. — [9] *Tob.*, xii, 12. — [10] II *Cor.*, xii, 7-8. — [11] *Psal.* cxlii, 2. — [12] *Jon.*, ii, 2-3.

(*a*) *Cæt. edit. deest* sicut. — (*b*) *Vulg.* qui.

utero piscis, et dixit : Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me. » Ex quo colligitur quod consideratio periculi excitat ad procurationem remedii. Unde Glossa : « Nos fragilitatis nostræ insufficientiam attendentes ad impetrandam severi judicis pacem, debemus præmittere legationem lacrymarum, bonorum operum, et piorum affectuum. » Ideo dicitur [1] : « Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam, ut sic per legationem sacerdotum invenias regem placatum. »

Sic ergo omnis ex vobis, etc. Postquam præmisit exemplum parabolicum de ædificante, et exemplum de præliante, hic tertio ponit adaptationem utriusque. Et quoniam hæc exempla introducta erant ad excitandum nos ad providentiam rei opportunæ, et ad cautelam rei nocivæ, et ad dandam intelligentiam spiritualem utriusque; ideo in hac parte introducitur prædictorum (*a*) exemplorum adaptatio quantum ad providentiam rei opportunæ, quantum ad cautelam rei nocivæ, et quantum ad spiritualem intelligentiam utriusque.

Primo igitur, quantum ad providentiam rei opportunæ, dicit : *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet*, per contemptum temporalium ; *Non potest meus esse discipulus*, per perfectionem spiritualium : quasi dicat : Sicut ædificans non potest consummare sine sumptibus, nec pugnans secure pugnam aggredi sine militibus; sic nullus perfecte potest sequi Christum, nisi renuntiet omnibus. Et nota quod duplex est Christi discipulatus, unus necessitatis, sicut dicitur [2] quod discipuli consueverunt vocari illi qui nunc dicuntur Christiani, de qua disciplina *Isaias* [3] : « Quiescite agere perverse : discite benefacere. » Alius est discipulatus supererogationis, quo quis Christum sequitur in consiliis evangelicis; de quo *Matthæus* [4] : « Videns Jesus turbas, ascendit in montem : et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. » Primo discipulatui necessarium est omnibus renuntiare, quantum ad terrenorum contemptum (*a*); secundo autem necessarium est omnia relinquere, non solum quantum ad affectum, verum etiam quantum ad rem. Unde Glossa [5] : « Hoc distat inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia, quia renuntiare convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna; relinquere est tantummodo perfectorum, quia omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. » Et hoc necessarium est perfectis Christi discipulis, ut conformes sint paupertati Magistri. Unde in *Matthæo* (*c*) [6] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Bernardus [7] : « Bene, optime, et non ad insipientiam sibi, quia currentem sequi non poterat oneratus. » [8] « Exultavit enim ut gigas ad currendam viam. » Cum enim primum sit inter Christi documenta [9] : « Beati pauperes spiritu, » qui hoc ignorat, per consequens nescit quæ sint elementa exordii sermonum Christi; ac per hoc Christi discipulus non est, nec Christum intelligit. Et ideo Antiochus, qui interpretatur *silentium paupertatis*, subvertit fundamentum Jerusalem, quia non potest esse discipulus pauperis crucifixi, qui consilium paupertatis contemnit.

Renuntiare, relinquere quomodo differant.

Antiochus.

Secundo, quantum ad cautelam rei nocivæ, subdit (v. 34) : *Bonum est sal; si autem sal evanuerit*, etc. Per sal intelligitur perfectus quisque discipulus, qui exemplo et verbo debet condire corda aliorum. Unde in *Matthæo* (*c*) [10] : « Vos estis sal terræ : » quod dicitur, quia discretionem summam debet habere in conversatione, secundum illud [11] :

[1] *Eccli.*, XVIII, 19-21. — [2] *Act.*, VI et IX, passim. — [3] *Isa.*, I, 16. — [4] *Matth.*, V, 1. — [5] Gloss. ex Bed., ubi sup. — [6] *Matth.*, XIX, 27. — [7] Bern., *Declamat.*, in princ. — [8] *Psal.* XVIII, 6. — [9] *Matth.*, V, 3. — [10] Ibid., 13. — [11] *Col.*, IV, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* prædicatorum. — (*b*) *Cæt. edit.* contemptus. — (*c*) Matthæus.

« Sermo vester semper in gratia sale sit conditus : » quia sicut non potest comedi cibus, nisi sit sale conditus, sic nec stomachus cordis verbum suscipit indiscretum. *Job* [1] : « Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? » Debent etiam habere sapientiam : unde in *Levitico* [2] præcipitur quod in omni sacrificio offeratur sal. Et talis qui prudens est et sapiens, recte verbo et exemplo condimentum est Ecclesiæ. Unde Glossa : « Sal cibos condit, vermes necat, carnes siccat; sic prædicatio a vermibus vitiorum et putredine illæsam servat Creatori suo humanam naturam. »

Salis consideratio.

Sed tunc sal evanescit, quando Christi discipulus efficitur indevotus in contemplatione, et indiscretus in actione, et in prædicatione, sicut de illis dicitur [3] : « Evanuerunt in cogitationibus, et obscuratum est insipiens cor eum, » etc. Hoc est maximum periculum ; ideo subdit : *In quo condietur?* Quasi dicat : In nullo. Unde *Ecclesiasticus* [4] : « Quis miserebitur incantatori a serpente percusso? » Quasi diceret : Talis prorsus est despectibilis et inutilis, tam coram Deo quam coram hominibus ; tam in actibus (*a*) spiritualibus, quam in temporalibus. Ideo addit (v. 35) : *Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittitur.* Glossa [5] : « Qui post (*b*) agnitionem veritatis retrocedit, neque ipse fructum boni operis ferre, neque alios excolere valet, sed ejicitur. »

Imo quod plus est, reddit terram sterilem, quia vir perfectus cadens suo malo exemplo, alios reddit inutiles ad bonum faciendum. Et ideo vir retrocedens comparatur uxori Lot, de qua dicitur [6] quod « respiciens post se, versa est in statuam salis. » Et ideo in *Proverbiis* [7] : « Homo apostata, vir inutilis, gradiens ore perverso, » etc. Sicut igitur ædificium incœptum, et non consummatum, ad nihilum utile est, et homo qui incœpit, et non perfecit, ab omnibus deridetur, et similiter ille qui in prælio superatur ; sic et discipulus apostatans despicitur tanquam sal infatuatum. Unde in *Matthæo* (*c*) [8] : « Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. »

Tertio, quantum ad spiritualem intelligentiam utriusque, subjungit : *Qui habet aures audiendi, audiat.* In quo invitat ad perfectam intelligentiam, ut non solum verba prædicta audiantur quoad sonum vocalem, de quo dicitur [9] : « Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt ; » verum etiam quoad intellectum spiritualem, secundum illud *Job* [10] : « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. » Et *Psalmus* [11] : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, » etc.; et etiam quoad effectum manualem [12] : « Estote factores verbi, et non auditores tantum. » Vult igitur dicere quod verba præmissa sunt parabolica, et ideo sunt spiritualiter, et non carnaliter, audienda et discutienda, secundum illud [13] : « Audiens sapiens, sapientior erit : et intelligens gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum. » Qui hoc modo audiunt verbum Dei, efficacissime suscipiunt, juxta illud *Ecclesiastici* [14] : « Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. »

[1] *Job*, VI, 6. — [2] *Levit.*, II, 13. — [3] *Rom.*, I, 21. — [4] *Eccli.*, XII, 13. — [5] Gloss. ex Bed, ubi sup. — [6] *Gen.*, XIX, 26. — [7] *Prov.*, VI, 12. — [8] *Matth.*, V, 13. — [9] Ibid., XIII, 15. — [10] *Job*, XLII, 5. — [11] *Psal.* LXXXIV, 9. — [12] *Jac.*, I, 22. — [13] *Prov.*, I, 5-6. — [14] *Eccli.*, XXIV, 30-31.

(*a*) *Cæt. edit.* actis. — (*b*) per. — (*c*) *Cæt. edit.* Unde Matthæus.

FINIS TOMI DECIMI.

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO DECIMO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

PRÆFATIONIS LOCO, ex Prodromo ad Opera omnia Sancti Bonaventuræ excerpta quædam. 1
EXPOSITIO IN LIBRUM SAPIENTIÆ. ARGUMENTUM EX EDITIONE VATICANA. Prologus. 1
EXPOSITIO IN PRÆFATIONEM S. HIERONYMI DE LIBRO SAPIENTIÆ. In caput I, *Diligite*, etc. 4
In caput II, *Dixerunt enim*, etc. 13
In caput III, *Justorum autem*, etc. 20
In caput IV, *O quam*, etc. 27
In caput V, *Tunc stabunt*, etc. 33
In caput VI, *Audite ergo, Reges*, etc. 41
In caput VII, *Sum quidem et ego*, etc. 48
In caput VIII, *Attingit ergo*, etc. 57
In caput IX, *Deus patrum meorum*, etc. 64
In caput X, *Hæc illum*, etc. 69
In caput XI, *Direxit opera eorum*, etc. 76
In caput XII, *O quam bonus*, etc. 83
In caput XIII, *Vani autem*, etc. 91
In caput XIV, *Iterum alius navigare*, etc. 95
In caput XV, *Tu autem, Deus noster*, etc. 104
In caput XVI, *Propter hæc, et his similia*, etc. 110
In caput XVII, *Magna enim sunt*, etc. 118
In caput XVIII, *Sanctis autem tuis*, etc. 124
In caput XIX, *Impiis autem usque ad novissimum*. etc. 130
EXPOSITIO IN LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ. ARGUMENTUM EX EDITIONE VATICANA. Proœmium. 138
In caput I, *Quomodo, facta est*, etc. 143
In caput II, *Quomodo obtexit*, etc. 164
In caput III, *Ego vir videns*, etc. 183
In caput IV, *Quomodo obscuratum est*, etc. 199
EXPOSITIO IN CAPUT VI EVANGELII S. MATTHÆI, DE ORATIONE DOMINICA. 207
EXPOSITIO IN EVANGELIUM S. LUCÆ. ARGUMENTUM EX EDITIONE VATICANA. 211
Proœmium. 212
In præfationem, *Quoniam quidem multi*, etc. 217
In caput I, *Fuit in diebus Herodis*, etc. 218
In caput II, *Factum est autem in diebus illis*, etc. 255
In caput III, *Anno autem quinto decimo*, etc. 283
In caput IV, *Jesus autem plenus Spiritu sancto*, etc. 302
In caput V, *Factum est, cum turbæ*, etc. 327
In caput VI, *Factum est autem in sabbato*, etc. 352
In caput VII, *Cum autem implesset omnia verba sua*, etc. 388
In caput VIII, *Et factum est deinceps*, etc. 416
In caput IX, *Convocatis autem duodecim*, etc. 448
In caput X, *Post hæc autem designavit Dominus*, etc. 487
In caput XI, *Et factum est, cum esset in quodam loco*, etc. 514
In caput XII, *Multis autem turbis concurrentibus*, etc. 549
In caput XIII, *Viderant autem quidam*, etc. 577
In caput XIV, *Et factum est cum intraret*, etc. 602

FINIS INDICIS MATERIARUM TOMI DECIMI.

VESONTIONE. — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

a omnia
1560

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
1560.